

P. Fr. GERARDUS M. PARIS, O. P.

S. Theologiae Magister

S Y N O P S I S
TOTIUS SUMMAE THEOLOGICAE
S. THOMAE

SEU

DIVISIO QUAESTIONUM

TOTIUS SUMMAE THEOLOGICAE ANGELICI DOCTORIS

CUM

RESPONSIONIBUS RATIONIBUSQUE FUNDAMENTALIBUS

AD UNIVERSOS ET SINGULOS ARTICULOS

PRIMA PARS

NEAPOLI (ITALIA)

M. D'AURIA - S. SEDIS APOSTOLICAE TYPOGRAPHUS

1950

Attente perlegimus opus P. Fr. GERARDI MARIAE PARIS O. P., S. Th. L. cui titulus « *Synopsis totius Summae Theologicae S. Thomae seu Divisio Quaestionum totius Summae Theologicae Angelici Doctoris cum responsionibus fundamentalibus ad universos et singulos Articulos* », Vol. I, in quo PRIMA PARS et PRIMA SECUNDÆ ipsius Summae continentur; et dignum iudicamus hoc opus ut typis mandetur utpote utilissimum ad maiorem D. Thomae doctrinae divulgationem.

Datum Melitae, die 5 Octobris, 1944

Fr. THOMAS M. ZAMMIT, O. P., S. Th. Mag.

Fr. VINCENTIUS JOS. BONELLO, O. P., S. Th. L.

Et Nos nostram licentiam damus ut imprimatur.

Fr. J. M. GAUCI O. P.

Prior Provincialis.

Nihil obstat.

Datum Melitae, die 7 Novembris, 1945

Fr. BERNARDUS Ma. a HAMRUN, O. F. M. Cap.

Censor Theol.

Imprimatur.

Datum in Curia Archiep. ali Melitae die 17 Nov. 1945

✠ Em. GALEA, Ep. Trallian. in Asia

Vic. Gen.

JUS PROPRIETATIS VINDICABITUR

B. Berghia Sp
del.

IMMACULATO VIRGINIS DEIPARAE CORDI
SUMMAM HANC ANGELICI DOCTORIS
SUMMAE THEOLOGICAE
AD MAJOREM HUIUS DOCTRINAE COGNITIONEM
GRATO FILIALIQUE ANIMO
COMPOSITOR
HUMILITER DEDICAT

AD LECTOREM

Cum jam cultoribus Angelici Doctoris doctrinam, Divisionem Schematicam totius Summae Theologicae in tractatus quaestionesque praebuimus, nostrum propositum nunc est iisdem, favente Dei gratia, Divisiones omnium Quaestionum, nec non RESPONSIONES FORMALES seu FUNDAMENTALES omnium ac singulorum articulorum, cum notis quibusdam, ubi occurrerit, stilo claro et brevi, nostrisque temporibus apto, offerre.

Methodus quam hic secuti sumus haec est: statim et directe respondere ad articulum, sive affirmative, sive negative; et simul, ubi opus est, ad majorem claritatem, sensum declarare quo articulus affirmatur vel negatur: deinde Rationem vel Rationes proprias directe dare per verba, Ratio est: quia... Et sic quasi immediate quaesito, quod est in enuntiatione articuli, responsio conjungitur, fere semper iisdem verbis Sancti Thomae utendo. Ultimo, ad hoc ut doctrinam Magistri Angelici, quae in responsionibus ad objectiones invenitur, non negligatur, eam breviter in «Notandis» exposuimus. Hoc modo SUMMAM SUMMAE clero et populo, studiorum cultori, dare proposuimus ut hoc famosissimum atque immortale S. Thomae opus magis magisque cognoscatur atque propagetur, prout hodie, cum veritas valde obscurata sit in mundo, quam maxime necesse est. Suasi enim sumus quod, sicut in Sacra Tridentina Synodo, post Sacram Scripturam, nullum alium librum Patres, ad renovationem vitae christianae, consulere

solebant, nisi Summam Aquinatis Theologicam; ita et his nostris temporibus, meliorem librum, tamquam VITAE CODICEM, omnibus veritatem quaerentibus, nescimus proponere, quam eandem SUMMAM, quae revera SUMMA VITAE est.

Hoc opus nostrum, igitur, in quo ad quintam partem molis universam Summam Theologicam reduximus, et quod nobis labore per septem annos stetit, gratissimo animo Deo, libenter Ecclesiae Christi offerimus, ut quos novitiis scripsit Ille, ad omnes pervenire possint articulos, uti radios lucis humano-divinae, in qua totus mundus salutem et pacem veram, in vera justitia et veritate fundatam, haurire valeat, praesertim si hoc opus in principales linguas Europae conversum fuerit ut est in votis.

Melitae, in Conventu Sanctae Mariae de Crypta,
die festo S. Thomae, 1947, in quo et noster dies
argentei Sacerdotalis jubilaei celebratur.

FR. G. M. PARIS, O. P.

RATIONES FUNDAMENTALES

ARTICULORUM SUMMAE THEOLOGICAE

SANCTI THOMAE AQUINATIS

PRIMA PARS

DE DOCTRINA SACRA (qu. I). DE DEO UNO (a qu. II usq. ad XXVI^m; summa articulorum: 145). DE DEO TRINO (q. XXVII ad qu. XLIII^m; art.: 72). DE DEO CREATORE (a qu. XLIV ad qu. CXIX^m; art. 344). – Totalis summa aa 561.

DE DOCTRINA SACRA

Ut intentio nostra sub aliquibus certis limitibus comprehendatur, necessarium est primo investigare de ipsa sacra doctrina, qualis sit, et ad quae se extendat. – Circa quae quaeruntur decem:

QUAESTIO I (PRAELIMINARIS)

Art. I. – *Utrum sit necessarium praeter philosophicas disciplinas aliam doctrinam haberi.*

RESP. AFF. – *Scil.:* praeter philosophicas disciplinas alia doctrina necessarium est haberi: *a)* non solum ad cognoscendum veritates quae rationem humanam excedunt; sed *b)* etiam ad certe cognoscendum quasdam ex illis quae a nobis investigari possunt.

RATIO PRIMI EST: quia homo ordinatur ad Deum, sicut ad quemdam finem, qui comprehensionem rationis excedit; secundum illud: *Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti diligentibus te* (Is. LXIV, 4).

RATIO SECUNDI EST: quia veritas de Deo per rationem investigata, a paucis hominibus, et per longum tempus, cum admixtione multorum errorum

et cum incertitudine invenitur: a cujus tamen veritatis cognitione pendet tota hominis salus, quae in Deo est.

Art. II. – *Utrum Sacra Doctrina sit scientia.*

RESP. AFF. – *Scil.:* sacra Doctrina est scientia subjecta scientiae Dei et beatorum, sicut prospectiva geometriae, et musica arithmeticae.

R. EST: quia sacra Doctrina procedit ex principiis *notis* lumine superioris scientiae, quae est scientia Dei et beatorum. – Unde sicut musica credit principia tradita sibi ab arithmetico, ita doctrina sacra credit principia revelata sibi a Deo.

Art. III. – *Utrum sacra doctrina sit una scientia.*

RESP. AFF. – R. EST: quia quaecumque sunt divinitus revelata communicant in una ratione formali objecti hujus scientiae, scil. in quantum sunt divinitus revelata, vel revelabilia (Ad 2m).

NOTANDUM: Doctrina sacra se extendit ad ea quae pertinent ad diversas scientias philosophicas, prout sunt divino lumine cognoscibilia (Ad 4m).

Art. IV. – *Utrum Sacra Doctrina sit scientia practica.*

RESP. AFF., *sed* est magis speculativa quam practica.

R. PRIMI EST: quia sacra doctrina se extendit ad ea quae pertinent ad diversas scientias philosophicas, sive speculativas sive practicas, prout sunt divino lumine cognoscibilia.

R. SECUNDI EST: quia sacra doctrina principaliter agit de rebus divinis quam de actibus humanis; de quibus agit secundum quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem, in qua aeterna beatitudo consistit.

Art. V. – *Utrum Sacra Doctrina sit dignior aliis scientiis.*

RESP. AFF. – *Scil.:* transcendit omnes alias scientias (i) cum speculativas, (ii) tum practicas.

R. PRIMI EST: quia sacra doctrina est certior scientiis speculativis, et digniorem materiam habet: nam ipsa certitudinem habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non potest; et principaliter agit de iis quae sua altitudine rationem transcendunt.

R. SECUNDI EST: quia omnes aliae scientiae practicae ad finem scientiae sacrae ordinantur, qui est beatitudo aeterna.

NOTANDUM: In scientiis speculativis illa dicitur dignior quae majorem certitudinem et digniorem materiam habet; in practicis vero, illa quae minus ad alias ordinatur, sed ad quam magis quam ad alias aliae ordinantur.

Art. VI. - *Utrum haec doctrina sit sapientia.*

RESP. AFF. - *Scil.* : est maxime sapientia, inter omnes sapientias humanas, et non quidem in aliquo genere tantum, sed simpliciter.

R. EST: quia considerat altissimam causam non alicuius generis particularis, sed quae Deus est; et non solum quantum ad illud quod est per creaturas cognoscibile; sed etiam quantum ad id quod notum est sibi soli de seipso, et aliis per revelationem communicatum.

Art. VII. - *Utrum Deus sit subiectum huius scientiae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia omnia pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei: vel quia sunt ipse Deus; vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem.

Art. VIII. - *Utrum haec doctrina sit argumentativa.*

RESP. AFF. - R. EST: quia, cum sit suprema inter omnes doctrinas, defendet sua principia contra adversarios, per unum articulum contra negantes alium, vel per solutionem difficultatum rationis contra adversarios, qui nihil credunt. Sua principia, quae sunt articuli fidei, ipsa non probat.

Art. IX. – *Utrum Sacra Scriptura debeat uti metaphoris.*

RESP. AFF. – R. EST: quia naturæ est homini ut ad intelligibilia per sensibilia veniat; Deus enim omnibus providet secundum quod competit eorum naturæ.

Art. X. – *Utrum Sacra Scriptura sub una littera habeat plures sensus.*

RESP. AFF. – *Scil.:* habet sensum litteralem, allegoricum, moralem et anagogicum.

R. EST: quia Deus, qui est auctor Sacrae Scripturae, omnia simul suo intellectu comprehendit, ea scil. quae rem ipsam de se significant (sensus historicus vel litteralis), vel ea quae praeter ipsam rem alias significant (sensus spiritualis) et hoc tripliciter: primo, prout lex veteris testamenti figura est novae legis (sensus allegoricus); secundo, prout ea quae in Christo passa sunt, nos agere debemus (sensus moralis); tertio, prout significant ea quae sunt in aeterna gloria (sensus anagogicus).

DE DEO UNO

Tria quaeruntur in hac quaestione quorum duo priora praemissa sunt ad tertium.

QUAESTIO II

De Deo. — An Deus sit *

Art. I. – *Utrum Deum esse sit per se notum.*

RESP. NEG. – *Scil.:* non est per se notum quoad nos distincte, sed tantum confuse.

(*) Incipit hic Tractatus de Deo Uno. Ad divisionem huius tractatus vide, si vis, nostram « Divisionem Schematicam » (Tab. II).

R. EST: quia nos non scimus de Deo quid est, sed indiget demonstrari per ea quae sunt nobis nota, scil. per effectus. Item, quia Deus est hominis beatitudo; homo autem naturaliter desiderat beatitudinem; et ideo naturaliter beatitudo cognoscitur ab eodem. Attamen non simpliciter cognoscitur, sed confuse; multi enim existimant perfectum hominis bonum esse divitias, quidam voluptates, vel aliquid aliud (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum Deum esse sit demonstrabile.*

RESP. AFF. - *Scil.* : demonstratione « quia », i. e. per effectum.

R. EST: quiaposito effectu, necesse est causa praeexistere.

NOTANDUM: S. Doctor in hoc articulo non probat naturam esse creatam seu effectum, sed supponit. - Item, alia demonstratio est « propter quid », i. e. per priora simpliciter; sed hoc modo Deum esse demonstrari non potest, quia Deus non est nobis per se notum (art. praec.). Hodie scientia probat mundum incoepisse.

Art. III. - *Utrum Deus sit.*

RESP. AFF., et hoc probatur quinque argumentis seu viis.

PRIMUM argumentum *ex motu rerum* sumitur: quia necesse est quod id quod movetur, ab alio quod est in actu moveri; et primum quod est in actu, a semetipso est, et est primum movens immobile, quod est Deus. Non est enim hic procedere in infinitum, quia sic non esset aliquid primum movens, et per consequens nec aliquid aliud movens.

SECUNDUM sumitur *ex ratione causae efficientis* : quia dantur causae efficientes in mundo; propterea necesse est esse primam causam efficientem, quae est Deus.

TERTIUM, *ratione necessitatis essendi alicuius entis* : quia multa sunt in mundo quae possunt non

esse, quia corrumpuntur et generantur; sed quaedam revera sunt; propterea necesse est quaedam necessario esse (scil. in quantum sunt); et haec necessario supponunt primum ens (absolute) necessarium, a quo habent necessitatem esse. Tale ens habet necessitatem essendi a se ipso, et est Deus; non est autem possibile quod procedatur in infinitum in necessariis quae habent causam suae necessitatis.

QUARTUM, *ex gradibus boni, veri et huiusmodi quae in rebus inveniuntur*: quia quae sunt in aliquo genere supponunt primum maximum, quod est causa omnium illius generis. Propterea necesse est esse maximum ens, bonum, verum, pulchrum, et cuiuslibet perfectionis, quod est unum; quia ens, bonum, verum et huiusmodi convertuntur; et hoc est Deus.

QUINTUM, *ex gubernatione rerum cognitione carentium*; quia talia attingunt finem, et non a casu, cum id quod est optimum consequantur. Propterea ex cognitione alicuius entis intelligentis ordinantur, sicut sagitta a sagittante. Et tale ens intelligens, quod naturam gubernat, est Deus.

QUAESTIO III

De Dei simplicitate

In hac quaestione incipit S. Doctor quaerere *quid sit Deus*; et quia de Deo scire possumus magis quid non sit quam quid ipse sit, considerat *primo*, quod Deus non est compositus sed simplex, *deinde* de aliis attributis in subsequentibus quaestionibus tractat.

Art. I. – *Utrum Deus sit corpus.*

RESP. NEG. – R. PRIMA EST: quia Deus est primum movens immobile; nullum autem corpus movet non motum, ut patet ex inductione.

R. SECUNDA EST: quia Deus est primum ens, quod oportet esse in actu simpliciter, et nullo modo in potentia.

R. TERTIA EST: quia Deus est id quod est nobilissimum; principium autem vitae (in corpore), quae est anima, est nobilior corpore.

Art. II. - *Utrum in Deo sit compositio formae et materiae.*

RESP. NEG. - RATIO PRIMA EST: quia Deus non est corpus.

R. SECUNDA EST: quia primum bonum et optimum, quod Deus est, est tale per essentiam, non autem per participationem.

R. TERTIA EST: quia primum et per se agens, oportet esse *per se* forma.

Art. III. - *Utrum sit idem Deus quod sua essentia vel natura.*

RESP. AFF. - R. EST: quia in Deo non est materia individuans, propterea in Deo idem est suppositum et natura seu essentia.

Art. IV. - *Utrum in Deo sit idem essentia et esse.*

RESP. AFF. - RATIO PRIMA EST: quia esse quod non est idem ac essentia oportet esse causatum. Hoc autem non potest dici de Deo: a) quia Deus est causa prima; b) quia nulla res sufficit ad hoc quod sit sibi causa essendi, si habeat esse causatum.

R. SECUNDA EST: quia in Deo nihil est potentiale.

R. TERTIA EST: quia quod habet esse et non est esse, est ens per participationem; Deus autem est primum ens.

Art. V. - *Utrum Deus sit in genere aliquo.*

RESP. NEG. - *Scil.* : neque simpliciter et proprie, neque per reductionem.

R. PRIMI EST triplex: a) quia quod est in aliquo genere adiungitur in ipso potentia actui; b) quia esse seu ens non potest esse genus, quia omnis differentia est esse seu ens; c) quia quae sunt in genere uno differunt in esse, et communicant in essentia; unde in eis esse et essentia non sunt idem; in Deo autem sunt idem.

R. SECUNDI EST: quia quod per reductionem reducitur non se extendit ad aliud genus; sicut punctum, quod reducitur ad genus quantitatis continuae, non se extendit ad aliud. Deus vero se extendit ad omnia, in quantum est principium totius esse.

Art. VI. – *Utrum in Deo sint aliqua accidentia.*

RESP. NEG. – R. PRIMA EST: quia esse in potentia omnino removetur a Deo.

R. SECUNDA EST: quia ipsum esse nihil aliud adiunctum habere potest.

R. TERTIA EST: a) quia, cum Deus sit primum ens simpliciter, nihil in ipso potest esse per accidens; b) neque in ipso potest esse *per se accidens*, quia in Deo, cum sit causa prima, nihil potest esse causatum.

Art. VII. – *Utrum Deus sit omnino simplex.*

RESP. AFF. – R. PRIMA EST: quia ex supradictis hoc consequitur.

R. SECUNDA EST: quia omne compositum est posterius suis componentibus, et dependens ex eis.

R. TERTIA EST: quia omne compositum causam habet suae compositionis.

R. QUARTA EST: quia in Deo nulla est potentia passiva.

R. QUINTA EST: quia in omni composito est aliquid quod non est ipsum compositum.

Art. VIII. – *Utrum Deus in compositionem aliorum veniat.*

RESP. NEG. ÷ R. PRIMA EST: quia causa efficiens non incidit in idem numero cum forma, sed in

idem specie; sicut homo generat hominem: cum materia vero neque in idem specie, quia causa efficiens est in actu, materia vero in potentia.

R. SECUNDA EST: quia quod venit in compositionem alicuius, non est primo et per se agens, sed magis compositum.

R. TERTIA EST: quia Deus est primum ens simpliciter (Q. II, art. 3); nulla pars compositi vero potest esse simpliciter prima in entibus, neque etiam materia et forma quae sunt primae partes compositorum.

QUAESTIO IV

De Dei Perfectione

Primo quaerit de Dei perfectione simpliciter (art. 1), deinde de Dei perfectione relative ad perfectiones creaturarum (aa. 2 et 3).

Art. I. - *Utrum Deus sit perfectus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia Deus est primum principium in genere causae efficientis. Primum principium activum enim oportet esse maxime in actu, et per consequens maxime perfectum.

Art. II. - *Utrum in Deo sint perfectiones omnium creaturarum.*

RESP. AFF. - R. PRIMA EST: quia quidquid perfectionis est in effectu, oportet inveniri in causa effectiva modo eminentiori. (In casu nostro, effectus inveniuntur in causa non univoce, seu secundum eandem rationem, sicut cum homo generat hominem; sed equivoce, scil. secundum quamdam proportionem).

R. SECUNDA EST: quia cum Deus sit ipsum esse subsistens, nihil de perfectione essendi potest ei deesse.

Art. III. – *Utrum aliqua creatura possit esse similis Deo.*

RESP. AFF. – *Scil.:* secundum quamdam analogiam, inquantum creaturae sunt entia, et assimilantur Deo, ut primo et universali principio totius esse.

R. EST: quia Deus non continetur neque in genere cum suo effectu; propterea non potest assimilari nisi per analogiam a creatura.

QUAESTIO V

De bono in communi

Quia omne perfectum est bonum, quaerit consequenter S. Doctor de Dei bonitate. Et primo agit de bono in genere. De hoc autem tria quaerit in sex articulis. *Primo*, quomodo bonum se habet ad ens; et circa hoc tria: *a)* utrum bonum sit idem ac ens secundum rem (a. 1); *b)* utrum ens sit prius, secundum rationem, vel bonum (a. 2); *c)* utrum omne ens sit bonum (a. 3). – *Secundo*, procedit ad definitionem boni, et circa hoc duo: *a)* ad quam causam ratio boni reducatur (a. 4); *b)* an ratio boni consistat in modo, specie et ordine (a. 5). – *Tertio*, quaerit de divisione boni, scilicet in honestum, utile et delectabile.

Art. I. – *Utrum bonum differat secundum rem ab ente.*

RESP. NEG. – Differt tamen secundum rationem; scil.: secundum rationem appetibilis, quam non dicit ens: ens dicit aliquid esse in actu tantum.

R. EST: quia bonum dicitur ratione appetibilis; appetibile autem est ratione perfecti; perfectum vero ratione actus; actus autem ratione entis. Propterea bonum et ens non differunt secundum rem.

Art. II. – *Utrum bonum secundum rationem sit prius quam ens.*

RESP. NEG. – R. EST: quia primo in conceptione intellectus cadit ens; secundum hoc enim unum-

quodque cognoscibile est in quantum est actu. Unde ens est obiectum proprium intellectus.

Art. III. - *Utrum omne ens sit bonum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia omne ens est in actu, et sic perfectum, unde appetibile, et bonum.

Art. IV. - *Utrum bonum habeat rationem causae finalis.*

RESP. AFF. - Sed tamen ratio boni praesupponit rationem causae efficientis et rationem causae formalis.

R. EST: quia bonum est quod omnia appetunt (I. P., q. V, art. 1); hoc autem habet rationem finis. - Attamen, in causato, 1^o est forma, per quam est ens; 2^o consideratur in eo virtus effectiva, per quam est perfectum in esse; 3^o consequitur ratio boni, per quam in ente perfectio fundatur.

Art. V - *Utrum ratio boni consistat in modo, specie, et ordine.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ratio perfecti consistit: in forma ipsa, in illo quod formae praecedit, et in illo quod ipsam consequitur. Per formam unumquodque in *specie* constituitur. Ad formam praeexigitur determinatio sive commensuratio principiorum, quae significatur per *modum*; et ad eam consequitur inclinatio ad finem, et hoc pertinet ad pondus et *ordinem*.

Art. VI. - *Utrum convenienter dividatur bonum per honestum, utile et delectabile.*

RESP. AFF. - R. EST: quia aliquid est bonum in quantum est appetibile, et terminus motus appetitus est: vel secundum quid, i. e. medius (bonum utile ad aliud); vel simpliciter, i. e. ultimus (bonum honestum); vel consequitur terminum, i. e. quies (bonum delectabile).

QUAESTIO VI

De bonitate Dei

In hac quaestione S. Doctor quaerit tria in quatuor articulis. *Primo*, utrum conveniat Deo esse bonum (a. 1). - *Secundo*, quaerit quomodo ratio boni est in Deo, et hoc dupliciter: *a)* utrum Deus sit summum bonum (a. 2); *b)* utrum ipse solus sit bonus per essentiam (a. 3); ultimo agit de relatione bonitatis creaturarum cum illa bonitate quae est in Deo (q. 4).

Art. I. - *Utrum esse bonum Deo conveniat.*

RESP. AFF. - R. EST: quia cum Deus sit prima causa effectiva omnium, unumquodque *appetit* in ipso suam perfectionem.

Art. II. - *Utrum Deus sit summum bonum.*

RESP. AFF. - *Scil.* : bonum est in Deo aequivoce seu modo excellentissimo.

R. EST: quia bonum in Deo est sicut in prima causa omnium non univoca.

Art. III. - *Utrum esse bonum per essentiam sit proprium Dei.*

RESP. AFF. - R. EST: quia soli Deo competit per essentiam triplex perfectio rerum, secundum quam res dicuntur bonae. Haec triplex perfectio est: *Primo*, secundum quod res in suo esse constituitur: essentia autem solius Dei est suum esse; *secundo*, prout ei aliqua accidentia superadduntur ad suam perfectam operationem necessaria: Deo autem non adveniunt accidentia, sed quae de aliis dicuntur accidentaliter, sibi conveniunt essentialiter; *tertio*, perfectio alicuius est per hoc quod aliquid aliud attingit sicut finem: Deus autem ad nihil aliud ordinatur sicut ad finem.

Art. IV - *Utrum omnia sint bona bonitate divina.*

RESP. AFF. - R. EST: quia unumquodque dicitur bonum similitudine divinae bonitatis sibi inhaerente, quae est formaliter *sua* bonitas (contra Platonem), denominans ipsum. Sic ergo, unumquodque dicitur bonum bonitate divina, sicut principio exemplari, effectivo et finali totius bonitatis.

QUAESTIO VII

De infinitate Dei

Post considerationem divinae perfectionis, tractat S. Doctor de infinitate Dei et de eius existentia in rebus. Attribuitur enim Deo quod sit ubique et in omnibus rebus, in quantum est incircumscribibilis et infinitus.

In quaestione de infinitate Dei S. Doctor demonstrat quomodo Deus est solus infinitus et quidem per essentiam (aa. 1 et 2); postea, quoad creaturas, probat quod eis non competit neque infinitas magnitudinis, neque infinitas multitudinis (aa. 3 et 4).

Art. I. - *Utrum Deus sit infinitus.*

RESP. AFF. - *Scil.*: infinitate perfectionis.

R. EST: quia infinitum dicitur aliquid ex eo quod non est finitum. Infinitum secundum quod se tenet ex parte formae non determinatae per materiam, habet rationem perfecti. Cum igitur esse divinum non sit receptum in aliquo, sed ipse Deus sit suum esse subsistens (qu. III, a. 4), manifestum est quod ipse Deus sit infinitus et perfectus.

Art. II. - *Utrum aliquid aliud quam Deus possit esse infinitum per essentiam.*

RESP. NEG. - *Scil.*: simpliciter. Materia tamen et formae subsistentes possunt esse infinitae secundum quid.

R. EST: quia omne quod habet esse, et non est suum esse, necesse est quod ipsum eius esse sit receptum.

NOTANDUM: a) Materia Prima est infinita secundum quid tantum, quia eius potentia non se extendit nisi ad formas naturales (ad 3m).

b) Materia determinata per formam, remanet in potentia ad multas formas accidentales, quod potest esse infinitum sec. quid.

c) Formae quae sunt in materia sunt simpliciter finitae, et nullo modo infinitae.

d) Formae subsistentes sunt infinitae sec. quid inquantum non terminantur, neque contrahuntur per aliquam materiam.

Art. III. – *Utrum possit esse aliquid infinitum actu secundum magnitudinem.*

RESP. NEG. – *Scil.* : neque corpus naturale, neque mathematicum.

R. PRIMI EST: quia omne corpus naturale habet formam substantialem determinatam, propterea habet etiam accidentia (propria) determinata, quae hanc formam consequuntur, inter quas est quantitas. Quantitas autem determinata nunquam est infinita. – Item, quia omne corpus naturale habet motum; sive rectum, sive circularem. Corpus vero infinitum neutrum ex istis potest habere. Non motum rectum, quia corpus infinitum non potest esse extra suum locum. Non motum circularem, quia partes circumferentiae sunt infinite distantes ab invicem, secundum quod infinite distarent a centro.

R. SECUNDI EST: quia omne quod imaginemur corpus mathematicum oportet esse sub aliqua forma, et figura.

Art. IV. – *Utrum possit esse infinitum in rebus secundum multitudinem.*

RESP. NEG. – *Scil.* : a) non datur multitudo infinita in actu, neque per se neque per accidens; b) sed datur multitudo infinita in potentia tantum.

R. **PRIMI EST:** quia species multitudinis sunt secundum species numerorum; nulla autem species numeri est infinita. – Item, quia omne creatum sub aliqua certa intentione creantis comprehenditur.

R. **SECUNDI EST:** quia divisio magnitudinis proceditur ad materiam, cui attribuitur infinitum ratione imperfecti.

QUAESTIO VIII

De existentia Dei in rebus

Circa hoc quaeruntur duo. *Primo*, de ipsa existentia Dei in rebus, scil. an Deus sit in omnibus rebus. *Secundo*, de Dei ubiuitate. Et circa hoc tria: an sit ubique, quomodo sit ubique, et utrum esse ubique sit proprium Dei.

Art. I. – *Utrum Deus sit in omnibus rebus.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non sicut pars essentiae, vel sicut accidens, sed sicut agens adest ei in quod agit.

R. **EST:** quia esse creatum est proprius effectus Dei, quem Deus causat in rebus immediate, non solum quando primo esse incipiunt, sed quamdiu in esse conservantur.

Art. II. – *Utrum Deus sit ubique.*

RESP. AFF. – *Scil.* : secundum totalitatem essentiae, non vero quantitatis.

R. **EST:** quia Deus dat rebus esse et virtutem locativam; et per hoc omnia loca replet.

Art. III. – *Utrum Deus sit ubique per essentiam, praesentiam et potentiam.*

RESP. AFF. – R. **EST:** quia (secundum quod in humanis dicitur) Deus est in omnibus: a) in quantum omnia eius potestate subduntur (per potentiam); b) in quantum omnia nuda sunt et aperta

oculis eius (per praesentiam); c) inquantum Deus adest omnibus ut causa essendi (per essentiam).

NOTANDUM: Deus est in sanctis speciali modo, i. e. sicut objectum operantis in operante, inquantum per gratiam sancti cognoscunt et diligunt illum. — Est autem alius singularis modus essendi Deum in homine, per unionem scil. hypostaticam, de quo in P. III, q. II, art. 1. (Ad 4 m).

Art. IV. — *Utrum esse ubique sit proprium Dei.*

RESP. AFF. — *Scil. : est proprium Dei primo et per se.*

R. EST: quia quocumque loca ponantur, oportet quod in quolibet sit Deus, non. per accidens, sed per se, non secundum partem, sed secundum seipsum totum.

QUAESTIO IX

De Dei immutabilitate

Consequenter considerandum est de immutabilitate et aeternitate divina, quae immutabilitatem consequitur. — Circa immutabilitatem quaeruntur duo: utrum Deus sit omnino immutabilis, et utrum esse immutabile sit proprium Dei.

Art. I. — *Utrum Deus sit omnino immutabilis.*

RESP. AFF. — R. PRIMA EST: quia primum ens, quod est purus actus, est absque permixtione alicuius potentiae. Potentia enim est simpliciter posterior actu.

R. SECUNDA EST: quia in omni eo quod movetur, attenditur aliqua compositio, inquantum quantum ad aliquid manet et quantum ad aliquid transit; quod de Deo dici non potest.

R. TERTIA EST: quia Deus non potest aliquid acquirere; nec se extendere in aliquid ad quod prius non pertinebat.

Art. II. - *Utrum esse immutabile sit Dei proprium.*

RESP. AFF. - R. EST: quia in omni creatura est potentia ad mutationem: vel secundum esse substantiale, sicut corpora corruptibilia; vel secundum esse locale tantum, sicut corpora caelestia *; vel secundum ordinem ad finem et applicationem virtutis ad diversa, sicut in angelis; et universaliter omnes creaturae communiter sunt mutabiles secundum potentiam creantis, in cuius potestate est esse et non esse earum. Unde, cum Deus nullo istorum modorum sit mutabilis, proprium eius est omnino immutabilem esse.

QUAESTIO X

De Dei aeternitate**Art. I.** - *Utrum convenienter definitur aeternitas, quod est interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio.*

RESP. AFF. - R. EST: quia aeternitas ex duobus notificatur: 1^o Ex hoc quod id quod est in aeternitate, est interminabile, id est principio et fine carens; 2^o per hoc quod ipsa aeternitas successione caret, total simul existens.

NOTANDUM: Dicitur *vita*, magis quam *esse*; quia illud quod est vere aeternum non solum est ens, sed vivens. - Dicitur *tota*; non quia habet partes, sed in quantum nihil ei deest. - Dicitur *perfecta*; quia excludit etiam *nunc* temporis, quod est imperfectum. - Dicitur *possessio*; quia firmiter et quiete habetur. (Passim in responsionibus).

Art. II. - *Utrum Deus sit aeternus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia Deus est maxime immutabilis.

(*) Quantum ad « corpora coelestia » S. Doctor loquitur secundum communem illius temporis opinionem, quae nunc omnino absoleta est.

NOTANDUM: Cum Deus sit suum esse uniforme, sicut est sua essentia, ita est sua aeternitas. - Cum de aeternitate creaturarum loquitur, sermo est de aeternitate participata (In fine art., et ad 1m.).

Art. III. - *Utrum esse aeternum sit proprium Dei.*

RESP. AFF. - R. EST: quia solus Deus est omnino immutabilis.

Art. IV. - *Utrum aeternitas differat a tempore.*

RESP. AFF. - *Scil. : per se et primo.*

R. EST: quia aeternitas est tota simul, non autem tempus. Item, aliae differentiae: a) ratione *mensurae*: quia aeternitas est mensura esse permanentis, tempus vero est mensura motus. Secundo, quia semper est possibile signare in tempore principium et finem accipiendo aliquas partes ipsius, quod non contingit in aeternitate; b) ratione *mensurarum*: quia solum id mensuratur tempore quod habet principium et finem in tempore; non autem illa quae sunt in aeternitate.

Art. V. - *Utrum aevum differat a tempore.*

RESP. AFF. - *Scil. : aevum differt a tempore et ab aeternitate, sicut medium existens inter illa.*

R. EST: quia inter permanentiam essendi sine ulla transmutatione sibi coniuncta (aeternitas), et transmutationem ipsam seu subiectum transmutationis (quod habetur ratione temporis), est aevum, quod cum permanentia essendi habet transmutationem adiunctam, vel in actu, vel in potentia, sicut apud creaturas spirituales.

Art. VI. - *Utrum sit unum aevum tantum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia, cum unumquodque mensuretur simplicissimo sui generis, oportet quod esse omnium aeviternorum mensuretur per esse primi aeviterni, quod tanto est simplicius, quanto prius.

QUAESTIO XI
De unitate Dei

Art. I. – *Utrum unum addat aliquid supra ens.*

RESP. NEG. – *Scil.* : unum non addit supra ens rem aliquam, sed tantum negationem divisionis.

R. EST: quia esse cuiuslibet rei consistit in indivisione.

NOTANDUM: Unum, quod est principium numeri, addit aliquid supra ens ad genus quantitatis perti- nens.

Art. II. – *Utrum unum et multa opponantur.*

RESP. AFF., sed diversimode.

R. EST: quia unum ut principium numeri oppo- nitur multitudini ut mensura mensurato; unum autem quod convertitur cum ente, opponitur multi- tudini per modum privationis, ut indivisum diviso.

Art. III. – *Utrum Deus sit unus.*

RESP. AFF. – R. PRIMA EST ex eius simplicitate. Quia Deus est sua natura (q. III, a. 3); et idem est *Deus* et *hic Deus*. *Hoc* aliquid est unum.

R. ALTERA EST ex infinitate eius perfectionis. Quia Deus comprehendit in se totam perfectionis essendi; si autem essent plures dii, oportet eos dif- ferre, et sic aliquid conveniret uni quod non alteri, et Deus non haberet totam perfectionis essendi.

R. TERTIA EST ab unitate mundi. Quia illud pri- mum reducens omnia in unum est unum tantum. Omnia autem quae in mundo sunt ordinantur in unum.

Art. IV. – *Utrum Deus sit maxime unus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Deus est maxime ens, et maxime indivisum. Est maxime ens, quia est ipsum esse subsistens omnibus modis indetermina- tum; et est maxime indivisum, quia est omnibus modis simplex.

QUAESTIO XII

Quomodo Deus a nobis cognoscatur

Quia in superioribus consideravimus qualiter Deus sit secundum seipsum, restat considerandum qualiter sit in cognitione nostra; id est, quomodo cognoscatur a creaturis. – Circa hoc quaeruntur tredecim:

Art. I. – *Utrum aliquis intellectus creatus possit Deum videre per essentiam.*

RESP. AFF. – R. EST: quia cum hominis ultima beatitudo in altissima ejus operatione consistat, quae est operatio intellectus, si nunquam essentiam Dei videre potest intellectus creatus, vel nunquam beatitudinem obtinebit, vel in alio ejus beatitudo consistet quam in Deo; quod est alienum a fide. In ipso enim est ultima perfectio rationalis creaturae, quod est ei principium essendi. – Item quia inest homini naturale desiderium cognoscendi causam, cum intueretur effectum. Si igitur intellectus rationalis creaturae pertingere non possit ad primam causam rerum, remanebit inane desiderium naturae.

Art. II. – *Utrum essentia Dei ab intellectu creato per aliquam similitudinem videatur.*

RESP. NEG. – *Scil. :* ex parte rei visae essentia divina videri non potest per aliquam similitudinem; sed ex parte potentiae visivae, requiritur similitudo quaedam.

R. EST: quia non potest aliqua forma creata esse similitudo representans videnti Dei essentiam; sed ex parte visivae potentiae, requiritur similitudo, secundum naturam huius potentiae; i. e. lumen divinae gloriae, quo divina essentia per se ipsam facit intellectum in actu.

Art. III. – *Utrum essentia Dei videri possit oculis corporalibus.*

RESP. NEG. – R. EST: quia actus proportionatur ei cuius est actus. Deus autem est incorporeus.

NOTANDUM: Oculi glorificati non directe vident divinam essentiam; sed visis corporibus divina praesentia ex eis cognoscatur per intellectum, ex perspicuitate intellectus, et ex refulgentia divinae claritatis in corporibus innovatis (Ad 2 m.).

Art. IV. – *Utrum aliquis intellectus creatus per sua naturalia divinam essentiam videre possit.*

RESP. NEG. – R. EST: quia cognoscere ipsum esse subsistens est connaturale soli intellectui divino. Cognitio enim est in cognoscente secundum modum naturae cognoscentis. Sed nulla creatura est suum esse, sed habet esse participatum.

NOTANDUM: Deus per suam gratiam se intellectui creato coniungit, ut intelligibile ab ipso (In fine art.).

Art. V. – *Utrum intellectus creatus ad videndum Dei essentiam aliquo creato lumine indigeat.*

RESP. AFF. – R. EST: quia omne quod elevatur ad aliquid quod excedit suam naturam, oportet quod disponatur aliqua dispositione, quae sit supra suam naturam. Unde oportet divinam gratiam superaccrescere intellectui virtus intelligendi, quod fit per lumen (gloriae).

Art. VI. – *Utrum videntium essentiam Dei unus alio perfectius videat.*

RESP. AFF. – R. EST: quia qui plus habet de charitate, plus de lumine gloriae participabit; desiderium enim facit desiderantem aptum et paratum ad susceptionem desiderati.

Art. VII. – *Utrum videntes Deum per essentiam, ipsum comprehendant.*

RESP. NEG. – R. EST: quia lumen gloriae creatum in quocumque intellectu creato receptum,

non potest esse infinitum; esse autem Dei est infinitum.

Art. VIII. – *Utrum videntes Deum per essentiam, omnia in Deo videant.*

RESP. NEG. – *Scil.* : Nullus intellectus creatus, videndo Deum, potest cognoscere omnia quae Deus facit, vel facere potest.

R. EST: quia nullus intellectus creatus totaliter Deum comprehendere potest.

Art. IX. – *Utrum quae videntur in Deo, a videntibus divinam essentiam per aliquas similitudines videantur.*

RESP. NEG. – R. EST: quia res videntur in Deo, non prout earum similitudines existunt in cognoscente; sed prout earum similitudines praeexistunt in Deo: quod est eas videre in Deo, scil. per essentiam divinam intellectui unitam.

NOTANDUM: Res videntur in Deo tamquam in causa effectiva et exemplari.

Art. X. – *Utrum videntes Deum per essentiam, simul videant omnia quae in ipso vident.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ea quae videntur in Deo, non videntur singula per suas similitudines, sed omnia per unam essentiam Dei; sicut per unam speciem intelliguntur omnia quae in illa specie sunt.

Art. XI. – *Utrum aliquis in hac vita possit videre Deum per essentiam.*

RESP. NEG. – *Scil.* : secundum communem ordinem.

R. EST: quia modus cognitionis sequitur modum naturae rei cognoscentis. Anima autem nostra, quamdiu in hac vita vivimus, cum habet esse in materia corporali, non cognoscit aliqua, nisi quae formam habent in materia, vel quae per huiusmodi cognosci possunt.

NOTANDUM: Visio Moysis et S. Pauli de essentia divina fuit miraculosa, ipsis sensibus carnis non utentibus (ad 2 m.).

Art. XII. - *Utrum per rationem naturalem Deum in hac vita cognoscere possimus.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) per rationem naturalem non possumus videre Dei essentiam; sed b) cognoscimus de Deo quod est, et habitudinem ipsius ad creaturas.

R. PRIMI EST: quia creaturae, per quas ratio naturalis Deum cognoscit, sunt effectus Dei virtutem causae non adaequantes.

R. SECUNDI EST: quia creaturae sunt effectus Dei ab ipso dependentes. Ex ipsis ergo cognoscimus ea quae necesse est ei convenire, secundum quod est prima omnium causa, excedens omnia sua causata.

Art. XIII. - *Utrum per gratiam habeatur altior cognitio Dei, quam ea quae habetur per rationem naturalem.*

RESP. AFF. - R. EST: quia humana cognitio per revelationem gratiae juvatur, cum quantum ad lumen naturale intellectus, quia confortatur per infusionem luminis gratuiti; tum quantum ad phantasmata, quae formantur divinitus, quia magis expriment res divinas quam ea quae naturaliter a sensibus accipimus, vel ad quae ratio naturalis non pertingit.

QUAESTIO XIII

De nominibus Dei

Consideratis his quae ad divinam cognitionem pertinent, procedendum est ad considerationem divinorum nominum. Unumquodque enim nominatur a nobis, secundum quod ipsum cognoscimus, et circa hoc quaeruntur duodecim:

Art. I. – *Utrum aliquod nomen Deo conveniat.*

RESP. AFF. – R. EST: quia secundum quod aliquid a nobis intellectu cognosci potest, sic a nobis potest nominari.

Art. II. – *Utrum aliquod nomen dicatur de Deo substantialiter.*

RESP. AFF. – *Scil.* : illa nomina quae absolute et affirmative dicuntur de Deo significant substantiam divinam, sed deficiunt a repraesentatione ipsius.

R. EST: quia intellectus noster cognoscit Deum, secundum quod creaturae ipsum repraesentant, i. e. secundum quod perfectiones habent; – non tamen ita quod repraesentant eum sicut aliquid eiusdem speciei vel generis; sed sicut excellens principium, a cuius forma deficiunt.

Art. III. – *Utrum aliquod nomen dicatur de Deo proprie.*

RESP. AFF. – *Scil.* : quantum ad id quod nomen rem significat, et hoc magis proprie Deo competit quam creaturis; non autem quantum ad modum significandi.

R. EST: quia nomina habent modum significandi, qui creaturis competit. Perfectiones tamen in Deo sunt secundum eminentiorem modum quam in creaturis.

Art. IV. – *Utrum nomina dicta de Deo sint nomina synonyma.*

RESP. NEG. – R. EST: quia nomina de Deo attributa, licet significant unam rem, tamen, quia significant eam sub rationibus multis et diversis, non sunt synonyma.

NOTANDUM: Nomina synonyma dicuntur, quae significant unum secundum unam rationem (In corp. art.).

Art. V.— *Utrum ea quae de Deo dicuntur et creaturis univoce dicantur de ipsis.*

RESP. NEG. — Sed tamen nec pure aequivoce; sed analogice.

R. EST: quia omnis effectus non adequans virtutem causae agentis, recipit similitudinem agentis non secundum eandem rationem, sed deficienter. — Tamen non pure aequivoce, quia secundum hoc ex creaturis nihil possit cognosci de Deo, nec demonstrari, sed semper incideret fallacia aequivocationis. — Sed secundum analogiam seu proportionem: quia quidquid dicitur de Deo et creaturis, dicitur secundum quod est aliquis ordo creaturae ad Deum ut ad principium et causam, in qua praeexistunt excellenter omnes rerum perfectiones.

Art. VI. — *Utrum nomina per prius dicantur de creaturis quam de Deo.*

RESP. NEG. — *Scil.:* 1^o quae de Deo dicuntur essentialiter, prius dicuntur de Deo, quam de creaturis, quantum ad rem significatam per nomen, non autem quantum ad impositionem nominis; 2^o quae metaphorice de Deo dicuntur, per prius de creaturis dicuntur; 3^o quae tantum causaliter de Deo dicuntur, prius de creaturis dicuntur quam de Deo.

R. PRIMI EST: quia huiusmodi perfectiones quae essentialiter de Deo dicuntur, in creaturas a Deo manant. Tamen quantum ad impositionem nominis, per prius a nobis imponuntur creaturis, quas prius cognoscimus.

R. SECUNDI EST: quia quae metaphorice de Deo dicuntur, nihil aliud significant quam similitudines ad tales creaturas; sicut nomen *leonis* dicitur de Deo.

R. TERTII EST: quia quae tantum causaliter dicuntur de Deo (sicut quod *Deus est bonus*, in quantum significat quod *Deus est causa bonitatis crea-*

turae), claudunt in suo intellectu perfectiones creaturarum.

Art. VII. – *Utrum nomina quae important relationem ad creaturas, dicantur de Deo ex tempore.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non propter aliquam mutationem Dei, sed propter creaturae mutationem.

R. EST: quia cum Deus sit extra totum ordinem creaturae, et omnes creaturae ordinantur ad ipsum, et non e converso, manifestum est quod creaturae realiter referuntur ad ipsum Deum; sed in Deo non est aliqua realis relatio eius ad creaturas.

Art. VIII. – *Utrum hoc nomen, Deus, sit nomen naturale.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non secundum quod naturale divinum est in se, sed secundum quod ipsum a nobis cognoscitur.

R. EST: quia Deus non est nobis notus in sui natura; sed innotescit nobis ex operationibus vel effectibus eius. Unde hoc nomen, *Deus*, est nomen operationis, inquantum Deus habet providentiam universalem de rebus; et secundum hoc impositum est nomen *Deus* ad significandum divinam naturam.

Art. IX. – *Utrum hoc nomen, Deus, sit communicabile.*

RESP. NEG. – *Scil.* : a) non est proprie communicabile; sed b) per similitudinem.

R. PRIMI EST: quia natura divina non est multiplicabilis (q. XI, a. 3).

R. SECUNDI EST: quia homines participant aliquid divinum per similitudinem, secundum illud: *Ego dixi, dii estis.*

NOTANDUM: Hoc nomen, *Deus*, impositum ad significandum suppositum divinum, est omnibus modis incommunicabile (In fine art.).

Art. X. – *Utrum hoc nomen, Deus, univoce dicatur de Deo per participationem, secundum naturam et secundum opinionem.*

RESP. NEG. – *Scil.* : Hoc nomen, *Deus*, in praemissis tribus significationibus, non accipitur neque univoce, neque aequivoce, sed analogice.

R. EST: quia hoc nomen, *Deus*, non accipitur in diversis secundum eandem rationem (i. e. non accipitur univoce); neque omnino secundum rationem diversam (aequivoce); sed hoc nomen secundum unam significationem acceptum ponitur in definitione eiusdem nominis secundum alias significationes accepti, ita quod una illarum significationum clauditur in significationibus aliis. Sicut *sanum* dictum de animali, ponitur in definitione sani, secundum quod dicitur de urina et de medicina. Et sic hoc nomen, *Deus*, dictum de Deo: *secundum naturam, per participationem, et secundum opinionem*, analogice tantum praedicatur.

Art. XI. – *Utrum hoc nomen, Qui Est, sit maxime nomen Dei proprium.*

RESP. AFF. – RATIO PRIMA EST: quia hoc nomen, *Qui Est*, significat ipsum esse; quod Deo propriissime convenit, cuius esse est ipsa eius essentia. – RATIO SECUNDA EST: quia hoc nomen nullum modum essendi determinat, sed se habet indeterminate ad omnes; et ideo aptum est nominare « ipsum pelagus substantiae infinitum ». – RATIO TERTIA EST: quia hoc nomen consignificat esse in praesenti, quod Deo maxime convenit, qui neque praeteritum, neque futurum habet.

Art. XII. – *Utrum propositiones affirmativae possint formari de Deo.*

RESP. AFF. – R. EST: quia in qualibet propositione affirmativa vera praedicatum et subiectum significant *idem* secundum rem aliquo modo, et

diversum secundum rationem; quod in propositionibus, quae de Deo affirmantur, verificatur. Quamvis autem intellectus noster intelligat Deum sub diversis conceptionibus, cognoscit tamen, quod omnibus suis conceptionibus respondet *una* et *eadem* res simpliciter, i. e. essentia divina.

QUAESTIO XIV

De scientia Dei *

Art. I. – *Utrum in Deo sit scientia.*

RESP. AFF. – *Scil*: Deus est in summo cognitionis.

R. EST: quia Deus est in summo immaterialitatis; immaterialitas autem alicuius rei est ratio quod sit cognoscitiva, et secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis.

NOTANDUM: Homo secundum diversa cognita, habet diversas cognitiones. Nam secundum quod cognoscit principia, dicitur habere intelligentiam; scientiam vero, secundum quod cognoscit conclusiones; sapientiam, secundum quod cognoscit causam altissimam; consilium vel prudentiam, secundum quod cognoscit agibilia. (Ad 2m.).

Art. II. – *Utrum Deus intelligat se.*

RESP. AFF. – R. EST: quia cum Deus nihil potentialitatis habet, sed sit actus purus, ipsa species intelligibilis in intellectu divino est ipse intellectus divinus; et sic seipsum per seipsum intelligit, et intellectus divinus est suum intelligere.

Art. III. – *Utrum Deus comprehendat seipsum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia tanta est virtus Dei in cognoscendo, quanta est eius actualitas in existendo.

(*) Vide nostram Divisionem Schematicam Tabulam IIam.

Art. IV. – *Utrum ipsum intelligere Dei sit eius substantia.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ipsa essentia Dei est etiam eius species intelligibilis in actu (q. III, a. 7).

NOTANDUM: Sic patet quod in Deo intellectus, intelligens, id quod intelligitur, species intelligibilis et ipsum intelligere sunt omnia unum et idem (In fine art.).

Art. V. – *Utrum Deus cognoscat alia a se.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Deus cognoscit virtutem suam, quae ad alia se extendit. – Alia R. EST: quia quicumque effectus Dei praeexistunt in eo, sicut in causa prima, i. e. in ipso eius intelligere.

NOTANDUM: Deus videt alia a se non in ipsis, sed in seipso, in quantum essentia sua continet similitudines (species) aliorum ab ipso (In fine art.).

Art. VI. – *Utrum Deus cognoscat alia a se propria cognitione.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Deus cognoscit alia a se non solum secundum quod communicant in ratione entis, sed secundum quod unum ab alio distinguitur.

R. EST: quia omnis forma per quam quaelibet res in propria specie constituitur, perfectio quaedam est; quidquid autem perfectionis est in quacumque creatura, totum praeexistit et continetur in Deo secundum modum excellentem.

Art. VII. – *Utrum scientia Dei sit discursiva.*

RESP. NEG. – *Scil.* : neque secundum successiōnem, sicut cum postquam intelligimus aliquid in actu, convertimus nos ad intelligendum aliud; neque secundum causalitatem, sicut cum per principia pervenimus in cognitionem conclusionum.

R. EST: quia Deus omnia videt simul in uno, quod est ipse (art. 4 et 5).

Art. VIII. – *Utrum scientia Dei sit causa rerum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : secundum quod habet voluntatem coniunctam.

R. EST: quia scientia Dei se habet ad omnes res creatas, sicut artifex se habet ad artificia, i. e. per formam intelligibilem; quae tamen non nominat principium actionis nisi adjungatur ei inclinatio ad effectum quae est per voluntatem.

NOTANDUM: Haec scientia Dei, quae est causa rerum, consuevit nominari *scientia approbationis*; scientia autem Dei, qua ipse peccata creaturarum cognoscit dicitur *improbationis*, eo quod peccata improbat et condemnat.

Art. IX. – *Utrum Deus habeat scientiam non entium.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Deus cognoscit tum ea (non entia) quae licet non sint in actu, tamen vel fuerunt, vel erunt (*scientia visionis*); tum ea quae sunt in potentia Dei, vel creaturarum, quae tamen nec sunt, nec erunt, neque fuerunt (*scientia simplicis intelligentiae*).

R. EST: quia Deus scit omnia quaecumque sunt quocumque modo. Quodcumque autem est, sive in actu, sive in potentia, participat vel participare potest esse Dei, qui est ipsum esse (Ad 2m).

Art. X. – *Utrum Deus cognoscat mala.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Deus non cognoscit mala per privationem in se existentem, sed per bonum oppositum.

R. EST: quia cum Deus bona perfecte cognoscit, cognoscit etiam mala, quae sunt privationes bonorum; secus non perfecte cognosceret bona.

NOTANDUM: Malum non est per se cognoscibile; quia de ratione mali est quod sit privatio boni (Ad 4 m.).

Art. XI. – *Utrum Deus cognoscat singularia.*

RESP. AFF. – R. EST: quia perfectio nostra est singularia cognoscere. Omnes autem perfectiones

in creaturis inventae praeexistunt in Deo modo eccellente.

NOTANDUM: Cognitio singulorum a Deo est non ex aliqua causa universali, ex applicatione causarum universalium ad particulares effectus; sed ex extensione Dei causalitatis. - Quia formae quae sortiuntur ex causis universalibus non individuantur nisi per materiam individuaalem; et applicatio causarum universalium ad particulares effectus iam praesupponit cognitionem singularum: scientia vero Dei, quae est causa rerum (art. 8), intantum se extendit, inquantum se extendit eius causalitas, scil. non solum ad formas, sed etiam usque ad materiam, ut infra ostendetur (q. XLIV, a. 2).

Art. XII. - *Utrum Deus possit cognoscere infinita.*

RESP. AFF. - *Scil.:* tum scientia simplicis intelligentiae, tum scientia visionis.

R. PRIMI EST: quia Deus cognoscit ea quae sunt in potentia cum ipsius Dei, tum creaturae.

R. SECUNDI EST: quia de facto dantur quaedam infinita, scil.: cogitationes et affectiones cordium, quae in infinitum multiplicabuntur, creaturis rationalibus permanentibus absque fine. Haec autem Deus cognoscit non successive, sed omnia simul (art. 7).

NOTANDUM: Non est contra rationem infiniti quod comprehendatur ab infinito; quia ad rationem comprehensionis sufficit adaequatio. Et sic quod in se est infinitum, potest dici finitum scientia Dei (Ad 2 m.).

Art. XIII. - *Utrum scientia Dei sit futurorum contingentium.*

RESP. AFF. - R. EST: quia scientia Dei non est solum de his quae sunt actu, sed etiam de his quae sunt in potentia tum ipsius Dei, tum creaturae, ut jam ostensum est.

NOTANDUM: Futura contingentia Deus in se ipso cognoscit non successive, sed *simul*, quia cognitio Dei mensuratur aeternitate, sicut suum esse. Intui-

tus Dei fertur ab aeterno supra omnia, prout sunt in sua praesentialitate (et potentia). Sic Deus omnia futura contingentia infallibiliter cognoscit, quae tamen contingentia dicuntur suis causis proximis comparata (In corp. art.).

Art. XIV. – *Utrum Deus cognoscat enuntiabilia (i. e. propositiones).*

RESP. AFF. – R. EST: quia enuntiabilia sunt in potestate intellectus nostri. Deus autem scit quidquid est in potentia sua, et creaturae.

NOTANDUM: Deus scit enuntiabilia, non per modum enuntiabilium, i. e. per compositionem et divisionem; sed per simplicem intelligentiam. Deus enim intelligendo essentiam suam, cognoscit essentias omnium, et quaecumque eis accidere possunt (In corp. art.).

Art. XV. – *Utrum scientia Dei sit variabilis.*

RESP. NEG. – R. EST: quia scientia Dei est eius substantia (art. 1); quae omnino immutabilis est.

Art. XVI. – *Utrum Deus de rebus habeat scientiam speculativam.*

RESP. AFF. – *Scil.:* 1^o. De seipso Deus habet scientiam speculativam tantum; 2^o De his quae fiunt habet scientiam speculativam quantum ad modum, et scientiam practicam; 3^o De his quae potest facere, sed secundum nullum tempus facit, non habet practicam scientiam.

R. PRIMI EST: quia ipse Deus non est operabilis.

R. SECUNDI EST: quia quidquid in rebus nos speculative cognoscimus definiendo et dividendo, hoc totum Deus multo perfectius novit.

R. TERTII EST: quia practica scientia dicitur a fine.

NOTANDUM: Mala Deus scientia practica cognoscit in quantum ea permittit vel impedit, vel ordinat (In fine art.).

De ideis

Post considerationem de scientia Dei restat considerare de Ideis; et circa hoc quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum ideae sint (in Deo).*

RESP. AFF. – *Scil.:* cum ut formae exemplares, tum ut principia cognitionis.

R. EST: quia mundus non est casu factus, sed est factus a Deo per intellectum agentem, ut infra patebit (q. XLVI, art. 6).

Art. II. – *Utrum sint plures ideae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ordo universi est per se creatus a Deo, et intentus ab ipso. Ratio autem alicuius totius haberi non potest, nisi habeantur propriae rationes eorum ex quibus totum constituitur – Item, quia Deus cognoscit suam essentiam non solum secundum quod in se est, sed etiam in quantum est imitabilis a tali creatura; et ideo cognoscit eam ut propriam rationem et ideam *huius creaturae*. – Et sic nihil habetur contra simplicitatem divini intellectus, quod multa intelligat.

Art. III. – *Utrum omnium quae cognoscit Deus, sint ideae.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Omnium quae cognoscit Deus sunt ideae, sive ut formae exemplares, sive ut rationes seu principia cognoscitiva.

R. EST: quia omnia quae a Deo fiunt secundum aliquod tempus pertinent ad cognitionem practica ipsius; et omnia quae a Deo cognoscuntur, etiamsi nullo tempore fiant, secundum propriam rationem cognoscuntur.

QUAESTIO XVI

De veritate

Quoniam autem scientia verorum est, post considerationem scientiae Dei, de veritate inquirendum est; et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum veritas sit tantum in intellectu.*

RESP. AFF. – *Scil.* : principaliter est in intellectu; secundario vero in rebus.

R. EST: quia sicut terminus appetitus, quod est bonum, est in re appetibili; ita terminus cognitionis, quod est verum, est in intellectu. Unde ratio veri derivatur ab intellectu ad rem intellectam; tamen etiam res dicitur vera, quia aliquem ordinem ad intellectum habet.

NOTANDUM: 1. Res naturales denominantur verae a veritate intellectus divini; res artificiales a veritate intellectus humani (In corp. art.).

2. Intellecta possunt habere ordinem ad intellectum vel per se, vel per accidens. *Per se*, si esse rerum dependet ab intellectu, sicut domus in mente artificis; *per acc.*, si intellectus res iam factas cognoscit, sed non facit (In corp. art.).

Art. II. – *Utrum veritas sit tantum in intellectu componente et dividente.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Veritas non est neque in sensu, neque in intellectu cognoscente quod quid est; sed in intel. componente et dividente.

R. EST: quia intellectus solo componendo et dividendo cognoscere potest *conformitatem* sui ad rem intelligibilem seu intellectam, in quo est verum dicere.

Art. III. – *Utrum verum et ens convertantur.*

RESP. AFF. – R. EST: quia intantum est unumquodque cognoscibile, seu dicit ordinem ad intel-

lectum ut verum, inquantum habet esse. Unde verum addit supra ens comparationem ad intellectum.

NOTANDUM: Verum est in rebus secundario, principaliter in intellectu; e contra, ens est principaliter in rebus, secundario in intellectu. — Verum quod est in rebus convertitur cum ente secundum substantiam; verum autem quod est in intellectu convertitur cum ente, ut manifestativum cum manifesto. (Ad 2 m.).

Art. IV. — *Utrum bonum secundum rationem sit prius quam verum.*

RESP. NEG. — *Scil.* : Absolute loquendo bonum non est prius quam verum.

R. EST: quia verum respicit ipsum esse simpliciter et immediate; ratio vero boni consequitur esse secundum quod est aliquo modo perfectum, sic enim appetibile est. Item quia cognitio naturaliter praecedit appetitum.

NOTANDUM: In responsione dicitur *absolute loquendo*, quia in ordine appetibilium bonum se habet ut universale, et verum ut particulare, et sic bonum est prius, sed non est prius simpliciter. (Ad 2 m.)

Art. V. — *Utrum Deus sit veritas.*

RESP. AFF. — *Scil.* : Deus est ipsa summa et prima veritas.

R. EST: quia non solum esse Dei est conforme suo intellectui, sed etiam Deus est ipsum suum intelligere; et hoc suum intelligere est mensura et causa omnis alterius esse, et omnis alterius intellectus.

Art. VI. — *Utrum sit una sola veritas, secundum quam omnia sunt vera.*

RESP. NEG. — *Scil.* : secundum quod res comparantur ad intellectum creatum, non est una veritas; affirmative tamen si res comparantur ad mentem divinam.

R. EST: quia in multis intellectibus creatis sunt multae veritates, et in uno et eodem intellectu

(creato) sunt plura cognita. – Tamen omnes res sunt verae prima veritate, cui unumquodque assimilatur secundum suam entitatem.

Art. VII. – *Utrum veritas creata sit aeterna.*

RESP. NEG. – R. EST: quia veritas est in intellectu, et sclus intellectus divinus est aeternus; veritas autem quae in intellectu divino est, est increata, et est ipse Deus.

Art. VIII. – *Utrum veritas sit immutabilis.*

RESP. NEG. – *Scil.*: Veritas intellectus humani non est immutabilis; sed veritas intellectus divini est immutabilis.

R. PRIMI EST: quia conformitas intellectus humani ad res intellectas potest variari, tum ex parte ipsius intellectus, ex eo quod de re eodem modo se habente aliquis aliam opinionem accipit; tum ex parte rei, si, opinione eadem manente, res mutetur.

R. SECUNDI EST: quia in intellectu divino non potest esse alternatio opinionum, et nulla res potest subterfugere eius cognitionem, ut ex superioribus patet (q. XIV, art. 13).

QUAESTIO XVII

De falsitate

Deinde quaeritur de falsitate; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum falsitas sit in rebus.*

RESP. AFF. – *Scil.*: inquantum res dicunt ordinem ad intellectum.

R. EST: quia in rebus veritas non est nisi per ordinem ad intellectum; et quia opposita sunt circa

idem, et falsum et verum opponuntur, necesse est ut ibi quaeratur falsitas ubi veritas invenitur.

NOTANDUM: Res dicitur *simpliciter* falsa, per comparisonem ad intellectum a quo dependet per se, i. e. quoad esse. Et sic nulla res naturalis potest dici vel esse falsa per comparisonem ad intellectum divinum. Res artificiales possunt esse simpliciter falsae per comparisonem ad intellectum humanum, a quo dependent per se. — Res dicitur falsa *secundum quid* per comparisonem ad intellectum a quo non dependet nisi per accidens, i. e. non quoad esse, sed quando intellectus iam supponit rem esse. Et sic res naturales possunt esse falsae per accidens per comparisonem ad intellectum nostrum, in quo veritas rerum naturalium non est principaliter sed secundario. — Falsitas rerum per comparisonem ad intellectum nostrum potest esse dupliciter: a) secundum rationem significati, si rei non inest id quod ab intellectu vel oratione ei attribuitur; b) per modum causae, si res ita est, quae nata est facere de se opinionem falsam. (Passim in corp. art.).

Art. II. — *Utrum in sensu sit falsitas.*

RESP. AFF. — *Scil.* : a) falsitas est in sensu *per accidens*, et b) est de his quae sunt sensibilia communia, et de his quae sunt sensibilia per acc.

R. PRIMI EST: quia circa propria sensibilia sensus non habet falsam cognitionem, nisi ex eo quod propter indispositionem organi non convenienter recipit formam sensibilem.

R. SECUNDI EST: quia quantum ad ea quae sunt sensibilia communia vel sunt sensibilia per acc., sensus non directe fertur ad illa, sed per acc., vel ex consequenti, inquantum refertur ad alia.

NOTANDUM: Sensibile per acc. dicitur quidquid latet sub apparentiis sensibilibus, tanquam naturaliter connexum cum illis, ut vita, amor, odium, virtus.

Art. III. — *Utrum falsitas sit in intellectu.*

RESP. AFF. — *Scil.* : in componendo et dividendo intellectus potest decipi; non autem in cognoscendo quod quid est, nisi per acc,

R. EST: quia intellectus in componendo et dividendo potest attribuere rei, cuius quidditatem intelligit, aliquid quod eam non consequitur, vel quod ei opponitur. – Tamen, cum quod quid est sit objectum proprium intellectus, circa hoc intellectus non potest esse falsus (sicut neque sensus circa objectum proprium), nisi inquantum ibi compositio intellectus admiscetur, sicut quando intellectus definitionem unius attribuit alteri (et tunc definitio est falsa *de re*), vel quando partes definitionis componit ad invicem, quae simul sociari non possunt (et tunc definitio est falsa *in se*).

Art. IV. – *Utrum verum et falsum sint contraria.*

RESP. AFF. – *Scil.:* non sunt contradictoriae, sicut affirmatio et negatio.

R. EST: quia *negatio* neque ponit aliquid, neque determinat sibi subjectum; *contrarium* vero et aliquid ponit et subiectum determinat. Et hoc faciunt falsum et verum. Verum ponit acceptionem adaequatam rei, falsum acceptionem rei non adaequatam. Unde verum et falsum sunt contraria, non autem contradictoria.

NOTANDUM: *Privatio* non ponit aliquid, sed determinat subjectum. (In corp. art.).

QUAESTIO XVIII

De vita Dei

Quoniam autem intelligere viventium est, post considerationem de scientia et intellectu divino, considerandum est de vita ipsius. Et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum omnium naturalium rerum sit vivere.*

RESP. NEG. – R. EST: quia non in omnibus naturalibus est ut *se agant* ad aliquem motum, vel operationem.

NOTANDUM: Illa proprie sunt viventia, quae seipsa secundum aliquam speciem motus movent (In corp. art.).

Art. II. – *Utrum vita sit quaedam operatio.*

RESP. NEG. – R. EST: quia proprie nomen *vitae* non est impositum ad significandum illud quoddam exterius apparens circa rem, quod est movere seipsum, et ex quo nomen *vitae* sumitur; sed ad significandum *substantiam* cui convenit secundum suam naturam movere seipsam. – Minus improprie sumitur pro operationibus vitae, sicut sentire et intelligere.

Art. III. – *Utrum Deo conveniat vita.*

RESP AFF. – *Scil.* : Deo convenit vita in summo gradu.

R. EST: quia Deo, cuius natura est ipsum eius intelligere, quam maxime competit quod operetur ex se ipso, et a nullo alio moveatur.

NOTANDUM: Sicut Deus est ipsum suum esse et suum intelligere, ita est et suum vivere. (Ad 2m.).

Art. IV. – *Utrum omnia sint vita in Deo.*

RESP. AFF. – R. EST: quia omnia quae facta sunt a Deo, sunt in ipso ut intellecta. Intelligere autem Dei est ipsum vivere vel vita ipsius.

QUAESTIO XIX

De voluntate Dei

Post considerationem eorum quae ad divinam scientiam pertinent, considerandum est de his quae pertinent ad voluntatem divinam. Ut sit prima consideratio de ipsa Dei voluntate; secunda de his quae ad voluntatem absolute pertinent; tertia de his quae ad intellectum in ordine ad voluntatem pertinent. – Circa ipsam autem voluntatem quaeruntur duodecim:

Art. I. – *Utrum in Deo sit voluntas.*

RESP. AFF. – R. EST: quia in Deo est intellectus. Natura enim intellectualis habet habitudinem ad bonum apprehensum per formam intelligibilem; ut scilicet cum habet ipsum, quiescat in illo; cum vero non habet, quaerat ipsum. Et utrumque pertinet ad voluntatem.

NOTANDUM: Objectum divinae voluntatis est bonitas ipsius Dei, quae est eius essentia. Unde voluntas Dei non movetur ab alio a se, sed a se tantum; et secundum hoc primum movens movet seipsum. (Ad 3m.).

Art. II. – *Utrum Deus velit alia a se.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ad rationem bonitatis pertinet, ut bonum quod quis habet, aliis communicet secundum quod possibile est.

NOTANDUM: Deus vult se ut finem: alia vero ut ad finem: ut ipsam divinam bonitatem participant propter suam bonitatem. (In fine art.).

Art. III. – *Utrum quidquid Deus vult, ex necessitate velit.*

RESP. NEG. – *Scil. :* Deus vult suam bonitatem ex necessitate absoluta, alia autem a se non nisi necessitate ex suppositione.

R. EST: quia bonitas Dei est eius objectum proprium. – Sed cum bonitas Dei sit perfecta, et esse possit sine aliis, sequitur quod alia a se eum velle non sit necessarium, nisi ex suppositione, quia quod ipse vult non potest non velle, cum voluntas eius mutari non potest.

Art. IV. – *Utrum voluntas Dei sit causa rerum.*

RESP. AFF. – PRIMA R. EST: quia agens per intellectum et voluntatem est prius agente per naturam, cum ipsam determinet ad finem.

SECUNDA R. EST: quia cum esse divinum non sit determinatum, sed contineat in se totam perfectio-

nem essendi, non potest esse quod agat per necessitatem naturae, sed agit (ad extra) per voluntatem.

TERTIA R. EST: quia inclinatio Dei ad agendum quod intellectu concipit, pertinet ad voluntatem.

Art. V. - *Utrum voluntatis divinae sit assignare aliquam causam.*

RESP. NEG. - R. EST: quia sicut Deus uno actu omnia in essentia sua intelligit, ita *uno actu* vult omnia in sua bonitate.

Art. VI. - *Utrum voluntas Dei semper impleatur.*

RESP. AFF. - R. EST: quia cum voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, quod recedere videtur a divina voluntate secundum unum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium.

Art. VII. - *Utrum Voluntas Dei sit mutabilis.*

RESP. NEG. - R. EST: quia tam substantia Dei quam eius scientia est omnino immutabilis.

Art. VIII. - *Utrum voluntas Dei necessitatem rebus volitis imponat.*

RESP. NEG. - *Scil.:* non omnibus.

R. EST: quia ut sit ordo in rebus, ad complementum universi, Deus vult quaedam ex necessitate provenire, quibus causas necessarias, quae deficere non possunt, aptavit; alia autem contingenter, quibus aptavit causas contingentes defectibiles.

NOTANDUM: Cum voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea quae Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult (In corp. art.).

Art. IX. - *Utrum voluntas Dei sit malorum.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Malum culpae Deus nullo modo vult; malum autem defectus naturalis vel malum poenae vult per accidens.

R. PRIMI EST: quia malum culpae privat ordinem ad bonum divinum.

R. SECUNDI EST: quia malum defectus naturalis, et malum poenae conjungitur aliquo bono, quod est appetibile.

NOTANDUM: Nunquam appetitur malum, nec etiam per acc., nisi bonum cui conjungitur malum, magis appetitur, quam bonum quod privatur per malum (In corp. art.).

Art. X. – *Utrum Deus habeat liberum arbitrium.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Deus, qui suam bonitatem ex necessitate vult, alia vero non ex necessitate (ut supra ostensum est, art. 3).

Art. XI. – *Utrum sit distinguenda in Deo voluntas signi.*

RESP. AFF. – R. EST: quia aliquae passiones humanae assumuntur metaphorice in divinam praedicationem, sicut cum Deo ira attribuitur.

NOTANDUM: In Deo distinguitur voluntas proprie, et metaphorice dicta. Voluntas proprie dicta vocatur *voluntas beneplaciti*; voluntas metaphorice dicta, est *voluntas signi* (In corp. art.).

Art. XII. – *Utrum convenienter circa divinam voluntatem ponantur quinque signa.*

RESP. AFF. – *Scil.:* prohibitio et permissio respectu mali; praeceptum, consilium et operatio respectu boni.

R. EST: quia aliquis declarat suam voluntatem, vel per seipsum, *operando* bonum vel *permittendum* malum (sicut removens prohibens), – vel per alium, *praecipiendo*, vel *prohibendo*, vel *consiliando*.

QUAESTIO XX

De amore Dei

Deinde considerandum est de his quae absolute ad voluntatem Dei pertinent. In parte autem appetitiva inveniuntur in nobis et passiones animae,

ut gaudium, amor, et huiusmodi; et habitus moralium virtutum, ut justitia, fortitudo, et huiusmodi. Unde primo considerabimus de amore Dei; secundo de justitia et misericordia eius. Circa amorem Dei quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum amor sit in Deo.*

RESP. AFF. - R. EST: quia in Deo est voluntas (q. XIX, a. 1); amor autem est *primus* actus seu motus voluntatis et appetitus; omnes alii motus appetitivi praesupponunt amorem, quasi primam radicem.

Art. II. - *Utrum Deus omnia amet.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ipsum esse cuiuslibet rei est quoddam bonum, quod a Deo est; cuius amor est infundens et creans bonitatem in rebus.

Art. III. - *Utrum Deus aequaliter diligit omnia.*

RESP. NEG. - *Scil. :* a) non voluntate magis intensa; b) sed ex parte boni quod Deus vult amato.

R. PRIMI EST: quia Deus amat omnia uno et simplici actu voluntatis.

R. SECUNDI EST: quia non esset in rebus aliquid alio melius, si Deus non vellet uni magis bonum quam alteri.

Art. IV. - *An Deus semper magis diligit meliora.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ex hoc sunt aliqua meliora, quod Deus eis majus bonum vult.

QUAESTIO XXI

De justitia et misericordia Dei

Post considerationem divini amoris, de justitia et misericordia eius agendum est. Et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum in Deo sit justitia.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) non commutativa; b) sed distributiva.

R. PRIMI EST: quia, ut dicit Apostolus: « Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? » (Rom. XI, 35).

R. SECUNDI EST: quia ordo universi, qui apparet tam in rebus naturalibus, quam in rebus voluntariis, demonstrat Deum dare unicuique secundum suam dignitatem.

Art. II. – *Utrum justitia Dei sit veritas.*

RESP. AFF. – R. EST: quia justitia Dei constituit ordinem in rebus conformem rationi sapientiae suae; quae conformitas rei ad intellectum veritas (rei) dicitur.

Art. III. – *Utrum misericordia competat Deo.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Misericordia est Deo *maxime* attribuenda; tamen secundum effectum, non vero secundum passionis affectum.

R. EST: quia defectus non tolluntur nisi per alicuius bonitatis perfectionem. Deus autem est prima origo bonitatis.

NOTANDUM: Misericordia est quaedam justitiae plenitudo (In fine art.).

Art. IV. – *Utrum in omnibus operibus Dei sit misericordia et justitia.*

RESP. AFF. – R. EST: quia quidquid Deus in rebus creatis facit, secundum convenientem ordinem et proportionem facit, in quo consistit ratio justitiae. – Et in quolibet opere Dei apparet misericordia quantum ad primam radicem eius, quia creaturae nihil debetur nisi ex pura Dei bonitate.

QUAESTIO XXII

De providentia Dei

Consideratis autem his quae ad voluntatem absolute pertinent, procedendum est ad ea quae respiciunt simul intellectum et voluntatem. Huiusmodi

autem est providentia quidem respectu omnium; praedestinatio vero, et reprobatio, et quae ad haec consequuntur, respectu hominum; specialiter in ordine ad aeternam salutem. Nam et post morales virtutes, in scientia morali, consideratur de prudentia, ad quam providentia pertinere videtur. Circa providentiam autem Dei quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum providentia Deo conveniat.*

RESP. AFF. - R. EST: quia cum Deus sit causa rerum per suum intellectum, necesse est quod *ratio ordinis* rerum in finem praeexistat in mente divina, quae ratio providentia nominatur.

NOTANDUM: Ad providentiae curam duo pertinent: scilicet, *ratio ordinis*, quae dicitur providentia et dispositio; et *executio ordinis*, quae dicitur gubernatio. Quorum primum est aeternum; secundum temporale (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum omnia sint subjecta divinae providentiae.*

RESP. AFF. - *Scil.*: non in universali tantum, sed etiam in singulari.

PRIMA RATIO EST: quia tantum se extendit ordinatio effectuum in finem, quantum se extendit causalitas primi agentis. Causalitas autem Dei se extendit ad omnia.

SECUNDA RATIO EST: quia cognitio, qua Deus cognoscit omnia universalialia et particularia, comparatur ad res, sicut cognitio artis ad artificiatia.

Art. III. - *Utrum Deus immediate omnibus provideat.*

RESP. AFF. - *Scil.*: in quantum providentia est ratio ordinis rerum provisarum in finem, non autem, quantum ad executionem seu gubernationem huius ordinis.

R. PRIMI EST: quia in suo intellectu habet Deus rationem omnium, etiam minimorum, et quascunque causas aliquibus effectibus praefecit, dedit eis virtutem ad illos effectus producendos,

R. SECUNDI EST: quia inferiora gubernat Deus per superiora; ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet.

NOTANDUM: Per hoc quod Deus habet immediate providentiam de rebus omnibus, non excluduntur causae secundae, quae sunt executrices huius ordinis (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum providentia rebus provisus necessitatem imponat.*

RESP. NEG. – *Scil.:* non omnibus.

R. EST: quia ratione perfectionis universi, divina providentia quibusdam effectibus causas necessarias praeparavit, quibusdam causas contingentes.

QUAESTIO XXIII

De praedestinatione

Post considerationem divinae providentiae agendum est de praedestinatione, et de libro vitae. Circa praedestinationem quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum homines praedestinentur a Deo.*

RESP. AFF. – R. EST: quia homines divina providentia *transmittantur* ad finem excedentem proportionem naturae creatae et facultatem, qui finis est vita aeterna. Ratio autem huius transmissionis in mente divina existens *praedestinatio* dicitur.

Art. II. – *Utrum praedestinatio aliquid ponat in praedestinato.*

RESP. NEG. – *Scil.:* inquantum praedestinatio est ratio ordinis aliquorum in salutem aeternam. – Quantum tamen ad executionem importat aliquid in praedestinato.

R. PRIMI EST: quia talis ratio, ut pars providentiae, existit tantum in mente divina.

R. SECUNDI EST : quia quantum ad executionem seu gubernationem importat (passive) in praedestinato *vocationem* et *magnificationem*. (Rom. VIII, 30).

Art. III. - *Utrum Deus aliquem hominem reprobet.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ad providentiam, cuius praedestinatio pars est, pertinet permittere aliquem defectum in rebus, quae providentiae subduntur, ne impediatur bonum universi perfectum (q. XXII, art. 2, ad 2m).

NOTANDUM: Reprobatio non nominat praescientiam tantum, sed addit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, et inferendi damnationis poenam pro culpa. Unde reprobatio non est causa culpae, sed est causa derelictionis a Deo (In corp. art.).

Art. IV. - *Utrum praedestinati eligantur a Deo.*

RESP. AFF. - R. EST: quia praedestinatio aliquorum in salutem aeternam, praesupponit, secundum rationem, quod Deus illorum velit salutem; ad quod pertinet electio et dilectio.

Art. V. - *Utrum praescientia meritorum sit causa praedestinationis.*

RESP. NEG. - R. EST: quia ratio praedestinationis inquirenda est in ratione divinae voluntatis, cuius non est assignare causam. - Tamen praeordinavit Deus se daturum effectum praedestinationis alicui propter merita aliqua; quae *in particulari* sunt causa et ratio alterius; *in communi* vero impossibile est quod totus praedestinationis effectus habeat aliquam causam ex parte nostra, quia quidquid est in homine ordinans ipsum in salutem, totum comprehenditur sub effectu praedestinationis, etiam ipsa praeparatio ad gratiam; quia et id quod est per liberum arbitrium, ex praedestinatione est.

Art. VI. – *Utrum praedestinatio sit certa.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Praedestinatio certissime et infallibiliter consequitur suum effectum; nec tamen imponit necessitatem, ut scilicet effectus eius ex necessitate proveniat.

R. EST: quia providentiae ordo, cuius pars est praedestinatio, est infallibilis. In hoc autem ordine includitur etiam libertas arbitrii, ex qua contingenter provenit praedestinationis effectus.

Art. VII. – *Utrum numerus praedestinatorum sit certus.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Numerus praedestinatorum est Deo certus, non solum formaliter (i. e. quod numerum), sed etiam materialiter (i. e. quoad hos vel illos praedestinandos); et hoc non solum ratione cognitionis Dei, sed etiam ratione electionis et definitionis cuiusdam.

R. EST: quia inter omnes creaturas principalius ordinantur ad bonum universi creaturae rationales, quae inquantum huiusmodi incorruptibiles sunt; et potissime illae quae beatitudinem consequuntur, quae immediatius attingunt ultimum finem. – Aliis verbis: R. EST: quia praedestinati sunt a Deo *per se* praeordinati ut partes essentiales universi.

NOTANDA: 1. Alii sunt a Deo secundo praeordinati, ut numerus individuorum alicuius speciei (In corp. art.).

2. Reprobi videntur esse praeordinati a Deo in bonum electorum quibus omnia cooperantur in bonum (In corp. art.).

3. Cum beatitudo aeterna in visione Dei consistens excedat communem statum naturae, et praecipue secundum quod est gratia destituta per corruptionem originalis peccati, pauciores sunt qui salvantur (Ad 3m).

Art. VIII. – *Utrum praedestinatio possit iuvari precibus sanctorum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : quantum ad effectus praedestinationis, non autem quantum ad ipsam praedestinationem.

R. EST: quia providentia, cuius praedestinatio est pars, non subtrahit causas secundas, sed sic providet effectus, ut etiam ordo causarum secundarum subiaceat providentiae. – Tamen nemo praedestinatur a Deo precibus sanctorum.

NOTANDUM: Ratio praedestinationis aliquorum et reprobationis aliorum sumi potest ex ipsa bonitate divina, quae in se una et simplex, necesse est ut multiformiter repraesentetur in rebus. Sic igitur consideremus totum genus humanum, sicut totam rerum universalitatem. Sicut quare haec pars materiae est sub ista forma, et illa sub alia, dependet ex simplici divina voluntate; ita quare hos Deus elegit in gloriam, et illos reprobavit, non habet rationem nisi divinam voluntatem, ut Apostolus dicit Rom. ix, 22, 23. Neque propter hoc est iniquitas apud Deum, si inaequalia non inaequalibus praeparat. Hoc enim esset contra iustitiae rationem, si praedestinationis effectus ex debito redderetur, et non daretur ex gratia (Ad 3m).

QUAESTIO XXIV

De Libro Vitae

Deinde considerandum est de Libro Vitae, et circa hoc tria:

Art. I. – *Utrum Liber Vitae sit idem quod praedestinatio.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Liber Vitae nihil aliud est quam metaphorica conscriptio praedestinatorum a Deo.

Art. II. – *Utrum Liber Vitae sit solum respectu gloriae praedestinatorum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Liber Vitae importat conscriptionem electorum ad vitam aeternam; id autem ad quod aliquis eligitur, habet rationem finis, qui est gloria vitae.

Art. III. – *Utrum aliquis deleatur de Libro Vitae.*

RESP. AFF. – *Scil. :* qui ibi est scriptus non simpliciter, sed *secundum quid.*

R. EST: quia illi qui sunt scripti *simpliciter* in Libro Vitae, ordinati sunt in vitam aeternam ex ipsa praedestinatione divina, quae infallibilis est; *secundum quid* autem scripti sunt illi qui ad habendam vitam aeternam ordinati sunt solum ex gratia, a qua deficiunt per peccatum mortale.

QUAESTIO XXV

De divina potentia *

Post considerationem divinae praescientiae et voluntatis, et eorum quae ad hoc pertinent, restat considerandum de divina potentia. Et circa hoc sex:

Art. I. – *Utrum in Deo sit potentia.*

RESP. AFF. – *Scil. :* non potentia passiva, quae nullo modo est in Deo; sed potentia activa, quam oportet in Deo summe ponere.

R. EST: quia Deus est actus purus, et simpliciter et universaliter perfectus, neque in eo aliqua imperfectio locum habet. (Q. II, a. 3; et Q. IV, art. 1 et 2).

NOTANDUM: Potentia activa est principium agendi in aliud; potentia passiva vero est principium pa-

(*) Hic *potentia* significat principium operationis ad extra seu transeuntis, extenso operationis nomine tam ad actionem quam ad passionem.

tiendi ab alio. - Ratio potentiae salvatur in Deo quantum ad hoc quod est principium *effectus*; non autem quantum ad hoc quod est principium *actionis* quae est divina essentia. - Potentia in Deo importat rationem principii exequentis id quod voluntas imperat, et ad quod scientia dirigit. Quae tria Deo secundum idem conveniunt (In corp. art.).

Art. II. - *Utrum potentia Dei sit infinita.*

RESP. AFF. - R. EST: quia esse Dei est infinitum; potentia autem activa invenitur in Deo, secundum quod ipse actu est.

Art. III. - *Utrum Deus sit omnipotens.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Deus potest omniaabilia absolute.

R. EST: quia unicuique potentiae activae correspondet possibile. Esse autem divinum, super quod ratio divinae potentiae fundatur, est esse infinitum, non limitatum ad aliquod genus entis, sed praehabens in se totius esse perfectionem. Unde quidquid habet vel potest habere rationem entis, continetur sub possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens.

Art. IV. - *Utrum Deus possit facere quod praeterita non fuerint.*

RESP. NEG. - R. EST: quia praeterita non fuisse implicat contradictionem.

Art. V. - *Utrum Deus possit facere quae non facit.*

RESP. AFF. - PRIMA R. EST: quia Deus non agit ex necessitate naturae (q. XIX, art. 3); sed voluntas eius est causa omnium rerum, et ipsa voluntas naturaliter non determinatur ex necessitate ad has res.

SECUNDA RATIO EST: quia ordo a divina sapientia rebus inditus, non adaequat divinam sapientiam, ut sic divina sapientia limitetur ad hunc ordinem; finis enim omnium est bonitas divina, quae improportionabiliter excedit res creatas.

Art. VI. – *Utrum Deus possit meliora facere ea quae facit.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non quantum ad bonitatem quae est de essentia rei; sed quantum ad bonitatem, quae est extra essentiam rei.

R. PRIMI EST: quia additio differentiae substantialis importet mutationem substantialem rei.

R. SECUNDI EST: quia potest Deus dare rebus a se factis meliorem modum essendi quantum ad accidentalia, sicut bonum hominem facere meliorem.

QUAESTIO XXVI

De divina beatitudine

Ultimo autem post considerationem eorum quae ad divinae essentiae unitatem pertinent, considerandum est de divina beatitudine. Et circa hoc quatuor:

Art. I. – *Utrum Beatitudo Deo competat.*

RESP. AFF. – *Scil.* : maxime Deo competit.

R. EST: quia sub nomine beatitudinis nihil aliud intelligitur nisi bonum perfectum intellectualis naturae. Hoc autem bonum Deo maxime competit.

NOTANDUM: Bonum perfectum intellectualis naturae consistit: a) in cognitione suae sufficientiae in bono quod habet; b) in hoc quod ei soli competit ut ei contingat aliquid, vel bene vel male, et quod ipsa sit suarum operationum domina. Utrumque Deo maxime competit, scilicet perfectum esse et intelligentem (In corp. art.).

Art. II. – *Utrum Deus dicatur beatus secundum intellectum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia id quod est perfectissimum in qualibet intellectuali natura est intellectualis operatio, secundum quam capit quodammodo omnia,

Art. III. - *Utrum Deus sit beatitudo cuiuslibet beati.*

RESP. NEG. - *Scil. :* ex parte ipsius actus; ex parte objecti autem solus Deus est beatitudo.

R. PRIMI EST: quia ex parte actus intelligendi beatitudo est quid creatum in creaturis beatis.

R. SECUNDI EST: quia ex hoc solo est aliquis beatus quod Deum intelligit.

Art. IV. - *Utrum in Dei beatitudine omnis beatitudo includatur.*

RESP. AFF. - R. EST: quia quidquid est desiderabile in quacumque beatitudine, totum eminentius in divina beatitudine praeexistit.

Haec dicta sufficiunt de his quae pertinent ad divinae essentiae unitatem.

TRACTATUS DE TRINITATE *

Consideratis autem his quae ad divinae essentiae unitatem pertinent, restat considerare de his quae pertinent ad Trinitatem personarum in divinis. Et quia personae divinae secundum relationes originis distinguuntur, secundum ordinem doctrinae prius considerandum est de origine, sive de processione; secundo de relationibus originis; tertio de personis. - Circa processionem quaeruntur quinque:

QUAESTIO XXVII**De processione divinarum personarum****Art. I. - *Utrum processio sit in divinis.***

RESP. AFF. - *Scil. :* a) non secundum quod *effectus* procedit a causa; b) neque secundum quod causa dicitur procedere in *effectum* movendo ipsum, vel ipsi similitudinem suam imprimendo, quod est

(*) Vide Divisionem Schematicam Totius Summae, Tab. III.

procedere ad extra; sed *c*) secundum actionem quae manet in ipso agente.

R. PRIMI EST: quia secundum hoc neque Filius neque Spiritus Sanctus esset verus Deus.

R. SECUNDI EST: quia secundum hoc ipse Pater esset qui Filius.

R. TERTII EST: quia processio in divinis non est accipienda secundum quod est in corporalibus, per actionem alicui causae in exteriorem effectum; sed secundum emanationem intelligibilem, secundum similitudinem supremarum creaturarum, quae sunt intellectuales substantiae.

NOTANDA: 1. Divina Scriptura, in rebus divinis, utitur nominibus ad processionem pertinentibus (In princ. art.).

2. Id quod procedit ad intra processu intelligibili, non oportet esse diversum; imo, quanto perfectius procedit, tanto magis est unum cum eo a quo procedit (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum aliqua processio in divinis generatio dici possit.*

RESP. AFF. – *Scil.*: generatio proprie dicta de viventibus; tamen sine processione de potentia in actum, quae a divinis excluditur.

R. EST: quia in divinis Verbum procedit per modum intelligibilis actionis, quae est operatio vitae, et a principio coniuncto (art. praec.), et secundum rationem similitudinis, et in eadem natura (q. III, art. 4, et q. XIV, art. 4).

NOTANDUM: Generatio definiri potest secundum quatuor causas: *Origo viventis a vivente coniuncto in similitudinem naturae specificae.*

Art. III. – *Utrum sit in divinis alia processio a generatione Verbi.*

RESP. AFF. – *Scil.*: processio amoris.

R. EST: quia in Deo praeter intellectum, est etiam voluntas. Unde sicut est processio secundum

intellectum, ita est processio secundum voluntatem, prout in nobis.

Art. IV. – *Utrum processio amoris in divinis sit generatio.*

RESP. NEG. – R. EST: quia processio quae attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis et moventis in aliquid; voluntas autem fit in actu ex hoc quod habet inclinationem in rem volitam. Unde per nomen Spiritus, vitalis motio et impulsio designatur.

Art. V. – *Utrum sint plures processiones in divinis quam duae.*

RESP. NEG. – R. EST: quia in natura intellectuali et divina non sunt nisi duae actiones quae in agente manent: intelligere et velle.

QUAESTIO XXVIII

De relationibus divinis

Deinde considerandum est de relationibus divinis. Et circa hoc quatuor:

Art. I. – *Utrum in Deo sint aliquae relationes reales.*

RESP. AFF. – R. EST: quia processiones in divinis sunt in identitate naturae (q. XXVII, aa. 2 et 4); ea enim quae dicuntur *ad aliquid*, si respectum important qui in ipsa natura rerum est, relationes reales oportet esse.

NOTANDA: 1. Relationes de Deo non praedicantur per modum inhaerentis secundum propriam relationis rationem (quia in Deo non sunt accidentia); sed magis per modum *ad aliud se habentis* (Ad 1m).

2. In Deo non est realis relatio ad creaturas, quia Deus producit eas non ex necessitate suae naturae, sed per intellectum et voluntatem; in creaturis vero

est realis relatio ad Deum, quia ipsae continentur sub ordine divino, et in earum natura est quod dependeant a Deo (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum relatio in Deo sit idem quod sua essentia.*

RESP. AFF. – *Scil.* : relatio in Deo *secundum rem* est idem quod sua essentia; *secundum rationem intelligentiae* differt.

R. PRIMI EST: quia quidquid in rebus creatis habet esse accidentale (cuius esse est inesse), secundum quod transfertur in Deum, habet esse substantiale; nihil enim est in Deo ut accidens in subjecto; sed quidquid in Deo est, est eius essentia.

R. SECUNDI EST: quia in relatione importatur *respectus* ad suum oppositum, qui non importatur in nomine essentiae.

Art. III. – *Utrum relationes quae sunt in Deo, realiter ab invicem distinguantur.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non secundum rem absolutam, quae est essentia; sed secundum rem relativam.

R. PRIMI EST: quia in essentia divina est summa unitas et simplicitas.

R. SECUNDI EST: quia cum in Deo realiter sit relatio (art. 1 huius quaes.), oportet quod realiter sit ibi oppositio; relativa autem oppositio in sui ratione includit distinctionem.

Art. IV. – *Utrum in Deo sint tantum quatuor relationes reales; scilicet Paternitas, Filiatio, Spiratio, et Processio.*

RESP. AFF. – R. EST: quia in Deo sunt duae tantum processiones (quaes. XXVII, art. 5); secundum autem quamlibet processionem oportet duas accipere relationes oppositas. – Item, Relationum oppositarum cuiuslibet processionis, una est procedentis a principio, et alia ipsius principii. Et se-

cundum hoc in processione. Verbi habetur Filiatio et Paternitas, secundum quod dicuntur in generatione propria viventium; in processione autem amois, quae non habet nomen proprium (q. XXVII, art. 4) habetur processio et spiratio.

NOTANDA: 1. Haec duo nomina, *Spiratio* et *Processio*, ad ipsas processiones vel origines pertinent, non autem proprie ad relationes. Attamen quoad rem significatam et quoad usum vocis ambo nomina illa relationes notant.

2. In Deo relationes intelligibiles non multiplicantur in infinitum, sicut in nobis; quia Deus uno actu tantum omnia intelligit (ad 1m).

DE PERSONIS DIVINIS

Praemissis autem his quae de processionibus et relationibus praecognoscenda videbantur, necessarium est aggredi de Personis. – Et primo secundum considerationem absolutam; et deinde secundum comparativam. Oportet autem absolute de personis, primo quidem in communi considerare, deinde de singulis personis. Ad communem autem considerationem personarum quatuor pertinere videntur: 1. Quidem, significatio hujus nominis, persona. – 2. Numerus personarum. – 3. Ea quae consequuntur numerum personarum. – 4. Ea quae pertinent ad notitiam personarum. Circa primum quaeruntur quatuor:

QUAESTIO XXIX

De nomine « Persona »

Art. I. – *Utrum definitio Personae, quam Boetius assignat, scil.: Persona est rationalis naturae individua substantia, sit competens.*

RESP. AFF. – R. EST: quia in praedicta definitione personae ponitur *substantia individua*, inquan-

tum (persona) significat singulare in genere substantiae; et additur *rationalis naturae*, inquantum significat singulare in *rationalibus* substantiis. – (Sic tota perfectio de ratione *personae* habetur. Scil.: *substantia prima* seu hypostasis, et insuper *sui juris*, vel dominium habens sui actus).

NOTANDA: 1. Per hoc quod in definitione additur *individua*, excluditur a persona ratio assumptibilis (ad 2m); et designatur modus subsistendi, qui competit substantiis particularibus (ad 3m). – Utitur nomine *naturae*, non vero *essentiae*, quia « natura (quae a nativitate dicitur), est unumquodque informans specifica differentia »; essentia vero sumitur ab esse, quod est communissimum (ad 4m).

2. Anima separata, cum retineat naturam unibilitatis, non potest dici substantia individua, quae est hypostasis (Ad 5m).

Art. II. – *Utrum Persona sit idem quod hypostasis, subsistentia et essentia.*

RESP. AFF. – SCIL.: in genere rationalium substantiarum.

R. EST: quia hypostasis, subsistentia et essentia significant rem secundum triplicem considerationem substantiae sic dictae. Dicitur *hypostasis* secundum quod supponitur accidentibus; *subsistentia* secundum quod per se existit, et non in alio; *essentia*, secundum quod significat quidditatem rei.

NOTANDA: 1. *Hypostasis* apud Graecos ex propria significatione nominis habet quod significet quodcumque individuum substantiae; sed ex usu loquendi habet quod sumatur pro individuo rationalis naturae, ratione suae excellentiae (Ad 1m). Unde sicut nos dicimus tres personae, ita Graeci dicunt tres hypostasies. Nos autem non consuevimus dicere tres substantias, ne intelligerentur tres essentiae propter nominis aequivocationem (q. XXX, art. 1, ad 1m).

2. Nomen *hypostasis* non competit Deo quantum ad id a quo est impositum nomen, cum non subsistet accidentibus. Competit autem quantum ad id

ad quod significandum est impositum. Est enim impositum ad significandum rem subsistentem (q. XXIX, art. 3, ad 3m).

Art. III. - *Utrum nomen Persona sit ponendum in divinis.*

RESP. AFF. - *Scil.* : non eodem modo quo dicitur de creaturis, sed modo excellentiori. (q. XIII, art. 2).

R. EST: quia omne illud quod est perfectionis est Deo attribuendum. Persona autem significat id quod est perfectissimum in tota natura.

Art. IV. - *Utrum hoc nomen, Persona, significet relationem.*

RESP. AFF. - *Scil.* : in divinis persona significat relationem *in recto*, et essentiam *in obliquo*.

R. EST: quia cum distinctio in divinis non fit nisi per relationes originis (q. XXVII, art. 2 et 3), persona divina significat relationem ut subsistentem. Sic significat relationem *in recto*, et essentiam *in obliquo*.

NOTANDUM: Inquantum essentia idem est quod hypostasis, persona significat essentiam *in recto*, et relationem *in obliquo*. Sed haec significatio non erat percepta ante haereticorum calumniam. Sed postmodum accomodatum est hoc nomen, *persona*, ad standum pro relativo, ex congruentia suae significationis (In fine art).

QUAESTIO XXX

De pluralitate Personarum

Deinde quaeritur de pluralitate personarum. Et circa hoc quatuor:

Art. I. - *Utrum sit ponere plures personas in divinis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia *persona* significat *in divinis* relationem, ut rem subsistentem in natura

divina. Plures autem sunt relationes reales in divinis (q. XXVII, art. 1).

Art. II. – *Utrum in Deo sint plures personae quam tres.*

RESP. NEG. – R. EST: quia in Deo sunt quatuor relationes reales (q. XXVIII, art. 4), quarum duae, i. e. Paternitas et Filiatio, sunt oppositae, et constituunt duas subsistentias seu personas, scil: personam Patris et personam Filii; ex aliis vero duabus (spiratio et processio), tantum processio opponitur Spirationi, et est proprietas constituens personam Spiritus Sancti procedentis; Spiratio vero, cum non separetur a persona Patris et Filii, sed conveniat utrique, non dicitur proprietas, quamvis sit relatio.

Art. III. – *Utrum termini numerales ponant aliquid in divinis.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) non sumuntur a numero qui est species quantitatis; sed b) sumuntur a multitudine secundum quod est transcendens, et pertinet ad divisionem *formalem* quae habetur per oppositas vel diversas formas.

R. PRIMI EST: quia sic de Deo non dicuntur, nisi metaphorice, sicut et aliae proprietates corporaliū, sicut latitudo, longitudo, et similia.

R. SECUNDI EST: quia solam talem multitudinem contigit esse in immaterialibus. Secundum hoc termini numerales in divinis significant illa de quibus dicuntur. Ut cum dicimus essentia est una, ibi unum significat essentiam indivisam; cum dicimus, persona est una, significat personam indivisam; cum dicimus, personae sunt plures, significantur illae personae et indivisio circa unamquamque earum; de ratione enim multitudinis est quod ex unitatibus constet,

Art. IV. – *Utrum hoc nomen, Persona, possit esse commune tribus personis.*

RESP. AFF. *Scil.* : a) non communitate *rei*; b) sed communitate *rationis*; et sic non sicut genus vel species, sed sicut *individuum vagum*.

R. PRIMI EST: quia sic sequeretur unam esse personam trium, sicut essentia est una.

R. SECUNDI EST: quia hoc est commune secundum rationem omnibus personis divinis, ut unaquaeque earum subsistat in natura divina, distincta ab aliis.

NOTANDUM: *Individuum vagum*, ut *aliquis* homo, significat naturam communem cum determinato modo existendi qui competit singularibus; ut scilicet sit per se subsistens distinctum ab aliis.

QUAESTIO XXXI

De his quae ad unitatem vel pluralitatem pertinent in divinis

Post haec considerandum est de his quae ad unitatem vel pluralitatem pertinent in divinis. Et circa hoc quatuor:

Art. I. – *Utrum sit trinitas in divinis.*

RESP. AFF. – *Scil.* : quasi Trium Unitas.

R. EST: quia Trinitas in divinis significat numerum personarum unius essentiae.

Art. II. – *Utrum Filius sit alius a Patre.*

RESP. AFF. – R. EST: quia hoc nomen *alius*, masculine sumptum, non importat, nisi distinctionem suppositi.

Art. III. – *Utrum dictio exclusiva, solus, sit addenda termino essentiali in divinis.*

RESP. AFF. – *Scil.* : syncategorematicè sumpta, non vero categorematicè.

R. EST: quia categorematicè sumpta, haec dictio *solus*, ponit absolute rem significatam circa aliquod suppositum; sic *Deus solus*, significaretur Deum esse solitarium. – Syncategorematicè autem importat ordinem praedicati ad subjectum; et per hunc modum, nihil prohibet hanc dictionem, *solus*, adungere alicui essentiali termino in divinis, in quantum excluduntur omnia alia a Deo, a conscriptio praedicati. Ut si dicamus, *Solus Deus est aeternus*; quia nihil praeter Deum est aeternum.

Art. IV. – *Utrum dictio exclusiva (solus) possit adungi termino personali.*

RESP. NEG. – *Scil.*: ista propositio, *Solus Pater est Deus*, si sumatur categorice, est falsa (art. praec.); si sumatur syncategorematicè, ut excludat a forma subjecti, est vera, sed impropria; si excludat *alium* masculinè, est falsa; si vero excludat *aliud* neutraliter, est vera, sed impropria.

R. EST: quia syncategorematicè sumpta in *primo* sensu significat, *Ille cum quo nullus alius est pater est Deus*. Sed hic sensus non habetur ex consueto modo loquendi. – In *secundo* sensu est falsa, quia etiam Filius est Deus (et Spiritus Sanctus est Deus). – In *tertio* sensu est vera, quia Pater non est *aliud* a Filio, vel a Spiritu Sancto. Sed dictio *solus* proprie respicit subjectum, et ideo magis se habet ad excludendum *alium* quam *aliud*.

QUAESTIO XXXII

De divinarum Personarum cognitione

Consequenter inquirendum est de cognitione divinarum personarum. Et circa hoc quatuor:

Art. I. – *Utrum Trinitas divinarum personarum possit per naturalem rationem cognosci.*

RESP. NEG. – *Scil.*: per rationem naturalem cognosci possunt de Deo ea quae pertinent ad unita-

tem essentiae, non autem ea quae pertinent ad distinctionem personarum.

R. EST: quia per rationem naturalem homo in cognitionem Dei pervenire non potest, nisi ex creaturis. Virtus autem creativa Dei est communis toti Trinitati, i. e. pertinet ad unitatem essentiae non ad distinctionem personarum.

Art. II. - *Utrum sint ponendae notiones in divinis.*

NOTANDUM: Notio dicitur id quod est propria ratio cognoscendi divinam personam (art. 3 huius quaes.).

RESP. AFF. - R. EST: quia sicut divina, ratione simplicitatis, per nomina abstracta significamus (q. III, art. 3), ratione vero subsistentiae et complementi, per nomina concreta; ita oportet non solum nomina essentialia in abstracto et concreto significare, ut cum dicimus *deitatem* et *Deum*, vel *sapientiam* et *sapientem*, sed etiam personalia, ut dicamus *peternitatem* et *patrem*. Et hoc, quia intellectus noster non potest pertingere ad ipsam simplicitatem divinam, secundum quod in se est consideranda.

Art. III. - *Utrum sint quinque notiones.*

RESP. AFF. - *Scil. :* Innascibilitas (Patris), paternitas, filiatio, communis spiratio, et processio.

R. EST: quia persona innotescere potest secundum modos originis a quo alius, et qui ab alio. Pater non est ab alio, et ex hac parte notio ejus est *innascibilitas*. Inquantum ab eo est Filius, innotescit notione *paternitatis*. Inquantum Filius est qui ab alio, innotescit per *filiationem*. Inquantum vero Spiritus Sanctus est a Patre et Filio, innotescit notione *communis spirationis*, et inquantum Sp. Sanctus est qui ab alio vel aliis innotescit *processione*.

NOTANDUM: Notiones personales, i. e., constituentes personas, sunt tres, scilicet paternitas, filiatio

et processio. Nam communis spiratio et innascibilitas dicuntur notiones personarum, non autem personales; ut infra magis patebit.

Art. IV. – *Utrum liceat contrarie opinari de notionibus.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non intendendo aliquid contrarium fidei sustinere.

R. EST: quia circa ea quae indirecte pertinent ad fidem potest aliquis absque periculo haeresis opinari, antequam consideretur vel determinatum sit quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei.

QUAESTIO XXXIII

De persona Patris

Consequenter considerandum est de personis in speciali. Et primo de persona Patris. Circa quam quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum competat Patri esse principium.*

RESP. AFF. – R. EST: quia a Patre alius procedit.

Art. II. – *Utrum hoc nomen, Pater, sit nomen proprie divinae personae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia per hoc nomen, Pater, quod paternitatem significat, distinguitur persona Patris ab omnibus aliis.

Art. III. – *Utrum hoc nomen, Pater, dicatur in divinis per prius, secundum quod personaliter sumitur.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non dicitur per prius essentialiter, seu ut commune toti Trinitati, ut cum dicamus « Pater noster ».

R. EST: quia tota ratio hujus nominis, Pater, perfecte salvatur si sumitur personaliter; salvatur autem secundum aliquid tantum si essentialiter

sumatur, pro tota Trinitate: in creatura enim filia-
tio respectu Dei invenitur non secundum perfectam
rationem, sed secundum aliquam similitudinem,
sive vestigii, sive gratiae, sive gloriae.

Art. IV. – *Utrum esse ingentum sit Patri proprium.*

RESP. AFF. – *Scil.*: ratione innascibilitatis et principii.

R. EST: quia secundum rationem innascibilitatis et principii, esse ingentum, soli Patri competit (vide ad 2m).

QUAESTIO XXXIV

De persona Filii (de Verbo)

Deinde considerandum est de persona Filii. Attribuantur autem tria nomina Filio, scilicet *Filius*, *Verbo* et *Imago*: sed ratio Filii ex ratione Patris consideratur. Unde considerandum est de Verbo et de Imagine. Circa Verbum quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum Verbum in divinis sit nomen personale.*

RESP. AFF. – *Scil.*: si proprie sumatur, est nomen personale, et nullo modo essenziale.

R. EST: quia Verbum, secundum quod proprio dicitur in divinis, scilicet ut conceptus mentis tantum, significat aliquid ab alio procedens, quod pertinet ad rationem nominum personalium in divinis; eo quod personae divinae distinguuntur secundum originem, ut dictum est (q. XXVII, art. 3, 4 et 5).

Art. II. – *Utrum Verbum sit proprium nomen Filii.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Verbum significat quamdam emanationem intellectus. Persona autem quae procedit in divinis secundum emanationem intellectus, dicitur Filius; et hujusmodi processio dicitur *generatio*.

Art. III. – *Utrum in nomine Verbi importetur respectus ad creaturam.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Deus uno actu et se et omnia intelligit; unde, unicum Verbum ejus est expressivum non solum Patris, sed etiam creaturarum.

NOTANDUM: In Verbo importatur ratio factiva eorum quae Deus facit. Unde quantum ad creaturas, Verbum Dei est non solum expressivum, sicut est quoad deitatem, sed etiam operativum. – Quantum ad non-entia est expressivum et manifestativum (Ad 5m).

QUAESTIO XXXV

De imagine

Deinde quaeritur de imagine. Et circa hoc duo:

Art. I. – *Utrum imago in divinis dicatur personaliter.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ad hoc quod aliquid vere sit imago, requiritur quod ex alio procedat simile ei in specie, vel saltem in aliquo signo speciei. Ea autem quae processionem sive originem important in divisionis, sunt personalia.

NOTANDA: 1. Signum speciei in rebus corporeis maxime videtur esse figura. Videmus enim quod diversorum animalium secundum speciem, sunt diversae figurae; non autem diversi colores (In corp. art.).

2. Improprie dicitur divinitatem sanctae Trinitatis esse imaginem ad quam factus est homo, sed est proprie *exemplar* (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum nomen imaginis sit proprium Filio.*

RESP. AFF. – *Scil.* : est proprium soli Filio. Contra doctores Graecorum qui communiter dicunt Spiritum Sanctum esse imaginem Patris et Filii.

R. EST: quia solus Filius dicitur *natus*, de cujus ratione est similitudo speciei ad id a quo procedit;

quod non est proprie de ratione amoris, quamvis hoc amori conveniat, qui est Spiritus Sanctus.

QUESTIO XXXVI

De persona Spiritus Sancti

Post considerationem praedictam considerandum est de his quae pertinent ad personam Spiritus Sancti; quia non solum dicitur *Spiritus Sanctus*, sed etiam *Amor* et *Donum Dei*. Circa *Spiritum Sanctum* ergo quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum hoc nomen, Spiritus Sanctus, sit proprium nomen alicuius personae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia persona divina, quae procedit per modum amoris, quo Deus amatur, convenienter Spiritus Sanctus nominatur.

Art. II. - *Utrum Spiritus Sanctus procedat a Filio.*

RESP. AFF. - R. EST: quia oportet quod Filius et Spiritus Sanctus ad invicem referantur oppositis relationibus, secus non distinguuntur ab invicem et essent una persona. Relationes autem in divinis non possunt esse oppositae, nisi ratione originis (q. XXVIII, art. 4). - Quod autem Spiritus Sanctus procedit a Filio et non e converso, patet: *primo*, quia necesse est quod amor a Verbo procedat; non enim aliquid amamus nisi quod conceptione mentis apprehendimus. - *Secundo*, quia illa quae procedunt ab aliquo non materialiter tantum, oportet esse aliquem ordinem eorum ad invicem. Processionis autem Verbum, inter omnia quae ad originem qualemcumque pertinent, communissimum est; utimur enim eo ad designandum qualemcumque originem.

NOTANDUM: Cum dicitur quod Spiritus Sanctus a Patre procedit, etiamsi adderetur quod a solo Patre procedit, non excluderetur inde Filius; quia

quantum ad hoc quod est esse principium Spiritus Sancti, non opponuntur Pater et Filius; sed solum quantum ad hoc quod hic est pater et ille filius. (Ad 1m). – Sicut illa verba: *Nemo novit Filium nisi Pater*, non excludunt Filium.

Art. III. – *Utrum Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) non sicut per causam secundam et instrumentalem; b) sed eadem virtute spirativa in Patre et Filio..

R. PRIMI EST: quia sic magis procederet a Patre quam a Filio (ad 2m).

R. SECUNDI EST: quia Filius habet hanc virtutem spirativam a Patre (Ad 2m). Hoc sensu potest dici quod Spiritus Sanctus procedit immediate sive principaliter (vel etiam proprie) a Patre, mediate vero a Filio (Ad 1m et ad 2m).

NOTANDUM: Ordo non attenditur inter Patrem et Filium quantum ad virtutem, sed solum quantum ad supposita. Et ideo dicitur quod Pater spirat per Filium, et non e converso. (In corp. art.).

Art. IV. – *Utrum Pater et Filius sint unum principium Spiritus Sancti.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Pater et Filius in omnibus unum sunt, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio. Esse principium Spiritus Sancti autem non opponitur relative.

NOTANDUM: Pater et Filius sunt *unum principium* Spiritus Sancti inquantum sunt *unum* in virtute spirativa, quae quodammodo significat *naturam cum proprietate* (Ad 1m). Tamen propter distinctionem suppositorum, Pater et Filius, licet sint unum principium Spiritus Sancti, sunt *duo spiratores*, sicut etiam *duo spirantes*, quia actus referuntur ad supposita; sed melius est dicere *duo spirantes*, quam *duo spiratores*, propter *unam* spirationem (Ad 7m).

QUAESTIO XXXVII

De nomine Spiritus Sancti, quod est amor

Deinde quaeritur de nomine amoris. Et circa hoc duo:

Art. I. – *Utrum Amor sit proprium nomen Spiritus Sancti.*

RESP. AFF. – *Scil.* : inquantum hoc nomen *amoris* in divinis personaliter sumitur.

R. EST: quia processio Spiritus Sancti fit per modum voluntatis, quae est processio amoris. Non sunt autem, ex parte voluntatis, alia vocabula imposita, quae importent habitudinem amantis ad rem amatam, praeter *diligere* et *amare*. – Sic igitur inquantum in amore vel dilectione non importatur nisi habitudo amantis ad rem amatam, *amor* et *diligere* essentialiter dicuntur, sicut *intelligentia* et *intelligere*. Inquantum vero his vocabulis utimur ad exprimendam habitudinem eius rei quae procedit per modum amoris ad suum principium, et e converso, ita quod per *amorem* intelligatur amor procedens, et per *diligere* intelligatur spirare amorem procedentem: sic *amor* est nomen personae, et *diligere* vel *amare* est verbum notionale, sicut *dicere* vel *generare*.

Art. II. – *Utrum Pater et Filius diligant se Spiritu Sancto.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non secundum quod *diligere* dicitur in divinis essentialiter, sed inquantum dicitur notionaliter.

R. PRIMI EST: quia sic Pater et Filius diligunt se essentia sua.

R. SECUNDI EST: quia sic diligere nihil est aliud quam spirare amorem, et secundum hoc Pater et

Filius diligunt se (et nos) amore procedente, i. e. Spiritu Sancto, sicut Pater dicit se (et creaturas) Verbo: sicut arbor dicitur florens floribus, i. e. ablativus construitur in habitudine *effectus formalis*, non autem in habitudine *causae formalis*.

QUAESTIO XXXVIII

De nomine Spiritus Sancti, quod est « donum »

Consequenter quaeritur de Dono. Et circa hoc duo:

Art. I. – *Utrum donum sit nomen personale.*

RESP. AFF. – R. EST: quia divinae personae competit dari rationali creaturae et esse eius donum; potest autem rationalis creatura sic fieri particeps divini Verbi et procedentis amoris, ut possit libere Deum vere cognoscere et recte amare.

Art. II. – *Utrum donum sit proprium nomen Spiritus Sancti.*

RESP. AFF. – R. EST: quia amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur. Spiritus Sanctus autem procedit ut amor.

QUAESTIO XXXIX

De Personis ad essentiam relatis

Post ea quae de personis divinis absolute tractata sunt, considerandum restat de personis in comparatione ad essentiam, et ad proprietates, et ad actus notionales, et de comparatione ipsarum ad invicem. Quantum igitur ad primum horum, octo quaeruntur:

Art. I. - *Utrum in divinis essentia sit idem quod persona.*

RESP. AFF. - *Scil.* : secundum rem.

R. EST: quia secundum rem persona est suppositum, quod in divinis, idem est ac essentia. - Remanent tamen tres personae et una essentia, quia relatio, quamvis ad essentiam comparata non differt re, sed ratione tantum, comparata tamen ad oppositam relationem, habet virtute oppositionis realem distinctionem.

Art. II. - *Utrum sit dicendum Tres Personas esse unius essentiae.*

RESP. AFF. - *Scil.* : prout genitivum istud « unius essentiae » intelligatur construi in designatione formae.

R. EST: quia, cum secundum nostrum modum concipiendi, i. e. scientiam capere a rebus sensibilibus, natura se habeat ut forma, individuum autem ut suppositum formae, sic etiam in divinis, quantum ad modum significandi, essentia significatur ut *forma* trium personarum.

Art. III. - *Utrum nomina essentialia praedicentur singulariter de tribus personis.*

RESP. AFF. - *Scil.* : si nomina essentialia sumantur substantive; si vero adjective sumantur praedicentur pluraliter de tribus personis.

R. EST: quia nomina essentialia substantive sumpta in divinis significant essentiam divinam, quae simplex est et maxime una. Adjective sumpta, praedicantur pluraliter, propter pluralitatem suppositorum. Unde dicimus: Tres habentes deitatem, sed unus Deus; quia *Deus* dicitur substantive, *habentes deitatem* dicitur adjective.

Art. IV. - *Utrum nomina essentialia concreta possint supponere pro persona.*

RESP. AFF. - *Scil.* : ex modo significandi.

R. EST: quia nomina essentialia concreta, ut hoc nomen, *Deus*, ex modo significandi habent ut proprie possint supponere pro persona, sicut cum dicitur *Deus generat*. – Quandoque sumuntur pro essentia, ut cum dicitur, *Deus creat*: quia hoc praedicatum competit subjecto ratione formae significatae, i. e. *Deitatis*.

Art. V. – *Utrum nomina essentialia in abstracto significata possint supponere pro persona.*

RESP. NEG. – *Scil.*: quamvis hoc nomen, *Deus*, possit supponere pro persona, nomen tamen, *essentia*, non potest supponere pro persona.

R. EST: quia hoc nomen, *Deus*, quamvis secundum rem sit idem quod *deitas*, secundum modum significandi, significat essentiam ut *in habente*; nomen vero *essentia* non habet ex modo suae significationis quod supponat pro persona, quia significat essentiam ut formam abstractam. – Ad veritatem autem locutionum non solum oportet considerare *res* significatas, sed etiam *modum* significandi.

Art. VI. – *Utrum personae possint praedicari de nominibus essentialibus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia licet nomina personalia vel notionalia *adjectiva* non possint praedicari de essentia (art. 3); tamen *substantiva* possunt, etiam tres personae *simul*, propter realem identitatem essentiae et personae.

Art. VII. – *Utrum nomina essentialia sint approprianda personis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia per essentialia attributa, ex cognitione creaturarum cognita, manifestantur personae per viam similitudinis, et dissimilitudinis *. Ex creaturis enim magis possumus

* Sicut Filius, qui procedit per modum (similitudinis) intellectus, ut verbum, et sicut *potentia*, quae Patri appropriatur.

devenire in cognitionem essentialium attributorum, quam in cognitionem personalium proprietatum. (Quaest. XXXII, a. 1).

Art. VIII. – *Utrum convenienter a sacris doctoribus sint essentialia personis attributa.*

RESP. AFF. – *Scil*: secundum quod intellectus noster, in Dei cognitionem, ex creaturis manuducitur.

R. EST: quia creatura considerari potest (a) in se absolute; b) ut una; (c) ut operans et causans; (d) secundum habitudinem quam habet ad causata; secundum hoc autem essentialia personis divinis a sacris doctoribus sunt attributa. – Nam, secundum *primam* considerationem, attribuitur ab Hilario: *aeternitas* Patri, *Species* Filio, *Usus* Spiritui Sancto. Secundum *secundam* considerationem, attribuitur ab Augustino: *Unitas* Patri, *Aequalitas* Filio, *Concordia* Spiritui Sancto. Secundum *tertiam* considerationem, attribuitur Patri *Potentia*, Filio *Sapientia*, Spiritui Sancto *Bonitas*. Et secundum *quartam* considerationem appropriatur Patri *ly ex quo*, *ly per quem*, et Spiritui Sancto *ly in quo*.

QUAESTIO XL

De Personis in comparatione ad relationes sive proprietates

Deinde quaeritur de personis in comparatione ad relationes, sive proprietates. – Et quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum relatio sit idem quod persona.*

RESP. AFF. – R. EST: quia relationes non sunt assistentes seu proprietates advenientes (q. XXVIII, art. 2); sed secundum quod relatio est quaedam

res in divinis est ipsa divina essentia; essentia autem idem est quod persona (Q. praec., art. 1).

Art. II. – *Utrum personae distinguantur per relationes.*

RESP. AFF. – *Scil.*: secundum modum intelligendi personae perfectius distinguuntur per relationes quam per origines.

R. EST: quia origo alicuius rei non significatur ut aliquid intrinsecum, sed ut via quaedam a re ad rem; relatio autem in divinis est distinctiva et constitutiva hypostasis, ut supra dictum est.

Art. III. – *Utrum abstractis per intellectum relationibus a personis, adhuc remaneant hypostases.*

RESP. NEG. – R. EST: quia relationes sunt quae distinguunt et constituunt hypostases (art. praec.). – Item, quia omnis hypostasis naturae rationalis est persona.

Art. IV. – *Utrum actus notionales praeintelligantur proprietatibus.*

RESP. NEG. – Tamen proprietas personalis Patris in quantum est constitutiva Personae praeintelligitur actui notionali Patris, scilicet generationi.

R. EST: quia persona agens praeintelligitur actioni. Et secundum hanc significationem prius est Paternitas quam generatio: prius est Pater, quam Pater generans. – Tamen proprietas personalis Patris considerata ut *pura relatio*, dicens purum ordinem « ad aliquid », praesupponit actum notionalem Patris, i. e. generationem. Pater enim dicit ordinem ad Filium, quia ipsum generat. Et secundum hanc significationem prius intelligitur generatio quam paternitas. – Actus vero notionales seu origines passive significatae, ut *nativitas* Filii, et *processio* Spiritus Sancti, simpliciter praecedunt

proprietates personarum procedentium, etiam personales, quia origo passive significata, significatur ut via ad personam proprietate constitutam.

QUAESTIO XLI

De Personis in comparatione ad actus notionales

Deinde considerandum est de personis in comparatione ad actus notionales. Et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum actus notionales sint attribuendi personis.*

RESP. AFF. – *Scil.* : ad significandum ordinem originis in divinis personis.

R. EST: quia origo, secundum quam in divinis attenditur distinctio, non potest designari nisi per aliquos actus, qui actus notionales dicuntur, quia notiones personarum sunt personarum habitudines ad invicem (q. XXXIII, a. 3).

Art. II. – *Utrum actus notionales sint voluntarii.*

RESP. NEG. – *Scil.* : si voluntas designatur ut principium operis; sunt tamen voluntarii si voluntas consideratur ut natura, scil.: determinata ad unum.

R. EST: quia voluntas, ut principium operis, eorum est quae possunt sic vel aliter esse, sicut sunt creaturae; eorum autem quae non possunt nisi sic esse, sicut sunt actus notionales, principium natura est.

Art. III. – *Utrum actus notionales sint de aliquo.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Filius non est genitus de nihilo; secus non esset genitus sed factus: sed genitus est de substantia Patris, qui ipsum gene-

rando totam naturam ei communicat, natura enim divina impartibilis est.

NOTANDUM: Cum dicitur Filius natus *de* Patre, haec praepositio *de*, semper denotat consubstantialitatem (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum in divinis sit potentia respectu actuum notionalium.*

RESP. AFF. – R. EST: quia cum potentia nihil aliud significat quam principium alicujus actus, necesse est in divinis ponere potentiam, sicut ponuntur in ipsis actus notionales.

NOTANDUM: Potentia Deo attribuitur secundum propriam rationem principii (Ad 3m).

Art. V. – *Utrum potentia generandi significet relationem et non essentiam.*

RESP. NEG. – *Scil.:* non significat relationem (nisi in obliquo), sed essentiam.

R. EST: quia Filius Dei similatur Patri gignenti in natura divina, non autem in persona Patris, nisi in obliquo. Neque enim paternitas potest intelligi ut *quo* Pater generat, alioquin Pater generaret Patrem.

Art. VI. – *Utrum actus notionalis ad plures personas terminari possit.*

RESP. NEG. – *Scil.:* in divinis non possunt esse plures personae genitae vel spiratae.

R. EST: quia relationes subsistentes, in quibus personae divinae consistunt, cum sint formae unius speciei, e. g. paternitas, non multiplicantur, nisi secundum materiam, quae in divinis non est.

Item: quia, cum Deus omnia intelligit et vult uno et simplici actu, non potest esse nisi una persona procedens per modum Verbi, et una tantum per modum amoris.

Item: quia natura determinatur ad unum. Personae autem *naturaliter* procedunt (Art. 2).

Item: quia cum unaquaque persona divina sit perfectissima, continet in se totam perfectionem sui; ita ut non possit esse nisi unus Pater, unus Filius, et unus Spiritus Sanctus.

QUAESTIO XLII

De aequalitate et similitudine divinarum Personarum ad invicem

Deinde considerandum est de comparatione personarum ad invicem: et 1. quantum ad aequalitatem et similitudinem; 2. quantum ad missionem. Circa primum quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum aequalitas locum habeat in divinis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia quantitas (virtutis) in divinis non est aliud quam ejus essentia. Unde in divinis non est maius et minus.

NOTANDUM: Personae divinae sunt sibi invicem aequales, quia sunt unius magnitudinis et essentiae (Ad 4m).

Art. II. - *Utrum persona procedens sit coeterna suo principio, ut Filius Patri.*

RESP. AFF. - R. EST: quia Pater non generat Filium voluntate, sed natura, quae ab aeterno perfecta fuit. Filius ergo fuit quandocumque fuit Pater; et similiter Spiritus Sanctus.

Art. III. - *Utrum in divinis personis sit ordo naturae.*

RESP. AFF. - *Scil. :* est *ordo naturae*, « non quo alter sit prius altero », ut Augustinus dicit, « sed quo alter est ex altero ».

R. EST: quia ordo dicitur secundum quod principium dicitur. In divinis autem dicitur principium secundum originem, absque prioritate. Unde oportet

tet ibi esse ordinem, secundum originem, absque prioritatem.

NOTANDUM: Natura, quae a nativitate dicitur, quodammodo importat rationem principii, non autem essentia, quae ab esse dicitur. Et ideo ordo originis melius nominatur ordo naturae quam ordo essentiae (Ad 4m).

Art. IV. – *Utrum Filius sit aequalis Patri secundum magnitudinem.*

RESP. AFF. – SCIL.: secundum perfectionem naturae divinae.

R. EST: quia per generationem ab aeterno Filius pertingit ad habendam perfectionem naturae, quae est in Patre, sicut et Pater.

Art. V. – *Utrum Filius sit in Patre, et e converso.*

RESP. AFF. – Scil.: secundum tria: essentiam, et relationem, et originem.

R. PRIMI EST: quia cum Pater sit sua essentia, et Filius sit sua essentia; et essentia Patris sit in Filio et essentia Filii sit in Patre; sequitur quod Filius est in Patre et Pater in Filio.

R. SECUNDI EST: quia secundum relationes manifestum est, quod unum oppositorum relative est in altero secundum intellectum.

R. TERTII EST: quia secundum originem etiam manifestum est, quod processio verbi intelligibilis non est aliquid extra, sed manet in dicente, et id quod Verbo dicitur, in Verbo continetur.

Art. VI. – *Utrum Filius sit aequalis Patri secundum potentiam (seu potestatem).*

RESP. AFF. – R. EST: quia virtus agendi est ex perfectione naturae. Ostensum est autem (art. 1 et 4 hujus q.) quod ipsa ratio divinae paternitatis et filiationis exigit quod Filius sit aequalis Patri in magnitudine, i. e. in perfectione naturae. Et eadem ratio est de Spiritu Sancto respectu utriusque.

QUAESTIO XLIII

De missione divinarum Personarum

Deinde considerandum est de missione divinarum personarum. Circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum alicui personae divinae conveniat mitti.*

RESP. AFF. - *Scil.*: non secundum imperium, sicut servus a domino; neque secundum consilium; sed secundum originem. Insuper, non ut ibi incipiat esse ubi prius non erat, sed ut incipiat ibi aliquo modo esse quo prius non erat.

R. EST: quia imperans est major, et consilians sapientior; sed in divinis est aequalitas secundum processionem originis. Item, Filius dicitur esse missus a Patre in mundum, secundum quod incepit in mundo esse per carnem assumptam, et tamen ante *in mundo erat*, ut dicitur (Jn. I).

Art. II. - *Utrum missio sit aeterna vel temporalis tantum.*

RESP.: Est temporalis tantum. *Scil.*: in quantum *missio* (sicut et *datio*) importat cum habitudine ad principium terminum temporalem.

R. EST: quia personam divinam haberi ab aliqua creatura, vel esse novo modo existendi in ea, est quoddam temporale.

Art. III. - *Utrum missio invisibilis divinae personae sit solum secundum donum gratiae gratum facientis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia nullus alius effectus potest esse ratio quod divina persona sit novo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens, secundum quam Spiritus Sanctus habetur et inhabitat hominem.

Art. IV. – *Utrum Patri conveniat mitti.*

RESP. NEG. – R. EST: quia missio in sui ratione et in divinis importat processionem ab alio secundum originem; Pater autem ab alio non procedit.

Art. V. – *Utrum Filio conveniat invisibiliter mitti.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Filio (sicut etiam Spiritui Sancto) convenit et inhabitare per gratiam, et ab alio esse. Patri autem licet conveniat inhabitare per gratiam, non tamen ei convenit ab alio esse, et per consequens nec mitti.

Art. VI. – *Utrum missio invisibilis fiat ad omnes qui sunt participes gratiae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia in omnibus, qui sunt participes gratiae, Deus incipit esse (ubi prius erat) quodam modo novo; scilicet per inhabitationem gratiae, et innovationem quamdam per gratiam. – Missio autem de sui ratione importat quod ille qui mittitur, vel incipiat esse ubi prius non fuit, sicut accidit in rebus creatis; vel incipiat esse ubi prius fuit, sed quodam modo novo, secundum quem modum missio attribuitur divinis personis.

Art. VII. – *Utrum Spiritui Sancto conveniat visibiliter mitti.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Deus providet omnibus secundum uniuscuiusque modum. Est autem modus connaturalis hominis, ut per visibilia ad invisibilia manuducatur.

NOTANDUM: Spiritui Sancto in quantum procedit ut amor, competit esse sanctificationis donum; Filio autem in quantum est Spiritus sancti principium, competit esse sanctificationis hujus auctorem. Et ideo Filius visibiliter missus est tanquam sanctificationis auctor, sed Spiritus sanctus tanquam sanctificationis indicium. (In corp.). Et propter hoc non oportuit quod duraret, nisi quamdiu perageret officium suum (Ad 4m).

Art. VIII. – *Utrum nulla persona divina mittatur, nisi ab ea a qua procedit aeternaliter.*

RESP. NEG. – *Scil.* : Persona divina mitti potest non solum ab ea (persona) a qua aeternaliter procedit, sed etiam ab alia, seu aliis personis.

R. EST: quia mittens potest designari (a) ut principium personae quae mittitur; et secundum hoc nulla persona mittitur, nisi ab ea a qua procedit; et (b) ut principium effectus, secundum quem attenditur missio; et sic tota Trinitas mittit personam missam.

DE PROCESSIONE CREATURARUM

A DEO *

Post considerationem divinarum personarum, considerandum restat de processione creaturarum a Deo. Erit autem haec consideratio tripartita: 1. Consideretur de productione creaturarum; 2. de earum distinctione; 3. de conservatione et gubernatione. – Circa primum tria sunt consideranda: 1. Quae sit prima causa entium. – 2. De modo procedendi creaturarum a prima causa. – 3. De principio durationis rerum. – Circa primum quaeruntur quatuor:

QUAESTIO XLIV

De prima causa entium

Art. I. – *Utrum sit necessarium omne ens esse creatum a Deo.*

RESP. AFF. – R. EST: quia alia a Deo non sunt suum esse, sed participant esse a Deo, qui

* Ad divisionem quaestionum hujus partis vide « Divisionem Schematicam », Tabulam IV.

est ipsum esse per se subsistens. Quod autem invenitur in aliquo per participationem, necesse est quod causetur in ipso ab eo cui essentialiter convenit.

Art. II. – *Utrum materia prima sit creata a Deo.*

RESP. AFF. – R. EST: quia causa universalis rerum, inquantum sunt entia, oportet esse causam rerum, non solum quod sunt *talia* per formas accidentales, nec secundum quod sunt *haec* per formas substantiales; sed etiam secundum omne illud quod pertinet ad esse illorum quocumque modo.

Art. III. – *Utrum causa exemplaris sit aliquid praeter Deum.*

RESP. NEG. – *Scil:* Deus est prima causa exemplaris omnium rerum.

R. EST: quia ad productionem alicujus rei ideo necessarium est exemplar, ut effectus determinatam formam consequatur. Ea autem quae naturaliter fiunt, determinatas formas consequuntur. Determinatio harum formarum autem oportet quod reducatur, sicut in primum principium, in divinam sapientiam, quae ordinem universi excogitavit, qui in rerum distinctione consistit.

Art. IV. – *Utrum Deus sit causa finalis omnium.*

RESP. AFF. – R. EST: quia unaquaque creatura intendit consequi suam perfectionem, quae est similitudo perfectionis et bonitatis divinae.

NOTANDUM: Agentia imperfecta, sicut sunt omnes creaturae respectu ad primum agens, simul agunt et patiuntur; et his convenit quod etiam in agendo intendant aliquid acquirere. Sed primo agenti, qui est agens tantum, non convenit agere propter acquisitionem alicujus finis; sed intendit solum communicare suam perfectionem quae est eius bonitas (In corp. art.).

QUAESTIO XLV

De modo emanationis rerum a principio

Deinde quaeritur de modo emanationis rerum a primo principio, qui dicitur creatio. De qua quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum creare sit ex nihilo facere.*

RESP. AFF. - R. EST: quia nomine creationis designamus emanationem *totius* entis a causa universali, quae est Deus.

Art. II. - *Utrum Deus possit aliquid creare.*

RESP. AFF. - *Scil:* non solum non est impossibile a Deo aliquid creari ex nihilo, sed necesse est ponere a Deo omnia creata esse.

R. EST: quia nihil potest esse in entibus quod non sit a Deo, qui est causa universalis totius esse (quaes. praec., art. 1 et 2).

Art. III. - *Utrum creatio sit aliquid in creatura.*

RESP. AFF. - *Scil:* secundum relationem tantum creaturae ad creatorem, sicut ad principium sui esse.

R. EST: quia quod creatur non fit per motum, vel per mutationem. Unde Deus creando producit res sine motu. Subtracto autem motu ab actione et passione, nihil remanet nisi relatio (art. praec. ad 2).

NOTANDUM: Creatio activa significat actionem divinam, quae est eius essentia, cum relatione ad creaturam. Sed relatio in Deo ad creaturam non est realis, sed secundum rationem tantum. Relatio vero creaturae ad Deum, est relatio realis, ut dictum est (q. xiii, art. 7). Tamen passive accepta creatio est in creatura, et est creatura.

Art. IV. – *Utrum creari sit proprium compositorum et subsistentium.*

RESP. AFF. – R. EST: quia illis proprie convenit creari quibus convenit esse; quod quidem convenit proprie subsistentibus; sive sint simplicia, sicut substantiae separatae; sive sint composita, sicut substantiae materiales.

NOTANDUM: Accidentia, et formae, et hujusmodi quae non subsistunt, magis sunt coexistentia quam entia; ita magis debent dici concreata quam creata (In fine art.).

Art. V. – *Utrum solius Dei sit creare.*

RESP. AFF. – *Scil:* non solum solius Dei est creare, sed etiam Deus non potest creaturae communicare potentiam creandi.

R. PRIMI EST: quia ipsum esse est universalissimum inter omnes effectus: unde oportet quod sit proprius effectus primae et universalissimae causae, quae est Deus. Oportet enim universaliores effectus in universaliores et priores causas reducere.

R. SECUNDI EST: quia creatio non est ex aliquo praesupposito, quod possit disponi per actionem instrumentalis agentis. Si enim causa instrumentalis nihil ibi ageret secundum illud quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum.

Art. VI. – *Utrum creare sit proprium alicujus personae.*

RESP. NEG. – *Scil:* creare non est proprium alicujus personae divinae, sed est commune toti Trinitati; tamen divinae personae secundum rationem suae processions habent causalitatem respectu creationis rerum, per essentialia attributa, quae sunt scientia et voluntas.

R. PRIMI EST: quia creare convenit Deo secundum suum esse, quod est ejus essentia, quae est communis tribus personis.

R. SECUNDI EST: quia sicut artifex per verbum in intellectu conceptum, et per amorem suae voluntatis ad aliquid relatum, operatur; ita Deus Pater operatus est creaturam per suum Verbum, quod est Filius; et per suum amorem, qui est Spiritus Sanctus.

Art. VII. - *Utrum in creaturis sit necesse inveniri vestigium Trinitatis.*

RESP. AFF. - *Scil:* in creaturis rationalibus invenitur repraesentatio Trinitatis per modum imaginis, in creaturis autem omnibus per modum vestigii.

R. EST: quia repraesentatio *imaginis* habetur quando effectus repraesentat causam quantum ad similitudinem formae ejus, sicut ignis generatus ignem generantem. In creaturis autem rationalibus, in quibus est intellectus et voluntas, invenitur repraesentatio Trinitatis per modum imaginis, in quantum invenitur in eis verbum conceptum et amor procedens. - In omnibus autem creaturis invenitur repraesentatio Trinitatis per modum *vestigii*, quae repraesentat solam causalitatem causae. Quaelibet creatura enim secundum quod est quaedam substantia creata, repraesentat causam et principium; et sic demonstrat personam Patris, qui est principium non de principio. Secundum quod habet quamdam formam seu speciem, repraesentat Verbum, secundum quod forma artificiatum est ex conceptione artificis. Secundum autem quod habet ordinem, repraesentat Spiritum Sanctum, in quantum est amor; quia ordo effectus ad aliquid alterum, est ex voluntate creantis.

Art. VIII. – *Utrum creatio admisceatur in operibus naturae et artis.*

RESP. NEG. – R. EST: quia formarum non est fieri, neque creari, sed concreatas esse. In operibus naturae tamen, et a fortiori in operibus artis, praesupponitur aliquid.

QUAESTIO XLVI

De principio durationis rerum creatarum

Consequenter considerandum est de principio durationis rerum creatarum. Et circa hoc quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum universitas creaturarum semper fuerit.*

RESP. NEG. – *Scil.:* nihil oportet praeter Deum ab aeterno fuisse.

R. EST: quia, absolute loquendo, non est necesse Deum velle aliquid, nisi seipsum (In corp. art.). Licet igitur Deus ab aeterno fuerit sufficiens causa mundi, non tamen oportet quod ponatur mundus ab eo productus, nisi secundum quod est in praedefinitione suae voluntatis; ut scilicet habeat esse post non esse, ut manifestius declaret suum auctorem.

Art. II. – *Utrum mundum incepisse sit articulus fidei.*

RESP. AFF. – *Scil.:* novitas mundi habetur tantum per revelationem; et ideo non potest probari demonstrative, ex parte ipsius mundi.

R. EST: quia principium demonstrationis est *quod quid est*, quod abstrahit ab *hic et nunc*. Ex parte autem Dei, ratione investigari non potest voluntas, nisi circa ea quae absolute necesse est Deum velle. Talia autem non sunt quae circa creaturas vult; sed circa haec potest voluntas

divina homini manifestari per revelationem, cui fides innititur. (*)

Art. III. - *Utrum creatio rerum fuerit in principio temporis.*

RESP. AFF. - *Scil.* : simul cum tempore caelum et terra creata sunt (Ad 1m).

R. EST: quia sic habetur per revelationem: *In principio creavit Deus caelum et terram* (Gen. I, 1).

QUESTIO XLVII

De distinctione rerum in communi

Post productionem creaturarum in esse considerandum est de distinctione rerum. - Erit autem haec consideratio tripartita: Nam *primo*, considerabimus de distinctione rerum in communi; - *secundo*, De distinctione boni et mali; - *tertio*, De distinctione spiritualis et corporalis creaturae. (Vide nostram « Divisionem Schematicam » Tab. IVm). - De distinctione rerum in communi quaeruntur tria:

Art. I. - *Utrum rerum multitudo et distinctio sit a Deo.*

RESP. AFF. - *Scil.* : ex intentione primi agentis.

R. EST: quia Deus, qui produxit res in esse propter suam bonitatem communicandam creaturis, et per eas repraesentandam, quia per unam creaturam sufficienter repraesentari non potest, produxit multas creaturas et diversas; ut quod deest uni ad repraesentandam divinam bonitatem, suppleatur ex alio.

NOTANDUM: Cum materia a Deo creata sit (q. xlv, art. 2), oportet et distinctionem, si qua est ex parte materiae, in altiore causam, i. e. in Deum, reducere (In corp. art.).

Art. II. - *Utrum inaequalitas rerum sit a Deo.*

RESP. AFF. - *Scil.* : sicut sapientia Dei est causa distinctionis rerum, ita et inaequalitatis.

* Hodie tamen scientia tenet mundum incepisse, et quidem non per casum.

R. EST: quia distinctio formalis rerum requirit inaequalitatem; nam formae rerum sunt sicut numeri, in quibus species variantur per additionem vel subtractionem unitatis. Distinctio vero materialis est propter formalem; materia enim est propter formam. *

Art. III. – *Utrum sit unus mundus tantum.*

RESP. AFF. – *Scil.*: universitas creaturarum, quae nunc mundi nomine nuncupatur (q. xlvi, art. I, in Ia. objectione).

R. EST: quia quaecumque a Deo sunt, ordinem habent ad invicem et ad ipsum Deum (q. xi, art. 3, et q. xxi, art. 1 ad 3m).

DE RERUM DISTINCTIONE IN SPECIALI

Deinde considerandum est de distinctione rerum in speciali. – Et primo de distinctione boni et mali. Deinde de distinctione spiritualis et corporalis creaturae. – Circa primum quaerendum est de malo et de causa mali. – Circa malum quaeruntur sex.

QUAESTIO XLVIII

De malo

Art. I. – *Utrum malum sit natura quaedam.*

RESP. NEG. – R. EST: quia esse et perfectio cuiuscumque naturae rationem habent bonitatis. Relinquitur ergo quod nomine mali significetur quaedam absentia boni.

* Post hunc art. in Codice Cassiensi ponitur hic alius: *Utrum in creaturis sit ordo agentium.* – Resp. Aff. – R: quia perfectius comparatur ad minus perfectum sicut actus ad potentiam. Quod autem est in actu agit in id quod est in potentia. Et sic est ordo agentium in creaturis.

NOTANDA: 1. - Pro tanto bonum et malum dicuntur genera non simpliciter, sed contrariorum; quia sicut omnis forma habet rationem boni, ita omnis privatio, in quantum hujusmodi, habet rationem mali. (Ad 1m).

2. - Malum, quod est differentia constitutiva in moralibus, est quoddam bonum adjunctum privationi alterius boni: sicut finis intemperati est non quidem carere bono rationis, sed delectabile sensus absque ordine rationis (Ad 2m).

3. - Malum agit *formaliter* seu *per se* quia ratione ipsius privationis corrumpit bonum, quia est ipsa corruptio et privatio boni. *Effective* et ut *causa finalis* non agit per se, sed secundum quod ei bonum adjungitur (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum malum inveniatur in rebus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia perfectio universi, quae, ut omnes bonitatis gradus impleantur, requirit inaequalitatem esse in rebus, requirit etiam ut sint quaedam quae a bonitate deficere possint.

NOTANDUM: « Deus est adeo potens, quod etiam bona potest facere de malis », ut dicit Augustinus (Enchir. c. 11). Unde multa bona tollerentur, si Deus nullum malum permetteret esse. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum malum sit in bono sicut in subjecto.*

RESP. AFF. - R. EST: quia subjectum privationis et formae est unum et idem, scil. ens in potentia, quod est bonum in potentia.

Art. IV. - *Utrum malum corrumpat totum bonum.*

RESP. NEG. - *Scil.*: bonum quod opponitur malo, totaliter tollitur, sicut lumen per tenebras, vita per mortem, gratiam per peccatum, etc.; bonum quod est subjectum mali nec totaliter tollitur nec diminuitur, sicut substantia aëris per tenebras; bonum autem quod estabilitas subjecti ad actum non totaliter tollitur, sed diminuitur, et ad hoc respondit S. Doctor.

R. EST: quia substantia subjecti semper remanet bona *in sua radice*.

Art. V. – *Utrum malum sufficienter dividatur per poenam et culpam.*

RESP. AFF. – *Scil.*: in rebus voluntariis, omne malum est vel poena vel culpa.

R. EST: quia malum, quod est privatio boni, est vel per subtractionem formae et integritatis rei, et in hoc habet rationem poenae; de ratione enim poenae est quod sit contraria voluntati; vel consistit in subtractione debitae operationis; et in hoc habet rationem culpae: hoc enim imputatur alicui in culpam, cum deficit a perfecta actione, cuius dominus est secundum voluntatem.

NOTANDUM: De ratione poenae est quod noceat agenti in seipso; sed de ratione culpae est, quod noceat agenti in sua actione. Et sic utrumque sub malo continentur, secundum quod habet rationem nocementi (Ad arg. in opp.).

Art. VI. – *Utrum habeat plus de ratione mali poena quam culpa.*

RESP. NEG. – *Scil.*: culpa habet plus de ratione mali quam poena; et non solum quam poena sensibilis, quae consistit in privatione corporum bonorum, sed etiam universaliter accipiendo poenam, secundum quod privatio gratiae vel gloriae poenae quaedam sunt.

PRIMA R. EST: quia culpa consistit in deordinato actu voluntatis, poena vero in privatione alicujus eorum quibus utitur voluntas; unde ex malo culpae fit aliquis malus non autem ex malo poenae.

SECUNDA R. EST: quia malum poenae privat bonum creaturae, sive bonum creatum sive bonum increatum; malum vero culpae opponitur proprie bono increato, i. e. impletioni divinae voluntatis, et divino amori, quo bonum divinum

in seipso amatur, et non solum secundum quod participatur a creatura. Unde Deus est auctor mali poenae, non autem mali culpae.

QUAESTIO XLIX

De causa mali

Consequenter quaeritur de causa mali. - Et circa hoc quaeruntur tria:

Art. I. - *Utrum bonum possit esse causa mali.*

R. AFF. - *Scil. :* a) est causa mali materialiter; b) non est causa formalis mali; c) nec causa finalis; d) per modum agentis bonum est causa mali non per se, sed per accidens.

R. a) EST: quia subjectum mali est bonum (q. praec., art. 3).

R. b) EST: quia malum est privatio formae.

R. c) EST: quia malum est privatio ordinis ad finem debitum.

R. d) EST: quia malum causatur a bono per modum agentis vel in actione, vel in effectu (seu in re): in actione causatur propter *defectum* principalis agentis, vel instrumentalis *. In re autem quandoque causatur ex virtute agentis, non tamen in proprio effectu agentis (i. e. non per se, sed per acc.), sicut aqua expellitur a ligno per virtutem ignis; quandoque ex *defectu* ipsius rei, vel materiae. Unde secundum nullum modum malum habet causam bonum nisi per accidens.

Art. II. - *Utrum summum bonum, quod est Deus, sit causa mali.*

RESP. NEG. - *Scil. :* a) Deus non est causa mali ex defectu actionis; b) sed malum quod in corrup-

* Si enim per *defectum* agentis causatur malum, ergo non per se causatur, sed per acc.

tione aliquarum rerum consistit, reducitur in Deum sicut in causam, non quidem per se, sed quasi per accidens.

R. PRIMI EST: quia Deus est summa perfectio: unde malum quod in defectu actionis consistit, vel quod ex defectu agentis causatur, non reducitur in Deum sicut in causam.

R. SECUNDI EST: quia ordo univērsi requirit quod quaedam sint quae deficere possint, et interdum deficiant (q. xlviij, art. 2, et q. xxij, art. 2, ad 2).

NOTANDUM: Sic Deus nullo modo est causa peccati, quod est malum ex defectu actionis. Sed est causa seu auctor poenae, propter iustitiam ordinis. Item, quidquid est entitatis et actionis etiam in actione mala, reducitur in Deum sicut in causam; sed defectus est ex causa secunda deficiente (In corp. art.).

Art. III. – *Utrum sit unum summum malum, quod sit causa omnis mali.*

RESP. NEG. – *Scil. :* non est unum principium malorum, sicut est unum principium bonorum.

PRIMA R. EST: quia nihil potest esse per suam essentiam malum; omne ens enim, inquantum est ens, bonum est; et malum non est nisi in bono, ut in subjecto.

SECUNDA R. EST: quia, etsi malum semper diminuat bonum, nunquam tamen illud potest totaliter consumere. Unde summum malum destrueret se ipsum.

TERTIA R. EST: quia malum causatur a bono (art. 1 et 2), et malum non est causa, nisi per acc. Unde malum non potest esse causa prima.

NOTANDUM: Illi qui posuerunt duo prima principia, unum bonum, et alterum malum, ex hac radice in errorem inciderunt, quia scilicet non consideraverunt causam universalem totius entis, sed particulares tantum causas particularium effectuum (In corp. art.).

Post haec considerandum est de distinctione corporalis et spiritualis creaturae. * Et 1. de creatura pure spirituali, quae in Scriptura Sacra angelus nominatur. - 2. De creatura pure corporali. - 3. De creatura composita ex corporali et spirituali, quae est homo. - Circa angelos vero considerandum est: 1. De his quae pertinent ad eorum substantiam. - 2. De his quae pertinent ad eorum intellectum. - 3. De his quae pertinent ad eorum voluntatem. - 4. De his quae pertinent ad eorum creationem. De substantia autem eorum considerandum est et absolute, et per comparisonem ad corporalia. Circa substantiam vero eorum absolute quaeruntur quinque:

DE ANGELIS

QUAESTIO L

De substantia angelorum absolute

Art. I. - *Utrum angelus sit omnino incorporeus.*

RESP. AFF. - *Scil.* : necesse est ponere aliquas creaturas incorporeas.

R. EST: quia ad perfectionem universi requiritur quod sint aliquae creaturae (pure) intellectuales, ut habeatur perfecta assimilatio effectus ad causam: Deus autem creaturas producit per intellectum et voluntatem.

Art. II. - *Utrum angelus sit compositus ex materia et forma.*

RESP. NEG. - R. EST: quia substantia intellectualis, qualis angelus est (art. praec.), est omnino immaterialis. Operatio enim cujuslibet rei est secundum modum substantiae ejus. Intelligere autem est operatio penitus immaterialis.

* Ad divisionem quaestionum quod attinet vide nostram « Divisionem Schematicam Totius Summae ».

NOTANDUM: Licet in angelo non sit compositio formae et materiae, est tamen in eo actus et potentia. Subtracta enim materia, et posito quod ipsa forma subsistat non in materia, adhuc remanet comparatio formae ad ipsum esse, ut potentiae ad actum. Et talis compositio intelligenda est in angelo. Unde angelus dicitur compositus *ex quo est et quod est, vel ex esse et quod est. Quod est est ipsa forma subsistens; ipsum esse est quo substantia est. In Deo autem non est aliud esse et quod est. Solus Deus est actus purus (Ad 3m).*

Art. III. – *Utrum angeli sint in aliquo magno numero.*

RESP. AFF. – *Scil.:* substantiae immateriales (angeli) excedunt secundum multitudinem substantias materiales (quoad species), quasi incomparabiliter.

R. EST: quia, cum perfectio universi sit illud quod praecipue Deus intendit in creatione rerum, quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in maiori excessu sunt creata a Deo.

Art. IV. – *Utrum angeli differant specie.*

RESP. AFF. – R. EST: quia angeli non sunt compositi ex materia et forma (art. 2). Ea enim quae conveniunt specie, et differunt numero, conveniunt in forma, sed distinguuntur materialiter: quod de angelis dici non potest.

NOTANDUM: Magis et minus, secundum quod causantur ex intensione et remissione unius formae, non diversificant speciem, (sicut aqua dicitur magis aut minus calida); sed secundum quod causantur ex formis diversorum graduum, sic diversificant speciem; sicut si dicamus quod ignis est perfectior aere. Et hoc modo angeli diversificantur secundum magis et minus (Ad 2m); i. e. differunt specie secundum diversos gradus naturae intellectivae (Ad 1m).

Art. V. – *Utrum angeli sint incorruptibiles.*

RESP. AFF. – *Scil.:* necesse est dicere angelos secundum suam naturam esse incorruptibiles.

R. EST: quia esse competit formae secundum se; sicut rotunditas competit circulo secundum se: unumquodque enim est ens actu secundum quod habet formam. Angelus autem est ipsa forma subsistens (art. 1 et 2). Cujus incorruptibilitatis signum est eius intellectualis operatio quae est supra tempus.

QUAESTIO LI

De comparatione angelorum ad corpora

Deinde quaeritur de angelis per comparationem ad corporalia. Et 1. De comparatione angelorum ad corpora. – 2. De comparatione angelorum ad loca corporalia. – 3. De comparatione angelorum ad motum localem. – Circa primum quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum angeli habeant corpora naturaliter sibi unita.*

RESP. NEG. – R. EST: quia angeli sunt substantiae perfecte intellectuales in natura intellectuali, non indigentes acquirere scientiam a rebus sensibilibus. In unoquoque autem genere in quo invenitur aliquid imperfectum, oportet praeesistere aliquid perfectum in genere illo.

Art. II. – *Utrum angeli assumant corpora.*

RESP. AFF. – R. EST: quia quaedam apparitiones angelorum, de quibus Scriptura loquitur, non fuerunt imaginariae, cum in istis angeli ab omnibus videbantur.

NOTANDUM: Corpus assumptum unitur angelo, non quidem ut formae, neque solum ut motori, sed sicut motori praesentato per corpus mobile assumptum, (Ad 2m); i. e., ut per corpus assumptum repraesentet se, vel suas, vel Dei, cujus est legatus, proprietates. – Angeli autem assumunt

NOTANDUM: Licet in angelo non sit compositio formae et materiae, est tamen in eo actus et potentia. Subtracta enim materia, et posito quod ipsa forma subsistat non in materia, adhuc remanet comparatio formae ad ipsum esse, ut potentiae ad actum. Et talis compositio intelligenda est in angelo. Unde angelus dicitur compositus *ex quo est et quod est*, vel *ex esse et quod est*. *Quod est* est ipsa forma subsistens; ipsum *esse* est quo substantia est. In Deo autem non est aliud *esse* et *quod est*. Solus Deus est actus purus (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum angeli sint in aliquo magno numero.*

RESP. AFF. – *Scil.* : substantiae immateriales (angeli) excedunt secundum multitudinem substantias materiales (quoad species), quasi incomparabiliter.

R. EST: quia, cum perfectio universi sit illud quod praecipue Deus intendit in creatione rerum, quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in maiori excessu sunt creata a Deo.

Art. IV. – *Utrum angeli differant specie.*

RESP. AFF. – R. EST: quia angeli non sunt compositi ex materia et forma (art. 2). Ea enim quae conveniunt specie, et differunt numero, conveniunt in forma, sed distinguuntur materialiter: quod de angelis dici non potest.

NOTANDUM: Magis et minus, secundum quod causantur ex intensione et remissione unius formae, non diversificant speciem, (sicut aqua dicitur magis aut minus calida); sed secundum quod causantur ex formis diversorum graduum, sic diversificant speciem; sicut si dicamus quod ignis est perfectior aere. Et hoc modo angeli diversificantur secundum magis et minus (Ad 2m); i. e. differunt specie secundum diversos gradus naturae intellectivae (Ad 1m).

Art. V. – *Utrum angeli sint incorruptibiles.*

RESP. AFF. – *Scil.* : necesse est dicere angelos secundum suam naturam esse incorruptibiles.

R. EST: quia esse competit formae secundum se; sicut rotunditas competit circulo secundum se: unumquodque enim est ens actu secundum quod habet formam. Angelus autem est ipsa forma subsistens (art. 1 et 2). Cujus incorruptibilitatis signum est eius intellectualis operatio quae est supra tempus.

QUAESTIO LI

De comparatione angelorum ad corpora

Deinde quaeritur de angelis per comparationem ad corporalia. Et 1. De comparatione angelorum ad corpora. - 2. De comparatione angelorum ad loca corporalia. - 3. De comparatione angelorum ad motum localem. - Circa primum quaeruntur tria:

Art. I. - *Utrum angeli habeant corpora naturaliter sibi unita.*

RESP. NEG. - R. EST: quia angeli sunt substantiae perfecte intellectuales in natura intellectuali, non indigentes acquirere scientiam a rebus sensibilibus. In unoquoque autem genere in quo invenitur aliquid imperfectum, oportet praeesistere aliquid perfectum in genere illo.

Art. II. - *Utrum angeli assumant corpora.*

RESP. AFF. - R. EST: quia quaedam apparitiones angelorum, de quibus Scriptura loquitur, non fuerunt imaginariae, cum in istis angeli ab omnibus videbantur.

NOTANDUM: Corpus assumptum unitur angelo, non quidem ut formae, neque solum ut motori, sed sicut motori praesentato per corpus mobile assumptum, (Ad 2m); i. e., ut per corpus assumptum repraesentet se, vel suas, vel Dei, cujus est legatus, proprietates. - Angeli autem assumunt

corpora ex aëre, condensando ipsum virtute divina, quantum necesse est ad corporis assumendi formationem (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum angeli in corporibus assumptis opera vitae exerçant.*

RESP. NEG. – R. EST: quia nihil potest habere opus vitae quod non habeat vitam, quae est potentiale principium talis actionis.

NOTANDA: 1. – Quantum ad id quod est commune cum aliis operibus, ut locutio, ambulatio, etc., possunt opera vitae fieri ab angelis per corpora assumpta, non autem quantum ad id quod est proprium viventium, e. g. sentire (In corp. art.).

2. – Quamvis in corpus Christi post resurrectionem cibis non converteretur, sed resolveretur in praejacentem materiam; tamen Christus habebat corpus talis naturae, in quod cibus *posset* converti. Unde fuit vera comestio. Sed cibus assumptus ab angelis neque convertebatur in corpus assumptum, neque corpus illud talis erat naturae in quod posset alimentum converti. Unde non fuit vera comestio, sed figurativa spiritualis comestionis. Et hoc est quod angelus dixit Tobiae: *Cum essem vobiscum, videbar quidem manducare et bibere; sed ego potu invisibili et cibo utor.* (Tob. xii, 19). – (Ad 5m).

QUAESTIO LII

De comparatione angelorum ad loca

Deinde quaeritur de loco angeli. Et circa hoc tria:

Art. I. – *Utrum angelus sit in loco.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non per contactum quantitatis dimensionis, quae in angelo non est; sed per contactum virtutis.

R. EST: quia per applicationem virtutis angelicae ad aliquem locum qualitercumque dicitur angelus esse in loco corporeo, non quidem ut contentum, sed ut continens aliquo modo.

Art. II. - *Utrum angelus possit esse in pluribus locis simul.*

RESP. NEG. - R. EST: quia ibi est angelus, ubi suam virtutem applicat; et totum corpus, cui per suam virtutem applicatur, correspondet ei ut unus locus.

NOTANDUM: Corpus est in loco *circumscriptive*; quia commensuratur loco. Angelus autem non *circumscriptive*, cum non commensuratur loco, sed *definitive*; quia ita est in uno loco, quod non in alio. Deus autem neque *circumscriptive*, neque *definitive*; quia est *ubique* (In fine art.).

Art. III. - *Utrum plures angeli possint simul esse in eodem loco.*

RESP. NEG. - R. EST: quia impossibile est quod duae cuasae completae sint immediatae unius et eiusdem rei. Angelus autem est in loco per applicationem virtutis suae. Item, cum angelus dicatur esse in loco per hoc quod virtus ejus immediate contingit locum per modum *continentis perfecti*, non potest esse nisi unus angelus in uno loco.

NOTANDUM: Non impeditur plures angelos esse in uno loco propter impletionem loci, sed propter causam iam hic supra dictam (Ad 1m).

QUAESTIO LIII

De motu locali angelorum

Consequenter considerandum est de motu locali angelorum. Et circa hoc quaerentur tria:

Art. I. - *Utrum angelus possit moveri localiter.*

RESP. AFF. - *Scil.:* secundum quod angelus est in loco; i. e., per applicationem virtutis suae.

R. EST: quia cum angelus non sit in loco nisi secundum contactum virtutis, necesse est quod

motus angeli in loco nihil aliud sit quam diversi contactus diversorum locorum successive, qui possunt esse continui, vel non continui secundum applicationem virtutis.

Art. II. - *Utrum angelus transeat per medium.*

RESP. AFF. - *Scil.:* si motus angeli est continuus, non potest angelus moveri de uno extremo in alterum, quin transeat per medium; si autem motus angeli non est continuus, possibile est quod pertranseat de aliquo extremo in aliud, non pertransito medio.

R. PRIMI EST: quia «medium est id quod prius venit quod continue mutatur, quam id quod mutatur ultimum». In motu continuo enim ordo est secundum ordinem prioris et posterioris in magnitudine.

R. SECUNDI EST: quia substantia angeli non est subdita loco ut contenta, sed est superior eo ut continens. Unde in potestate angeli est applicare se loco, prout vult; vel per medium, vel sine medio.

Art. III. - *Utrum motus angeli sit in instanti.*

RESP. NEG. - R. EST: quia cum motus localis angeli non sit terminus alicujus alterius motus continui, sed sit per seipsum, impossibile est quod in toto tempore sit in aliquo loco, et in ultimo *nunc* sit in alio loco; sed oportet assignare *nunc*, in quo ultimo fuit in loco praecedenti. Ubi autem sunt multa *nunc* sibi succedentia, ibi de necessitate est tempus.

NOTANDUM: Velocitas motus angeli non est secundum quantitatem suae virtutis, sed secundum determinationem suae voluntatis (Ad 1m). - Et sic angelus in uno instanti potest esse in uno loco et in alio instanti in alio loco, nullo tempore intermedio existente (Ad 3m).

QUAESTIO LIV

De cognitione angelorum

Consideratis his quae ad substantiam angeli pertinent, procedendum est ad cognitionem ipsius. Haec autem consideratio erit quadripartita. Nam 1. considerandum est de his quae pertinent ad virtutem cognoscitivam angeli. - 2. De his quae pertinent ad medium cognoscendi ipsius. - 3. De his quae ab eo cognoscuntur. - 4. De modo cognitionis ipsorum. Circa primum quaeruntur quinque:

Art. I. - *Utrum intelligere angeli sit eius substantia.*

RESP. NEG. - R. EST: quia actio est proprie actualitas virtutis, sicut esse est actualitas substantiae. Id autem quod est sua actualitas, est actus purus. Unde in solo Deo sua substantia est suum esse, et suum agere. Item, si intelligere angeli esset ejus substantia, oporteret quod intelligere angeli esset subsistens. Hoc autem non potest esse nisi unum.

Art. II. - *Utrum intelligere angeli sit ejus esse.*

RESP. NEG. - R. EST: quia esse cujuslibet creaturae est determinatum ad unum secundum genus et speciem. Intelligere autem, sicut et velle, non est determinatum ad unum, sed habet infinitatem simpliciter, quia objectum eius est verum. Item, quia cujuslibet creaturae operatio distinguitur ab esse ipsius creaturae.

Art. III. - *Utrum potentia intellectiva angeli sit ejus essentia.*

RESP. NEG. - *Scil.* : nec in angelo, nec in aliqua creatura, virtus vel potentia operativa est idem quod sua essentia.

R. EST: quia actus ad quem comparatur essentia est esse; actus autem ad quem comparatur potentia operativa, est operatio. In nulla autem creatura operatio est idem quod ejus esse.

Art. IV. – *Utrum in angelo sit intellectus agens et possibilis.*

RESP. NEG. – *Scil. :* in angelis non potest esse intellectus agens et possibilis, nisi aequivoce.

R. EST: quia angeli neque sunt quandoque intelligentes in potentia tantum, respectu eorum quae naturaliter intelligunt, propterea excluditur necessitas intellectus possibilis; neque intelligibilia eorum sunt intelligibilia in potentia, sed in actu, propterea excluditur in ipsis angelis necessitas intellectus agentis.

NOTANDA: 1. – In angelo non generatur scientia, sed naturaliter adest (Ad 1m).

2. – Quod angelus illuminat angelum, non pertinet ad rationem intellectus agentis; neque ad rationem intellectus possibilis pertinet quod illuminatur de supernaturalibus mysteriis, ad quae cognoscenda quandoque est in potentia. Si quis autem velit haec vocare intellectum agens et possibilem, aequivoce dicet; nec de nominibus est curandum (Ad 2m).

Art. V. – *Utrum in angelis sit sola intellectiva cognitio.*

RESP. AFF. – R. EST: quia angeli non habent corpora sibi naturaliter unita, ut ex supradictis patet (q. LI, art. 1).

QUAESTIO LV

De medio cognitionis angelicae

Consequenter quaeritur de medio cognitionis angelicae. Et circa hoc quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum angeli cognoscant omnia per suam substantiam.*

RESP. NEG. – *Scil.* : angelus per suam essentiam non potest omnia cognoscere, sed oportet intellectum ejus aliquibus speciebus perfici ad res cognoscendas.

R. EST: quia illud quo intellectus cognoscit omnia se extendit ad ens et verum commune, quod est objectum intellectus; substantia autem angeli est determinata ad genus et ad speciem.

Art. II. – *Utrum angeli intelligant per species a rebus acceptas.*

RESP. NEG. – *Scil.* : species per quas angeli intelligunt, non sunt a rebus acceptae, sed eis connaturales.

R. EST: quia potentia intellectiva in substantiis spiritualibus superioribus (ad animam), i. e., in angelis, est naturaliter completa; et talis est in quantum habet species intelligibiles connaturales ad omnia intelligenda quae naturaliter cognoscere possunt, quas a Deo angeli acceperunt simul cum intellectuali natura.

Art. III. – *Utrum superiores angeli intelligant per species magis universales quam inferiores.*

RESP. AFF. – R. EST: quia superiores angeli sunt Deo propinquiore et similiore. Oportet enim quod ea quae Deus cognoscit per unum, inferiores intellectus cognoscant per multa; et tanto amplius per plura, quanto amplius intellectus inferior fuerit,

QUAESTIO LVI

De cognitione angelorum ex parte rerum immaterialium

Deinde quaeritur de cognitione angelorum ex parte rerum quas cognoscunt. Et 1. De cognitione rerum immaterialium. 2. De cognitione rerum materialium. – Circa primum quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum angelus cognoscat seipsum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia angelus, cum sit immaterialis, est quaedam forma subsistens, et per hoc intelligibilis in actu. Unde sequitur quod per suam formam, quae est sua substantia, seipsum intelligat.

Art. II. – *Utrum unus angelus alium cognoscat.*

RESP. AFF. – *Scil.* : per speciem a Deo impressam.

R. EST: quia, sicut Augustinus dicit (Super Genes. ad lit. lib. ii, c. 8), ea quae in Verbo Dei ab aeterno praeextiterunt, dupliciter ab eo fluxerunt: uno modo in intellectum angelicum; scil. per species a Deo impressas, in esse intellectuale; alio modo ut subsisterent in propriis naturis. In Verbo autem Dei extiterunt ab aeterno non solum rationes rerum corporalium, sed etiam rationes omnium spiritualium creaturarum. Per hujusmodi species impressas angelus tam creaturas corporales quam spirituales cognoscit.

Art. III. – *Utrum angeli per sua naturalia Deum cognoscere possint.*

RESP. AFF. – *Scil.* : per sua naturalia angeli possunt de Deo aliquam cognitionem habere.

R. EST: quia imago Dei est in ipsa natura angeli impressa. Unde per suam essentiam angelus,

quasi in speculo, Deum cognoscit. Non tamen ipsam essentiam Dei videt *; quia nulla similitudo creata est sufficiens ad repraesentandam divinam essentiam.

QUAESTIO LVII

De angelorum cognitione respectu rerum materialium

Deinde quaeritur de his materialibus quae ab angelis cognoscuntur. Et circa hoc quaeruntur quinque:

Art. I. - *Utrum angeli cognoscant res materiales.*

RESP. AFF. - *Scil.* : modo perfectiori et simplici.

R. EST: quia omnia materialia in ipsis angelis, per suas intelligibiles species, praeexistunt; simplicius quidem et immaterialius quam in ipsis rebus, quia sunt Deo propinquiores et similiores.

Art. II. - *Utrum angelus cognoscat singularia.*

RESP. AFF. - PRIMA R. EST: quia angeli habent providentiam et administrationem singularium, ut ex Sacra Scriptura patet.

SECUNDA R. EST: quia inconveniens est dicere quod homo quacumque sua potentia cognoscat aliquid quod angelus per unam vim suam cognoscitivam non cognoscat.

NOTANDUM: Quantum ad modum quo intellectus angeli singularia cognoscit, hoc est notandum, quod «sicut Deus per essentiam suam, per quam omnia causat, est similitudo omnium, et per eam omnia cognoscit non solum quantum ad naturas universales, sed etiam quantum ad singularitatem: ita angeli per species a Deo inditas (q. praec.

* Loquimur hic de cognitione angelorum naturali,

art. 2) cognoscunt res non solum quantum ad naturam universalem, sed etiam secundum earum singularitatem; inquantum sunt quaedam repraesentationes multiplicatae illius unice et simplicis essentiae (Dei). – Cognoscunt autem singularia per formas universales, quae tamen sunt similitudines rerum, et quantum ad principia universalis, et quantum ad individuationis principia (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum angeli cognoscant futura.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) futura in seipsis non cognoscuntur ab angelis, vel a quolibet intellectu creato; b) cognoscunt tamen angeli futura in suis causis sive necessariis (et hic cognoscunt ea per certitudinem), sive ut in pluribus accidunt (et hic cognoscunt ea per coniecturam): quae vero proveniunt ex causis suis ut in paucioribus, penitus sunt ignota, sicut casualia et fortuita.

R. PRIMI EST: quia angelicus intellectus, et quilibet intellectus creatus, deficit ab aeternitate divina, in qua futura in seipsis cognoscuntur, sicut praesentia.

R. SECUNDI EST: quia in causis suis futura cognoscuntur per scientiam.

NOTANDUM: Licet species quae sunt in intellectu angeli, quantum est de se, aequaliter se habeant ad praesentia, praeterita, et futura; tamen praesentia, praeterita et futura, non aequaliter se habent ad species; quia ea quae praesentia sunt, habent naturam per quam assimilantur speciebus quae sunt in mente angeli, et sic per eas cognosci possunt (in actu secundo). Sed quae futura sunt, nondum habent naturam per quam illis assimilantur; unde per eas cognosci non possunt (nisi in actu primo, prout scil. species habent virtutem repraesentativam illorum) (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum angeli cognoscant cogitationes cordium.*

RESP. NEG. – *Scil.:* angeli non cognoscunt cogitationes prout sunt in intellectu, et affectio-

nes prout sunt in voluntate; sic a solo Deo cognoscuntur; sed cognoscunt cogitationes hominum in suis effectibus.

R. PRIMI EST: quia voluntas rationalis creaturae soli Deo subjacet et ipse solus in ea operari potest; qui est principale eius objectum ut ultimus finis; prout infra magis patebit (q. lxiii, art. 1, et q. cv, art. 5).

R. SECUNDI EST: quia sic cogitationes etiam ab hominibus cognosci possunt, ut patet.

Art. V. - *Utrum angeli cognoscant mysteria gratiae.*

RESP. NEG. - *Scil. :* Angeli non cognoscunt mysteria gratiae cognitione naturali; cognoscunt ea tamen cognitione quae eos beatos facit, non quidem omnia mysteria, nec aequaliter omnes.

R. EST: quia cognitione naturali angeli cognoscunt res tum per essentiam suam, tum per species innatas; mysteria autem gratiae ex sola Dei voluntate dependent. Ea autem quae a sola voluntate dependent non cognoscuntur nisi a Deo. Visione beatifica cognoscunt in Verbo ea mysteria gratiae quae Deus voluerit eis revelare. secundum gradum perfectionis eorum, et secundum quod eorum officiis congruit.

QUAESTIO LVIII

De modo cognitionis angelicae

Post haec considerandum est de modo angelicae cognitionis. Et circa hoc quaerentur septem:

Art. I. - *Utrum intellectus angeli quandoque sit in potentia, quandoque in actu.*

RESP. NEG. - *Scil. :* intellectus angeli quoad actum primum suae cognitionis naturalis nunquam est in potentia; est tamen in potentia quoad actum secundum.

R. EST: quia caelestes intellectus non habent aliquam intelligibilem potentiam quae non sit totaliter completa per species intelligibiles eis connaturales. Tamen non omnia quae naturali cognitione cognoscunt, semper actu considerant.

NOTANDUM: Intellectus angeli est etiam in potentia ad ea quae eis divinitus revelantur. Sed quantum ad cognitionem Verbi, et eorum quae in Verbo videt, nunquam hoc modo est in potentia (nisi quoad ea quae causaliter in Verbo videt); in hac enim visione eorum beatitudo consistit (In corp. art.).

Art. II. - *Utrum angelus simul possit multa intelligere.*

RESP. AFF. - *Scil.*: Ea cognitione qua angeli cognoscunt res per species innatas, possunt intelligere simul omnia illa, quae una specie cognoscuntur, non autem illa quae diversis.

R. EST: quia quaecumque per unam speciem intelligibilem cognosci possunt, cognoscuntur ut unum intelligibile, et ideo simul, prout sunt unum in toto; quae vero per diversas species intelligibiles cognoscuntur, ut diversa intelligibilia capiuntur. In Verbo autem et per Verbum omnia cognoscunt una intelligibili specie, quae est essentia divina.

Art. III. - *Utrum angelus cognoscat discurrendo.*

RESP. NEG. - R. EST: quia statim in illis quae primo naturaliter cognoscunt, inspiciunt omnia quaecumquae in eis cognosci possunt; ideoque *intellectuales dicuntur.*

NOTANDUM: Animae humanae, quae veritatis notitiam per quemdam discursum acquirunt, *rationales* vocantur. Quod quidem contingit ex debilitate intellectualis luminis in eis. Si enim haberent plenitudinem intellectualis luminis, sicut angeli, statim in primo aspectu principiorum totam virtutem eorum comprehenderent, intuendo, quidquid ex eis syllogizari posset (In corp.).

Art. IV. – *Utrum angeli intelligant componendo et dividendo.*

RESP. NEG. – R. EST: quia, cum in angelo sit lumen intellectuale perfectum – cum sit « speculum purum et clarissimum » (Dionysius in De Div. Nom. c. 4) – statim in apprehensione quidditatis subjecti habet notitiam de omnibus quae possunt attribui subjecto, vel removeri ab eo.

NOTANDUM: Per ratiocinium comparatur conclusio ad principium; per compositionem et divisionem comparatur praedicatum ad subjectum (In princ. art.).

Art. V. – *Utrum in intellectu angeli possit esse falsitas.*

RESP. NEG. – *Scil. :* In intellectu alicujus angeli non potest esse *per se* falsitas, aut error, aut deceptio; sed *per accidens* contingit, alio tamen modo quam in nobis.

R. EST: quia nos componendo et dividendo *quandoque* ad intellectum quidditatis pervenimus; sed angeli per *quod quid est* rei, cognoscunt omnes enuntiationes ad illam rem pertinentes. Quoad supernaturalia daemones decipiuntur, quia per voluntatem perversam subducentes intellectum a divina sapientia, absolute interdum de rebus iudicant secundum naturalem conditionem. Angeli autem boni, etiam quoad supernaturalia non possunt habere falsitatem; quia habentes rectam voluntatem, per cognitionem quidditatis rei non iudicant de his quae supernaturaliter ad rem pertinent, nisi salva ordinatione divina. Unde in eis, secundum hoc, non potest esse falsitas vel error neque *per accidens*.

NOTANDUM: Intellectus, ejus *quod quid est*, semper est verus, nisi *per accidens*, secundum quod indebite ordinatur ad aliquam compositionem, vel divisionem (In fine art.).

Art. VI. – *Utrum in angelis sit cognitio matutina et vespertina.*

RESP. AFF. – R. EST: quia, ut Augustinus dicit, (Super Gen. ad litt. 1. iv, cap. 22 et 31; De Civ. Dei, lib. xii, cap. 7 et 20), in angelis est cognitio ipsius primordialis esse rerum, secundum quod res sunt in Verbo; et cognitio ipsius esse rei creatae, secundum quod in propria natura consistit. Nam esse rerum fluit a Verbo sicut a quodam primordiali principio; et hic effluxus terminatur ad esse rerum quod in propria natura habent.

Art. VII. – *Utrum una sit cognitio matutina et vespertina.*

RESP. NEG. – *Scil.* : si cognitio vespertina dicatur secundum quod angeli cognoscunt esse rerum quod habent in propria natura per formas innatas.

R. EST: quia sic per aliud medium cognoscunt esse rerum, quam videndo Verbum, in quo cognitio matutina consistit, et ita videtur intelligere Augustinus cum unam (matutinam) ponit imperfectam respectu alterius. – Si vero dicatur cognitio vespertina secundum quod angeli cognoscunt in ipso Verbo esse quod res habent in propria natura, sic una et eadem secundum essentiam est cognitio vespertina et matutina, differunt solum secundum cognita.

QUAESTIO LIX

De voluntate angelorum

Consequenter considerandum est de his quae pertinent ad voluntatem angelorum. Et primo considerabimus de ipsa voluntate; secundo, de motu ejus, qui est amor, sive dilectio. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum in angelis sit voluntas.*

RESP. AFF. - R. EST: quia cum angeli per intellectum cognoscant universalem rationem boni, manifestum est quod in eis sit voluntas, quae est inclinatio in ipsum universale bonum.

Art. II. - *Utrum in angelis voluntas differat ab intellectu.*

RESP. AFF. - *Scil.* : in angelo voluntas differt ab ejus essentia, et ab ejus intellectu (vel etiam ab intellectu hominis).

R. PRIMI EST: quia ibi solum est idem essentia et voluntas, ubi totaliter bonum continetur in essentia volentis; scil. in Deo, qui nihil vult extra se, nisi ratione suae bonitatis.

R. SECUNDI EST: quia alterius virtutis est quod aliquid habeat in se quod est extra se, et quod ipsum tendat in rem exteriorem. Primum habetur per intellectum; secundum per voluntatem.

Art. III. - *Utrum in angelis sit liberum arbitrium.*

RESP. AFF. - *Scil.* : excellentius quam in hominibus.

R. EST: quia angeli cognoscunt universalem rationem boni, ex qua possunt iudicare hoc vel illud esse bonum.

Art. IV. - *Utrum in angelis sit irascibilis et concupiscibilis.*

RESP. NEG. - quia in angelis non est nisi appetitus intellectivus, cujus objectum formale est bonum secundum communem rationem, non vero quoddam particulare bonum. Consequenter eorum appetitus remanet indivisus, et vocatur voluntas. - Ea autem quae de angelis dicuntur quoad irascibilem et concupiscibilem, metaphorice tantum dicuntur, sicut quando Deo attribuantur, propter similitudinem effectus. (Ad 1m.).

QUAESTIO LX

De amore seu dilectione angelorum

Deinde considerandum est de actu voluntatis qui est amor, sive dilectio. Nam omnis actus appetitivae virtutis ex amore seu dilectione derivatur. — Et circa hoc quaeruntur quinque:

Art. I. — *Utrum in angelis sit amor seu dilectio naturalis.*

RESP. AFF. — R. EST: quia omnis natura (seu essentia) habet aliquam inclinationem, quae est appetitus naturalis seu amor. In natura intellectuali haec inclinatio naturalis est secundum voluntatem.

NOTANDUM: Sicut cognitio naturalis semper est vera, ita dilectio naturalis semper est recta; cum amor naturalis nihil aliud sit quam inclinatio naturae indita ab auctore naturae (Ad 3m).

Art. II. — *Utrum in angelis sit dilectio electiva.*

RESP. AFF. — *Scil.*: cum natura intellectualis in angelis sit perfecta et inveniatur in eis sola cognitio naturalis non autem ratiocinativa, tamen est in eis dilectio et naturalis et electiva.

R. EST: quia perfectio intellectus est quod habeat naturaliter omnia intelligibilia; sed actus appetitivae virtutis est *ad* res: quarum quaedam sunt secundum se bona, et ideo secundum se appetibilia (dilectio naturalis); quaedam vero habent rationem bonitatis ex ordine ad aliud, et sunt appetibilia propter aliud (dilectio electiva).

Art. III. — *Utrum angelus diligat seipsum dilectione naturali et electiva.*

RESP. AFF. — *Scil.*: non secundum idem, sed secundum diversa.

R. EST: quia angelus (sicut et homo) naturaliter appetit suum bonum, quod est sua perfectio; et desiderat aliquod bonum per electionem.

Art. IV. - *Utrum unus angelus naturali dilectione diligat alium sicut seipsum.*

RESP. AFF. - *Scil.*: in quantum convenit cum eo in natura.

R. EST: quia unumquodque naturaliter diligit id quod est unum sibi unione naturali. Id autem quod est unum cum aliquo genere, vel specie est unum per naturam.

NOTANDUM: *Ly sicut* non designat aequalitatem, sed similitudinem: sicut enim aliquis seipsum diligit in quantum vult sibi bonum, ita alium diligit in quantum vult bonum ejus (Ad 2m).

Art. V. - *Utrum angelus naturali dilectione diligat Deum plus quam seipsum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia unumquodque in rebus naturalibus, quod, secundum naturam hoc ipsum quod est, alterius est, principalius et magis inclinatur in id cuius est, quam in seipsum; secus naturalis dilectio esset perversa et destructiva.

QUAESTIO LXI

De productione angelorum in esse

Post ea quae praemissa sunt de natura angelorum, et cognitione et voluntate eorum, restat considerandum de eorum creatione, sive universaliter de eorum exordio. Et haec consideratio est tripartita. Nam, 1. Considerabimus quomodo producti sunt in esse naturae. - 2. Quomodo perfecti sunt in gratia vel gloria. - 3. Quomodo aliqui ex eis facti sunt mali. - Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum angeli habeant causam sui esse.*

RESP. AFF. – R. EST: quia cum in omnibus, praeter Deum, differt essentia rei et esse ejus, necesse est omnia esse per participationem, scil. ab eo quod est per essentiam, quod est solus Deus. (Q. 3, art. 4).

Art. II. – *Utrum Angelus sit productus a Deo ab aeterno.*

RESP. NEG. – R. EST: quia, ut fides catholica indubitanter tenet, solus Deus Pater, et Filius et Spiritus Sanctus est ab aeterno.

Art. III. – *Utrum angeli sint creati ante mundum corporeum.*

RESP. NEG. – *Scil.:* probabilior videtur esse illa sanctorum patrum sententia quae tenet, quod angeli simul cum creatura corporea sunt creati.

R. EST: quia angeli non constituunt per se unum universum, sed tam ipsi quam creatura corporea in constitutionem unius universi conveniunt.

Art. IV. – *Utrum angeli sint creati in caelo empyreo.*

RESP. AFF. – *Scil.:* in supremo caelo super creaturas corporeas.

R. EST: quia cum angeli cum creaturis corporalibus unum universum constituunt, ad creaturas corporales ordinem habent, et ipsis praesident.

QUAESTIO LXII

De perfectione angelorum in esse gratiae et gloriae

Consequenter investigandum est quomodo angeli facti sunt in esse gratiae, vel gloriae, – Et circa hoc quaeruntur novem;

Art. I. - *Utrum angeli fuerint in sua creatione beati.*

RESP. NEG. - *Scil.* : angeli in sua creatione non fuerunt beati beatitudine supernaturali, sed fuerunt beati beatitudine naturali.

R. PRIMI EST: quia beatitudo supernaturalis, seu ultima beatitudo, qua *videbimus Deum sicuti est*, excedit facultatem naturae (etiam angelorum). - (q. xii, art. 4, et q. xiii, art. 1).

R. SECUNDI EST: quia perfectio naturalis non acquiritur ab angelo per aliquem motum discursivum, sed statim ei adest propter suae naturae dignitatem (q. 1viii, art. 3 et 4).

NOTANDUM: Beatitudo naturalis est ultima perfectio rationalis (in homine), vel intellectualis (in angelo), et consistit (sec. Aristotelem) in perfectissima hominis contemplatione, qua optimum intelligibile, quod est Deus, contemplari potest in hac vita (In corp.).

Art. II. - *Utrum angelus indiguerit gratia ad hoc quod converteretur in Deum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia videre Deum per essentiam, in quo ultima beatitudo consistit, est supra naturam cuiuslibet intellectus creati. Voluntas autem, quae intellectum sequitur, ad id quod est supra naturam ferri non potest, nisi ab aliquo alio supernaturali principio adiuta. (Q. xii. art 4 et 5).

Art. III. - *Utrum angeli sint creati in gratia.*

RESP AFF. - *Scil.*: probabilius, et magis dictis sanctorum consonum.

R. EST: quia secundum Augustinum (Super Gen. ad Litt., l. viii, c. iii), sicut ponitur quod statim in prima creatione corporalis creaturae, inditae sunt ei seminales rationes omnium naturalium effectuum; ita conveniens fuit quod statim a principio sint angeli creati in gratia, quae *semen Dei* nominatur.

Art. IV. – *Utrum Angelus beatus suam beatitudinem meruerit.*

RESP. AFF. – quia, cum beatitudo (ultima) excedat naturam angelicam, operatio angeli non est factiva beatitudinem, sed per gratiam ducit ad finem, seu beatitudinem, quae proinde ex dono (Dei) expectatur.

Art. V. – *Utrum angelus statim post unum actum meriti beatitudinem habuerit.*

RESP. AFF. – *Scil.* : angelus, post primum actum charitatis, quo beatitudinem meruit, statim beatus fuit.

R. EST: quia gratia perficit naturam secundum modum naturae; proprium autem naturae angelicae est ut perfectionem non per discursum acquirat, sed per naturam statim habeat. Sic igitur, in ordine gratiae et gloriae: statim post unum actum charitatis informatum angelus beatus fuit.

Art. VI. – *Utrum angeli sint consecuti gratiam et gloriam secundum quantitatem suorum naturalium.*

RESP. AFF. – PRIMA R. est ex parte ipsius Dei: quia sicut natura angelica facta est a Deo ad gratiam et beatitudinem consequendam; ita etiam, secundum Dei sapientiam, gradus naturae angelicae ad diversos gradus gratiae et gloriae ordinari videntur.

SECUNDA R. est ex parte ipsius angeli: quia quando non est aliquid quod retardet, aut impediatur, natura secundum totam suam virtutem movetur. Et ideo rationabile est quod angeli qui meliorem naturam habuerunt, etiam fortius et efficacius ad Deum sint conversi. Secundum autem intensionem conversionis in Deum datur major gratia et gloria.

Art. VII. - *Utrum in angelis beatis remaneat cognitio et dilectio naturalis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia natura comparatur ad beatitudinem, sicut primum ad secundum: semper autem oportet salvari primum in secundo; et sic in actu beatitudinis salvatur actus naturae, prout iste ad illum ordinatur.

Art. VIII. - *Utrum angelus beatus peccare possit.*

RESP. NEG. - R. EST: quia sic se habet angelus videns Deum ad ipsum (Deum), sicut se habet quicumque non videns Deum, ad communem rationem boni. Impossibile est autem quod aliquis quidquam velit, vel operetur, nisi attendens ad bonum; vel quod velit divertere a bono, in quantum huiusmodi. Angelus igitur beatus non potest velle vel agere, nisi attendens ad Deum.

Art. IX. - *Utrum angeli beati in beatitudine possint proficere.*

RESP. NEG. - R. EST: quia angeli beati iam consecuti sunt finem, seu gradum beatitudinis, ad quem ordinati sunt ex intentione Motoris, seu ex praedestinatione Dei.

NOTANDUM: Gaudium accidentale angelorum de salute eorum qui per ipsorum ministerium salvantur augeri potest usque ad diem iudicii. Praedictum tamen gaudium magis acquirunt ex virtute beatitudinis quam illud mereantur (Ad 3m).

QUAESTIO LXIII

De angelorum malitia quoad culpam

Deinde considerandum est quomodo angeli facti sunt mali. Et primo quantum ad malum culpae. Secundo, quantum ad malum poenae. Circa primum quaeruntur novem:

Art. I. – *Utrum malum culpae possit esse in angelis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sola voluntas divina est regula sui actus, quae ad superiorem finem non ordinatur. Omnis autem voluntas cuiuslibet creaturae rectitudinem in suo actu non habet, nisi secundum quod regulatur a voluntate divina, secundum quam potest esse rectam vel non rectam.

NOTANDUM: Angelus non peccavit ex ignorantia, sed ex absentia considerationis eorum quae considerare debebat; quia convertit se per liberum arbitrium ad proprium bonum (ad excellentiam propriam), absque ordine ad regulam divinae voluntatis (Ad 4m).

Art. II. – *Utrum in angelis possit esse tantum peccatum superbiae et invidiae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia in spiritualibus bonis non potest esse peccatum, dum aliquis ad ea (bona) afficitur, nisi per hoc quod in tali affectu superioris regula non servatur. – Post peccatum superbiae autem consecutum est in angelo peccatum invidiae; secundum quod de bono hominis doluit, et etiam de excellentia divina, secundum quod ea Deus contra voluntatem ipsius diaboli utitur in gloriam divinam.

NOTANDUM: Sub superbia et invidia, prout in daemonibus ponuntur, comprehenduntur omnia peccata quae ab illis derivantur (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum diabolus appetierit esse ut Deus.*

RESP. AFF. – *Scil.* : absque omni dubio angelus peccavit appetendo esse ut Deus: non quidem per aequiparantiam, sed per similitudinem.

R. PRIMI EST: quia esse ut Deus per aequiparantiam scivit angelus esse impossibile naturali cognitione; et insuper, inest unicuique naturale desiderium ad conservandum suum esse, quod non conservaretur si transmutaretur in alteram naturam,

R. SECUNDI EST: quia appetiit ut finem ultimum beatitudinis id ad quod virtute suae naturae poterat pervenire, avertens suum appetitum a beatitudine supernaturali, quae est ex gratia Dei. — Vel si appetiit ut ultimum finem illam Dei similitudinem quae datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suae naturae, non ex divino auxilio secundum Dei dispositionem.

NOTANDUM: Diabolus non appetiit esse ut Deus ut ei assimilaretur quantum ad hoc quod est nulli subesse *simpliciter*; quia sic suum non esse appeteret, cum nulla creatura esse possit, nisi per hoc quod sub Deo esse participat (In corp. art.).

Art. IV. — *Utrum aliqui daemones sint naturaliter mali.*

RESP. NEG. — *Scil.* : cum daemones sint substantiae intellectuales, nullo modo possunt habere inclinationem *naturalem* in aliquod quodcumque malum.

R. EST: quia quaelibet natura intellectualis habet ordinem in bonum universale, quod potest apprehendere, et quod est obiectum voluntatis; id enim cuius natura ordinatur in bonum secundum communem boni rationem, hoc secundum suam naturam non potest tendere in aliquod malum, quia malum coniungitur bono particulari, non vero bono universali.

Art. V. — *Utrum diabolus fuerit malus in primo instanti suae creationis per culpam propriae voluntatis.*

RESP. NEG. — R. EST: quia illa operatio quae simul incipit cum esse rei, est ei ab agente a quo habet esse. Deus autem, a quo angelus habet esse, non potest esse causa defectiva, seu peccati.

Art. VI. — *Utrum aliqua mora fuerit inter creationem et lapsum angeli.*

RESP. NEG. — *Scil.* : circa hoc est duplex opinio; sed probabilior et Sanctorum dictis magis con-

sonans est quod statim post primum instans suae creationis diabolus peccaverit.

R. EST: quia cum angeli (iam in gratia creati) per unum actum meritorium ad beatitudinem perveniant (q. lxii, art. 5), diabolus, nisi statim impedimentum praestitisset peccando, post primum instans beatitudinem accepisset.

NOTANDUM: Si vero ponatur quod angelus in gratia creatus non fuerit, vel quod in primo instanti actum liberi arbitrii non potuerit habere, nihil prohibet aliquam moram fuisse inter creationem et lapsum (In fine art.).

Art. VII. - *Utrum angelus supremus inter peccantes fuerit supremus inter omnes.*

RESP. AFF. - *Scil.* : si consideratur non pronitas ad peccandum, sed motivum ad peccandum.

R. EST: quia pronitas ad peccandum magis invenitur in inferioribus quam in superioribus creaturis intellectualibus; sed excellentia, quae motivum fuit superbiae diaboli, maior fuit in superioribus; et ideo ille qui peccavit fuit superior inter omnes, non enim angeli peccaverunt ex aliqua pronitate, sed ex solo libero arbitrio: potuit tamen etiam in principe inferiorum angelorum esse aliquod motivum ad peccandum.

Art. VIII. - *Utrum peccatum primi angeli fuerit aliis causa peccandi.*

RESP. AFF. - *Scil.* : non cogens, sed quasi exhortatione inducens.

R. EST: quia omnes daemones illi supremo subduntur, ut ex dicto Domini manifeste apparet: « *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* ». (Mt. xxv, 41). - *A quo autem quis superatus est, huic servus addictus est.* (II Pet. ii, 19). Sublato tempore locutionis, et deliberationis, quod in nobis requiritur, et quod in angelis locum non habet, in eodem instanti,

in quo primus angelus suam affectionem intelligibili locutione expressit, possibile fuit aliis in eam consentire.

Art. IX. - *Utrum tot peccaverunt, quot permanserunt.*

RESP. NEG. - *Scil.*: plures permanserunt de angelis quam peccaverunt.

R. EST: quia quae contra naturam fiunt, ut in paucioribus accidunt; natura enim consequitur suum effectum, vel semper, vel ut in pluribus. - Quoad comparationem cum hominibus non est similis ratio, quia in angelis non est nisi natura intellectualis.

QUAESTIO LXIV

De poena daemonum

Consequenter quaeritur de poena daemonum. - Et circa hoc quatuor:

Art. I. - *Utrum intellectus daemonis sit obtenebratus per privationem cognitionis omnis veritatis.*

RESP. NEG. - *Scil.*: a) naturalis cognitio in daemone non est diminuta; b) cognitio speculativa per gratiam diminuta est, sed non totaliter ablata; c) cognitio affectiva per gratiam est totaliter ablata.

R. PRIMI EST: quia propter simplicitatem suae substantiae, a natura angeli, aliquid subtrahi non potest.

R. SECUNDI EST: quia de secretis divinis tantum revelatur eis, quantum oportet, vel mediantibus angelis, vel per aliqua temporalia divinae virtutis effecta.

R. TERTII EST: quia cognitio affectiva per gratiam est producens amorem Dei, quo daemones totaliter privati sunt.

Art. II. – *Utrum voluntas daemonum sit obstinata in malo.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non ex gravitate culpa, sed ex conditione naturae seu status.

R. EST: quia angelus apprehendit immobiliter per intellectum, (sicut et nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum est intellectus). Unde voluntas angeli fixe et immobiliter adhaeret.

NOTANDUM: De obstinatione hominum damnatorum dicetur infra (q. xcvi, art. 3).

Art. III. – *Utrum dolor sit in daemonibus.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non ut passio; sed secundum quod nominant simplices actus voluntatis.

R. EST: quia dolor, secundum quod significat simplicem actum voluntatis, nihil aliud est quam renisus voluntatis ad id quod est, vel non est. Patet enim quod daemones multa vellent non esse, quae sunt, et esse, quae non sunt. De ratione autem poenae precipue est quod voluntati repugnet. – De malo culpa autem daemon, cum perversae sit voluntatis et obstinatae, non dolet. (Ad 3m). Dolere vero de malo poenae, vel de malo culpa propter poenam, attestatur bonitati naturae (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum aer iste sit locus poenalis daemonum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non ratione suae culpa, sed ratione exercitationis humanae in bonum, secundum providentiam divinam.

R. EST: quia ratione culpa locus poenalis daemonum est infernus, ubi iam nunc aliqui eorum sunt ad torquendum eos quos ad malum induxerunt, et ubi omnes erunt post diem iudicii; bonum autem hominis procuratur etiam modo indirecto per divinam providentiam dum aliquis,

impugnatus, exercetur per impugnationem contrarii. Et hanc procurationem boni humani conveniens fuit per malos angelos fieri, ne totaliter post peccatum ab utilitate naturalis ordinis exciderent.

NOTANDUM: Aer est locus poenalis angelo non quasi afficiens alternando naturam, sed quasi afficiens voluntatem contristando: dum angelus apprehendit se esse in loco non convenienti suae voluntati (Ad 1m). – Licet daemones non actu alligentur gehennali igni, dum sunt in aere isto caliginoso, tamen ex hoc ipso quod sciunt illam alligationem sibi deberi, eorum poena non diminuitur (Ad 3m).

DE CREATURA PURE CORPORALI *

Post considerationem spiritualis creaturae considerandum est de creatura corporali. In cujus productione tria opera Scriptura commemorat; scilicet opus creationis, cum dicitur: *In principio creavit Deus coelum et terram*, etc. Opus distinctionis, cum dicitur: *Divisit lucem a tenebris; et aquas quae sunt supra firmamentum, ab aquis quae sunt sub firmamento*. Et opus ornatus, cum dicitur: *Fiant luminaria in firmamento*, etc. Primo ergo considerandum est de opere creationis; secundo, de opere distinctionis; tertio, de opere ornatus.

QUAESTIO LXV

De opere creationis creaturae corporalis

Art. I. – *Utrum creatura corporalis sit a Deo.*

RESP. AFF. – *Scil.*: etiam creatura corporalis est a bono Deo, et non a malo principio, sicut quidam haeretici posuerunt.

* Vide « Divisionem schematicam », Tab. VI.

R. EST: quia quodcumque in diversis invenitur aliquid unum, oportet quod illa diversa illud unum ab aliqua una causa recipiant. Esse autem communiter invenitur in omnibus rebus quantumcumque diversis. Necesse est ergo esse unum essendi principium, a quo esse habeant quaecumque sunt quocumque modo; sive sint invisibilia et spiritualia, sive sint visibilia et corporalia.

NOTANDUM: Omnes creaturae Dei secundum aliquid in aeternum perseverant, ad minus secundum materiam; quia creaturae nunquam in nihilum rediguntur, etiamsi sint corruptibiles (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum creatura corporalis sit facta propter Dei bonitatem.*

RESP. AFF. – *Scil.:* creatura corporalis facta est ex prima Dei intentione, et non ad poenam creaturae spiritualis peccantis, sicut Origenes posuit. (Periarch. lib. II, cap. 1 et 9).

R. EST: quia, narrata productione cujuslibet speciei creaturae corporalis, Scriptura subjungit: *Vidit Deus quod hoc esset bonum*, quasi diceret quod unumquodque ideo factum est, quia bonum est ipsum esse. – Insuper, totum universum cum singulis suis partibus ordinatur in Deum, sicut in finem; inquantum in eis per quamdam imitationem divina bonitas repraesentatur ad gloriam Dei. Unde divina bonitas est finis omnium corporalium.

Art. III. – *Utrum creatura corporalis sit producta a Deo mediantibus angelis.*

RESP. NEG. – *Scil.:* nihil potest aliquid creare nisi solus Deus, qui est prima causa.

R. EST: quia quanto aliquid est magis substratum, tanto a superiori causa directe procedit. Id ergo quod est primo substratum in omnibus, i. e. esse, proprie pertinet ad causalitatem primae causae.

Art. IV. – *Utrum formae corporum sint ab angelis.*

RESP. NEG. – *Scil.* : formae corporales causantur, non quasi influxae ab aliqua immateriali forma, sive a forma subsistendi (sicut Plato dicebat), sive a forma in aliquo intellectu separato existens (sicut Avicenna docebat), sed quasi materia reducta de potentia in actum ab aliquo agente composito.

R. EST: quia id quod proprie fit, est compositum; formae autem non habent esse, sed composita habent esse per eas; formae enim non generantur neque corrompuntur, sed composita. – In prima autem corporalis creaturae productione non consideratur aliqua transmutatio de potentia in actum. Et ideo formae corporales, quas in prima productione corpora habuerunt, sunt immediate a Deo productae, cui soli ad nutum obedit materia tanquam propriae causae.

QUAESTIO LXVI

De ordine creationis ad distinctionem

Deinde considerandum est de opere distinctionis. Et primo considerandum est de ordine creationis ad distinctionem; secundo, de ipsa distinctione secundum se. – Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum informitas materiae tempore praecesserit formationem ipsius.*

RESP. NEG. – *Scil.*: accipiendo informitatem pro carentia omnis formae.

R. EST: quia dicere materiam praecedere sine forma, est dicere ens actu sine actu; quod implicat contradictionem.

NOTANDUM: Nec admittit S. Thomas quod materia fuerit creata sub una forma communi; quia sic sequentes formae essent accidentia, secundum

quae non attenditur generatio, sed alteratio. Unde, inquit, oportet dicere, quod materia prima neque fuit creata omnino sine forma, neque sub forma una communi, sed sub formis distinctis. – Formatio quae formositatem seu decorem materiae significat, habetur, secundum Gen. ad litt., per creationem lucis, per discoopertionem terrae ab aquis, et per creationem herbarum et plantarum, etc. (In corp. art.).

Art. II. – *Utrum una sit materia informis omnium corporalium.*

RESP. NEG. – *Scil.* : non est una materia corporalium corruptibilium et corporalium incorruptibilium sive caelestium.

R. EST: quia supposito quod nulla forma quae sit in corpore corruptibili, remaneat ut substrata generationi et corruptioni, sequitur de necessitate quod non sit eadem materia corporum per naturam corruptibilium et incorruptibilium. Secus enim materia erit simul sub forma et privatione.

NOTANDUM: Ut omnes sciunt, opiniones de rebus physicis et astronomicis tempore S. Doctoris erant aliae quam illae quae hodie progressu istarum scientiarum habemus. Principia tamen metaphysica semper invariabilia et inconcussibilia remanent.

Art. III. – *Utrum caelum empyreum sit concreatum materiae informi.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Caelum empyreum, si est aliquid, quod est igneum non ab ardore, sed a splendore, fuit concreatum materiae informi, quae est illa, quae decorem et ornatum suum nondum habet.

R. EST: quia sicut spiritualis gloria inchoata est ab ipso mundi principio, in beatitudine angelorum, quorum aequalitas sanctis promittitur; ita conveniens fuit ut etiam a principio, corporalis gloria inchoaretur in aliquo corpore, quod etiam a principio fuerit absque servitute corruptionis,

et mutabilitatis, et totaliter lucidum; sicut tota creatura corporalis expectatur post resurrectionem futura.

Art. IV. – *Utrum tempus sit concreatum materiae informi.*

RESP. AFF. – R. EST: quia, secundum Augustinum (Confess. l. xii, cap. 12) materia informis (et natura angelica) praecedit formationem (i. e. ornatum et decorem materiae) non duratione, sed origine seu natura. Alii Sancti durationem ponunt inter informitatem materiae et ejus formationem, et secundum hanc opinionem tempus prius fuit informatum, deinde formatum et distinctum per diem et noctem (Ad 2m.).

QUAESTIO LXVII

De opere distinctionis secundum se

Consequenter considerandum est de opere distinctionis secundum se. Et primo de opere primae diei; secundo, de opere secundae diei; tertio, de opere tertiae diei. – Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum lux proprie in spiritualibus dicitur.*

RESP. NEG. – *Scil.* : si hoc nomen accipiatur secundum suam primam impositionem; si autem accipiatur secundum usum loquentium, sic proprie dicitur in spiritualibus.

R. EST: quia nomen lucis primo est insitutum ad significandum id quod facit manifestationem in sensu visus; in usu autem loquentium est ad omnem manifestationem extensum: sicut dicitur de nomine *visionis*, quae de sensu visus accipitur et de intellectu.

Art. II. – *Utrum lux sit corpus.*

RESP. NEG. – PRIMA R. EST: quia secus est possibile duo corpora esse in eodem loco.

SECUNDA R. EST: quia impossibile est corpus moveri in instanti.

TERTIA R. EST: quia secus etiam tenebrae essent corpus, scil. generatum ex corruptione luminis.

NOTANDUM: Haec questio de natura lucis, sicut illa de natura physica materiae etiam nostris temporibus adhuc valde agitata est. Physice tamen certum est, lux non moveri in instanti, et recte scimus velocitatem eius, scil. 300,000 Km. per primum secundum. Est maxima velocitas quam super terram homo cognoscit; et, ut quidam physici maximae auctoritatis dicunt et mathematice probant, majorem hac velocitate non esse possibile in materia.

Art. III. – *Utrum lux sit qualitas.*

RESP. AFF. – *Scil.:* est qualitas activa consequens formam substantialem solis, vel cuiuscunque alterius corporis a se lucentis, si aliquod aliud tale est.

R. EST: quia lux non est substantia, neque habet esse intentionale, cum efficiat trasmutationes naturales; neque est forma substantialis solis, cum sit visibilis. Est ergo qualitas activa consequens formam substantialem solis, seu corporis lucentis, sicut calor est qualitas activa consequens formam substantialem ignis.

Art. IV. – *Utrum convenienter lucis productio in prima die ponatur.*

RESP. AFF. – PRIMA R. EST: quia lux est forma primi corporis, i. e. informitas materiae per tenebras removetur per lucis productionem.

SECUNDA R. EST: quia lux est forma communior, communicant enim in ea inferiora corpora

cum superioribus: nam prius generatur vivum quam animal, et animal quam homo.

TERTIA R. EST: (Sancti Basilii) quia per lucem omnia alia manifestantur.

QUARTA R. EST: quia dies non potest esse sine luce.

NOTANDUM: Sanctus Thomas non videtur admittere quod illa prima lux, ante solem creata, fuit quaedam nubes lucida; nec admittit quod ex illa nube formatum est corpus solis (quod hodie ab omnibus astronomis tenetur), considerabat enim solem tanquam incorruptibilem; sed dicit cum Dionysio, quod *illa lux* fuit lux solis, sed adhuc informis, quantum ad hoc quod iam erat substantia solis, et habebat virtutem illuminativam in communi; sed postmodum data est ei specialis et determinata virtus ad particulares effectus (Ad 2m).

QUAESTIO LXVIII

De opere secundae diei

Deinde considerandum est de opere secundae diei. - Circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum firmamentum sit factum secunda die.*

RESP. AFF. - *Scil.* : 1) si per firmamentum intelligatur illud in quo sunt sidera, et per *dies* successio temporis, tunc absolute concedi posset, secundum opinionem Empedoclis de compositione firmamenti, hoc esse factum secunda die. 2) Secundum opinionem Platonis de compositione firmamenti non est conveniens ipsum credatur factum secunda die secundum substantiam. 3) Multo minus secundum opinionem Aristotelis de compositione firmamenti poni potest quod firmamentum secundum suam substantiam sit productum secunda die, bene tamen, in utraque opinione, sec. ornatum.

R. PRIMI EST: quia secundum Empedoclem firmamentum est ex elementis compositum, et est indissolubile quia in ejus compositione non erat lis, sed amicitia tantum. Secundum hanc opinionem igitur salvatur quod ad opus creationis pertinet producere ipsam elementorum substantiam (etiam firmamenti); ad opus autem distinctionis et ornatus pertinet formare aliqua ex praeexistentibus elementis.

R. SECUNDI EST: quia Plato posuit quod firmamentum est ex elemento ignis compositum. Facere autem firmamentum secundum hoc, est producere elementum ignis; producti autem elementorum pertinet ad opus creationis, quia formae elementorum sunt quae primo adveniunt materiae.

R. TERTII EST: quia secundum Aristotelem, caelum non est de natura quatuor elementorum, sed est quintum corpus, seu quinta essentia, quae, quantum ad substantiae productionem ad opus creationis pertinet, i. e. ad primam diem.

Si autem per istos dies non designetur temporis successio sed solum ordo naturae, ut Augustinus vult, nihil prohibebit dicere, secundum quamcumque harum opinionum, formationem secundum substantiam firmamenti ad secundam diem pertinere.

Item, potest per firmamentum intelligi non illud in quo fixae sunt stellae, sed illa pars aëris, in quo condensantur nubes, et dicitur *firmamentum* propter spissitudinem aëris in parte illa. Et secundum hanc expositionem nihil repugnans sequitur cuicumque opinioni supra expositae.

NOTANDUM: Ut omnes hodie sciunt, illa famosa quatuor elementa non sunt vere simplicia, sed composita. Aqua, ex. gr., composita est ex oxygeno et hydrogeno secundum formulam chimiae H_2O . — Item, stellae non sunt fixae; sed solum propter

nimiam distantia a nobis, sic apparent: motus autem earum est velocissimus. Neque sunt incorruptibiles, sed formantur ex nebulis, et corrumpuntur per dissolutionem in fragmenta. De natura autem materiae intersiderealibus, seu de sic dicto ethere, nihil adhuc cum certitudine scientifica scimus; quidam enim etiam modernissimi, uti Einstien, existentiam ipsam ipsius negant.

Art. II. – *Utrum aquae sint supra firmamentum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sic habetur in sacra scriptura: (Deus) *divisit aquas quae erant supra firmamentum, ab his quae erant sub firmamentum.* (Gen. I, 7). Aquae istae autem sunt corporales, sed quales sint, oportet diversimode definire secundum diversam de firmamento sententiam.

Art. III. – *Utrum firmamentum dividat aquas ab aquis.*

RESP. AFF. – *Scil.* : sive per firmamentum intelligamus caelum in quo sunt sidera, sive spatium aeris nubilosum; convenienter dicitur quod firmamentum dividit aquas ab aquis, secundum quod per aquam materia informis significatur, vel secundum quod omnia corpora diaphana sub convenientiâ aquarum intelliguntur.

R. EST: quia caelum sidereum distinguit corpora inferiora diaphana a superioribus. Aer vero nubilosus distinguit superiorem aeris partem in qua generantur pluviae, et huiusmodi impressiones ab inferiori parte aeris, quae aquae connectitur et sub nomine aquarum intelligitur. – Sic S. Thomas, secundum scientiam temporis ejus quam de istis rebus habebat, explicabat Sacrae Scripturae textum: « *Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis* » Gen. I. 6.

Art. IV. – *Utrum sit unum caelum tantum.*

RESP. NEG. – R. EST: quia interpretes multa divisiones faciebant de spatio quas caelos voca-

bant, quarum principales sunt trium interpretationum; quandoque enim caelum dicitur propriè et naturaliter, quod comprehendit caelum empyreum, caelum aquaeum seu crystallinum, tertium caelum sidereum, cum ejus subdivisiones; - quandoque dicitur caelum per participationem alicujus proprietatis caelestis corporis; quod est illud spatium ab aquis usque ab orbem lunae; - tertio dicitur metaphorice seu spiritualiter.

QUAESTIO LXIX

De opere tertiae diei

Deinde considerandum est de opere tertiae diei.
- Et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum aquarum congregatio convenienter dicatur facta tertia die.*

RESP. AFF. - *Scil.*; ex auctoritate Sacrae Scripturae (Gen. I, 9-13). Aliter tamen exponit S. Augustinus et aliter alii Sancti. S. Augustinus in istis operibus non ponit durationis ordinem, sed solum originis et naturae. Secundum ipsum, per hoc quod dicitur: *Congregentur aquae, et appareat arida*; intelligitur quod materie corporali impressa est forma substantialis aquae, per quam competit ipsi talis motus: et forma substantialis terrae per quam competit ei sic videri, et hoc pertinet ad tertiam diem; nam ad primam pertinet formatio supremæ naturae, scil. spiritualis, per hoc quod dicitur lux facta; ad secundam pertinet formatio superiorum corporum, cum dicitur: *Fiat firmamentum*, per quod intelligitur impressio formæ caelestis in materiam informem. - Alii autem Sancti ponunt ordinem durationis, et secundum tres dies habentur tres formationes

scil. formatio tenebrarum per lucem, formatio abyssi (aquae) per firmamentum, et formatio terrae per hoc quod discoperta est aquis, et facta est distinctio in infimo, quae dicitur terrae et maris.

Art. II. - *Utrum plantarum productio convenienter tertia die facta legatur.*

RESP. AFF. - *Scil.* : ut ex Sacra Scriptura habetur: *Protulit terra herbam virentem.* Et postea sequitur: *Factum est vespere et mane dies tertius.* (Gen. I., 12-13).

R. (convenientiae) EST: quia in tertia die informitas terrae removetur, quae informitas duplex est: una qua terra fuit invisibilis seu inanis, quia fuit aqua cooperta; alia qua terra fuit incomposita sive vacua, i. e. non habens debitum decorem. Prima informitas tollitur per congregationem aquarum; secunda vero per productionem plantarum, quae quodammodo terram vestient.

QUAESTIO LXX

De opere ornatus quantum ad quartam diem

Consequenter considerandum est de opere ornatus. Et primo de singulis diebus secundum se; secundo, de omnibus septem diebus in communi. - Circa primum ergo considerandum est de opere quartae diei; secundo, de opere quintae; tertio, de opere sextae; quarto, de his quae pertinent ad septimam diem. - Circa primum quaeruntur tria:

Art. I. - *Utrum luminaria debuerint produci quarta die.*

RESP. AFF. - Sufficit auctoritas Scripturae.

R. (convenientiae) EST.: quia sicut prima die factum est caelum, et prima distinctio ad caelum

pertinet, ita ad caelum pertinere debet prima die ornatus, quae est quarta; ornatus autem caeli fit per luminaria.

NOTANDUM: Contra opinionem (scientificam) modernorum, qui soles (sunt autem multae soles) et stellas dicunt ex nebulis formatas sanctus Thomas dicit quod «in productione luminarium non discordat Augustinus ab aliis sanctis. Dicit enim luminaria esse facta in actu, non in virtute tantum. Non enim habet firmamentum virtutem productivam luminarium, sicut habet terra virtutem productivam plantarum. Unde Scriptura non dicit: *Producat firmamentum luminaria*; sicut dicit: *Germinet terra herbam virentem*». Admittit tamen S. D., quod materia luminariorum, ut lux corporalis, fuit prima die facta, sed fuit informis, quarta autem die formata est ad producendum determinatos effectus (ad 2). – Quoad sic dictas *stellas fixas* notat S. D., quod jam Ptolomaeus tenebat luminaria non esse fixa, sed «habent motum seorsum a motu sphaerarum»; et hanc opinionem videtur admittere S. D., cum Chrysostomo, contra Aristotelem, qui motus tantum admittit orbium; dicit enim S. D.: «secundum rei veritatem tamen motus luminarium sensu percipitur, non autem motus sphaerarum» (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum convenienter causa productionis luminarium describatur.*

RESP. AFF. – Ex auctoritate Scripturae.

R. (convenientiae) EST.: quia Moyses, ut populum ab idololatria revocaret, illam solam causam tetigit, secundum quod luminaria sunt facta ad utilitatem hominum; scil. quantum ad visum: «*ut luceant in firmamento, et illuminent terram*»; ad vicissitudines temporum: *ut sint in tempora, et dies, et annos*; et ad opportunitatem negotiorum: *ut sint in signa*, scil. temporis pluviosi vel sereni, quae sunt apta diversis negotiis.

Art. III. – *Utrum luminaria caeli sint animata.*

RESP. NEG. – **R. EST.:** quia operationes animae in luminaribus exerceri non possunt. Non ope-

rationes nutritivae, quia corpora caelestia sunt incorruptibilia per naturam; non operationes sensitivae, quia haec fiunt per tactum cum elementis, de quibus corpora caelestia non sunt composita; non operationes intellectuales, quia corpora caelestia carent sensibus, per quos phantasmata intellectui ministrantur. Potest anima solum motum super luminaria exercere, non quidem ut forma, sed per contactum virtutis; et secundum hoc, possunt dici animata *aequivoce*.

NOTANDUM: Ex hoc articulo S. Thomae evidenter patet quantus fuit antiquorum conatus, qui de natura corporum caelestium tantam erroneam opinionem habebant, ut ea quae de ipsis sensibus percipiuntur cum principiis fidei et philosophiae sanae conciliarent. Utinam illi magni ingenii homines scivissent, sicut nos hodie per scientiam positivam et per mathesim scimus, de corporibus istis caelestibus! Progressum certe in scientiis habuerimus haud parvum.

QUAESTIO LXXI

De opere quintae diei

Deinde considerandum est de opere quintae diei. Et videtur quod inconvenienter hoc opus describatur. Sed contra est: sufficit enim auctoritas Scripturae, quae sic dicit: « *Dixit etiam Deus: Producant aquae reptile animae viventis et volatile super terram sub firmamento caeli. Creavitque Deus cetera grandia et omnem animam viventem atque mutabilem quam produxerant aquae in species suas, et omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum. Benedixitque eis dicens: Crescite et multiplicamini et replete aquas maris; avisque multiplicentur super terram. Et factum est vespere et mane dies quintus* ».

R. (conventientiae) EST: quia haec secunda dies ornatus (quae est quinta), respondere debet illae secundae distinctionis, quae deputata est ad me-

dium corpus, i. e. ad aquam (et aerem), quarum ornatus sunt pisces et aves.

NOTANDUM: Sicut in productione plantarum Augustinus differt ab aliis, ita et in productione piscium et avium. Alii enim dicunt pisces et aves quinta die esse productos in actu; Aug. autem dicit quod quinta die aquarum natura produxit pisces et aves potentialiter; et haec sententia Aug. magis consona est scientiae modernae quam alia.

QUAESTIO LXXII

De opere sextae diei

Deinde quaeritur de opere sextae diei, quae sic summatim habet: «*Dixitque Deus: Producat terra animam viventem in genere suo; jumenta et reptilia et bestias terrae secundum species suas. Factumque est ita. Et vidit Deus quod esset bonum, et ait: Faciamus hominem, etc. Et factum est ita. Viditque Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona. Et factum est vespere et mane dies sextus.*»

Cujus R. convenientiae est: quia tertia dies ornatus respondere debet tertiae diei distinctionis, quae de ultimo corpore habetur, scil. de terra, quae per productionem animalium ornatur.

NOTANDA: S. Augustinus etiam quantum ad animalia terrestria tenet, quod producta sint potentialiter, et non actu. — In *ad 1m.* S. Thomas loquitur de gradibus participationis vitae in viventibus, et est magni momenti.

QUAESTIO LXXIII

De iis quae pertinent ad septimum diem

Deinde considerandum est de iis quae pertinent ad septimum diem. — Et circa hoc quaeruntur tria:

Art. I. — *Utrum completio divinatorum operum debeat septimo diei adscribi.*

RESP. AFF. — *Scil.:* quoad completionem seu perfectionem *primam.*

R. EST: quia *prima* perfectio universi est per ejus integritatem; *secunda* autem est per assecutionem finis totius universi, quae est perfecta beatitudo sanctorum, et erit in ultima consummatione saeculi. - Notandum tamen, quod consummatio universi secundum integritatem partium *tantum* competit sextae diei; consummatio autem quae est etiam secundum operationem, competit septimae diei. - Tres autem sunt consummationes universi: prima est naturae, de qua hic sacra scriptura loquitur (*Complevit Deus die septimo opus suum quod fecerat*); secunda est gratiae, per incarnationem Verbi; tertia est gloriae, in fine mundi.

Art. II. - *Utrum Deus Septima die requievit ab omni opere suo.*

RESP. AFF. - *Scil.*: prout requies in spiritualibus dupliciter accipitur: uno modo pro cessatione ab operibus; alio modo pro impletione desiderii.

R. PRIMI EST: quia die septima cessavit novas creaturas condere: nihil enim postea fecit, quod non aliquo modo praecesserit in primis operibus.

R. SECUNDI EST: quia rebus conditis Deus non indigebat, sed seipso fruendo beatus est. Unde non dicitur quod in suis operibus requievit; sed ab eis requievit, utique in seipso.

Art. III. - *Utrum benedictio et sanctificatio debeatur diei septimae.*

RESP. AFF. - Dicit enim Scriptura: *Benedixit Deus diei septimo, et sanctificavit illum, quia in illo cessaverat ab omni opere suo.* (Gen. ii, 3).

R. EST: quia quantum ad hoc quod Deus cessavit a novis operibus condendis, competit septimae diei administratio et multiplicatio creaturarum, quae fit per benedictionem. - Quantum

autem ad hoc quod Deus requievit in seipso competit septimae diei sanctificatio; quidquid enim in Deo requiescit maxime sanctificatur.

QUAESTIO LXXIV

De omnibus septem diebus in communi

Deinde quaeritur de omnibus septem diebus in communi. Et quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum sufficienter isti dies enumerentur.*

R. (convenientiae) EST.: quia tres sunt distinctiones rerum creatarum: *prima* est quae nomine caeli, *secunda* quae nomine aquae, *tertia* quae nomine terrae significatur; quibus autem tres dies ornatus respective competunt. – S. Augustinus nomine caeli spiritualia intelligit, nomine aquae corporalia superiora, et nomine terrae intelligit corporalia infima.

Art. II. – *Utrum omnes isti dies sint unus dies.*

RESP. NEG. – *Scil.* : sine praeiudicio sententiae S. Augustini contrariae.

R. EST: quia scriptura dies enumerat dicendo: *Factum est vespere et mane dies secundus, et tertius*: et sic de aliis. Secundum autem et tertium dici non potest, ubi est unum tantum.

NOTANDUM: S. Augustinus tamen per diem intelligit cognitionem angelicam, quae quidem una est in se, multiplex autem secundum naturalem ordinem rerum cognitarum. – Secundum alios, per istos dies et successio dierum temporalium ostenditur, et successio productionis rerum.

Art. III. – *Utrum scriptura utatur convenientibus verbis ad exprimendum opera sex dierum.*

RESP. AFF. – Sufficit auctoritas scripturae sacrae.

NOTANDUM: In hoc articulo S. Thomas non exponit corpus articuli sicut habitualiter facit, sed respondit immediate ad objectiones quae sunt septem. Quarum prima est: quia Verbum non nominatur in creatione caeli et terrae. Cui respondetur: Sec. Augustinum Verbum nominatur in ly « principio ». - Secunda est: quia aqua non nominatur. Cui respondetur quod (secundum Aug.) sub nomine terrae intelligitur materia informis *omnium* corporum. Secundum alios sanctos, scriptura nominat extrema, i. e. caelum et terram, inter quae est aqua. - Tertia est quia in opere secundae diei non ponitur: *Vidit Deus quod esset bonum*, sicut in caeteris operibus. Cui respondetur, quod hoc fit, quia opus distincionis aquarum tunc inchoatur, et in tertio die perficitur. - Quarta est: quia inconvenienter dicitur *spiritus Dei ferebatur super aquas*; Deo autem non competit ferri, nec situm habere. Cui respondetur, sec. Aug., Spiritus Dei non superfertur loco, sed praeexcellente potentia. Secundum Basilium vero. « Superferebatur elemento aquae, i. e. fovebat et vivificabat naturam aquae ad similitudinem gallinae incubantis, vitalem virtutem his quae fovebantur, injiciens ». - Quinta est: quia inconvenienter dicitur: *Et fecit Deus firmamentum*, cum jam dixerat: *Fiat firmamentum, et factum est ita*. Et similiter in aliis operibus. Cui respondetur, sec. Aug., quod per haec tria: *Fiat, factum est, et fecit* tria designantur: primo, esse rerum in Verbo; secundo, esse rerum in mente angelica; tertio, esse rerum in propria natura. Secundum alios: *Fiat* importat imperium Dei de faciendo; *factum est*, importat complementum operis; *fecit* ut indicet quod a se ipso fecit, et non per alias creaturas puta per angelos, sicut quidam putabant. - Sexta est: quia *vespere* et *mane* non sufficienter dividunt diem, cum sint plures partes diei. - Cui respondetur quod, sec. Aug., *vespere* et *mane* intelligitur vespertina et matutina cognitio in angelis. Sec. Basilium, *vespere* et *mane* ponuntur ut termini diei, cuius *mane* est principium, et *vespere* finis. Vel, quia *vespere* est finis diei, et *mane* finis noctis. - Septima est: quia debuit dicere: *Factum est vespere et mane dies primus*, ubi dicitur *dies unus*. Cui respondetur, quod dicitur *unus dies* in prima die institutionis, ad designandum quod viginti quatuor horarum spatia perti-

nent ad unum diem. Vel propter hoc, ut significaret diem consummari per reditum solis ad unum et idem punctum.

DE CREATURIS COMPOSITIS EX CORPORE ET SPIRITU SEU DE HOMINE *

Post considerationem creaturae spiritualis et corporalis considerandum est de homine, qui ex spirituali et corporali substantia componitur. Et primo de natura ipsius hominis. Secundo, de eius productione. Naturam autem hominis considerare pertinet ad theologum ex parte animae, non autem ex parte corporis, nisi secundum habitudinem quam habet corpus ad animam. Et ideo prima consideratio circa animam versabitur. Et quia secundum Dionysium (Cap. 2 Angelicae Hierarch.) tria inveniuntur in substantiis spiritualibus, scilicet essentia, virtus et operatio: primo considerabimus ea quae pertinent ad essentiam animae; secundo, ea quae pertinent ad virtutem sive potentias ejus; tertio, ea quae pertinent ad operationem ejus. — Circa primum duplex occurrit consideratio: quarum prima est de ipsa anima secundum se: secunda, de unione eius ad corpus. — Circa primum quaeruntur septem:

QUAESTIO LXXV

De anima humana secundum se

Art. I. — *Utrum anima sit corpus.*

RESP. NEG. — R. EST: quia primum principium vitae, quod est anima, non convenit corpori ex hoc quod est corpus; alioquin omne corpus esset vivens aut principium vitae: sed convenit ei in quantum est tale corpus. Est autem tale actu per id quod est actus ejus. Corpus ergo est vivens

* Vide nostram « Divisionem schematicam », Tab. VII.

per animam, quae est actus corporis viventis. Anima ergo non est corpus.

Art. II. - *Utrum anima humana sit aliquid subsistens.*

RESP. AFF. - R. EST: quia anima humana, quae etiam intellectus et mens dicitur, habet operationem per se, cui non communicat corpus. Manifestum est enim quod homo per intellectum cognoscere potest naturas omnium corporum; hoc autem fieri non potest per corpus, quia omne corpus habet naturam aliquam determinatam.

NOTANDUM: Corpus requiritur ad actionem intellectus, non sicut organum quo talis actio exercetur, sed ratione objecti. Sic autem indigere corpore non removet intellectum esse subsistentem (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum animae brutorum animalium sint subsistentes.*

RESP. NEG. - R. EST: quia unumquodque habet similiter esse et operationem. Anima autem brutorum non habet operationem per seipsam; sed omnis operatio animae sensitivae est conjuncti, quae manifeste cum aliqua immutatione corporis accidit.

Art. IV. - *Utrum anima sit homo.*

RESP. NEG. - *Scil.:* neque ratione speciei, neque ratione individui.

R. PRIMI EST: quia ad naturam speciei pertinet id quod significat definitio; definitio autem in rebus naturalibus non significat formam tantum, sed formam et materiam: non quidem *materia signata*, quae est principium individuationis, sed materia communis.

R. SECUNDI EST: quia sentire, quae est operatio hominis, licet non propria, non est tantum animae, sed compositi.

Art. V. – *Utrum anima sit composita ex materia et forma.*

RESP. NEG. – *Scil.:* cum quoad animam in communi, tum quoad animam humanam.

R. PRIMI EST: quia ex ratione animae est quod sit forma, i. e. actus a quo est principium vitae, alicujus corporis. Materia autem dicit potentiam, quae contra actum dividitur.

R. SECUNDI EST: quia anima humana, et omnis intellectualis substantia, cognoscit res per formas absolute. Quidquid autem recipitur in aliquo, recipitur in eo per modum recipientis.

NOTANDUM: Forma est *entelechia*, ut ait Aristoteles, id est actualitas perfecta, dum materia sit mera potentia, aut aliquid quibuscumque formis recipiendis idoneum, priusquam ea formam ad hoc vel ad illud determinaverit.

Art. VI. – *Utrum anima humana sit incorruptibilis.*

RESP. AFF. – PRIMA R. EST: quia anima humana est per se subsistens (art. 2), esse autem quod per se convenit formae est inseparabile ab ipsa.

SECUNDA R. EST: quia in anima intellectiva non potest esse aliqua contrarietas; quidquid enim in ea recipitur, ad modum sui esse recipitur; unde est una scientia contrariorum. Ubi autem non est contrarietas, ibi non est corruptibilitas.

TERTIA R. EST: quia intellectus apprehendit esse absolute, et secundum omne tempus. Unde omne habens intellectum naturaliter desiderat esse semper. Naturale autem desiderium non potest esse inane.

Art. VII. – *Utrum anima et angelus sint unius speciei.*

RESP. NEG. – R. EST: quia non potest intelligi quod aliqua forma separata sit nisi unius spe-

ciei: sicut si esset albedo separata, non posset esse nisi una tantum. Quomodo autem sint plures animae unius speciei, infra ostendetur (quaes. seq., art. 3 ad 1m.).

NOTANDUM: Cum anima ex natura suae essentiae sit corpori unibilis, non proprie ipsa est in specie, sed compositum. Et hoc ipsum quod anima quodammodo indiget corpore ad suam operationem, ostendit quod anima tenet inferiorem gradum intellectualitatis quam angelus, qui corpori non unitur (Ad 3m.).

QUAESTIO LXXVI

De unione animae ad corpus

Deinde considerandum est de unione animae ad corpus, et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum intellectivum principium uniatur corpori ut forma.*

RESP. AFF. - R. EST: quia illud quo primo aliquid operatur, est forma ejus cui operatio attribuitur. Anima autem est primum quo nutrimur, sentimus, movemur et intelligimus. - Item, Homo sortiatur speciem per illud quod est ejus operationis principium, inquantum est homo; hoc est ejus intelligere. Sortitur autem speciem unumquodque per propriam formam. Ergo intellectivum principium est propria hominis forma.

Art. II. - *Utrum intellectivum principium multiplicetur secundum multiplicationem corporum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* non est unus intellectus in omnibus hominibus.

R. EST: quia plures homines essent unus homo, et non distinguerentur ab invicem, nisi per hoc quod est extra essentiam utriusque. - Item, plures homines haberent unum esse; nam forma est

essendi principium. – Item, si unus intellectus esset omnium hominum, diversitates phantasmatum, quae sunt in hoc et in illo, non possent causare diversitatem intellectualis operationis hujus et illius hominis.

Art. III. – *Utrum praeter animam intellectivam sint in homine aliae animae per essentiam differentes.*

RESP. NEG. – PRIMA R. EST: quia ea quae denominantur a diversis formis, non sunt unum simpliciter; et sic homo non esset quid unum simpliciter.

SECUNDA R. EST: quia animal per se praedicatur de homine, et non per accidens; ponitur enim animal in definitione hominis.

TERTIA R. EST: quia una operatio animae, cum fuerit intensa, impedit aliam.

NOTANDUM: Anima intellectiva continet in sua virtute quidquid habet anima sensitiva brutorum, et nutritiva plantarum, sicut pentagonum continet in se tetragonum, et excedit (In corp. art.).

Embryo habet prius animam sensitivam tantum: qua ablata, advenit perfectior anima, quae est simul sensitiva et intellectiva, ut infra plenius ostendetur (quaes. cxviii, art. 2 ad 2). Sic in *Ad tertium*.

Art. IV. – *Utrum in homine sit alia forma praeter animam intellectivam.*

RESP. NEG. – R. EST: quia anima intellectiva est forma substantialis hominis, et ideo dat ei esse simpliciter: unde, sicut ipsa virtute continet animam sensitivam et nutritivam, ita virtute continet omnes inferiores formas, et facit ipsa sola quidquid imperfectiores formae in aliis faciunt; et sic universaliter de omnibus formis perfectioribus respectu imperfectarum.

Art. V. - *Utrum anima intellectiva convenienter tali corpori uniatur.*

RESP. AFF. - R. EST: quia oportet corpus cui unitur anima intellectiva, esse corpus mixtum, inter omnia alia (corpora) magis reductum ad aequalitatem complexionis, ut tactus, supra quem alii sensus fundantur, sit perceptibilior: necesse est enim quod anima humana, quae infimum gradum in substantiis intellectualibus tenet, notitiam veritatis ex rebus divisibilibus (visibilibus?) per viam sensus colligat.

NOTANDUM: Inter homines, qui sunt melioris tactus sunt melioris intellectus: cujus signum est quod molles carne bene aptos mente videmus (In fine art.).

Art. VI. - *Utrum anima intellectiva uniatur corpori mediantibus dispositionibus accidentalibus.*

RESP. NEG. - R. EST: quia primum inter omnes actus, ad quos materia ordine quodam est in potentia, est esse. Esse autem in actu est per formam substantialem, quae facit esse simpliciter.

Art. VII. - *Utrum anima uniatur corpori animalis mediante aliquo corpore.*

RESP. NEG. - R. EST: quia anima non unitur corpori ut motor, sed ut forma. Forma autem substantialis cum per essentiam suam sit actus, non dat esse corpori per aliquod medium, sed per suum esse unitur corpori immediate.

NOTANDUM: Platonici, qui putabant animam corpori uniri ut motor, dicebant animam intellectivam corpus habere incorruptibile sibi naturaliter unitum, a quo nunquam separatur, et eo mediante unitur corpori hominis corruptibili. Alii dicebant animam uniri corpori mediante luce.

Art. VIII. – *Utrum anima sit tota in qualibet parte corporis.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non secundum totalitatem virtutis, sed secundum totalitatem perfectionis et essentiae.

R. EST: quia non secundum quamlibet suam potentiam est in qualibet parte corporis, sed secundum visum in oculo, secundum auditum in aure, et sic de aliis. – Secundum autem totalitatem perfectionis (definitionis) et essentiae est in qualibet parte, quia forma substantialis est in qualibet parte operationis principium; nulla enim pars corporis habet proprium opus anima recedente.

NOTANDUM: Quia anima requirit diversitatem in partibus, non eodem modo comparatur ad totum (corpus), et ad partes; sed ad totum quidem primo et per se, sicut ad proprium et proportionatum perfectibile; ad partes autem per posterius, secundum quod partes habent ordinem ad totum (In fine art.).

QUAESTIO LXXVII

De his quae pertinent ad potentias animae in generali

Deinde considerandum est de his quae pertinent ad potentias animae; et primo in generali, secundo in speciali. Circa primum quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum ipsa essentia animae sit ejus potentia.*

RESP. NEG. – R. EST: quia operatio animae non est in genere substantiae. (In solo Deo operatio est ejus substantia). Ad idem genus autem refertur potentia et actus *. – Item, quia anima

* Ergo potentiae animae non sunt in genere substantiae. Anima autem est in genere substantiae; quia habet esse proprium. Anima brutorum est substantia incompleta.

inquantum est forma, non est actus ordinatus ad ulteriorem actum, sed est ultimus terminus generationis. Unde quod anima sit in potentia ad alium actum, hoc non competit ei secundum suam essentiam, inquantum est forma, sed secundum suam potentiam. Remanet tamen anima primum principium operationis, sed non proximum. (Ad 4m.).

Art. II. - *Utrum sint plures potentiae animae.*

RESP. AFF. - PRIMA R. EST: quia, cum anima sit in ultimo gradu secundum naturam eorum quibus competit beatitudo, multis et diversis operationibus et virtutibus indiget ad adipiscendam ipsam beatitudinem.

SECUNDA R. EST: quia anima humana est in confinio spiritualium et corporalium creaturarum; et ideo concurrunt in ipsa virtutes utrarumque creaturarum.

Art. III. - *Utrum potentiae distinguantur per actus et objecta.*

RESP. AFF. - *Scil.:* non quaecumque diversitas objectorum diversificat potentias animae, sed differentia ejus ad quod *per se* potentia respicit.

R. EST: quia potentia, secundum illud quod est potentia, ordinatur ad actum. Ratio autem actus diversificatur secundum diversam rationem objecti, sive sicut principium et causa movens, si potentia est passiva; sive ut terminus et finis, si potentia est activa.

NOTANDA: 1. - Actus licet sit posterior potentia in esse, est tamen prior in intentione et secundum rationem, sicut finis in agente. Objectum autem, licet sit extrinsecum, est tamen principium vel finis actionis; seu: quamvis materialiter sit extrinsecum, formaliter tamen est intrinsecum, sive ordo ad illud (Ad 1m.).

2. - Potentia superior per se respicit universalitatem rationem objecti quam potentia inferior; quia quanto potentia est superior, tanto ad plura se extendit. Et ideo multa conveniunt in una ratione objecti, quam per se respicit superior potentia; quae tamen differunt secundum rationes quas per se respiciunt inferiores potentiae. Et inde est quod diversa objecta pertinent ad diversas inferiores potentias, quae tamen uni superiori potentiae subduntur (Ad 4m).

Art. IV. - *Utrum in potentiis animae sit ordo.*

RESP. AFF. - *Scil.:* secundum triplicem ordinis considerationem; i. e., secundum dependentiam unius potentiae ab altera, uno modo secundum naturae ordinem, prout perfecta sunt naturaliter imperfectis priora; alio modo secundum ordinem generationis et temporis; et (tertio) secundum ordinem objectorum.

R. PRIMI EST: quia potentiae intellectivae sunt priores potentiis sensitivis, unde dirigunt eas, et imperant eis; et sic de caeteris.

R. SECUNDI EST: quia potentiae animae nutritivae sunt priores in via generationis potentiis animae sensitivae, unde ad earum actiones praeparant corpus, et sic de caeteris.

R. TERTII EST: quia ordinantur quaedam vires ad invicem, scil. visus, auditus et olfactus; nam visibile est commune superioribus et inferioribus corporibus; sonus audibilis fit in aere, qui est naturaliter prior commixtione elementorum quam consequitur odor.

Art. V. - *Utrum omnes potentiae animae sint in anima sicut in subjecto.*

RESP. NEG. - *Scil.:* non omnes potentiae animae sunt in anima sicut in subjecto, sed quaedam sunt in composito.

R. EST: quia quaedam operationes animae exercentur sine organo corporali ut intelligere et velle,

et ideo principia harum operationum, sunt in (sola) anima sicut in subjecto; ejus enim est potentia sicut subjecti, cujus est operatio. Quaedam vero operationes sunt animae quae exercentur per organa corporalia, et principia harum operationum sunt in conjuncto sicut in subjecto, et non in sola anima.

Art. VI. – *Utrum potentiae animae fluant ab ejus essentia.*

RESP. AFF. – R. EST: quia cum potentiae animae sint accidentia ejus propria et per se, oportet et eas ab animae essentia flui; accidens enim causatur a subjecto, secundum quod est actu: in formis substantialibus enim actualitas subjecti est a forma.

Art. VII. – *Utrum una potentia animae oriatur ab alia.*

RESP. AFF. – *Scil.:* una potentia animae ab essentia animae procedit, mediante alia.

R. EST: quia inter potentias animae est ordo (art. 4 huj. quaes.). – Potentiae animae, quae sunt priores secundum ordinem perfectionis et naturae, sunt principia aliarum per modum finis et activi principii. Sic sensus est quaedam deficiens participatio intellectus. Secundum viam susceptivi principii potentiae imperfectiores sunt principia respectu aliarum; prius enim animal generatur quam homo.

Art. VIII. – *Utrum omnes potentiae animae remaneant in anima a corpore separata.*

RESP. NEG. – *Scil.:* remanent actu illae, quae subjectum proprium habent in anima, i. e. intellectus et voluntas; aliae, quae in conjuncto sunt sicut in subjecto, non remanent, nisi in principio seu in radice.

R. PRIMI EST: quia huiusmodi potentiae, ut patet ex supra dictis, necesse est quod maneant in anima, corpore destructo.

R. SECUNDI EST: quia destructo subjecto, non potest accidens remanere; istae autem potentiae non sunt proprietates solius animae, sed conjuncti: anima vero est virtuale principium huiusmodi potentiarum.

DE POTENTIIS ANIMAE IN SPECIALI

Deinde considerandum est de potentiis animae in speciali. Ad considerationem autem theologi pertinet inquirere specialiter solum de potentiis intellectivis et appetitivis, in quibus virtutes inveniuntur. Sed quia cognitio harum potentiarum quodammodo dependet ex aliis, ideo nostra consideratio de potentiis animae in speciali erit tripartita. Primo namque considerandum est de his quae sunt praeambula ad intellectum. Secundo de potentiis intellectivis. Tertio de potentiis appetitivis. — Circa primum quaeruntur quatuor:

QUAESTIO LXXVIII

De his quae sunt praeambula ad intellectum

Art. I. — *Utrum quinque genera potentiarum animae sint distinguenda.*

RESP. AFF. — R. EST: quia genera potentiarum animae distinguuntur secundum objecta. Objecta autem ista distinguuntur secundum maiorem vel minorem universalitatem. Alicujus autem potentiae animae objectum est solum corpus animae unitum (hoc genus potentiarum animae dicitur *vegetativum*). Aliud genus potentiarum respicit objectum universalius, scil: omne corpus sensibile, et non solum corpus animae unitum (hoc genus est *sensitivum*). Est tandem alius genus

quod respicit adhuc objectum universalius, sc. non solum corpus sensibile, sed etiam universaliter omne ens (genus *intellectivum*). Haec objecta potentiis aliquo modo conjunguntur. Alia sunt ad quae anima inclinatur et tendit; et hoc dupliciter: vel ut ad finem, qui est primum in intentione; vel sicut ad terminum operationis et motus. Ad haec respondent duo alia genera potentiarum animae, sc. *appetitivum*, et *motivum secundum locum*. Et ideo quinque sunt genera potentiarum animae.

NOTANDA: 1. - Tres dicuntur animae: vegetativa, sensitiva et intellectiva; quia distinctio animae habetur secundum quod operatio animae supergreditur operationem naturae corporalis. Hoc autem fit triplici modo: *a*) in quantum anima habet operationem quae per organum corporale non exercetur (anima intellectiva); *b*) in quantum habet aliam operationem, quae fit quidem per organum corporale, sed ut dispositivum ad operationem animae (anima sensitiva); *c*) in quantum habet aliam operationem, quae fit per organum corporale et corporeae qualitatis ipsius organi (vegetativa, seu nutritiva); quae etiam supergreditur operationem naturae corporeae, quia hujusmodi operationes sunt a principio intrinseco (In corp.).

2. - Quatuor sunt *modus vivendi*, quia quatuor sunt gradus viventium: vegetativus (ut in plantis); sensitivus, non autem secundum locum (ut in animalibus immobilibus, uti conchilia); sensitivus cum motivo secundum locum (animalia perfectiora); intellectivus (homines) (In corp. art.).

Art. II. - *Utrum convenienter partes vegetativae assignentur, scilicet nutritivum, augmentativum et generativum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia partis vegetativae objectum est ipsum corpus vivens per animam. Ad quod quidem corpus triplex animae operatio est necessaria, scil. *generativa*, per quam acquirit esse; *augmentativa*, per quam acquirit debitam quantitatem; et *nutritiva*, per quam corpus

vivens salvatur in esse et in debita quantitate. – Inter haec vis generativa est finalior, principalior et perfectior, quia habet suum effectum in alio; et sic quodammodo appropinquat ad dignitatem animae sensitivae.

Art. III. – *Utrum convenienter distinguantur quinque sensus exteriores.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ratio numeri et distinctionis exteriorum sensuum accipienda est secundum illud quod proprie et per se ad sensum pertinet. Id autem quod per se a sensu percipitur est illud quod est exterius immutativum. Immutatio autem est: una naturalis, et alia spiritualis. Naturalis prout forma immutantis recipitur in immutato secundum esse naturale (ipsius formae), sicut calor in calefacto: spiritualis prout forma immutantis recipitur in immutato secundum esse spirituale seu intentionale (ipsius formae), sicut forma coloris in pupilla, quae non fit per hoc colorata. Nunc, in quibusdam sensibus invenitur immutatio spiritualis tantum (visus); in quibusdam aliis cum immutatione spirituali etiam naturalis, et hoc fit vel ex parte objecti tantum, vel etiam ex parte organi. Ex parte objecti tantum, vel secundum locum, sicut per sonum (auditus); vel secundum alterationem objecti, sicut cum objectum alteratur et emittet odorem (olfactus). Ex parte organi est immutatio naturalis in tactu et gustu, ut patet. – Visus ergo est absque immutatione naturali organi et objecti, et est maxime spiritualis, et perfectior inter omnes sensus, et communior.

Art. IV. *Utrum interiores sensus convenienter distinguantur.*

RESP. AFF. – *Scil* : in sensum proprium et communem, imaginationem, aestimativam et memorativam.

R. EST: quia in animalibus perfectis necesse est invenire, quoad apprehensionem rerum sensibilium, a) principium receptivum formarum, quod est *sensus proprius* et *sensus communis*; b) principium conservativum istarum formarum, ut eas apprehendat etiam in absentia earum, et hoc fit per *phantasiam* seu *imaginationem*; c) principium percipiendi intentiones, quas non percipit sensus exterior, puta cum avis colligat paleam ad nidificandum, quod fit per *vim aestimativam*; et d) principium conservandi istas intentiones, quod habetur per *vim memorativam*. - Quantum autem ad formas sensibiles exteriores non est differentia inter hominem et alia animalia; quantum vero ad intentiones, propter connexionem cum ratione, vice vis aestimativae habetur in homine vis *cogitativa*, seu *ratio particularis*; et vice vis memorativae habetur non solum memoriam sed etiam *reminiscentiam*, qua quasi syllogistice inquit memoriam praeteritorum.

NOTANDUM: Sensus proprius judicat de sensibili proprio. Ad sensum communem pertinet discretionis iudicium sensibilium, ad quem referantur, sicut ad communem terminum, omnes apprehensiones sensuum (Ad 2m).

QUAESTIO LXXIX

De potentiis intellectivis

Deinde quaeritur de potentiis intellectivis; circa quod quaeruntur tredecim:

Art. I. - *Utrum intellectus sit aliqua potentia animae.*

RESP. AFF. - *Scil.*: intellectus est aliqua potentia animae, et non est ipsa animae essentia.

R. EST: quia, in creaturis, ipsa essentia rei operantis non potest esse immediatum princi-

pium operationis; secus operatio rei esset esse ipsius rei: aliis verbis, anima esset suum intelligere, sicut Deus.

Art. II. – *Utrum intellectus sit potentia passiva.*

RESP. AFF. – *Scil.:* secundum tertium modum dicendi aliquid pati, inquantum scil. exit de potentia in actum.

R. EST: nullus intellectus creatus potest se habere ut quia actus respectu totius entis universalis; omnis enim intellectus creatus per hoc ipsum quod est, non est actus omnium intelligibilium, sed comparatur ad ipsa intelligibilia sicut potentia ad actum; et sic se habet intellectus noster non quidem prout potentia *semper* est perfecta per actum, sicut est in angelis, sed ut potentia quae *non semper* est in actu, sed procedit de potentia in actum respectu intelligibilium, et in principio est « sicut tabula rasa, in qua nihil est scriptum ».

NOTANDUM: Primus modus passionis est (propriissime) quando aliquid removetur ab eo quod convenit sibi secundum naturam, aut secundum propriam inclinationem; secundus modus passionis est (minus proprie) quando aliquis dicitur pati ex eo quod aliquid ab ipso abijcitur, sive sit ei conveniens, sive non; tertius modus passionis est (communiter) ex eo solo quod id quod est in potentia ad aliquid, recipit illud ad quod erat in potentia, absque hoc quod aliquid ab eo abijciatur (In princ. art.).

Art. III. – *Utrum sit ponere intellectum agentem.*

RESP. AFF. – R. EST: quia cum naturae seu formae rerum sensibilibus, quas intelligimus, non sint intelligibiles actu, et cum nihil reducatur de potentia in actum nisi per aliquod ens actu, oportet ponere aliquam virtutem ex parte intellectus, quae facit intelligibilia in actu per abstractionem

specierum a conditionibus materialibus; quae virtus *intellectus agens* dicitur.

Art. IV. – *Utrum intellectus agens sit aliquid animae.*

R. AFF. – *Scil.*: Intellectus agens non est ille intellectus secundum substantiam separatus, qui, secundum Platonem, illustraret phantasmata et faceret ea intelligibilia actu; sed est virtus in ipsa anima humana ab illo intellectu superiori participata, per quam anima facit intelligibilia in actu.

R. EST: quia, sicut in aliis rebus naturalibus *perfectis*, praeter universales causas agentes, sunt propriae virtutes inditae singulis rebus perfectis, ab universalibus agentibus derivatae; quod, in casu, experimento cognoscimus, dum percipimus nos abstrahere formas universales a conditionibus particularibus. – Item, quia nulla actio convenit alicui rei, nisi per aliquod principium formale ei inhaerens.

Art. V. – *Utrum intellectus agens sit unus in omnibus.*

RESP. NEG. – R. EST: quia intellectus agens est aliquid animae, ut quaedam virtus ipsius (art. praec.). Etenim, una et eadem virtus numero non potest esse diversorum subjectorum.

Art. VI. – *Utrum memoria sit in parte intellectiva animae.*

RESP. AFF. – *Scil.*: si memoria accipiatur solum pro vi conservativa specierum, oportet dicere memoriam esse in intellectiva parte; – si vero accipiatur pro memoria praeteritorum, ut praeteritorum, tunc est in parte sensitiva tantum.

R. PRIMI EST: quia species intelligibiles sunt objectum proprium intellectus, qui est magis

stabilis naturae et immobilis. quam materia corporalis.

R. SECUNDI EST: quia praeterita, ut talia, sunt singularia, quae per potentias sensitivas apprehenduntur; haec (singularia) autem apprehendit intellectus sub ratione immaterialitatis, intelligendo se prius intellexisse.

NOTANDUM: Quantum ad conservationem specierum, intellectus dicitur *intellectus in habitu* (Ad 3m).

Art. VII. – *Utrum alia potentia sit memoria intellectiva, et alia intellectus.*

RESP. NEG. – R. EST: quia potentia intellectus possibilis secundum nullam differentiam entium diversificatur; si enim potentia secundum suam propriam rationem ordinetur ad aliquod objectum secundum communem rationem objecti, non diversificatur illa potentia secundum diversitates particularium differentiarum; sicut visus non diversificatur per nigrum et album. – Item, quia ejusdem potentiae passivae est recipere et conservare.

NOTANDUM: Sola differentia est in intellectu inter *intellectum agentem* et *intellectum possibilem*; quia differuntur secundum objecta formalia. Intellectus agens sic se habet ad objectum sicut ens in actu ad ens in potentia; e contra, intellectus possibilis seu passivus, sicut ens in potentia ad ens in actu (In corp. art.).

Art. VIII. – *Utrum ratio sit alia potentia ab intellectu.*

RESP. NEG. – R. EST: quia sic se habet ratio ad intellectum, sicut moveri ad quiescere; nam ratiocinari est procedere de uno intellectu ad aliud, intelligere vero est simpliciter veritatem apprehendere: moveri autem et quiescere ad unam eandemque potentiam reducuntur, sicut in naturalibus.

Art. IX. - *Utrum ratio superior et inferior sint diversae potentiae.*

RESP. NEG. - R. EST: quia eadem est potentia rationis, ad quam pertinet et medium ei ultimum. Est enim actus rationis quasi quidam motus de uno in aliud perveniens. Nam per cognitionem temporalium, quae sunt objectum rationis inferioris, devenimus, secundum viam inventionis, ad cognitionem aeternorum, quae sunt objectum rationis superioris; et per aeterna jam cognita, iudicamus de temporalibus, et secundum rationes aeternorum temporalia disponimus. - Distinguuntur tamen per officia actuum, et secundum diversos habitus. Nam superiori rationi attribuitur sapientia, inferiori vero scientia.

Art. X. - *Utrum intelligentia sit alia potentia ab intellectu.*

RESP. NEG. - R. EST: quia intelligentia nihil aliud est quam actus intellectus, seu intelligere.

NOTANDUM: Philosophi quatuor intellectus ponunt, scil.: intellectum agentem, possibilem, in habitu, et adeptum; quorum duo primi ut duae potentiae distinguuntur (art. VII, in Nota), ultimi tres autem sunt status ejusdem potentiae. Intellectus *possibilis* est in potentia ad recipiendum species; *in habitu*, est in actu primo, i. e. scientia, sicut diximus de memoria intellectiva; et *adeptus*, quando in actu secundo considerat, dicitur etiam intellectus *in actu* (In corp. art.).

Art. XI. - *Utrum intellectus speculativus et practicus sint diversae potentiae.*

RESP. NEG. - R. EST: quia tantum accidentaliter distinguuntur; practicus enim ordinatur ad opus, speculativus vero ad solam considerationem veritatis.

Art. XII. – *Utrum synderesis sit quaedam specialis potentia ab aliis distincta.*

RESP. NEG. – R. EST: quia sicut oportet nobis esse naturaliter indita principia speculabilium, quod fit per habitum, qui dicitur *intellectus principiorum*; ita oportet nobis esse naturaliter indita principia operabilium, quod fit etiam per habitum, qui *synderesis* vocatur, cujus est instigare ad bonum et murmurare de malo.

Art. XIII. – *Utrum conscientia sit quaedam potentia.*

RESP. NEG. – PRIMA R. EST: quia *vi nominis*, conscientia est *cum alio scientia*; applicatio autem scientiae ad aliquid fit per aliquem actum.

SECUNDA R. EST: quia ex his quae conscientiae attribuuntur, dicitur conscientia testificari, ligare vel instigare, vel etiam accusare, vel remordere, sive reprehendere. Ergo conscientia actum nominat, sive applicationem alicujus nostrae cognitionis vel scientiae ad ea quae agimus. Aliquando tamen pro habitu sumitur, et dicitur synderesis, prout causae et effectus per invicem nominatur.

QUAESTIO LXXX

De potentiis appetitivis in communi

Deinde considerandum est de potentiis appetitivis, et circa hoc consideranda sunt quatuor. – Primo, de appetitu in communi. Secundo, de sensualitate. Tertio, de voluntate. Quarto, de libero arbitrio. Circa primum quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum appetitus sit aliqua specialis animae potentia.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sicut in naturalibus, i. e. cognitionem carentibus, est inclinatio natu-

ralis, quae formam sequitur; ita in cognitionem habentibus est superior inclinatio (praeter illam naturalem), quae potentiam animae appetitivam supponit.

Art. II. - *Utrum appetitus sensitivus et intellectivus sint diversae potentiae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia apprehensum per intellectum est alterius generis ab apprehenso per sensum.

QUAESTIO LXXXI

De sensualitate

Deinde considerandum est de sensualitate: circa quam quaeruntur tria:

Art. I. - *Utrum sensualitas solum sit appetitiva.*

RESP. AFF. - R. EST: quia motus sensualis est appetitus apprehensionem sensitivam consequens. Nomen autem sensualitatis a sensuali motu sumptum est.

Art. II. - *Utrum appetitus sensitivus distinguatur in irascibilem et concupiscibilem, sicut in potentias diversas.*

RESP. AFF. - R. EST: quia inclinatio animae ad prosequendum ea quae sunt convenientia secundum sensum, et ad refugiendum nociva, qui appetitus *concupiscibilis* dicitur; et illa per quam anima resistit impugnantibus quae convenientia impugnant, et nocumenta inferunt, quae vis *irascibilis* vocatur: non redicuntur in unum principium; nam irascibilis est quasi propugnatrix et defensatrix concupiscibilis, quae nociva refugit. - Omnes tamen passiones irascibilis a passionibus concupiscibilis incipiunt, et in eas terminantur.

Art. III. – *Utrum irascibilis et concupiscibilis obediunt rationi.*

RESP. AFF. – *Scil.* : uno modo quantum ad rationem; alio modo quantum ad voluntatem.

R. PRIMI EST: quia *ratio particularis*, quae est collativa intentionum individualium, et quae virtuti aestimativae in animalibus respondet, nata est moveri et dirigi in homine secundum rationem universalem, sicut patet in syllogisticis. Ratio autem universalis imperat appetitui sensitivo, qui distinguitur per concupiscibilem et irascibilem, et hic appetitus est ei obediens, secundum principatum politicum seu regale; retinet enim aliquid proprium.

R. SECUNDI EST: quia appetitus sensitivus subjacet voluntati quantum ad executionem, quae fit per vim motivam. Homo enim non statim movetur secundum appetitum irascibilem et concupiscibilem; sed expectatur imperium voluntatis, quae est appetitus superior.

QUAESTIO LXXXII

De voluntate

Deinde considerandum est de voluntate; circa quam quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum voluntas aliquid ex necessitate appetat.*

RESP. AFF. – *Scil.* : necessitate finis, et necessitate naturali; non vero necessitate coactionis.

R. PRIMI EST: quia aliquando non potest perveniri ad finem nisi uno tantum modo (supponendo alios modos non adesse); sicut ex voluntate transeundi mare fit necessitas in voluntate ut velit navem.

R. SECUNDI EST: quia, sicut intellectus ex necessitate inhaeret primis principiis, ita voluntas ex necessitate inhaereat ultimo fini, qui est beatitudo: finis enim se habet in operativis, sicut principium in speculativis.

R. TERTII EST: quia coactionis necessitas est contra inclinationem voluntatis.

Art. II. - *Utrum voluntas ex necessitate omnia velit quaecumque vult.*

RESP. NEG. - R. EST: quia sunt quaedam particularia bona quae non habent necessariam connexionem ad beatitudinem; sine his enim potest aliquis esse beatus.

NOTANDUM: Vis sensitiva simpliciter aliquid unum apprehendit, et secundum illud determinate movetur ad unum; ratio autem est collativa plurium, et ideo ex pluribus moveri potest appetitus intellectivus, scilicet voluntas, et non ex uno ex necessitate (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum voluntas sit altior potentia quam intellectus.*

RESP. NEG. - *Scil. :* secundum se, seu simpliciter, intellectus est alterior; secundum quid tamen, seu per comparisonem ad alterum, voluntas est altior intellectu, sed interdum.

R. PRIMI EST: quia objectum intellectus, quae est ipsa ratio boni appetibilis, est simplicius et magis absolutum quam objectum voluntatis, quod est bonum appetibile.

R. SECUNDI EST: quia objectum voluntatis aliquando invenitur in re, quae est nobilior quam ipsa anima, in qua sunt objecta intellectus. - Unde amor Dei melior est quam cognitio Dei; e contrario autem melior est cognitio rerum corporalium quam amor ipsarum.

Art. IV. – *Utrum voluntas moveat intellectum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non per modum finis, sed per modum agentis.

R. PRIMI EST: quia bonum intellectum est objectum voluntatis, et movet ipsam ut finis.

R. SECUNDI EST: quia in omnibus potentiis activis ordinatis, illa potentia quae respicit finem universalem, movet potentias quae respiciunt fines particulares: objectum autem voluntatis est bonum et finis in communi.

Art. V. – *Utrum irascibiles et concupiscibiles distinguere debeant in appetitu superiori.*

RESP. NEG. – R. EST: quia appetitus sensitivus non respicit communem rationem boni, quod est objectum appetitus superioris, seu voluntatis; nam concupiscibilis respicit propriam rationem boni, in quantum est delectabile secundum sensum, et conveniens naturae; et irascibilis respicit rationem boni, secundum quod est repulsivum et impugnativum ejus quod infert nocumentum: secundum autem diversas rationes particularium bonorum diversificantur partes appetitus sensitivi.

QUAESTIO LXXXIII

De libero arbitrio

Deinde quaeritur de libero arbitrio; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum homo sit liberi arbitrii.*

RESP. AFF. – R. EST: quia homo agit libero iudicio; scil. ex collatione quadam rationis. Particularia enim operabilia sunt contingentia quaedam, circa quae iudicium rationis ad diversa se habet, et non est determinatum ad unum. – Quod

ex praxi vitae confirmatur, quia secus frustra essent consilia, exhortationes, praecepta, prohibitiones, praemia et poenae.

Art. II. - *Utrum liberum arbitrium sit potentia.*

RESP. AFF. - R. EST: quia principium actus in nobis est et potentia et habitus. Liberum arbitrium autem non potest esse habitus; quia esset habitus naturalis: quod est impossibile, quia ea ad quae naturaliter inclinamur, non subsunt libero arbitrio, sicut de beatitudine dictum est. Item, quia habitus dicitur ad bene vel male operandum: liberum arbitrium autem indifferenter se habet ad bene eligendum, vel male. Ergo liberum arbitrium, prout est principium actus, est potentia.

Art. III. - *Utrum liberum arbitrium sit potentia appetitiva.*

RESP. AFF. - R. EST: quia proprium liberi arbitrii est electio; ad electionem autem magis concurrunt pars appetitiva quam cognoscitiva: proprium enim electionis est bonum, quod dicitur utile, et hoc est objectum appetitus.

Art. IV. - *Utrum liberum arbitrium sit alia potentia a voluntate.*

RESP. NEG. - R. EST: quia sicut se habet intellectus ad rationem, ita se habet voluntas ad vim electivam: necesse est enim appetitivas potentias proportionatas esse potentiis apprehensivis. Sicut igitur, intellectus est de principiis, ratio vero de conclusionibus; ita voluntas est de fine, liberum autem arbitrium de his quae sunt ad finem.

DE OPERATIONIBUS ANIMAE *

Consequenter considerandum est de actibus et de habitibus animae quantum ad potentias intellectivas et appetitivas: aliae animae potentiae non pertinent directe ad considerationem theologi. Actus autem et habitus appetitivae partis ad considerationem moralis scientiae pertinent; et ideo in secunda parte hujus operis de eis tractabitur, in qua considerandum est de morali materia. Nunc autem de actibus et habitibus intellectivae partis agetur. Primo quidem de actibus; secundo autem de habitibus. In consideratione vero actuum hoc modo procedemus. Primo namque considerandum est, quomodo intelligit anima corpori conjuncta. Secundo, quomodo intelligit a corpore separata. Prima autem consideratio est tripartita. Primo namque considerabitur, quomodo anima intelligit corporalia, quae sunt infra ipsam. Secundo, quomodo intelligit seipsam, et ea quae in ipsa sunt. Tertio, quomodo intelligit substantias immateriales, quae sunt supra ipsam. – Circa cognitionem vero corporalium tria considerata occurrunt. Primo quidem, per quid ea cognoscit. Secundo, quomodo, et quo ordine. Tertio, quid in eis cognoscit. – Circa primum quaeruntur octo:

QUAESTIO LXXXIV

Quomodo anima corpori conjuncta intelligat corporalia quae sunt infra seipsam

Art. I. – *Utrum anima cognoscat corpora per intellectum.*

RESP. AFF. – *Scil.:* non cognoscit corpora per species separatas sicut Plato posuit.

R. EST: quia intellectus species corporum, quae sunt materiales et mobiles, recipit immaterialiter

* Vide nostram « Divisionem Schematicam » Tab. VIII.

et immobiliter secundum modum suum: nam receptum est in recipiente per modum recipientis.

NOTANDUM: Error Platonis de speciebus separatis, ex hoc alio errore sequebatur, quod forma cogniti ex necessitate sit in cognoscente, eo modo quod est in cognito.

Art. II. – *Utrum anima per essentiam suam corporalia intelligat.*

RESP. NEG. – R. EST: quia corporalia non sunt in anima, nisi per abstractionem intellectus. Sola autem essentia Dei est immaterialiter comprehensiva omnium, prout effectus virtute praeexistunt in causa. Anima vero dicitur « quodammodo omnia esse » inquantum est in potentia ad omnia cognoscenda.

Art. III. – *Utrum anima intelligat omnia per species sibi naturaliter inditas.*

RESP. NEG. – PRIMA R. EST: quia si habet anima naturalem notitiam omnium, non videtur esse possibile quod hujus naturalis notitiae tantam oblivionem capiat, quod nesciat se hujusmodi scientiam habere.

SECUNDA R. EST: quia, deficiente aliquo sensu, deficit scientia eorum quae apprehenduntur secundum illum sensum.

Art. IV. – *Utrum species intelligibiles effluant in animam ab aliquibus formis separatis.*

RESP. NEG. – R. EST: quia si anima species intelligibiles secundum suam naturam apta nata esset recipere per influentiam aliquorum separatorum principiorum tantum, et non acciperet eas ex sensibus, non indigeret corpore ad intelligendum; unde frustra corpori uniretur.

Art. V. – *Utrum anima intellectiva cognoscat res immateriales in rationibus aeternis.*

RESP. AFF. – *Scil.*: non in objecto cognito, (sicut aliquis videt in speculo ea quorum imagines in speculo resultant); sed in cognitionis principio.

R. PRIMI EST: hoc modo soli beati omnia vident in rationibus aeternis; i. e. in Deo, quem vident, et omnia in eo.

R. SECUNDI EST: quia ipsum lumen intellectuale, quod est in nobis, nihil est aliud quam quaedam participata similitudo luminis increati, in quo continentur rationes aeternae. Unde ad quaesitum: *Quis ostendit nobis bona?* Psalmista respondet dicens: « *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* »; quasi dicat: Per ipsam sigillationem divini luminis in nobis omnia demonstrantur. – Tamen non per solam participationem rationum aeternarum de rebus materialibus notitiam habemus (sicut platonici posuerunt), sed exiguntur species intelligibiles a rebus acceptae.

Art. VI. – *Utrum intellectiva cognitio accipiatur a rebus sensibilibus.*

RESP. AFF. – *Scil.*: non ut a causa totali et perfecta, sed magis ut a materia causae.

R. EST: quia phantasmata, quae a sensu causantur, non sufficiunt immutare intellectum possibilem, sed oportet quod fiant intelligibilia actu per intellectum agentem.

Art. VII. – *Utrum intellectus possit actu intelligere per species intelligibiles quas penes se habet, non convertendo se ad phantasmata.*

RESP. NEG. – PRIMA R. EST: quia, ut videmus, impedito actu virtutis imaginativae per laesionem organi, impeditur homo ab intelligendo in actu etiam ea quorum scientiam praecepit.

SECUNDA R. EST: quia hoc quilibet a seipso experiri potest, quod quando aliquis conatur aliquid intelligere, format sibi aliqua phantasmata per modum exemplorum, in quibus quasi inspiciat quod intelligere studet. Potentia enim cognoscitiva proportionatur cognoscibili. Proprium autem est intellectus humani ut speculetur naturam universalem in particulari existentem.

Art. VIII. - *Utrum iudicium intellectus impediatur per ligamentum sensus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia omnia quae in praesenti statu intelligimus, cognoscuntur a nobis per comparationem ad res sensibiles naturales. Unde impossibile est quod sit in nobis iudicium intellectus perfectum cum ligamento sensus, per quem res sensibiles cognoscimus.

QUAESTIO LXXXV

De modo et ordine intelligendi

Deinde considerandum est de modo et ordine intelligendi; et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum intellectus noster intelligat res corporeas et materiales per abstractionem a phantasmatibus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia cum intellectus noster medio modo se habeat inter sensum et angelum, materialia quidem cognoscit sed immaterialiter, abstrahendo scilicet a phantasmatibus; non est enim intellectus actus alicujus organi, sed est vis animae, quae est forma corporis. - Per materialia igitur sic considerata in immaterialium aliqualem cognitionem devenimus; sicut et contra angeli per immaterialia materialia cognoscunt,

NOTANDUM: Intellectus agens abstrahit species intelligibiles a phantasmatibus, in quantum per virtutem intellectus agentis accipere possumus in nostra consideratione naturas specierum sine individualibus conditionibus, secundum quarum similitudines intellectus possibilis informatur (ad 4m); non potest tamen intelligere ea quorum species abstrahit, nisi convertendo se ad phantasmata (ad 5m).

Art. II. – *Utrum species intelligibiles a phantasmatibus abstractae se habeant ad intellectum nostrum sicut id quod intelligitur, vel sicut id quo intelligitur.*

RESP. se habent sicut id quo intelligimus.

R. EST: quia similitudo rei intellectae, quae est species intelligibilis, est forma secundum quam intellectus intelligit rem; sicut similitudo rei visibilis in oculo est secundum quam visus videt rem ipsam. – Item, quia eadem sunt quae intelligimus, et de quibus sunt scientiae; scientia autem est de rebus. – Item, quia secus omne quod intelligitur esset verum. – Tamen, quia intellectus supra seipsum reflectitur, secundum eandem reflexionem intelligit et suum intelligere, et speciem qua intelligit; et sic species intellecta est id quod secundo intelligitur, primo autem quod intelligit est res ipsa, cujus species intelligibilis est similitudo.

Art. III. – *Utrum magis universalis sint priora in nostra cognitione intellectuali.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia magis universalis sunt minus distincta: qui enim scit aliquid indistincte, adhuc est in potentia ut sciat distinctio- nis principium, sicut qui scit genus, est in potentia ut sciat differentiam. Prius igitur animal cognoscitur, secundum intellectum, quam homo. Quoad nos tamen prius est cognitio singularium

quam cognitio universalium, quia cognitio nostra incipit a sensu.

Art. IV. - *Utrum possimus multa simul intelligere.*

RESP. NEG. - *Scil.* : non multa simul per plures species.

R. EST: quia impossibile est idem subjectum perfici simul pluribus formis unius generis et diversarum specierum; sicut impossibile est quod corpus figuretur diversis figuris. Quaecumque tamen intellectus potest intelligere sub una specie, simul intelligere potest, scil. per modum unius.

Art. V. - *Utrum intellectus noster intelligat componendo et dividendo.*

RESP. AFF. - R. EST: quia intellectus noster non statim a principio habet suam totam perfectionem; sed primo apprehendit quidditatem rei, quae est proprium objectum intellectus; deinde proprietates et accidentia, et habitudines circumstantes rei essentiam: secundum hoc unum apprehensum componit et dividit alii; et ex una compositione et divisione ad aliam procedere; quod est ratiocinari. - Compositio autem et divisio fit per quamdam differentiam et comparisonem. (Ad 1m). Compositio autem intellectus est signum identitatis eorum quae componuntur (Ad 3m).

Art. VI. - *Utrum intellectus possit esse falsus.*

RESP. NEG. - *Scil.* : circa objectum proprium et per se, non potest esse falsus.

R. EST: quia ad proprium objectum unaquaeque potentia per se ordinatur, secundum quod ipsa. Objectum proprium intellectus nostri est quidditas rei materialis, quae sub sensu et imaginatione cadit, Potest tamen intellectus falli,

dum unum ordinat ad aliud, vel componendo, vel dividendo, vel etiam ratiocinando; quia in his potest non totaliter attingere veritatem; in rebus simplicibus vero, in quarum definitionibus compositio intervenire non potest, non possumus decipi.

Art. VII. – *Utrum unam et eandem rem unus alio melius intelligere possit.*

RESP. AFF. – *Scil.* : ex parte intelligentis; non vero ex parte rei intellectae.

R. PRIMI EST: quia unus est melioris virtutis in intelligendo, quam alius. Quod contigit tum quia corpus (ut materia relate ad formam) melius dispositum est: unde « molles carne bene aptos mente videmus »; tum quia partes inferiorum virtutum (imaginativa, cogitativa et memorativa) magis aptae sunt.

R. SECUNDI EST: quia sic non potest unus eandem rem magis intelligere quam alius; quia si intelligeret eam aliter quam sit, vel melius, vel pejus, falleretur, et non intelligeret, ut arguit Augustinus.

Art. VIII. – *Utrum intellectus per prius intelligat indivisibile quam divisibile.*

RESP. NEG. – *Scil.* : quoad indivisibile omnino, i. e. actu et potentia, sicut punctum; – AFF. tamen quantum ad indivisibile secundum continuitatem, et quantum ad indivisibile secundum speciem.

R. PRIMI EST: quia hujusmodi indivisibile cognoscitur per privationem divisibilis.

R. SECUNDI ET TERTII EST: quia hujusmodi duplex indivisibile intellectus secundum se intelligit sicut proprium objectum; continuum autem et species habent ordinem ad quidditatem.

QUAESTIO LXXXVI

Quid intellectus noster in rebus materialibus cognoscat

Deinde considerandum est quid intellectus noster in rebus materialibus cognoscat. Et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum intellectus noster cognoscat singularia.*

RESP. NEG. - *Scil.* : directe et primo singularia non cognoscit; sed indirecte et per quamdam reflexionem.

R. PRIMI EST: quia quod a materia individuali abstrahitur, est universale; unde intellectus noster directe non est cognoscitivus nisi universalium.

R. SECUNDI EST: quia postquam species intelligibiles abstraxerit, non potest secundum eas actu intelligere, nisi convertendo se ad phantasmata, in quibus species intelligibiles intelligit. Singulare autem immateriale intellectus directe cognoscit (ad 3m). Ad sensum vero pertinet singulare materiale directe cognoscere (ad 4m).

Art. II. - *Utrum intellectus noster possit cognoscere infinita.*

RESP. NEG. - *Scil.* : actu et habitu non potest infinita cognoscere; potest tamen in potentia infinita cognoscere.

R. EST: quia intellectus noster non potest simul actu cognoscere nisi quod per unam speciem cognoscit. Infinitum autem (quantitatis, de quo est sermo) non habet unam speciem; alicquin haberet rationem totius et perfecti. Secundo, quia habitualis cognitio causatur ex actuali consideratione. Intellectus noster tamen nunquam tot intelligit, quin possit plura alia intelligere; quod

est cognoscere infinitum in potentia, accipiendo scil. unum post aliud.

Art. III. – *Utrum intellectus sit cognoscitivus contingentium.*

RESP. AFF. – *Scil.*: contingencia, prout sunt contingencia, cognoscuntur directe a sensu, indirecte autem ab intellectu.

R. EST: quia unumquodque contingens est ex parte materiae; necessitas autem consequitur rationem formae. Materia autem directe est objectum sensus, indirecte vero etiam intellectus. Rationes ergo universales et necessariae contingentium cognoscuntur directe ab intellectu.

Art. IV. – *Utrum intellectus noster cognoscat futura.*

RESP. NEG. – *scil.*: in se ipsis; cognoscit tamen ea in suis causis.

R. PRIMI EST: quia sic solus Deus cognoscit futura, cui sunt praesentia, in quantum ejus aeternus intuitus simul fertur supra totum temporis cursum, ut dictum est (q. xiv, art. 13).

R. SECUNDI EST: quia futura cognosci possunt secundum modum ordinis effectus ad causam, sive necessario modo, sive contingenter.

QUAESTIO LXXXVII

Quomodo anima intellectiva seipsam et ea quae sunt in ipsa cognoscat

Deinde considerandum est quomodo anima intellectiva cognoscat seipsam et ea quae in se sunt; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum anima intellectiva seipsam cognoscat per suam essentiam.*

RESP. NEG. – R. EST: quia connaturale est intellectui nostro secundum statum praesentis

vitae quod ad materialia et sensibilia respiciat; consequens est ut sic seipsum intelligat intellectus noster, *secundum quod fit actu* per species a sensibilibus abstractas, et eis mediantibus intellectus possibilis intelligit: sive *particulariter*, ex hoc quod aliquis percipit se intelligere; sive *in universali*, secundum quod naturam humanae mentis ex actu intellectus consideramus. Tamen iudicium et efficacia hujus cognitionis, per quam naturam animae cognoscimus, competit nobis secundum derivationem luminis intellectus nostri a veritate divina, in qua rationes omnium rerum continentur (q. lxxxiv, art. 5).

Art. II. - *Utrum intellectus noster cognoscat habitus animae per essentiam eorum.*

RESP. NEG. - R. EST: quia nihil cognoscitur nisi secundum quod est actu. Habitus autem est quodammodo medium inter potentiam puram et actum purum. Cognoscitur tamen habitus, per actum ipsius, et per studiosam inquisitionem, sicut dictum est de anima (art. praec.).

Art. III. - *Utrum intellectus cognoscat proprium actum.*

RESP. AFF. - *Scil.*: secundario.

R. EST: quia operatio intellectus non est sicut actio tendens in alium, sed manet in operante ut perfectio et actus ejus. Tamen objectum proprium intellectus nostri est natura materialis rei; secundario cognoscitur ipse actus, quo cognoscitur objectum, et per hunc actum cognoscitur ipse intellectus.

Art. IV. - *Utrum intellectus intelligat actum voluntatis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia actus voluntatis est inclinatio intelligibilis. Nihil aliud est enim actus voluntatis quam inclinatio quaedam con-

sequens formam intellectam; sicut appetitus naturalis est inclinatio consequens formam naturalem.

QUAESTIO LXXXVIII

Quomodo anima humana cognoscat ea quae supra se sunt

Deinde considerandum est quomodo anima humana cognoscat ea quae supra se sunt, scilicet immateriales substantias: et circa hoc quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum anima humana secundum statum vitae praesentis possit intelligere substantias immateriales per seipsas.*

RESP. NEG. – R. EST: quia secundum statum vitae praesentis, intellectus noster nihil intelligit nisi convertendo se ad phantasmata.

NOTANDUM: In hoc articulo S. D. diffuse arguit contra Averroem dicentem quod intellectus agens sit substantia separata aliquomodo nobis unita, per quam notitias de substantiis separatis immediate accipimus.

Art. II. – *Utrum intellectus noster per cognitionem rerum materialium possit pervenire ad intelligendum substantias immateriales.*

RESP. NEG. – Contra illos, qui posuerunt quidditatem rei materialis ab intellectu nostro abstractam, aliquid materiale habere, quod iterum iterumque abstrahitur, donec ad puram substantiam immaterialem intelligendam perveniatur. Ita quidam Avempace, vel Aben-pace, philosophus seculi XII apud Arabes celeberrimus.

R. EST: quia, non posito, sed supposito, quod substantiae immateriales sine omnino alterius rationis a quidditatibus materialium rerum, quan-

tumcumque intellectus noster abstrahat quidditatem rei materialis a materia, nunquam perveniet ad aliquid simile substantiae immateriali. – Tamen ex rebus materialibus ascendere possumus in aliqualem cognitionem immaterialium rerum, non autem in perfectam; non enim est sufficiens comparatio rerum materialium ad immateriales (ad 1m).

Art. III. – *Utrum Deus sit primum quod a mente humana cognoscitur.*

RESP. NEG. – R. EST: quia primum quod intelligitur a nobis secundum statum praesentis vitae, est quidditas rei materialis, quae est nostri intellectus objectum; in Dei cognitionem autem per creaturas pervenimus, secundum illud Apostoli: *Invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur* (Rom., I, 20).

QUAESTIO LXXXIX

De cognitione animae separatae

Deinde considerandum est de cognitione animae separatae; et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum anima separata a corpore possit intelligere.*

RESP. AFF. – *Scil.*: modo praeter naturali.

R. EST: quia modus operandi sequitur modum essendi. Sicut esse separatam a corpore est animae praeter rationem suae naturae, ita et ejus intelligere simpliciter sine recursu ad phantasmata.

NOTANDUM: Anima separata non intelligit per species innatas, nec per species quas tunc abstrahit, nec solum per species conservatas; sed per species ex influentia divini luminis participatas, quarum

anima fit particeps, sicut et aliae substantiae separatae, quamvis inferiori modo. Unde tam cito cessante conversione ad corpus, ad superiora convertitur. Nec tamen propter hoc cognitio vel potentia non est naturalis: quia Deus est auctor non solum influentiae gratuiti luminis, sed etiam naturalis (ad 3m).

Art. II. – *Utrum anima separata intelligat substantias separatas.*

RESP. AFF. – *Scil.* : per hoc quod anima separata cognoscit seipsam.

R. EST: quia commune omni substantiae separatae est quod intelligat id quod est supra se, et id quod est infra se, per modum suae substantiae; intelligitur enim aliquid secundum quod est in intelligente. De aliis igitur animabus separatis perfectam cognitionem habet, de angelis autem imperfectam et deficientem, loquendo de cognitione naturali animae separatae. De cognitione autem gloriae est alia ratio.

NOTANDUM: Anima separata est imperfectior quam anima unita corpori, si consideretur natura corporis; sed tamen est liberior ad intelligendum, inquantum per gravedinem et occupationem corporis a puritate intelligentiae impeditur (Ad 1m). – Angelos cognoscit per similitudines ipsi divinitus impressas. – Magna est felicitas in cognitione aliarum substantiarum separatarum (ad 3m).

Art. III. – *Utrum anima separata omnia naturalia cognoscat.*

RESP. NEG. – *Scil.* : non habet de omnibus naturalibus certam et propriam cognitionem, sed communem et confusam.

R. EST: quia modus cognoscendi animae separatae non est ei naturalis. Angeli vero cognoscunt cognitione perfecta omnia naturalia; quia omnia quae Deus fecit in propriis naturis, fecit in intelligentia angelica, ut dicit Aug., scil. ad gubernium mundi.

Art. IV. - *Utrum anima separata cognoscat singularia.*

RESP. AFF. - *Scil.* : non omnia, sed solum illa ad quae quodammodo determinatur.

R. EST: quia anima separata cognoscit per species, quae sunt quaedam participatae similitudines illius essentiae divinae.

Art. V. - *Utrum habitus scientiae hic acquisitae remaneat in anima separata.*

RESP. AFF. - *Scil.* : quantum ad id quod in ipso intellectu est; non autem quantum ad id quod est in inferioribus viribus.

R. PRIMI EST: quia intellectus est incorruptibilis, et species intellectuales non habent contrarium.

R. SECUNDI EST: quia tales vires (inferiores) non remanent in anima separata.

Art. VI. - *Utrum actus scientiae hic acquisitae maneat in anima separata.*

RESP. AFF. - *Scil.* : non secundum eundem modum sicut modo est.

R. EST: quia secundum species intelligibiles hic acquisitas anima separata intelligere potest quae prius intellexit; non tamen per conversionem ad phantasmata, sed per modum convenientem animae separatae.

Art. VII. - *Utrum distantia localis impediatur cognitionem animae separatae.*

RESP. NEG. - *Scil.* : contra illos qui dicebant animam separatam singularia cognoscere abstractendo a sensibus. Quod est evidenter falsum.

R. EST: quia in anima separata actu non manent sensus. Lumen divinum autem per quod anima separata intelligit singularia, aequaliter se habet ad propinquum et distans.

Art. VIII. – *Utrum animae separatae cognoscant ea quae hic aguntur.*

RESP. NEG. – *Scil.*: secundum naturalem cognitionem, de qua nunc agitur.

R. EST: quia animae mortuorum secundum ordinationem divinam et secundum modum essendi segregatae sunt a conversatione viventium, et conjunctae conversationi substantiarum spiritualium quae sunt a corpore separatae, sicut S. Gregorius (Moral. lib. xii, c. 14 in princ.) et S. Augustinus (Lib. de cura mortuis agenda c. 13 et 14) dicunt.

NOTANDUM: S. Augustinus, non assertive, sed dubitando, tenet, quod nec animae beatorum sciunt ea quae hic aguntur. S. Gregorius vero assertive dicit, quod animae sanctorum omnia in ipsa Dei claritate vident; quod S. Thomae magis arridet; quia, ut ipse dicit, animae justorum in coelo sunt angelis aequales, sicut et ipse S. Augustinus docet: tamen rebus viventium non se ingerunt, nisi secundum quod justitiae divinae dispositio exigit.

DE PRIMA PRODUCTIONE HOMINIS*

Deinde considerandum est de prima hominis productione; et circa hoc consideranda sunt quatuor: primo, de productione ipsius hominis; secundo, de fine productionis; tertio, de statu et conditione hominis primo producti; quarto de loco ejus. – Circa productionem autem consideranda sunt tria: primo, de productione hominis quantum ad animam; secundo, quantum ad corpus viri; tertio, quantum ad productionem mulieris. – Circa primum quaeruntur quatuor:

* Divisio Schematica, Tab. VII.

QUAESTIO XC

De productione hominis quantum
ad animam

Art. I. – *Utrum anima sit facta, vel sit de substantia Dei.*

RESP. : Anima non est de substantia Dei, sed est facta; contra manichaeos, qui dicebant Deum esse lucem corpoream, et animam partem ipsius; et contra Varrum, qui dicebat Deum esse animam mundi: non valentes distinguere spiritum a corpore.

R. EST: quia anima humana est quandoque intelligens in potentia, scientiam quodammodo a rebus acquirit, et habet potentias diversas; Deus autem e contra est actus purus (q. iii, art. 7).

Art. II. – *Utrum anima sit producta in esse per creationem.*

RESP. AFF. – R. EST: quia non potest fieri ex materia praejacente neque corporali, quia sic esset naturae corporeae; neque spirituali, quia sic substantiae spirituales invicem transmutarentur: sed est forma subsistens, cui competit proprie esse et fieri.

Art. III. – *Utrum anima rationalis sit producta a Deo immediate.*

R. AFF. – R. EST: quia anima rationalis non potest produci nisi per creationem (art. praec.). Solus Deus autem potest creare, quia solius primi agentis est agere, nullo praesupposito (q. lxxv, art. 3).

Art. IV. – *Utrum anima humana fuerit producta ante corpus.*

RESP. NEG. – Contra Origenem, qui dicit cum angelis creata fuisset; et contra S. Augustinum,

qui non asserendo, et salva auctoritate Scripturae, dicit rationem causalem corporis humani in elementis mundi fuisse, anima vero jam creatam fuisse.

R. EST: quia anima, cum sit pars humanae naturae, non habet naturalem perfectionem, nisi secundum quod est corpori unita. Deus autem primas res instuit in perfecto statu suae naturae, secundum quod uniuscujusque rei species exigebat.

QUAESTIO XCI

De productione corporis primi hominis

Deinde considerandum est de productione corporis primi hominis; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum corpus primi hominis sit de limo terrae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia cum Deus perfectus sit in operibus suis, perfectionem dedit omnibus secundum eorum modum; convenit autem corpori primi hominis quod sit terra formatum aquae mixta, sicut caeteris elementis, ut sit ex rebus omnibus quodammodo compositus homo, et habeat convenientiam cum inferioribus corporibus, sicut per animam convenientiam habet cum spiritualibus.

Art. II. – *Utrum corpus humanum sit immediate a Deo productum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia corpus humanum nunquam formatum fuerat, cujus virtute per viam generationis aliud simile in specie formaretur. Formam autem producere in materia absque adminiculo praecedentis formae materialis est solius Dei.

Art. III. – *Utrum corpus hominis habuerit convenientem dispositionem.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Deus instituit corpus humanum in optima dispositione secundum convenientiam ad talem formam (animam) et ad tales operationes, non autem simpliciter.

R. EST: quia omnes res naturales productae sunt ab arte divina, et sunt quodammodo artificiata ipsius Dei. Deus igitur unicuique rei naturali optimam dedit dispositionem secundum ordinem ad proprium finem, et hoc in unaquaque parte corporis videri potest, (sicut in responsionibus ad objectiones probatur).

Art. IV. – *Utrum convenienter corporis humani productio in Scriptura describatur.*

RESP. AFF. – Sufficit enim auctoritas Scripturae.

R. tamen convenientiae est: quia ea quae principaliter intendimus, cum majori deliberatione et studio consuevimus facere. – Quoad autem particularia videndae sunt responsiones ad objectiones.

QUAESTIO XCII

De productione mulieris

Deinde considerandum de productione mulieris; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum mulier debuerit produci in prima rerum productione.*

RESP. AFF. – R. EST: quia necessarium fuit feminam fieri, sicut Scriptura dicit, *in adiutorium viri*, scil. in adiutorium generationis; non conveniebat autem homini, propter suam perfectionem, habere in se virtutem generationis activam et passivam conjunctam, sicut accidit in quibusdam plantis et animalibus infimis.

Art. II. – *Utrum mulier debuerit fieri ex viro.*

RESP. AFF. – PRIMA R. EST: quia in hoc dignitas primo homini servaretur, ut sit ipse caput totius speciei, sicut Deus caput est universi.

SECUNDA R. EST: ut vir magis suam uxorem diligeret, et ei inseparabilius adhaereret.

TERTIA R. EST: quia mas et femina conjunguntur in hominibus non solum propter necessitatem generationis, ut in aliis animalibus, sed etiam propter domesticam vitam, in qua vita est vir caput mulieris.

QUARTA R. EST: quia figuratur per hoc quod Ecclesia a Christo sumit principium, sicut Apostolus dicit (Ephes. v, 32).

Art. III. – *Utrum mulier debuerit formari de costa viri.*

RESP. AFF. – *Primo*, ad significandum quod inter virum et mulierem debet esse socialis conjunctio. *Secundo*, propter sacramentum; quia de latere Christi dormientis in cruce fluxerunt sacramenta, id est sanguis et aqua, quibus est Ecclesia instituta.

NOTANDUM: Costa illa fuit de perfectione Adae, non prout erat individuum quoddam, sed prout erat principium speciei (ad 2m).

Art. IV. – *Utrum mulier fuerit immediate formata a Deo.*

RESP. AFF. – R. EST: quia mulier non fuit generata ex semine; solus autem Deus potest praeter naturae ordinem res in esse producere.

QUAESTIO XCIII

De fine sive termino productionis hominis

Deinde considerandum est de fine sive termino productionis hominis, prout dicitur factus ad imaginem et similitudinem Dei; et circa hoc quaeruntur novem;

Art. I. - *Utrum imago Dei sit in homine.*RESP. AFF. - *Scil.* : imperfecta.

R. EST: quia in homine invenitur aliqua Dei similitudo, quae deducitur a Deo sicut ab exemplari; non tamen est similitudo secundum aequalitatem, quia in infinitum excedit exemplar hoc tale exemplatum.

NOTANDUM: Imago aliquid addit supra rationem similitudinis, scilicet quod sit ex alio expressa *. - In verbis Scripturae *Faciamus hominem ad imaginem*, etc. praepositio *ad* accessum quemdam significat, qui competit rei distant. - Imago Dei est in Filio suo, sicut imago regis in filio sibi connaturali; in homine autem sicut in aliena natura, sicut imago regis in nummo argenteo (ad 2m).

Art. II. - *Utrum imago Dei inveniatur in irrationabilibus creaturis.*

RESP. NEG. - R. EST: quia ad rationem imaginis propriae non sufficit ut aliquid sit expressum secundum genus, sicut vermis ex homine, vel secundum aliquod accidens commune; sed requiritur quod sit similitudo secundum speciem, vel ad minus secundum aliquod accidens proprium speciei, et praecipue secundum figuram. Unde neque entia, inquantum sunt; neque viventia, inquantum vivunt dicuntur proprie imagines Dei, sed solum intellectuales creaturae inquantum sapiunt et intelligunt; caetera autem aliquam Dei similitudinem habent (ad 1m).

Art. III. - *Utrum angelus sit magis ad imaginem Dei quam homo.*RESP. AFF. - *Scil.* : simpliciter loquendo; non autem secundum quid.

R. PRIMI EST: quia id in quo primo consideratur ratio imaginis Dei, est natura intellectualis,

* Secundum speciem, vel saltem secundum proprium speciei, maxime figurae.

et haec est perfectior in angelis quam in hominibus.

R. SECUNDI EST: quia secundum quod homo est de homine, sicut Deus de Deo; et quod anima hominis est tota in qualibet parte ipsius, sicut Deus in omnibus: sic imago Dei magis est in homine quam in angelo.

Art. IV. – *Utrum imago Dei inveniatur in quolibet homo.*

RESP. AFF. – *Scil.*: sic dicta imago creationis.

R. EST: quia homo ad imaginem Dei esse dicitur secundum naturam intellectualem, per quam Deum maxime imitari potest, scil. in intelligendo et in amando. Triplici modo igitur imago Dei est in homine: primo, inquantum homo habet aptitudinem naturalem ad intelligendum et amandum Deum (imago creationis); secundo, inquantum Deum cognoscit et diligit per conformitatem gratiae (imago recreationis); tertio, secundum similitudinem gloriae (imago similitudinis).

Art. V. – *Utrum in homine sit imago Dei quantum ad trinitatem personarum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia esse ad imaginem Dei secundum imitationem divinae naturae non excludit hoc quod est esse ad imaginem Dei secundum repraesentationem trium personarum, sed magis unum ad alterum sequitur: nam in ipso Deo in tribus personis una existit natura.

Art. VI. *Utrum imago Dei sit in homine solum secundum mentem.*

RESP. AFF. – *Scil.*: in homine invenitur Dei similitudo per modum imaginis secundum mentem, sed secundum alias partes ejus per modum vestigii.

R. EST: quia imago proprie repraesentat similitudinem speciei, ut dictum est (art. 2), ve-

stigium autem repraesentat per modum effectus. Ratione speciei homo est rationalis, et secundum hoc imaginem Dei habet et quantum ad naturam divinam et quantum ad similitudinem Trinitatis increatae. Est enim etiam in homine secundum mentem processio verbi per intellectum, et processio amoris per voluntatem.

NOTANDUM: Vestigium Trinitatis est in aliis creaturis in quantum est in ipsis: substantia modificata et finita, quae demonstrat quoddam Principium; species, quae demonstrat Verbum facientis, sicut forma domus demonstrat conceptionem artificis; et ordo, qui demonstrat Amorem producentis, quo effectus ordinatur ad bonum, sicut usus aedificii demonstrat artificis voluntatem (in corp.).

Art. VII. - *Utrum imago Dei inveniatur in anima secundum actus.*

RESP. AFF. - *Scil.*: prout ex notitia quam habemus, cogitando, interius verbum formamus, et ex hoc in amorem prorumpimus.

R. EST: quia cum ad rationem imaginis pertineat aliqualis repraesentatio speciei, imago Trinitatis, quae in anima accipitur, oportet quod secundum illud attendatur principaliter, quod maxime accedit (prout possibile est) ad repraesentandum speciem divinarum personarum, quae per processiones distinguuntur.

Art. VIII. - *Utrum imago divinae Trinitatis sit in anima solum per comparisonem ad objectum quod est Deus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia diversitas objectorum diversificat speciem verbi et amoris.

Art. IX. - *Utrum similitudo ab imagine convenienter distinguatur.*

RESP. AFF. - *Scil.*: similitudo convenienter distinguitur ab imagine ut praeambulum ad ipsam, et ut subsequens ad ipsam.

R. EST: quia similitudo attenditur secundum ea quae sunt communiora proprietatibus naturae intellectualis, secundum quas proprie attenditur imago; sic, in quantum anima est incorruptibilis, dicitur similis Deo; quantum ad mentem, dicitur imago. - Similitudo etiam considerari potest, secundum quod significat imaginis expressionem et perfectionem.

DE STATU ET CONDITIOE PRIMI HOMINIS

Deinde considerandum est de statu et conditione primi hominis; et primo quantum ad animam; secundo quantum ad corpus. Circa primum consideranda sunt duo: primo de conditione hominis quantum ad intellectum; secundo, de conditione hominis quantum ad voluntatem. Circa primum quaeruntur quatuor:

QUAESTIO XCIV

De statu et conditione primi hominis quantum ad intellectum

Art. I. - *Utrum primus homo per essentiam Deum viderit.*

RESP. NEG. - *Scil.:* secundum communem statum illius vitae.

R. EST: quia nullus videns Deum per essentiam potest voluntatem averti a Deo. - Cognoscebat tamen Deum quadam altiori cognitione quam nos nunc cognoscamus; quia Deus ipsum rectum fecit. Unde primus homo non impediatur per res exteriores a clara et firma contemplatione intelligibilium effectuum, quod ex irradiatione primae veritatis percipiebat, sive naturali cognitione, sive gratuita.

NOTANDUM: Primus homo, ante peccatum, vitam beatam habebat, secundum quemdam modum, inquantum habebat integritatem et perfectionem quamdam naturalem, ut Augustinus dicit (ad 1m), quam per peccatum amisit.

Art. II. - *Utrum Adam in statu innocentiae angelos per essentiam viderit.*

RESP. NEG. - R. EST: quia etiam animae primi hominis competebat modus intelligendi per conversionem ad phantasmata. - Tamen anima primi hominis excellentiorem modum cognitionis habebat de angelis quam nos habeamus; quia ejus cognitio erat magis certa et fixa circa interiora intelligibilia quam cognitio nostra; et propter eminentiam, dicit Gregorius, quod intererat angelorum spiritibus.

Art. III. - *Utrum primus homo habuerit scientiam omnium.*

RESP. AFF. - *Scil.:* scientiam omnium in quibus homo natus est instrui.

R. EST: quia sicut primus homo institutus est in statu perfecto quantum ad corpus, ut statim posset generare, ita etiam institutus est in statu perfecto quantum ad animam, ut statim posset alios instruere et gubernare; naturali enim ordine perfectum praecedit imperfectum, sicut et actus potentiam.

NOTANDUM: Primus homo cognovit ea omnia quae virtualiter existunt in primis principiis per se notis, quaecumque scilicet naturaliter homines cognoscere possunt. - De supernaturalibus autem tantam cognitionem accepit, quanta erat necessaria ad gubernationem vitae humanae secundum statum illum (innocentiae). - Alia vero quae nec naturaliter hominis studio cognosci possunt, nec sunt necessaria ad gubernationem vitae humanae, primus homo non cognovit. Scientiam autem omnium per species a Deo infusas habuit (ad 1m).

Art. IV. – *Utrum homo in primo statu decipi potuisset.*

RESP. NEG. – *Scil.*: non poterat esse quod innocentia manente, intellectus hominis alicui falso acquiesceret quasi vero.

R. EST: quia, ut ex ipsa rectitudine primi status apparet, quamdiu anima maneret Deo subdita, tamdiu in homnie inferiora superioribus subderentur, nec superiora per inferiora impediuntur; deceptio autem in intellectu accidit ex aliquo inferiori, puta phantasia, vel aliquo hujusmodi.

NOTANDUM: Eva non fuit proprie decepta a serpente, quia, ut dicit Augustinus, « verbis serpentis non crederet, nisi jam inesset menti ejus amor propriae potestatis, et quaedam de se superba praesumptio » (Ad 1m).

QUAESTIO XCV

De his quae attinent ad voluntatem primi hominis, gratia scilicet et justitia

Deinde considerandum est de his quae pertinent ad voluntatem primi hominis; et circa hoc quaerenda sunt duo: primo quidem de gratia et justitia primi hominis; secundo de usu justitiae quantum ad dominium super alia. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum primus homo fuerit creatus in gratia.*

RESP. AFF. – *Scil.*: secundum illud: *Deus fecit hominem rectum* (Eccle. 7, 30).

R. EST: quia illa subjectio corporis ad animam, et inferiorum virium ad rationem non erat naturalis; alioquin post peccatum mansisset, cum etiam in daemonibus data naturalia post pec-

catum permanserint. Unde manifestum est quod et illa prima subjectio, qua ratio Deo subdebatur, non erat solum secundum naturam, sed secundum supernaturale donum gratiae, (prout ex immediatis consequentis peccati primi hominis apparet).

Art. II. - *Utrum in primo homine fuerint animae passiones.*

RESP. AFF. - *Scil.* : ex rationis iudicio consequentes, et solum illae passiones, quae ex praesenti vel futuri boni proveniunt.

R. EST: quia in illo statu innocentiae nullum malum aderat nec imminabat. Unde non fuit in primo homine neque tristitia neque dolor, vel alia huiusmodi. Passiones vero quae possunt esse boni praesentis, ut gaudium et amor, vel quae sunt futuri boni in suo tempore habendi, ut desiderium et spes non affligens, fuerunt in statu innocentiae, sed prout in illo statu inferior appetitus erat rationi totaliter subjectus.

Art. III. - *Utrum Adam habuerit omnes virtutes.*

RESP. AFF. - *Scil.* : aliquid, seu non eodem modo.

R. EST: quia virtutes nihil aliud sunt quam perfectiones quaedam, quibus ratio ordinatur in Deum, et inferiores vires disponuntur secundum regulam rationis, ut infra magis patebit. (I-II, q. lxiii, art. 2); talis autem erat rectitudo primi status, ut dictum est. - Tamen non omnes virtutes habebat eodem modo: charitatem et iustitiam, quae de sui ratione imperfectionem non important, habebat et quoad habitum et quoad actum. Fidem et spem, quae de sui ratione imperfectionem habent, quae tamen poterant esse in primo statu, habebat etiam et quantum ad habitum et quantum ad actum. Aliae virtutes autem, quae de

ratione sui important imperfectionem, quae repugnat perfectioni primi status, non habebat quantum ad actum, sed quantum ad dispositionem seu habitum; ita de virtute poenitentiae, misericordiae, etc.

Art. IV. – *Utrum opera primi hominis fuerint minus efficacia ad merendum quam opera nostra.*

RESP. NEG. – *Scil. :* si attendatur quantitas meriti ex radice gratiae et charitatis, et similiter si consideretur ex absoluto quantitas operis, tunc dicendum est, quod efficaciora fuissent hominis opera ad merendum in statu innocentiae, quam post peccatum; non autem si attendatur quantitas proportionalis.

R. EST: quia gratia copiosior fuit in primo homine ante peccatum, quam post peccatum, nullo obstaculo in natura humana invento; et cum homo esset majoris virtutis (absolute), majora opera fecisset; major tamen invenitur ratio meriti post peccatum, propter hominis imbecillitatem, quae majorem difficultatem importat.

QUAESTIO XCVI

De dominio quod homini in statu innocentiae competebat

Deinde considerandum est de dominio, quod competebat homini in statu innocentiae; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum Adam in statu innocentiae animalibus dominaretur.*

RESP. AFF. – R. EST: quia animalia sunt homini naturaliter subjecta; in statu innocentiae autem ante inobedientiam nihil homini repugnabat quod naturaliter deberet ei esse subiectum.

Quod autem animalia sunt naturaliter homini subjecta ex tribus apparet: primo, ex processu naturae, ubi ordo proceditur de imperfecto ad perfectum: sic plantae utuntur terra ad sui nutrimentum animalia plantis, et homo plantis et animalibus; secundo, ex ordine divinae providentiae, quae semper inferiora per superiora gubernat; tertio, ex proprietate hominis et animalium: in istis autem est quaedam participatio prudentiae ad aliquos actus particulares, in homine autem est universalis prudentia: omne autem quod est per participationem, subditur ei quod est per essentiam et universaliter.

Art. II. – *Utrum homo habuisset dominium super omnes alias creaturas.*

RESP. AFF. – *Scil.*: secundum modum quo dominatur his quae in seipso sunt.

R. EST: quia in homine quodammodo sunt omnia. Tamen homo non dominabatur angelis in statu innocentiae, quia ratio in homine habet locum dominantis, et non subjecti dominio. Animalibus vero dominabatur per imperium; sed viribus naturalibus et proprio corpori dominabatur non imperando, sed utendo.

Art. III. – *Utrum homines in statu innocentiae fuissent omnes aequales.*

RESP. NEG. – *Scil.*: non solum fuisset disparitas quantum ad sexum et aetatem, sed etiam quantum ad animam (i. e. ratione iustitiae et scientiae) et etiam quantum ad corpus.

R. EST: quia, ex parte animae, homo non ex necessitate operatur, sed per liberum arbitrium. Quantum ad corpus autem non erat totaliter exemptum a legibus naturae; quin ex exterioribus agentibus (e. g. ex dispositione aeris), aliquod commodum aut auxilium reciperet magis vel minus.

Art. IV. – *Utrum homo in statu innocentiae homini dominabatur.*

RESP. AFF. – *Scil.*: non secundum quod dominium opponitur servituti; sed secundum quod communiter refertur ad subjectum qualitercumque.

R. PRIMI EST: quia tale dominium non potest esse sine poena subjectorum; contristabile est enim unicuique quod illud bonum (libertas) quod deberet esse suum, cedat alteri tantum.

R. SECUNDI EST: quia tale dominio dominatur aliquis alteri ut libero, i. e. ad bonum ejus qui dirigitur, vel ad bonum commune; homo autem est naturaliter animal sociale, et si unus homo habuisset super alios supereminentiam scientiae et justitiae, inconueniens fuisset, nisi hoc exqueretur in utilitatem aliorum.

Deinde considerandum est de his quae pertinent ad statum primi hominis secundum *Corpus*; et primo quantum ad conservationem individui; secundo, quantum ad conservationem speciei. Circa primum quaeruntur quatuor:

QUAESTIO XCVII

De his quae pertinent ad statum primi hominis quantum ad conservationem individui

Art. I. – *Utrum homo in statu innocentiae esset immortalis.*

RESP. AFF. – *Scil.*: non ex parte materiae, neque ex parte formae; sed ex parte causae efficientis, i. e. Dei.

R. EST: quia corpus primi hominis non erat indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem; sed quia inerat animae vis quae-

dam supernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione praeservari quamdiu ipsa anima Deo subjecta mansisset; ut sic anima posset corpus conservare supra naturam corporalis materiae, sicut eam decebat.

Art. II. - *Utrum homo in statu innocentiae fuisset passibilis.*

RESP. NEG. - *Scil.:* secundum sensum proprium passivis fuit impassibilis; fuit passibilis secundum sensum communem passionis.

R. PRIMI EST: quia tales passiones, quae naturalem dispositionem remouent, poterat prohibere, sicut et mortem, si absque peccato perstisset.

R. SECUNDI EST: quia passio communiter dicitur secundum quamcumque mutationem, sicut intelligere vel sentire, quae ad perfectionem naturae pertinet.

NOTANDUM: Corpus hominis in statu innocentiae poterat praeservari ne pateretur laesionem ab aliquo duro; partim quidem per propriam rationem, per quam poterat nociva vitare; partim etiam per divinam providentiam, quae sic ipsum tuebatur, ut nihil ei occurreret ex improvise, a quo laederetur (ad 4m).

Art. III. - *Utrum homo in statu innocentiae indigebat cibis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia in statu innocentiae anima rationalis communicabat corpori id quod competit ei in quantum est anima, qua homo animal dicitur, et ut talis cibus indiget.

NOTANDUM: Post resurrectionem anima communicabit corpori ea quae sunt sibi propria, in quantum est spiritus: immortalitatem quidem quantum ad omnes; impassibilitatem vero, et gloriam, et virtutem quantum ad bonos (In corp.).

Art. IV. – *Utrum homo in statu innocentiae per lignum vitae immortalitatem consecutus fuisset.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non simpliciter.

R. EST: quia lignum vitae habebat virtutem fortificandi virtutem speciei contra debilitatem proveniente[m] ex admixtione extranei. Tamen non poterat virtus ligni se extendere ad hoc ut daret corpori virtutem durandi tempore infinito.

Deinde considerandum est de his quae pertinent ad conservationem speciei et primo de ipsa generatione; secundo de conditione prolis genitae. Circa primum quaeruntur duo:

QUAESTIO XCVIII

De pertinentibus ad conservationem speciei

Art. I. – *Utrum in statu innocentiae fuisset generatio.*

RESP. AFF. – R. EST: quia cum in rebus corruptibilibus nihil sit perpetuum, et semper manens, nisi species; sequitur quod bonum speciei est de principali intentione naturae, ad cuius conservationem naturalis generatio ordinatur. Id enim per se videtur esse de intentione naturae, quod est semper et perpetuum.

Art. II. – *Utrum in statu innocentiae fuisset generatio per coitum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : contra illos, qui considerantes foeditatem concupiscentiae quae invenitur in coitu, in isto statu, posuerunt quod in statu innocentiae non fuisset generatio per coitum, ut S. Gregorius Nyssenus.

R. EST: quia ea quae sunt naturalia homini, neque subtrahantur, neque dantur homini per peccatum. Deformitas autem immoderatae concupiscentiae, quae in statu praesenti est, in statu innocentiae non fuisset, quando inferiores vires omnino rationi subdebantur, unde fuisset fecunditas sine libidine.

QUAESTIO XCIX

De conditione prolis generandae quantum ad corpus

Deinde considerandum est de conditione prolis generandae: et primo quantum ad corpus; secundo, quantum ad justitiam; tertio, quantum ad scientiam. Circa primum quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum pueri in statu innocentiae mox nati virtutem perfectam habuissent ad motum membrorum.*

RESP. NEG. - R. EST: quia, quamvis membra hominis in statu innocentiae non poterant deficere humanae voluntati, tamen humana voluntas ordinata est quae tendit in actus sibi convenientes. Non sunt autem iidem actus convenientes homini secundum quamlibet aetatem. - Motus membrorum contigit ex siccitate cerebri. (In corp. et ad 2m).

Art. II. - *Utrum in primo statu feminae natae fuissent*.*

RESP. AFF. - R. EST: quia in statu innocentiae nihil eorum quae ad complementum humanae naturae pertinent defuisset.

* S. Thomas ponit similes articulos ad refutandum quosdam veterorum opiniones.

NOTANDA: 1. - Femina dicitur *mas occasionatus*, quia est praeter intentionem naturae particularis; non autem praeter intentionem naturae universalis (Ad 1m). 2. - Generatio feminae non solum contingit ex defectu virtutis activae, vel ex indispositione materiae; sed quandoque quidem ex aliquo accidenti extrinseco, sicut Philosophus dicit, quod « ventus septentrionalis coadjuvat ad generationem masculorum, australis vero ad generationem feminarum »; quandoque etiam ex conceptione animae, ad quam de facili immutatur corpus. Et praecipue in statu innocentiae hoc esse poterat, quando corpus magis erat animae subiectum; ut scilicet secundum voluntatem generantis distingueretur sexus in prole (ad 2m).

QUAESTIO C

De conditione prolis generandae quantum ad iustitiam

Art. I. - *Utrum homines fuissent nati cum iustitia.*

RESP. AFF. - R. EST: quia iustitia originalis in qua primus homo conditus fuit, fuit accidens naturae speciei, sicut quoddam donum divinitus datum toti naturae. Unde peccatum originale, quod opponitur illi iustitiae, traducitur a parente in posteros.

NOTANDUM: Radix originalis iustitiae, in cuius rectitudine factus est homo, consistit in subiectione supernaturali rationis ad Deum, quae est per gratiam gratum facientem (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum pueri in statu innocentiae nati fuissent in iustitia confirmati.*

RESP. NEG. - R. EST: quia manifestum est quod pueri in sua nativitate non habuissent plus perfectionis quam eorum parentes in statu generationis.

QUAESTIO CI

**De conditione prolis generandae
quantum ad scientiam**

Deinde considerandum est de conditione prolis generandae quantum ad scientiam; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum in statu innocentiae pueri nati fuissent in scientia perfecti.*

RESP. NEG. - R. EST: quia naturale est homini ut scientiam per sensus acquirat, sicut dictum est (quaes. LV, art. 2); se eam in processu temporis absque difficultate acquisivissent inveniendo, vel addiscendo.

Art. II. - *Utrum pueri mox nati habuissent perfectum usum rationis.*

RESP. NEG. - R. EST: quia in pueris est impedimentum virium sensitivarum propter nimiam humiditatem cerebri, ut supra dictum est (q. xcix, a. 1).

QUAESTIO CII

De loco hominis, qui est paradisus

Deinde considerandum est de loco hominis, qui est paradisus; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum paradisus sit locus corporeus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ea quae de paradiso in Scriptura dicuntur, per modum narrationis historicae proponuntur; in omnibus autem quae sic Scriptura tradit, est pro fundamento tenenda veritas historiae, et desuper spirituales expositiones fabricandae.

Art. II. – *Utrum paradisi fuerit locus conveniens habitationi humanae.*

RESP. AFF. – *Scil.* : secundum primae immortalitatis status.

R. EST: quia in paradiso inveniatur cibus contra interiorem corporis corruptionem, scilicet per consumptionem humidi et per senectutem; et habebatur temperatus aer, contra corruptionem externam, quae praecipue habetur per distemperatum aerem.

Art. III. – *Utrum homo sit positus in paradiso, ut operaretur et custodiret illum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia operatio illa non esset laboriosa, sicut post peccatum, sed fuisset jucunda propter experientiam virtutis naturae; – et custodia illa non esset contra invasorem, sed ad hoc quod homo sibi paradisi custodiret, ne ipsum peccando amitteret.

Art. IV. – *Utrum homo factus fuerit in paradiso.*

RESP. NEG. – R. EST: quia sic Deus fecit ut incorruptio primi status, cui paradisi fuit congruus locus, non imputaretur humanae naturae, sed gratiae seu dono Dei supernaturali.

QUAESTIO CIII

De gubernatione rerum in communi

Postquam praemissum est de creatione rerum, et distinctione earum, restat nunc tertio considerandum de rerum gubernatione; et primo in communi; secundo in speciali de effectibus gubernationis *. Circa primum quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum mundus gubernetur ab aliquo.*

RESP. AFF. – *Scil.* : contra illos qui dicebant omnia fortuito agi.

* Divisio Schematica, Tab. IX.

PRIMA R. EST: quia in rebus naturalibus provenit quod melius est, aut semper, aut in pluribus; quod non contingeret, nisi per aliquam providentiam res naturales dirigentur ad finem boni, quod est gubernare.

SECUNDA R. EST: quia, cum optimi sit optima producere, non convenit summae Dei bonitati quod res productas ad consecutionem finis non producat.

Art. II. - *Utrum finis gubernationis mundi sit aliquid extra mundum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia principium rerum est aliquid extrinsecum a toto universo, scilicet Deus (q. xix, art. 4, et q. xlv, art. 1 et 2); finis autem respondet principio. - Item, quia finis universi debet esse bonum universale, sicut finis rei particularis est bonum particulare, et participativum boni universalis. Bonum autem universale est bonum per essentiam Deus.

Art. III. - *Utrum mundus gubernetur ab uno.*

RESP. AFF. - R. EST: quia gubernatio mundi, cujus finis est quod est essentialiter bonum, est optima. Optima autem gubernatio est illa quae fit per unum, quia unitas est de ratione boni. Et illud quod est per se unum convenientius est causa unitatis quam multi uniti.

Art. IV. - *Utrum effectus gubernationis sit unus tantum, et non plures.*

RESP. NEG. - Scil. : sunt plures effectus; i. e. unus finis gubernationis ratione finis ipsius, duo per quod creatura Deo assimilatur; et particulares innumerabiles.

R. EST: quia unus est finis principalis gubernationis mundi, quod est bonum essenziale, seu

assimilari summo bono; ea autem quibus creatura Deo assimilatur in generali sunt duo, scilicet quantum ad id quod Deus bonus est, in quantum creatura est bona; et quantum ad hoc quod Deus est aliis causa bonitatis, in quantum una creatura movet aliam ad bonitatem. Effectus autem gubernationis in particulari sunt innumerabiles, ut per se patet.

Art. V. – *Utrum omnia divinae gubernationi subdantur.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Deus est causa universalis totius entis (q. xlv, art. 1 et 2). – Item ex ratione finis; quia nihil esse potest quod non ordinetur in divinam bonitatem sicut in finem, finis enim gubernationis est ipsa bonitas divina (art. praec.).

Art. VI. – *Utrum omnia immediate gubernentur a Deo.*

RESP. NEG. – *Scilicet:* quantum ad executionem gubernationis quaedam mediante aliis a Deo gubernantur; ratione tamen gubernationis omnia a Deo immediate gubernantur.

R. EST: quia ratio gubernationis est cognitio practica, quae eo magis perfecta est, quanto magis ad particularia se extendat. Tamen major perfectio est quod aliquid in se sit bonum et *etiam* sit aliis causa bonitatis, quam si esset solummodo in se bonum; et ideo sic Deus gubernat res, ut quasdam aliarum in gubernando causas instituat.

Art. VII. – *Utrum aliquid praeter ordinem divinae gubernationis contingere possit.*

RESP. NEG. – R. EST: quia Deus est causa universalis non unius generis tantum, sed universalis totius entis; ex hoc ipso igitur quod aliquid ex una parte videtur exire ab ordine di-

vinæ providentiæ, necesse est quod in eundem ordinem relabatur secundum aliam causam. Unde quantum ad divinam providentiã pertinet, nihil fit casu in mundo.

Art. VIII. - *Utrum aliquid possit reniti contra ordinem gubernationis divinæ.*

RESP. NEG. - *Scil.:* secundum ordinem generalem divinæ sapientiæ nihil reniti potest; sic tamen contra causam particularem executivam divinæ gubernationis.

R. PRIMI EST: quia unaquæque res in sua operatione et conatu non tendit nisi ad bonum. Item, quia omnis inclinatio alicujus rei vel naturalis vel voluntaria, nihil est aliud quam quaedam impressio a primo movente.

R. SECUNDI EST: quia quæ contra ordinem renitantur, non totaliter contra ordinem gubernationis renitantur, - etenim etiam peccatores aliquod bonum intendunt, - sed contra nituntur cuidam determinato bono, quod est conveniens secundum suam naturam aut statum. Et ideo puniuntur juste a Deo (ad 1m).

QUAESTIO CIV

De effectibus divinæ gubernationis in speciali

Deinde considerandum est de effectibus divinæ gubernationis in speciali, et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum creaturae indigeant ut a Deo conserventur in esse.*

RESP. AFF. - *Scil.:* sive indirecte et per accidens quoad aliqua; sive per se et directe quoad omnia.

R. PRIMI EST: quia indirecte et per accidens dicitur illum rem conservare qui removet corrumpens, sicut si aliquem puerum custodiat ne cadat in ignem. Et sic Deus multa conservat, sed non omnia; quia quaedam non habent corruptentia.

R. SECUNDI EST: quia esse quod est in omnibus creaturis participatum, non est de essentia ipsarum creaturarum; sed sic se habet ad res creatas, sicut illuminatio solis ad aerem: non est enim illuminatio de natura seu radice aeris. Solus Deus autem est ens per essentiam suam, et ejus essentia est suum esse.

NOTANDUM: Conservatio rerum a Deo non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem actionis qua dat esse; quae quidem actio est sine motu et tempore; sicut etiam conservationem luminis in aere est per continuatum influxum a sole (ad 4m).

Art. II. – *Utrum Deus immediate omnem creaturam conservat.*

RESP. NEG. – *Scil.:* tum quoad conservationem indirectam et per accidens, tum quoad conservationem directam.

R. EST: quia multa sunt quae impediunt actiones corrumpentium, ut dictum est (art. praec.); – item, cum multae sint causae ordinatae, necesse est quod effectus dependeat primo quidem et principaliter a causa prima, secundo vero ab omnibus causis mediis.

Art. III. – *Utrum Deus possit aliquid in nihilum redigere.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ex Dei voluntate dependet, quod Deus creaturae esse communicat (q. xix, art. 4); nec aliter res in esse conservat, nisi in quantum eis continue influit esse (art. 1 et 2 hujus q.).

Art. IV. – *Utrum aliquid in nihilum redigatur.*

RESP. NEG. – *Scil.*: nihil omnino in nihilum redigitur, neque secundum cursum naturalem, neque praeter ordinem naturalem, seu miraculose.

R. PRIMI EST: quia creaturae vel sunt immateriales, et sic in eis non est potentia ad non esse: vel sunt materiales, et sic saltem remanent semper secundum materiam, quae incorruptibilis est; utpote subjectum existens generationis et corruptionis.

R. SECUNDI EST: quia divina potentia et bonitas magis per hoc ostenditur, quod res conservat in esse, quam quod eas in nihilum redigat.

QUAESTIO CV

De mutatione creaturarum a Deo

Deinde considerandum est de secundo effectu gubernationis divinae, qui est *mutatio creaturarum*; et primo de mutatione creaturarum a Deo; secundo de mutatione unius creaturae ab alia. – Circa primum quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum Deus possit immediate movere materiam ad formam.*

RESP. AFF. – R. EST: quia, cum materia contineatur sub potestate divina, utpote a Deo producta, potest reduci in actum per divinam potentiam: forma autem nihil aliud est quam actus materiae.

Art. II. – *Utrum Deus possit immediate movere aliquod corpus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia, cum Deus possit immediate formam materiae imprimere (art. praec.), consequens est ut possit secundum quemcumque motum corpus quodcumque movere;

ejusdem est enim imprimere formam, et dispo-
nere ad formam, et dare motum consequentem
ad formam. Deus autem tangit per tactum vir-
tualem, ut patet, non autem per tactum corpo-
ralem (ad 1m), neque per magnitudinem (ad 2m).

Art. III. – *Utrum Deus moveat immediate intel-
lectum creatum.*

RESP. AFF. – *Scil.:* et ut intellectus sit virtus
intellectiva (in potentia), et ut intellectus actu
intelligat per species intelligibiles.

R. PRIMI EST: quia, cum primum in quolibet
ordine sit causa eorum quae consequuntur, se-
quitur quod a Deo, qui est primum intelligens,
sit omnis virtus intelligendi.

R. SECUNDI EST: quia omnes rerum intelli-
gibiles primo existunt in Deo, et ab eo derivantur
in alios intellectus, ut actu intelligant, et deri-
vantur etiam in creaturas, ut subsistant.

Art. IV. – *Utrum Deus possit movere voluntatem
creatam.*

RESP. AFF. – *Scil.:* cum ut objectum implens
voluntatem, tum ut causa virtutis volendi.

R. PRIMI EST: quia virtus passiva voluntatis
se extendit ad bonum in universali; solus autem
Deus est bonum universale.

R. SECUNDI EST: quia velle nihil aliud est quam
inclinatio quaedam in objectum voluntatis, quod
est bonum universale; inclinare autem in bonum
universale est primi moventis, cui proportiona-
tur ultimus finis. – Unde utroque modo proprium
est Dei movere voluntatem, sed maxime secundo
modo interius eam inclinando.

NOTANDUM: Sic Deus movendo voluntatem non
cogit ipsam, quia dat ei ejus propriam inclinatio-
nem (ad 1m). – Item, moveri voluntarie est mo-

veri ex se, id est, a principio intrinseco; sed illud principium intrinsecum potest esse ab alio principio extrinseco; et sic moveri ex se non repugnat ei quod movetur ab alio (ad 2m), remanendo ratio meriti et demeriti (ad 3m).

Art. V. - *Utrum Deus operetur in omni operante.*

RESP. AFF. - *Scil.* : sic Deus operatur in rebus quod tamen ipsae res propriam habent operationem, et hoc secundum causam finalem, agentem et formalem, et modo in rebus intimo.

R. EST: quia finis et bonum convertuntur; sed nihil est vel apparet bonum, nisi secundum quod participat aliquam similitudinem summi boni, quod est Deus: - item, omne agens supponit primum agens; et Deus non solum movet res ad operandum, quasi applicando formas et virtutes rerum ad operationem, sed etiam dat formas creaturis agentibus, et eas tenet in esse. In omnibus autem intime operatur, quia ipse Deus est proprie causa universalis ipsius esse in omnibus rebus; esse autem est maxime intimum rebus.

Art. VI. - *Utrum Deus possit facere aliquid praeter ordinem rebus inditum.*

RESP. AFF. - *Scil.* : non prout ordo rerum dependet a prima causa, sed prout dependet a qualibet secundarum causarum.

R. PRIMI EST: quia sic Deus faceret contra suam praescientiam, aut voluntatem, aut bonitatem.

R. SECUNDI EST: quia Deus non est subjectus ordini secundarum causarum; sed talis ordo ei subijcitur, quasi ab eo procedens, non per necessitatem naturae, sed per arbitrium voluntatis.

Potuisset enim Deus et alium ordinem rerum instituere; unde et potest praeter hunc ordinem institutum agere, cum voluerit; puta, agendo

effectus secundarum causarum sine ipsis (sic habetur miraculum *ratione modi*: conversio aquae in vinum), vel producendo aliquos effectus, ad quos causae secundae non se extendunt (miraculum *ratione sui*: resurrectio mortui); sic faciendo Deus non contra naturam facit, sed praeter ipsam.

Art. VII. – *Utrum omnia quae Deus facit praeter ordinem naturalem rerum, sint miracula.*

RESP. AFF. – R. EST: quia miraculum dicitur quasi admiratione plenum, quod scilicet habet causam simpliciter et omnibus occultam. Haec autem est Deus.

Art. VIII. – *Utrum unum miraculum sit majus alio.*

RESP. AFF. – *Scil.*: non ex parte Dei, sed ex parte naturae cujus facultatem miraculum excedit.

R. EST: quia unum miraculum potest magis facultatem naturae excedere quam aliud. – Et secundum hoc miracula tripliciter distinguuntur, scilicet: quoad *substantiam* facti, si factum nullo modo fit a natura, e. g. glorificatio corporis humani; quoad *subjectum*, quod fit quoque a natura, sed non in tali subjecto, e. g. resuscitatio mortuorum, illuminatio caecorum, etc.; et quoad *modum*, i. e. quando miraculum excedit ordinem et modum faciendi naturae, e. g. sanatio istantanea, absque curatione et processu naturae.

Deinde considerandum est, *quomodo una creatura moveat aliam*. Erit autem haec consideratio tripartita: ut primo consideremus quomodo angeli moveant, qui sunt creaturae pure spirituales; secundo, quomodo corpora moveant; tertio, quomodo homines, qui sunt ex spirituali et corporali natura compositi. Circa primum tria considerata occurrunt: primo quomodo angelus agat in an-

gelum; secundo, quomodo in creaturam corporalem; tertio, quomodo in homines. - Circa primum considerare oportet de illuminatione et locutione angelorum, et ordinatione eorum ad invicem, tam bonorum, quam malorum. - Circa illuminationem quaeruntur quatuor:

QUAESTIO CVI

De illuminatione angelorum

Art. I. - *Utrum unus angelus illuminet alium.*

RESP. AFF. - *Scil.:* fortificando virtutem intellectivam alterius, et (secundo) per manifestationem veritatis ex parte similitudinis rei intellectae.

R. PRIMI EST: quia hoc facit in spiritualibus ordo conversionis, quod facit in corporalibus ordo localis propinquitatis: sicut virtus imperfectior corporis confortatur ex situali propinquitate perfectioris corporis, ut minus calidum crescit in calore ex praesentia magis calidi; ita virtus intellectiva inferioris angeli confortatur ex conversione superioris angeli ad ipsum.

R. SECUNDI EST: quia superior angelus veritatem quam universaliter concipit, et quam angelus inferior ut talem capere non sufficit, quodammodo distinguit, ut ab inferiori capi possit, et sic eam cognoscendam illi proponit.

NOTANDUM: Haec illuminatio non est quantum ad essentiam divinam, quia omnes angeli eam vident; sed quantum ad rationes divinorum operum, quarum plures (rationes) vident qui Deum magis perfecte vident (ad 1m).

Art. II. - *Utrum unus angelus possit movere voluntatem alterius.*

RESP. NEG. - *Scil.:* angelus non movet voluntatem neque ut objectum, neque ut ostendens

objectum; sed inclinatur eam ut amabile quoddam, et ut manifestans aliqua bona creata ordinata in Dei bonitatem; et per hoc inclinare potest ad amorem creaturae, vel Dei per modum suadentis.

R. EST: quia nihil sufficienter movet voluntatem nisi bonum universale; i. e. Deus, sicut supra dictum est (q. praec. art. 4); et solius Dei est voluntatem immutare ex parte ipsius potentiae voluntatis, quia Deus solus contulit ipsam virtutem volendi.

Art. III. – *Utrum angelus inferior superiorem illuminare possit.*

RESP. NEG. – *Scil.:* nunquam; neque Deus hoc facit, cum sit inconveniens.

R. EST: quia sic ordo ordinaretur ad ordinem, sicut causa ad causam. – In ordine naturae corporalis aliquando Deus miraculose praeter ordinem naturae operetur, ad ordinandum hominem in ejus cognitionem; sed hoc non habet locum in ordine spiritualium substantiarum; quia ordo qui convenit spiritualibus substantiis, nunquam a Deo praetermittitur.

Art. IV. – *Utrum angelus superior illuminet inferiorem de omnibus sibi notis.*

RESP. AFF. – *Scil.:* non tamen recipitur lumen ab inferioribus ita excellenter sicut est in superioribus.

R. EST: quia quanto aliqua agentia magis in participatione divinae bonitatis constituuntur, tanto magis perfectiones suas in alios nituntur transfundere, *quantum possibile est.* Hoc autem si in naturalibus verificatur, multo magis sancti angeli, qui sunt in plenissima participatione divinae bonitatis, quidquid a Deo percipiunt subjectis impartuntur.

QUAESTIO CVII

De locutione angelorum

Deinde considerandum est de locutione angelorum; et circa hoc quaeruntur quinque:

Art. I. - *Utrum unus angelus alteri loquatur.*

RESP. AFF. - R. EST: quia unus angelus potest per voluntatem suam conceptus mentis suae alteri manifestare, quod est ad alterum loqui.

NOTANDUM: Quando mens convertit se ad actum considerandum quod habet in habitu (seu in memoria), loquitur aliquis sibi ipsi; nam ipse conceptus mentis interius verbum vocatur. Hos conceptus mentis alteri innotescere, est (apud angelos) ad alterum loqui. - Et quam cito aliquis angelus vult manifestare suum conceptum, statim alius cognoscit; quod in nobis non fit propter grossitiam corporis (ad 1m). - Angeli autem ad locutionem attendunt per virtutem aliquam intelligibilem, sicut nos per aliquod sensibile (ad 3m).

Art. II. - *Utrum inferior angelus superiori loquatur.*

RESP. AFF. - R. EST: quia in ordine ad principium quod est voluntas, ipse volens est primus et supremus; et ideo manifestatio eorum quae ad voluntatem pertinent, per ipsum volentem deducitur ad alios quoscumque, sive ad superiores, sive ad inferiores. Illuminatio vero quae a principio quod est Deus dependet, solum per superiores angelos ad inferiores deducitur. Et sic, quamvis omnis illuminatio sit locutio in angelis, tamen non omnis locutio est illuminatio. - Sed omnis Dei locutio est illuminatio, quia voluntas Dei

est regula veritatis, et eam scire pertinet ad perfectionem et illuminationem mentis creatae (ad 3m).

Art. III. – *Utrum angelus Deo loquatur.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non ut Deo aliquid communicet; sed ut a Deo aliquid accipiat.

R. PRIMI EST: quia Deus est omnis veritatis et omnis voluntatis principium et conditor.

R. SECUNDI EST: quia potest angelus suum conceptum ad Deum ordinare, consulendo divinam voluntatem de agendis, vel ejus excellentiam, quam nunquam comprehendit, admirando.

Art. IV. – *Utrum localis distantia operetur aliquid in locutione angelica.*

RESP. NEG. – R. EST: quia intellectualis operatio angeli omnino abstracta est a loco et tempore. – Nostra autem intellectualis operatio etiam est per abstractionem ab hic et nunc, nisi per accidens ex parte phantasmatum.

NOTANDUM: Sicut distantia localis non impedit quin unus angelus alium videre possit; ita etiam non impedit quin percipiat quod in eo ad se ordinatur; quod est locutionem percipere (ad 1m).

Art. V. – *Utrum locutionem unius angeli ad alterum omnes cognoscant.*

RESP. NEG. – R. EST: quia manifestatio conceptus unius angeli ad alterum est per voluntariam ordinationem, ut dictum est (art. 1 hujus q). – Illuminationes autem, quae emanant a prima regula veritatis, quae est principium commune omnium angelorum, sunt omnibus communes (ad 3m).

QUAESTIO CVIII

De ordinatione angelorum secundum hierarchias et ordines

Deinde considerandum est de ordinatione angelorum secundum hierarchias et ordines: dictum est enim (quaes. cvi, art. 3), quod superiores illuminant inferiores et non e converso. Circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum omnes angeli sint unius hierarchiae.*

RESP. NEG. - *Scil.* : ex parte multitudinis ordinatae sub principe (idem est enim hierarchia ac *sacer principatus*), non vero ex parte Dei, cui omnia subduntur.

R. EST: quia ex parte multitudinis ordinatae, unus principatus dicitur secundum quod multitudine uno eodem modo potest gubernationem principis recipere. Et secundum hoc in angelis tres hierarchiae distinguuntur; prout universalis acceptio cognitionis secundum tres gradus in angelis distingui potest: primo quidem secundum quod rationes rerum, de quibus angeli illuminantur, procedunt a primo principio universali, quod est Deus, et iste modus convenit primae hierarchiae, quae immediate ad Deum extenditur, et quasi in vestibulis Dei collocatur; secundo, prout hujusmodi rationes dependent ab universalibus causis creatis, quae jam aliquo modo multiplicantur; tertio, prout hujusmodi rationes applicantur singulis rebus, et dependent a propriis causis, et hic modus convenit infimae hierarchiae. - Apud homines autem non sunt hierarchiae, quia omnes homines sunt unius speciei, et unus modus intelligendi est eis connaturalis (ad 3m).

Art. II. – *Utrum in una hierarchia sint plures ordines.*

RESP. AFF. – R. EST: quia multitudo non esset ordinata, sed confusa, si in multitudine diversi ordines non essent. – Ordines autem distinguuntur secundum actus et officia; et secundum hoc, in qualibet hierarchia angelorum tres ordines ponuntur, secundum summum, medium et infimum. Sic, in prima hierarchia inveniuntur Seraphim, Cherubim et Throni; in secunda, Dominationes, Virtutes et Potestates; in tertia, Principatus, Archangeli et Angeli. – In hierarchia hominum tres ordines generales sunt: optimates, populus honorabilis, et populus vilis.

Art. III. – *Utrum in uno ordine sint plures angeli.*

RESP. AFF. – *Scil.:* secundum nostram cognitionem de angelis, quae est imperfecta.

R. EST: quia qui cognoscit res imperfecte, non potest distinguere nisi imperfecte, i. e. in communi; et sic distinguimus officia et ordines angelorum: secundum quem modum multi angeli sub uno ordine continentur. Si autem perfecte cognosceremus officia angelorum, et eorum distinctiones, perfecte sciremus quod quilibet angelus habet suum proprium officium, et suum proprium ordinem in rebus.

Art. IV. – *Utrum distinctio hierarchiarum et ordinum sit a natura in angelis.*

RESP. AFF. – *Scil.:* cum per respectum ad finem naturalem, tum per respectum ad finem supernaturalem.

R. EST: quia secundum finem naturalem angelorum, qui consisteret in cognitione et amore Dei naturali, distinguerentur ordines angelorum secundum dona naturalia. Secundum respectum ad finem supernaturalem ordines distinguuntur in an-

gelis complete quidem secundum dona gratuita, dispositive autem secundum capacitatem naturalium.

Art. V. - *Utrum ordines angelorum convenienter nominentur.*

RESP. AFF. - R. EST: quia nominantur secundum gradus perfectionum quae in ipsis sunt, ut Dionysius exponit; Gregorius vero in expositione nominum horum magis attendere videtur exteriora ministeria.

Art. VI. - *Utrum convenienter gradus ordinum assignentur.*

RESP. AFF. - *Scil.:* in prima hierarchia: Seraphim, Cherubim et Throni; in secunda: Dominationes, Virtutes et Potestates; in ultima: Principatus, Archangeli et Angeli. Sic secundum Dionysium (De cael. hier. cap. 7, 8 et 9).

R. EST: quia, ut supra diximus, (art. 1 hujus quæes.), prima hierarchia inspicit rationes rerum in Deo; secunda vero in causis universalibus; tertia vero secundum determinationem ad speciales effectus. Quantum ad respectum in Deum tria habentur incipiendo ab infimo. *Throni*, qui elevantur ad hoc quod Deum familiariter in seipsis recipiant, et per quos Deus sua judicia exercet; *Cherubim*, qui supereminenter divina secreta cognoscunt; et *Seraphim*, qui maxime Deo uniti sunt. - Quantum vero ad gubernationem, haec tria habentur; incipiendo a summo *Dominationes*, quorum est distinctio eorum quae agenda sunt; *Virtutes*, quarum est praebere facultatem ad implendum; *Potestates*, quarum est ordinare qualiter ea quae praecepta, vel definita sunt, impleri possint, ut aliqui exequantur. - Quantum ad executionem, primi sunt *Principatus*, qui sunt quasi incipientes actionem et alios ducentes;

secundo veniunt *Archangeli*, ad magna exequendum; et ultimo, *Angeli*, qui simpliciter exequantur.

Art. VII. – *Utrum ordines remanebunt post diem iudicii.*

RESP. AFF. – *Scil.* : quantum ad distinctionem graduum; non vero quantum ad executionem officiorum.

R. EST: quia distinctio graduum est in angelis secundum differentiam gratiae et naturae (art. 4); cessabit tamen ordo secundum quod eorum officia ordinantur ad perducendum aliquos ad finem, ut patet. Sed remanebit secundum quod convenit in ultima finis consecutione, sicut etiam alia sunt officia militarium ordinum in pugna et in triumpho.

Art. VIII. – *Utrum homines assumantur ad ordines angelorum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non quantum ad gradum naturae; sed quantum ad donum gratiae.

R. EST: quia quantum ad naturam semper remanebit naturarum distinctio; sed quantum ad donum gratiae, quod est naturae completivum, aequalitas cum angelis (vel etiam superioritas) dependet ex liberalitate Dei, et non ex ordine naturae, secundum illud: « *Filii resurrectionis erunt aequales angelis in caelis* » (Lc. xx, 36).

QUAESTIO CIX

De ordinatione malorum angelorum

Deinde considerandum est de ordinatione malorum angelorum; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum ordines sint in daemonibus.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non quantum ad statum perfectum gratiae, neque ad statum imperfectum gratiae; sed quantum ad id quod est naturae.

R. EST: quia angeli mali nunquam fuerunt in statu gloriae consummatae; fuerunt tamen in statu gratiae imperfecto, quia fuerunt creati in gratia et potuerunt mereri, sed ab hoc statu ceciderunt; tamen quantum ad id quod est naturae, sunt adhuc in ordinibus, quia data naturalia non amiserunt.

Art. II. – *Utrum in daemonibus sit praelatio.*

RESP. AFF. – *Scil.:* ipsa naturalis dispositio daemonum requirit quod sit in eis praelatio.

R. EST: quia, cum actio sequatur naturam rei, quorumcumque naturae sunt ordinatae, oportet quod etiam actiones subinvicem ordinentur, sicut patet in rebus corporalibus. – Et hoc etiam convenit divinae sapientiae, quae nihil in universo inordinatum relinquit, quae *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (Sap. viii, 1).

Art. III. – *Utrum in daemonibus sit illuminatio.*

RESP. NEG. – *Scil.:* in daemonibus non potest esse illuminatio proprie.

R. EST: quia illuminatio proprie est manifestatio veritatis, secundum quod habet ordinem ad Deum, qui illuminat omnem intellectum. Hoc autem esse non potest in daemonibus, propter perversitatem eorum. Possunt tamen conceptum suum aliis per modum locutionis intimare, ut eos ab ordine divino abducant.

Art. IV. – *Utrum boni angeli habeant praelationem super malos.*

RESP. AFF. – R. EST: quia illae creaturae super alias influentiam habent, quae sunt perfectiores, et Deo propinquiores. Et ideo boni angeli super malos praelationem habent, et hi per eos reguntur, secundum quod divina justitia exigit ut per

daemones aliqua fiant vel ad punitionem malorum, vel ad exercitationem bonorum.

NOTANDUM: Angelus qui est inferior ordine naturae, praeest daemonibus, quamvis superioribus ordine naturae; quia virtus divinae justitiae, cui inhaerent boni angeli, potior est quam virtus naturalis angelorum (ad 3m).

QUAESTIO CX

De praesidentia angelorum super creaturam corporalem

Deinde considerandum est de praesidentia angelorum super creaturam corporalem; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum creatura corporalis administretur per angelos.*

RESP. AFF. – R. EST: quia potestas particularis gubernatur et regitur a potestate universali. Virtus autem cujuslibet corporis magis est particularis quam virtus spiritualis substantiae; omnis enim forma corporalis est forma individuata per materiam, et determinata ad hic et nunc; formae autem immateriales sunt absolutae et intelligibiles.

Art. II. – *Utrum materia corporalis obediat angelis ad nutum.*

RESP. NEG. – *Scil.:* informatio materiae non est immediate ab angelis, sed est immediate a Deo, vel ab aliquo agente corporali.

R. EST: quia id quod proprie fit in corporalibus est compositum. Compositum autem vel est a composito, quia simile natum est sibi simile facere; vel quia totum compositum, et quantum ad materiam, et quantum ad formam, est in virtute ipsius, quod est proprium Dei. – Nihil ta-

men prohibet ex virtute angelorum aliquos effectus sequi in rebus naturalibus, ad quos agentia corporalia non sufficerent. Sed hoc non est angelo obedire materiam ad nutum (ad 2m).

Art. III. - *Utrum corpora obediant angelis ad motum localem.*

RESP. AFF. - R. EST: quia motus localis est perfectior inter omnes motus corporeos, non est enim in potentia nisi ad aliquid extrinsecum; quod est autem supremum in aliqua natura inferiori, attingitur a natura superiori. Et sic natura corporalis nata est moveri immediate a natura spirituali secundum locum.

NOTANDUM: Angeli, causando motum localem, tamquam priorem, per eum causare possunt alios motus, adhibendo scilicet agentia corporalia ad hujusmodi effectus producendos (ad 2m).

Art. IV. - *Utrum angeli possint facere miracula.*

RESP. NEG. - R. EST: quia miraculum dicitur non quod fit praeter aliquam naturam particularem, quia sic etiam projectio lapidis sursum esset miraculum; sed id quod fit praeter ordinem totius naturae creatae. Et hoc solus Deus facere potest. - Aliquod tamen ministerium exhibent angeli in miraculis quae fiunt, sicut colligendo pulveres in resurrectione communi, vel hujusmodi aliquid agendo (ad 1m).

NOTANDUM: Quia non omnis virtus naturae nobis nota est, mirabilia possunt fieri etiam a daemonibus, quae apparent miracula esse *quoad nos*, quae vera miracula non sunt. Boni christiani, in quantum per justitiam divinam miracula faciunt, dicuntur facere miracula per publicam justitiam, mali autem christiani per *signa* publicae justitiae, sicut invocando nomen Christi, vel exhibendo aliqua sacramenta (ad 2m).

DE ACTIONE ANGELORUM IN HOMINES

Deinde considerandum est de actione angelorum in homines; et primo quaeritur, utrum possint eos immutare sua virtute naturali; secundo, quomodo mittantur a Deo in ministerium hominum; tertio, quomodo custodiant homines. Circa primum quaeruntur quatuor:

QUAESTIO CXI

De immutatione hominum per Angelos

Art. I. – *Utrum angelus possit illuminare hominem.*

RESP. AFF. – *Scil.*: cum veritatem intelligibilem hominibus proponendo sub similitudinibus sensibilium, tum confortando intellectum hominis per suam actionem.

R. EST: quia secundum ordinem divinae providentiae, inferiora actionibus superiorum subduntur. Sicut igitur angeli inferiores a superioribus illuminantur, ita homines, qui sunt angelis inferiores; tamen modo qui est homini aptus, scilicet per conversionem ad phantasmata (q. lxxxiv, a. 7). Et per hanc actionem intellectus angelici, intellectus humanus, tanquam inferior, fortificatur.

Art. II. – *Utrum angeli possint immutare voluntatem hominis.*

RESP. NEG. – *Scil.*: ab interiori et efficaciter voluntas non potest moveri nisi a Deo; ab exte-

rioni autem potest voluntas ab angelo immutari seu moveri non efficaciter, sed per modum suadentis, sicut etiam ab hominibus, et ex passione.

R. EST: quia inclinatio naturalis non est nisi ab eo qui dat naturam; item, efficaciter, quia solus Deus est bonum universale, quod necessario voluntatem movet; angelus vero non potest nisi particulare bonum voluntati proponere. Insuper, possunt etiam angeli passiones incitare per quas voluntas inclinatur ad volendum, sicut passiones concupiscentiae et irae.

Art. III. - *Utrum angelus possit immutare imaginationem hominis.*

RESP. AFF. - *Scil.:* angelus tam bonus quam malus virtute naturae suae potest movere imaginationem hominis.

R. EST: quia natura corporalis obedit angelo ad motum localem (q. praec. art. 3); apparitiones autem imaginariae causantur interdum in nobis ex locali mutatione corporalium spirituum et humorum, quandoque quidem cum alienatione a corporeis sensibus, quandoque autem absque tali alienatione.

Art. IV. - *Utrum angelus possit immutare sensum humanum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* sive ab exteriori, seu a sensibili; sive ab interiori, per commotionem spirituum et humorum.

R. EST: quia angelus potest opponere exterius sensui sensibile aliquod vel a natura formatum, vel aliquod de novo formando, sicut facit dum corpus assumit (q. li, art. 2); interius autem potest commovere spiritus et humores (art. praec.).

QUAESTIO CXII

De missione angelorum

Deinde considerandum est de missione angelorum; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum angeli in ministerium mittantur.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia cum aliquid est faciendum per angelum circa aliquam creaturam corporalem (q. cx, a. 1), de novo applicatur angelus illi corpori sua virtute, et sic angelus incipit de novo ibi esse, quod est unus modus quo aliquis mitti dicitur (q. xliii, a. 1). Actio autem quam angelus missus exercet, procedit a Deo, sicut a primo principio, cujus nutu et auctoritate angeli operantur, et in Deum reducitur sicut in ultimum finem.

NOTANDUM: Actiones exteriores in nullo impediunt contemplationem angeli, quia per solam intellectualem operationem regulat suas actiones exteriores; duarum autem actionum, quarum una est regula et ratio alterius, una non impedit, sed adjuvat aliam (ad 3m).

Art. II. – *Utrum omnes angeli in ministerium mittantur.*

RESP. NEG. – *Scil.:* simpliciter dicendum est quod superiores angeli nunquam ad exterius ministerium mittuntur.

R. EST: quia ordo angelicus attenditur secundum dona gratiarum; unde non est necesse ut praetermittatur ordo, sicut praetermittitur ordo naturae propter ordinem gratiae. – Item, quia nihil est ita magnum in ministeriis divinis (quod ad providentiam hominum attinet), quod per inferiores ordines (angelorum) exerceri non possit; sicut patet ex missione Gabrielis Archangeli ad annuntiandum mysterium divinae incarna-

tionis, quod fuit summum inter omnia divina mysteria. - Quantum autem ad hoc, quod unus angelus illuminat alium, sic omnes mittuntur (ad 1m), scil. superiores ad inferiores.

Art. III. - *Utrum omnes angeli qui mittuntur, assistant.*

RESP. NEG. - *Scil. :* proprie illi soli assistant qui sunt primae hierarchiae.

R. EST: quia non omnes angeli, sed illi soli superiores percipere possunt divina mysteria in ipsa claritate divinae essentiae, et haec per eos inferioribus denuntiantur. Secundum tamen quod omnes divinam essentiam vident, sic omnes assistant, etiam illi qui administrant.

Art. IV. - *Utrum angeli secundae hierarchiae omnes mittantur.*

RESP. NEG. - *Scil. :* *Dominationes* non mittuntur; sed mittuntur *Virtutes* et *Potestates*.

R. EST: quia proprietates angelorum manifestantur ex eorum nominibus; in nomine autem *Dominationum* non importatur aliqua executio, sed sola dispositio ad imperium de exequendis. *Virtutes* autem et *Potestates* dicuntur per respectum ad aliquem actum. Unde ad quatuor superiores ordines non pertinet mitti in exterius ministerium.

QUAESTIO CXIII

De custodia bonorum angelorum

Deinde considerandum est de custodia bonorum angelorum, et de impugnatione malorum, et circa primum quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum homines custodiantur ab angelis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia secundum rationem divinae providentiae hoc in rebus omnibus in-

venitur, quod mobilia et variabilia per immobilia et invariabilia moventur et regulantur. Manifestum est autem quod in rebus agendis cognitio et affectus hominis multipliciter variari et deficere possunt a bono; et ideo necessarium fuit, quod hominibus angeli ad custodiam deputarentur, per quos regularentur et moverentur ad bonum.

Art. II. – *Utrum singuli homines a singulis angelis custodiantur.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Providentia Dei principaliter est circa illa quae perpetuo manent. Sicut ergo probabile est quod diversis speciebus rerum diversi angeli ejusdem ordinis praeficiantur, ita rationabile est ut diversis hominibus diversi angeli ad custodiam deputentur.

Art. III. – *Utrum custodire homines pertineat solum ad infimum ordinem angelorum.*

RESP. AFF. – *Scil.:* quantum ad singulos homines; non autem quantum ad custodiam humanae multitudinis.

R. EST: quia procurare ea quae ad unius hominis salutem pertinent videtur esse minimum in officiis angelorum; minima autem nuntiare pertinet ad infimum ordinem angelorum. – Quantum vero ad custodiam humanae multitudinis multiplicatur custodia secundum diversos ordines, nam quanto agens fuerit universalius, tanto est superius.

Art. IV. – *Utrum omnibus hominibus angeli ad custodiam deputentur.*

RESP. AFF. – *Scil.:* non solis fidelibus.

R. EST: quia homo in statu vitae istius constitutus est quasi in quadam via, qua debet ten-

dere ad patriam; in qua via multa pericula homini imminent.

NOTANDA: 1. – Etiam in statu innocentiae homo indigebat custodia angelorum, non ob aliquod periculum ab interiori, sed quia imminebat ei periculum ab exteriori propter insidias daemonum, ut rei probavit eventus (ad 2m). 2. – Etsi pravi homines non juventur per angelos custodes quantum ad hoc quod vitam aeternam bonis operibus mereantur, juvantur tamen quantum ad hoc quod ab aliquibus malis retrahuntur, quibus et sibi ipsis, et aliis nocere possent.

Art. V. – *Utrum angelus deputetur homini ad custodiam a sua nativitate.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non a tempore baptismi sicut quidam dicunt.

R. EST: quia beneficia quae dantur homini divinitus, ex eo quod est christianus, incipiunt a tempore baptismi; ea tamen quae providentur homini a Deo in quantum habet naturam rationalem, ex tunc ei exhibentur, ex quo nascendo talem naturam accipit.

Art. VI. – *Utrum angelus custos quandoque deserat hominem.*

RESP. NEG. – *Scil.* : nunquam totaliter dimittit hominem.

R. EST: quia nec homo nec res aliqua totaliter divinae providentiae subtrahitur. Tamen angelus quantum ad aliquid interdum hominem dimittit, prout scilicet non impedit quin subdatur alicui tribulationi, vel etiam quin cadat in peccatum, secundum ordinem divinatorum iudiciorum.

Art. VII. – *Utrum angeli doleant de malis eorum quos custodiunt.*

RESP. NEG. – *Scil.* : neque de peccatis, neque de poenis hominum.

R. EST: quia, quamvis angeli peccata et poenas hominum, universaliter et absolute loquendo (seu simpliciter, seu voluntate antecedenti), non volunt; tamen, volunt quod circa hoc ordo divinae justitiae servetur, secundum quam quidam poenis subduntur, et peccare permittuntur (voluntate scil. secundum quid, seu consequenti). – Tam in poenitentia hominum, quam in peccato manet una ratio gaudii angelis, scilicet impletio ordinis divinae providentiae (ad 3m).

Art. VIII. – *Utrum inter angelos possit esse pugna seu discordia.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non quia voluntates eorum sunt contrariae; sed inquantum ea de quibus Deum consulunt, sunt repugnantia.

R. EST: quia quandoque contingit quod in diversis regnis vel in diversis hominibus contraria merita vel demerita inveniuntur, ut unus alteri subdatur aut praesit. Quid autem super hoc ordo divinae sapientiae habeat, cognoscere non possunt, nisi Deo revelante; unde necesse habent super his sapientiam Dei consulere; et inquantum de contrariis meritis et sibi repugnantibus divinam voluntatem consulunt, dicuntur resistere sibi invicem; tamen in hoc omnes concordant quod Dei sententia impleatur.

QUAESTIO CXIV

De impugnatione daemonum

Deinde considerandum est de impugnatione daemonum: et circa hoc quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum homines impugnentur a daemonibus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia propter invidiam nituntur impedire profectum hominum, et prop-

ter superbiam usurpant similitudinem divinae potestatis, deputando sibi ministros determinatos ad impugnationem hominum, sicut et angeli Deo ministrant in determinatis officiis ad hominum salutem.

NOTANDUM: Impugnatio ista procedit a malitia daemonum; sed ordo impugnationis est a Deo, qui novit malis uti, ad bonum ea ordinando.

Art. II. - *Utrum tentare sit proprium diaboli.*

RESP. AFF. - R. EST: quia diabolus *semper* tentat ut noceat, in peccatum praecipitando.

NOTANDUM: Tentare idem est ac experimentum sumere de aliquo. Finis proximus tentationis est scientia; cujus ulterius finis potest esse ad bonum, vel ad malum. Deum tentare consistit in hoc quod homo, quasi incertus, praesumit experiri Dei virtutem, quod est peccatum. Quod Deus aliquem tentat (vel probat) significat alios scire facere. Caro et mundus dicunt tentare instrumentaliter, seu materialiter (In corp. art.).

Art. III. - *Utrum omnia peccata procedant ex tentatione diaboli.*

RESP. NEG. - Scil.: diabolus non est causa omnis peccati directe, sed indirecte seu dispositive.

R. EST: quia non omnia peccata committuntur diabolo instigante, sed quaedam ex libertate arbitrii et carnis corruptione. Tamen, quia diabolus instigavit primum hominem ad peccandum, ex cujus peccato consecuta est in toto genere humano quaedam pronitas ad omnia peccata, ideo dicitur diabolum causam esse omnium peccatorum.

Art. IV. - *Utrum daemones possint homines seducere per aliqua miracula.*

RESP. AFF. - Scil.: non per proprium miraculum, quod fit praeter ordinem totius naturae creatae; sed per miraculum large dictum.

R. EST: quia possunt facere aliqua quae facultatem et cognitionem hominum excedunt, et sic ducunt in admirationem hominum.

NOTANDUM: Potest daemon non solum phantasiam mutare, sed etiam sensus corporeos, ut supra dictum est (q. ci, art. 3 et 4). Item, potest formare corpus ex aere cujuscumque formae et figurae, ut illud assumens in eo visibiliter appareat, et potest eadem ratione circumponere cuicumque rei corporeae quamcumque formam corpoream, ut in ejus specie videatur (In corp. art.).

Art. V. – *Utrum daemon qui superatur ab aliquo, propter hoc ab impugnatione arceatur.*

RESP. AFF. – *Scil.*: usque ad tempus, sicut dicitur in tentatione Christi: consummata omni tentatione, diabolus recessit a Christo usque ad tempus.

PRIMA R. est ex Dei clementia: quia ut Chrysostomus dicit: « Non tamdiu homines diabolus tentat, quamdiu vult, sed quamdiu Deus permittit; quia etsi permittat paulisper tentare, tamen repellit propter infirmam naturam ».

SECUNDA R. est ex astutia diaboli: quia, ut dicit Ambrosius: « diabolus formidat instare; quia frequentius refugit triumphari ». (In Lc. c.4).

QUAESTIO CXV

De actione corporalis creaturae

Consequenter considerandum est de actione corporalis creaturae, et de fato, quod aliquibus corporalibus attribuitur. Circa actiones corporales quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum aliquod corpus sit activum.*

RESP. AFF. – *Scil.*: sensibiliter apparet aliqua corpora esse activa.

R. EST: quia corpus agit secundum quod est

in actu, in aliud corpus secundum quod est in potentia: componitur enim corpus ex actu et potentia; et ideo est agens et patiens. Sola materia prima non agit, quia est pura potentia (ad 4m).

Art. II. - *Utrum in materia corporali sint aliquae rationes seminales.*

RESP. AFF. - R. EST: quia *rationes seminales* sunt virtutes omnes activae et passivae, quae sunt principia generationum et motuum naturalium. Haec autem sunt in materia corporali, et proprie in viventibus, a quibus natura nominatur, quae a *nativitate* dicitur.

NOTANDUM: Principaliter et originaliter *rationes seminales* sunt in Verbo Dei secundum rationes *ideales*, seu *causales*. Secundo sunt in elementis mundi, ubi simul a principio productae sunt, sicut in universalibus causis. Tertio vero modo sunt in iis quae ex universalibus causis secundum successiones temporum producuntur, sicut in hac planta, et in hoc animali, tamquam in particularibus causis. Quarto modo sunt in seminibus quae ex animalibus et plantis producuntur (In corp. art.).

Art. III. - *Utrum corpora caelestia sint causa eorum quae hic in inferioribus corporibus fiunt.*

RESP. AFF. - *Scil.:* motus horum inferiorum corporum, qui sunt varii et multiformes, reducuntur in motum corporis caelestis, sicut in causam.

R. EST: quia omnis motus ab immobili procedit. Corpora autem caelestia sunt inter alia corpora magis immobilia: non enim moventur nisi motu locali.

NOTANDUM: Corpora caelestia non sunt prima causa generationis et corruptionis eorum quae hic fiunt (ad 1m); sed sunt aliqua principia activa mo-

bilis, quae per suam praesentiam et absentiam causent varietatem circa generationem et corruptionem inferiorum corporum, sicut dicitur: homo generat hominem, et sol (ad 2m).

Art. IV. – *Utrum corpora caelestia sint causa humanorum actuum.*

RESP. NEG. – R. EST: quia sequeretur quod homo non esset liberi arbitrii, sed haberet actiones determinatas, sicut et caeterae res naturales. – Tamen indirecte et per accidens impressiones corporum caelestium ad intellectum et voluntatem pertinere possunt, et magis ad intellectum quam ad voluntatem; quia intellectus ex necessitate accipit ab inferioribus viribus apprehensivis, quae subjectae sunt motibus corporum caelestium, sicut caetera organa corporalia; dum voluntas non ex necessitate sequitur inclinationem appetitus inferioris. Unde etiam ipsi astrologi dicunt quod sapiens homo dominatur astris, inquantum scilicet dominatur suis passionibus (ad 3m).

Art. V. – *Utrum corpora caelestia possint imprimere in ipsos daemones.*

RESP. NEG. – *Scil.:* nec per se nec per acc., nec directe nec indirecte.

R. EST: quia daemones sunt substantiae intellectuales corporibus non unitae.

NOTANDUM: Peripatetici negabant existentiam daemonum, et attribuebant virtutibus corporum caelestium artem necromanticam. Sed, ut notat S. Doctor, multa per daemones fiunt, ad quae nullo modo virtus corporum caelestium sufficeret; puta quod arreptitii loquuntur lingua ignota, et similia.

Art. VI. – *Utrum corpora caelestia imponant necessitatem his quae eorum actioni subduntur.*

RESP. NEG. – *Scil.:* non omnibus.

R. EST: quia non est verum principium illud,

quod, posita quacumque causa, necesse sit effectum poni; sunt enim quaedam causae quae ordinantur ad suos effectus non ex necessitate, sed ut in pluribus; quae quandoque deficiunt in minori parte, propter aliquam causam impediens, quod ex necessitate contingere potest. Effectus autem per se habet causam, sed effectus per accidens non habet causam, quia non est vere ens, cum non sit vere unum.

QUAESTIO CXVI

De fato

Deinde considerandum est de fato; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. — *Utrum fatum sit aliquid.*

RESP. AFF. — *Scil.:* non in sensu ethnicorum, secundum quos fatum nihil aliud est quam dispositio siderum, secundum quam omnia quae in his inferioribus aguntur de necessitate eveniunt, ut supra dictum est; sed in quantum omnia quae hic aguntur divinae providentiae subduntur, tanquam per eam praeordinata, et quasi prae locuta *.

R. EST: quia ea quae hic per accidens aguntur non possunt attribui alicui virtuti activae corporum caelestium, ut supra probatum est (q. praec., art. 4); sed reducuntur in aliquam causam praeordinantem quae est Providentia divina: nihil enim prohibet, id quod est per accidens, accipi ut unum ab aliquo intellectu; alioquin intellectus formare non possit hanc propositionem: Fodiens sepulchrum invenit thesaurum.

* Fatum definitur a S. Doctore: *Ordinatio secundarum causarum ad effectus divinitus provisos* (art. 4 hujus quaes.).

Art. II. – *Utrum fatum sit in rebus creatis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ordinatio effectuum consideratur non solum prout est in Deo, et sic vocatur Providentia; sed etiam prout est in mediis causis a Deo ordinatis ad aliquos effectus producendos, et sic habet rationem fati.

Art. III. – *Utrum fatum sit immobile.*

RESP. AFF. – R. EST: quia subest immobili-
tati divinae providentiae, non quidem absolutae necessitatis, sed conditionatae. Tamen, secundum considerationem causarum secundarum est mobile.

Art. IV. – *Utrum omnia fato subduntur.*

RESP. NEG. – R. EST: quia fato subduntur ea quae subduntur causis secundis; fatum autem est ordinatio secundarum causarum ad effectus divinitus provisos. Ea igitur quae magis necessitati causarum secundarum subjiciuntur, magis fato subjiciuntur; ea vero quae Deo immediate subduntur, fato non subduntur; ita creatio, glorificatio spiritualium substantiarum, et similia.

QUAESTIO CXVII

De his quae pertinent ad actionem hominis

Deinde considerandum est de his quae pertinent ad actionem hominis qui est compositus ex spirituali et corporali creatura; et primo considerandum est de actione hominis; secundo de propagatione hominis ex homine. – Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum unus homo possit alium docere.*

RESP. AFF. – R. EST: quia potest homo alium ducere ex praecognitis in cognitionem ignoto-

rum. Et hoc dupliciter: Primo proponendo ei aliqua auxilia vel instrumenta quibus intellectus ejus utatur ad scientiam acquirendam; puta cum proponit ei aliquas propositiones minus univ ersales, quas tamen discipulus ex praecognitis dijudicare potest, vel cum proponit ei aliqua sensibilia, etc. – Secundo, confortando intellectum addiscentis, non quidem aliqua virtute activa, sicut angeli faciunt, sed inquantum proponit discipulo ordinem principiorum ad conclusiones, qui forte per se ipsum non habet tantam virtutem.

Art. II. – *Utrum homines possint docere angelos*

RESP. NEG. – R. EST: quia eo modo quo inferiores angeli superioribus subduntur, supremi homines subduntur etiam infimis angelorum; quod patet per id quod Dominus dicit: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista; sed qui minor est in regno caelorum, major est illo.* (Mt. xi, 11). Sicut igitur inferiores Angeli superioribus loqui possunt, illuminare non possunt (q. cvii, a. 2); ita homines illuminare angelos nunquam possunt, loqui illis tamen possunt secreta cordium manifestando.

Art. III. – *Utrum homo per virtutem animae possit corporalem materiam immutare.*

RESP. NEG. – *Scil.:* nisi mediantibus aliquibus corporalibus, sicut dictum est de angelis (q. cx., a. 2).

R. EST: quia, sicut supra dictum est (1. c.), materia corporalis non immutatur ad formam, nisi vel ab agente aliquo composito ex materia et forma, vel ab ipso Deo, in quo virtualiter et materia et forma praeeexistit, sicut in primordiali causa utriusque.

Art. IV. — *Utrum anima hominis separata possit corpora saltem localiter movere.*

RESP. NEG. — R. EST: quia anima non movet corpus nisi vivificatum; ab anima autem separata nullum corpus vivificatur. Super virtutem animae naturalem potest virtus divina aliquid conferre. Angeli autem possunt corpora localiter movere, quia non determinantur ad aliqua corpora. Anima autem secundum suam naturam determinatur ad movendum corpus cuius est forma, et nullum aliud corpus sua naturali virtute movere potest (ad 1m). — Notandum est, quod daemones frequenter simulant se esse animas mortuorum, ad confirmandum gentilium errorem, qui hoc credebant (ad 2m).

QUAESTIO CXVIII

De traductione hominis ex homine, quantum ad animam

Deinde considerandum est de traductione hominis ex homine: et primum quantum ad animam; secundo quantum ad corpus. Circa primum quaeruntur tria:

Art. I. — *Utrum anima sensitiva traducatur cum semine.*

RESP. AFF. — R. EST: quia anima sensitiva non habet per se esse et operationem, consequenter non fit per creationem, sed debetur fieri compositis, scil. viventibus. — Viventia autem corpora agunt ad generandum sibi simile et sine medio et per medium: sine medio, in opere nutritionis, in quo caro generat carnem; cum medio vero in actu generationis; ex anima autem generantis derivatur quaedam virtus activa ad ipsum semen

animalis, vel plantae. Non refert tamen dicere, quod anima generati causetur ab anima generantis, vel a virtute derivata ab ipsa, quae est in semine; quia semen est tanquam instrumentum principalis agentis, scil. animae.

NOTANDA 1. - Vis activa seminis non habet aliquod organum in actu, sed fundatur in ipso spiritu incluso in semine, quod est spumosum, ut attestatur ejus albedo; in quo etiam spiritu est quidam calor ex virtute caelestium corporum; unde dicitur homo generat hominem, et sol (ad 3m). 2. - In animalibus perfectis, quae generantur ex coitu, virtus activa est in semine maris, materia autem foetus est illud quod ministratur a femina: in qua quidem materia statim a principio est anima vegetabilis, non quidem secundum actum secundum, sed secundum actum primum, sicut anima sensitiva est in dormientibus; cum autem incipit attrahere alimentum, tunc jam actu operatur. Hujusmodi igitur materia transmutatur a virtute quae est in semine maris, quousque perducatur in actum animae sensitivæ; non ita quod ipsamet vis quae erat in semine, fiat anima sensitiva. Postquam autem per virtutem principii activi quod erat in semine, producta est anima sensitiva in generato quantum ad aliquam partem principalem, tunc jam illa anima sensitiva prolis incipit operari ad complementum proprii corporis per modum nutritionis et augmenti (Ad 4m).

Art. II. - *Utrum anima intellectiva causetur ex semine.*

RESP. NEG. - PRIMA R. EST: quia impossibile est virtutem activam quae est in materia extendere suam actionem ad producendum immaterialem effectum.

SECUNDA R. EST: quia anima intellectiva non potest a semine provenire, virtus enim quae est in semine, agit in virtute animae generantis, secundum quod anima generantis est actus corporis; in operatione autem intellectus non communicat corpus.

TERTIA R. EST: quia anima intellectiva est subsistens, habet enim operationem vitae sine corpore, et cum sit immaterialis substantia solum per creationem causari potest. Unde dicit Philosophus: « Relinquitur intellectum solum de foris advenire ».

NOTANDUM: Cum generatio unius *semper* sit corruptio alterius, necesse est dicere quod tam in homine, quam in animalibus aliis, quando perfectior forma advenit, fit corruptio prioris; ita tamen quod sequens forma habet quidquid habebat prima, et adhuc amplius: et sic permultas generationes et corruptiones pervenitur ad ultimam formam substantialem tam in homine, quam in aliis animalibus. Sic igitur dicendum est, quod anima intellectiva creatur a Deo *in fine generationis humanae*, quae simul est et sensitiva et nutritiva, corruptis formis praeeistentibus (ad 3m).

Art. III. – *Utrum animae humanae fuerint creatae simul a principio mundi.*

RESP. NEG. – PRIMA R. EST: quia si accidentaliter conveniret animae corpori uniri, sequeretur quod homo, qui ex ista unione constituitur, esset ens per accidens.

SECUNDA R. EST: quia, ut ipse diversus modus intelligendi ostendit, anima non est ejusdem naturae cum angelis, sed indiget uniri corpori, et esse sine corpore est sibi contra naturam.

TERTIA R. EST: quia sine corpore existens anima non habet suae naturae perfectionem; et sic Deus ab imperfectis suum opus inchoaret, et ab his quae sunt praeter naturam.

NOTANDUM: Si quis dicat non esse naturale animae corpori uniri, oportet inquirere causam quare sit corpori unita. Hoc autem posset esse vel ex voluntate ipsius animae, vel ex alia causa. Non autem ex voluntate animae, quia, si unio cum corpore non est naturalis, haec voluntas animae

esset irrationabilis. Si autem ex alia causa unitur anima corpori praeter ejus naturam, oportet quod hoc sit ex causa violentiam inferente, quod est inconveniens. – Quod anima, post mortem, sine corpore remanet, hoc contingit ex peccato per corporis corruptionem (Ad 3m).

QUAESTIO CXIX

De propagatione hominis quantum ad corpus

Deinde considerandum est de propagatione hominis quantum ad corpus; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum aliquid de alimento convertatur in veritatem humanae naturae.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Alimentum vere convertitur in veritatem humanae naturae, in quantum vere accipit speciem carnis et ossis, et hujusmodi partium.

PRIMA series Rationum est contra illam opinionem aliquorum qui dicebant, quod forma humana non potest salvari nisi in materia quadam signata, quae fuit in primo homine; multitudo humanorum corporum igitur est per multiplicationem hujus materiae *in se ipsa*. Unde alimentum non vertitur in veritatem humanae naturae, sed accipitur ut quoddam fomentum naturae, i. e., ut resistat actioni caloris naturalis, ne consumat humidum radicale, in quo fundatur virtus speciei, et quod si substrahatur, restitui non potest. Contra hanc opinionem rationes sunt: a) quia ejusdem rationis est quod aliqua forma possit fieri in *alia* materia, et quod possit propriam materiam deserere: corpus autem corruptibile est; b) quia in omnibus quorum materia

invenitur tota sub uno individuo, non est nisi unum individuum in una specie; c) quia multiplicatio materiae non potest esse nisi aut per rarefactionem, aut per creationem, aut per conversionem alicujus in ipsam materiam: multiplicatio corporis humani non fit per rarefactionem, neque per creationem, ut patet; sed per alimentum quod convertitur in veritatem ipsius corporis; d) quia sic fit in animalibus et in plantis.

Alia series Rationum est contra opinionem aliorum qui dicebant, quod forma humana potest quidem fieri de novo in aliqua alia materia; sed in individuo forma humana manet fixa in quadam materia determinata, quae principaliter pertinet ad veritatem humanae naturae. Sed quia hujusmodi materia non sufficit ad quantitatem debitam, requiritur ut adveniat alia materia per conversionem alimenti in substantiam nutriti, quantum sufficiat ad debitum augmentum. Et hanc materiam, dicunt, secundo pertinet ad veritatem humanae naturae; quia non requiritur ad primum esse individui, sed ad quantitatem ejus. — Rationes contra hanc opinionem sunt: a) quia haec opinio judicat de materia corporum viventium ad modum corporum inanimatorum. Nihil enim per virtutem nutritivam adderetur corporibus viventibus, si alimentum in veritatem naturae ipsorum non converteretur; b) Quia si ex virtute seminis, quae ab anima generantis derivatur, vere assumit aliqua materia formam naturae humanae, multo magis anima in nutrimentum conjunctum poterit veram formam naturae humanae imprimere per potentiam nutritivam; c) Quia nutrimentum requiritur non solum ad augmentum, sed etiam ad restaurandum illud quod deperditur per actionem caloris naturalis. Non autem esset restauratio, nisi id quod ex alimento generatur, succederet in

locum deperditi. Et sicut id quod primo inerat, est de veritate humanae naturae, ita et id quod ex alimento generatur.

Art. II. - *Utrum semen sit de superfluo alimenti.*

RESP. AFF. - R. EST: quia cum semen habeat virtutem ad productionem totius corporis derivatam ab anima generantis, non potest generari ex alimento jam converso in aliquam determinatam partem, sed antequam convertatur in substantiam membrorum. - Unde, adjungit S. D. cum Aristotile, animalia magni corporis quae indigent multo nutrimento, sunt pauci seminis secundum quantitatem sui corporis, et paucae generationis; et similiter homines pingues sunt pauci seminis propter eandem causam.

NOTANDUM: Christus dicitur fuisse in Adam secundum *corpulentam substantiam*, sed non secundum seminalem rationem; quia materia corporis ejus, quae ministrata est a Matre Virgine, derivata est ab Adam; sed virtus activa non est derivata ab Adam; quia corpus ejus non est formatum per virtutem virilis seminis, sed operatione Spiritus Sancti; talis enim partus decebat eum qui est super omnia benedictus Deus in saecula saeculorum.

AMEN

FINIS PRIMAE PARTIS

RATIONES FORMALES SEU FUNDAMENTALES ARTICULORUM

PRIMA SECUNDAE

(Totalitas Quaestionum, 114 - Totalitas Articulorum, 609).

PROLOGUS

Quia, sicut Damascenus dicit, homo factus ad imaginem Dei dicitur, secundum quod per imaginem significatur *intellectuale, et arbitrio liberum, et per se potestativum*; postquam praedictum est de *exemplari*, scilicet de Deo et de his quae processerunt ex divina potestate secundum ejus voluntatem, restat ut consideremus de ejus *imagine*, id est, de homine, secundum quod et ipse suorum operum principium, quasi liberum arbitrium habens, et suorum operum potestatem.

QUAESTIO I

De ultimo fine hominis in communi *

Ubi primo considerandum occurrit de ultimo fine humanae vitae; et deinde de his per quae homo ad hunc finem pervenire potest, vel ab eo deviare. Ex fine enim oportet accipere rationes eorum quae ordinantur ad finem. Et quia ultimus finis humanae vitae ponitur esse beatitudo, oportet primum considerare de ultimo fine in communi, deinde de beatitudine. – Circa primum quaeruntur octo:

* Ad divisiones Tractatum et Quaestionum quod attinet vide Div. Schematicam,

Art. I. - *Utrum homini conveniat agere propter finem.*

RESP. AFF. - R. EST: quia omnes actiones quae procedunt ab aliqua potentia, causantur ab ea secundum rationem sui objecti. Homo autem, ut homo, i. e., ut est dominus suorum actuum, agit per deliberatam voluntatem, cujus objectum est finis et bonum.

NOTANDA: 1. - Etsi finis sit postremus in executione, est tamen primus in intentione agentis; et hoc modo habet rationem causae (Ad 1m).

2. - Actio aliqua dupliciter dicitur voluntaria: uno modo quia imperatur a voluntate, sicut ambulare vel loqui; alio modo quia elicitur a voluntate, sicut ipsum velle, quod non potest esse ultimus finis, sicut ipsum videre non potest esse primum visibile. Unde etiam ipsum velle est propter finem. (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum agere propter finem sit proprium rationalis naturae.*

RESP. NEG. - *Scil.*: omnia agentia necesse est agere propter finem.

R. EST: quia agens non movet nisi ex intentione finis; secus non magis ageret hoc quam illud. Illa ergo quae rationem habent seipsa movent ad finem, quia habent dominium suorum actuum; illa vero quae ratione carent, tendunt in finem propter naturalem inclinationem, et sic in finem ab alio ordinantur, scil., a Deo.

Art. III. - *Utrum actus humani recipiant speciem ex fine.*

RESP. AFF. - *Scil.*: siye considerantur per modum actionum, siye per modum passionum actus humani sortiuntur speciem a fine.

R. EST: quia unumquodque sortitur speciem secundum actum. In actibus humanis autem, tum in illis quibus homo movet seipsum, tum in

illis quibus homo movetur a seipso, objectum voluntatis est bonum, et finis.

NOTANDUM: Finis dat speciem actui humano, sive morali, secundum quod est prior in intentione (Ad 2m).

Art. IV. - *Utrum sit aliquis ultimus finis humanae vitae.*

RESP. AFF. - *Scil.*: sive in ordine intentionis, sive in ordine executionis.

R. EST: quia si non esset ultimus finis in ordine intentionis, cum non sit in infinitum procedere, nihil appeteretur, nec aliqua actio terminaretur, nec etiam quiesceret intentio agentis. Si autem non esset primum in his quae sunt ad finem (in ordine executionis), nullus inciperet aliquid operari, nec terminaretur consilium; sed in infinitum procederet.

NOTANDUM: Ea quae non habent ordinem per se, sed per accidens sibi invicem conjunguntur, nihil prohibet infinitatem habere; causae enim per accidens indeterminatae sunt. Et hoc etiam modo contingit esse infinitatem per accidens in finibus, et his quae sunt ad finem (In corp.).

Art. V. - *Utrum unius hominis possint esse plures ultimi fines.*

RESP. NEG. - *Scil.*: impossibile est quod voluntas unius hominis simul se habeat ad diversa sicut ad ultimos fines.

PRIMA R. EST: quia oportet quod ultimus finis ita impleat totum hominis appetitum, quod nihil extra ipsum appetendum relinquatur.

SECUNDA R. EST: quia in processu rationalis appetitus, id quod naturaliter desideratur, est unum; natura enim non tendit nisi ad unum.

TERTIA R. EST: quia omnia appetibilia voluntatis, inquantum hujusmodi, sint unius generis;

in quolibet enim genere unum est primum principium: ultimus autem finis habet rationem primi principii.

Art. VI. – *Utrum homo omnia quae vult, velit propter ultimum finem.*

RESP. AFF. – *Scil.:* necesse est quod omnia quae homo appetit, appetat propter ultimum finem.

PRIMA R. EST: quia si bonum non appetitur ut bonum perfectum, quod est ultimus finis, necesse est ut appetatur ut tendens in bonum perfectum; omnis enim inchoatio alicujus ordinatur ad consummationem ipsius.

ALIA R. EST: quia sic se habet ultimus finis in movendo appetitum, sicut primum movens se habet in aliis motionibus; sicut igitur causae secundae non movent, nisi moventur a primo movente, ita secunda appetibilia non movent appetitum nisi in ordine ad primum appetibile, quod est ultimus finis.

NOTANDUM: Virtus primae intentionis, quae est respectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cujuscumque rei, etiamsi de ultimo fine actu non cogitetur (Ad 3m).

Art. VII. – *Utrum sit unus ultimus finis omnium hominum.*

RESP. AFF. – *Scil.:* quantum ad rationem ultimi finis; non vero quantum ad id, in quo ista ratio ultimi finis invenitur.

R. PRIMI EST: quia omnes homines appetunt suam perfectionem adimpleri, quae est ratio ultimi finis, ut dictum est (art. 5, hujus quaes.).

R. SECUNDI EST: quia quidam appetunt divitias tamquam consummatum bonum; quidam vero voluptatem; quidam vero quodcumque aliud.

– Illud autem bonum oportet esse completissimum, quod tanquam ultimum finem appetit habens affectum bene dispositum.

NOTANDUM: Peccantes avertuntur ab eo in quo vere invenitur ratio ultimi finis; non autem ab ipsa ultimi finis intentione, quam quaerunt falso in aliis rebus (Ad 1m); nam, etsi actiones sint singularium, tamen primum principium agendi in eis est natura, quae tendit ad unum (Ad 3m).

Art. VIII. – *Utrum in illo ultimo fine aliae creaturae convenient.*

RESP. NEG. – *Scil.*: quantum ad consecutionem, seu usum finis aliae creaturae non conveniunt in fine hominis (finis « quo »); conveniunt tamen quantum ad finem ut rem (finis « cuius »).

R. EST: quia rationales creaturae consequuntur ultimum finem cognoscendo et amando Deum; quod non competit aliis creaturis, quae tamen adipiscuntur ultimum finem inquantum participant aliquam similitudinem Dei, secundum quod sunt, vel vivunt, vel etiam cognoscunt.

QUAESTIO II

De his in quibus hominis beatitudo consistit

Deinde considerandum est de beatitudine. Primo quidem, in quibus sit. Secundo, quid sit. Tertio, qualiter eam consequi possumus. Circa primum quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum beatitudo hominis consistat in divitiis.*

RESP. NEG. – *Scil.*: impossibile est beatitudinem hominis in divitiis consistere, sive naturalibus sive, artificialibus.

R. EST: quia divitiae naturales quaeruntur ad sustentandam naturam hominis; et ideo non possunt esse finis ultimus, sed magis ordinantur ad hominem sicut ad finem. Divitiae autem artificiales non quaeruntur nisi propter naturales. Et eorum insufficientia magis cognoscitur cum habentur (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum beatitudo hominis consistat in honoribus.*

RESP. NEG. – *Scil.*: honor potest quidem consequi beatitudinem; sed principaliter in eo beatitudo consistere non potest.

R. EST: quia honor exhibetur alicui propter aliquam ejus excellentiam. Excellentia autem hominis maxime attenditur secundum beatitudinem, quae est hominis bonum perfectum. – Quaerere excellentiam propter honorem est ambitio (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum beatitudo hominis consistat in fama, sive gloria.*

RESP. NEG. – R. EST: quia fama, sive gloria humana, si est vera, derivatur a cognitione boni jam in ipso homine existentis; et sic praesupponit perfectam beatitudinem, vel inchoatam; gloria enim est « clara notitia cum laude ». – E contra, beatitudo hominis dependet ex gloria quae est apud Deum, sicut ex cognitione Dei, quae est causa rerum.

Art. IV. – *Utrum beatitudo hominis consistat in potestate.*

RESP. NEG. – PRIMA R. EST: quia potestas habet rationem principii; beatitudo autem habet rationem ultimi finis,

SECUNDA R. EST: quia potestas se habet ad bonum et ad malum; beatitudo autem est proprium et perfectum hominis bonum: unde magis possit consistere hominis beatitudo aliqua in bono usu potestatis; qui est per virtutem, quam in ipsa potestate.

NOTANDUM: Adjungit hic Sanctus Doctor quatuor rationes generales quibus probatur beatitudinem consistere non potest in praedictis bonis externis, sic:

- 1) quia beatitudo non compatitur secum aliquod malum;
- 2) quia beatitudo debet esse per se sufficiens;
- 3) quia ex beatitudine non potest aliquod malum provenire;
- 4) quia ad beatitudinem ordinatur homo per principia interiora.

Art. V. – *Utrum beatitudo hominis consistat in aliquo corporis bono.*

RESP. NEG. – PRIMA R. EST: quia homo non est summum bonum, sed ordinatur ad aliquid sicut ad finem; unde impossibile est quod *ultimus* finis rationis et voluntatis humanae sit conservatio humani esse.

SECUNDA R. EST: quia bona omnia corporis ordinantur ad bona animae sicut ad finem.

Art. VI. – *Utrum beatitudo hominis consistat in voluptate.*

RESP. NEG. – R. EST: quia omnis delectatio est quoddam proprium accidens quod consequitur beatitudinem, vel aliquam beatitudinis partem. – Unde delectatio appetitur ratione boni, et non e converso (Ad 3m).

NOTANDUM: Bonum conveniens corpori, quod per apprehensionem sensus delectationem corpo-

ralem causat, non est perfectum bonum hominis, sed est minimum quiddam in comparatione ad bonum animae; pars enim animae quae est ab organo corporeo absoluta, quamdam habet infinitatem respectu ipsius corporis; quia forma a materia absoluta est quodammodo infinita (In corp.).

Art. VII. - *Utrum beatitudo hominis consistat in aliquo bono animae.*

RESP. NEG. - *Scil.:* si beatitudo consideratur ut ipsa res, quam adipisci desideramus; secus tamen si consideratur ut ipsa assecutio rei, seu finis ultimi.

R. PRIMI EST: quia ipsa anima in se considerata est ut potentia existens; fit enim de potentia sciente actu sciens, et de potentia virtuosa actu virtuosa. Potentia autem est propter actum.

R. SECUNDI EST: quia homo per animam consequitur beatitudinem. - Unde beatitudo est quidem aliquid animae; sed id in quo beatitudo consistit est aliquid extra animam.

Art. VIII. - *Utrum beatitudo hominis consistat in aliquo bono creato.*

RESP. NEG. - R. EST: quia nihil potest quietare voluntatem hominis, nisi bonum universale, quod est objectum voluntatis, sicut universale verum est objectum intellectus. Bonum autem universale non invenitur in aliquo creato, sed solum in Deo. In solo igitur Deo beatitudo hominis consistit.

NOTANDUM: Universitas creaturarum, ad quam comparatur homo ut pars ad totum, non est ultimus finis, sed ordinatur in Deum sicut in ultimum finem. Unde bonum universi non est ultimus finis hominis, sed ipse Deus (Ad 2m).

QUAESTIO III

Quid sit beatitudo

Deinde considerandum est quid sit beatitudo, et quae requirantur ad ipsam. Circa primum quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum beatitudo sit aliquid increatum.*

RESP. NEG. – *Scil.* : si beatitudo consideretur quantum ad ipsam adeptionem seu possessionem, seu usum finis ultimi, seu etiam quantum ad essentiam ipsius beatitudinis, est quid creatum. Quantum vero ad rem ipsam, est aliquid increatum.

R. PRIMI EST: quia sic beatitudo nihil aliud est quam adeptio vel fruitio ultimi finis.

R. SECUNDI EST: quia sic beatitudo, seu ultimus finis est ipse Deus, ut supra dictum est (quaes. praec. art. 8).

Art. II. – *Utrum beatitudo sit operatio*

RESP. AFF. – *Scil.* : secundum quod beatitudo est aliquid creatum in ipso homine existens.

R. EST: quia beatitudo est ultima hominis perfectio. Unumquodque autem in quantum est perfectum in quantum est actu. Ultimus autem actus operantis est operatio.

NOTANDA: 1. – Actio seu operatio quae beatitudo esse potest, non est illa, quae ab operante procedit in exteriorem actum; talis actio enim magis est perfectio patientis, quam agentis; sed est actio manens in ipso agente, ut sentire, intelligere et velle; quia talis actio est perfectio et actus agentis (Ad 3m).

2.– Beatitudo quoad statum est «status omnium bonorum aggregatione perfectus». Ita Boetius, De consol. lib. iii, prosa 2., circa principium (Ad 2m).

3. – In Deo beatitudo dicitur per essentiam, quia ipsum esse ejus est operatio. In Angelis est ultima perfectio secundum aliquam operationem, qua junguntur bono increato, et est unica et sempiterna. In hominibus est, secundum statum praesentis vitae, ultima perfectio secundum operationem qua homo coniungitur Deo, quae tamen nec sempiterna est nec continua, et per consequens, nec unica. Unde quanto operatio potest esse magis continua et una, tanto plus habet rationem beatitudinis (Ad 4m).

4.– Et ideo in activa vita, quae circa multa occupatur, est minus de ratione beatitudinis quam in vita contemplativa, quae versatur circa unum, i. e., circa veritatis contemplationem (Ad 4m).

Art. III. – *Utrum beatitudo sit operatio sensitivae partis, aut intellectivae tantum.*

RESP.: Partis intellectivae tantum. *Scil.*: essentialiter; antecedenter autem et consequenter possunt operationes sensus ad beatitudinem pertinere.

R. PRIMI EST: quia beatitudo hominis consistit essentialiter in conjunctione ipsius ad bonum increatum, cui homo conjungi non potest per sensus operationem. Similiter, quia beatitudo hominis non potest consistere in corporalibus bonis, quae tamen sola per operationem sensus attingimus.

R. SECUNDI EST: quia ad beatitudinem imperfectam, quae in praesenti vita haberi potest, operatio intellectus praeexigit (antecedenter) operationem sensus. Consequenter autem, in illa beatitudine perfecta, quia post resurrectionem «ex ipsa beatitudine animae, ut Aug. dicit, fiet quaedam refluentia in corpus», ut infra magis patebit (Suppl. q. LXXXII, art. 3 et 4).

Art. IV. - *Utrum, si beatitudo est intellectivae partis, sit operatio intellectus an voluntatis.*

RESP.: est operatio intellectus. Scil.: quantum ad id quod est essentialiter in ipsa beatitudine; sed quantum ad id quod est per se accidens in ipsa beatitudine, ut delectatio ei conjuncta, pertinet ad voluntatem.

R. EST: quia essentialiter beatitudo est consecutio finis ultimi; consequimur autem finem per hoc quod sit praesens nobis per actum intellectus. Voluntas autem desiderat finem, et delectata conquiescit in fine jam adepto. Sic igitur essentia beatitudinis in actu intellectus consistit; ad voluntatem autem pertinet beatitudinis consummationem, est enim «gaudium de veritate».

Art. V. - *Utrum beatitudo sit operatio intellectus speculativi, an practici.*

RESP. est operatio intellectus speculativi magis quam practici.

PRIMA R. EST: quia beatitudo est optima hominis operatio; haec autem debet esse optimae potentiae respectu optimum objectum.

SECUNDA R. EST: quia contemplatio maxime quaeritur propter seipsam; actus autem intellectus practici non quaeritur propter seipsum, sed propter actionem, seu ad aliquem finem.

TERTIA R. EST: quia per beatitudinem homo Deo et Angelis assimilatur per contemplationem. Beatitudo imperfecta autem principaliter consistit in contemplatione; secundario vero in operatione practici intellectus ordinantis actiones et passiones humanas.

NOTANDUM: Intellectus practicus habet bonum quod est extra ipsum; sed intellectus speculativus habet bonum in seipso, scilicet contemplationem

veritatis; et si illud bonum sit perfectum, ex eo totus homo perficitur, et fit bonus; quod quidem intellectus practicus non habet, sed ad illud ordinat (Ad 2m).

Art. VI. – *Utrum beatitudo consistat in consideratione scientiarum speculativarum.*

RESP. NEG. – *Scil.*: perfecta beatitudo in consideratione scientiarum speculativarum essentialiter consistere non potest.

R. EST: quia consideratio speculativae scientiae non se extendit ultra virtutem principiorum illius scientiae; haec autem principia per sensum accipiuntur: unde non se extendunt ultra quam cognitio sensibilibus ducere potest. Oportet autem quod ultima perfectio hominis sit per cognitionem alicujus rei quae sit *supra* intellectum humanum. – Sed sicut in formis sensibilibus participatur aliqua similitudo substantiarum superiorum; ita consideratio scientiarum speculativarum est quaedam participatio verae et perfectae beatitudinis.

Art. VII. – *Utrum beatitudo consistat in cognitione substantiarum separatarum, scilicet Angelorum.*

RESP. NEG. – R. EST: quia esse angeli est participatum (Pars I, q. lxi, a. 1); ratio autem proprii objecti intellectus est verum ut sic.

Art. VIII. – *Utrum beatitudo hominis sit in visione divinae essentiae.*

RESP. AFF. – *Scil.*: ultima et perfecta beatitudo non potest esse nisi in visione divinae essentiae.

R. EST: quia homo non est perfecte beatus quamdiu restat ei aliquid desiderandum et quaerendum. Haec autem perfectio habetur quando intellectus ad ipsam essentiam primae causae pertingit.

QUAESTIO IV

De his quae ad beatitudinem exiguntur

Deinde considerandum est de his quae exiguntur ad beatitudinem; et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum delectatio requiratur ad beatitudinem.*

RESP. AFF. - *Scil.* : ut concomitans.

R. EST: quia delectatio causatur ex hoc quod appetitus requiescit in bono adepto; beatitudo autem nihil aliud est quam adeptio summi boni.

Art. II. - *Utrum in beatitudine sit principalius visio quam delectatio.*

RESP.: principalius est visio.

R. EST: quia principalius bonum est ipsa operatio (visio), in qua quietatur voluntas, quam quietatio voluntatis in ipso (bono, sc. visionis); voluntas enim non quaerit bonum propter quietationem, quia sic ipse actus voluntatis esset finis; finis autem voluntatis est bonum.

NOTANDUM: Apprehensio sensitiva non attingit ad communem rationem boni, sed ad aliquod bonum particulare quod est delectabile. Et ideo secundum appetitum sensitivum, qui est in animalibus, operationes quaeruntur propter delectationem. Sed intellectus apprehendit universalem rationem boni, ad cuius consecutionem sequitur delectatio; unde principalius intendit bonum, quam delectationem. Et inde est quod divinus intellectus, qui est institutor naturae, delectationes apposuit propter operationes (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum ad beatitudinem requiratur comprehensio.*

RESP. AFF. - *Scil.* : comprehensio non stricte sumpta, sed ut apprehensio ac perceptio rei quae praesens habetur (Ad 1m).

R. EST: quia ea quae requiruntur ad beatitudinem, sunt considerata ex ipso ordine hominis ad finem. Ad assecutionem autem perfectam finis intelligibilis tria concurrunt: visio seu cognitio perfecta ipsius finis; comprehensio, seu praesentia ipsius finis; et delectatio, seu fruitio, quae importat quietationem rei amantis in amato. Sic concurrunt intellectus et voluntas.

Art. IV. – *Utrum ad beatitudinem requiratur rectitudo voluntatis.*

RESP. AFF. – *Scil.*: rectitudo voluntatis requiritur ad beatitudinem antecedenter et concomitanter.

R. PRIMI EST: quia rectitudo voluntatis habetur per debitum ordinem ad finem ultimum.

R. SECUNDI EST: quia voluntas videntis Dei essentiam, *quae est ipsa essentia bonitatis*, ex necessitate amat quidquid amat sub ordine ad Deum; sicut voluntas non videntis Dei essentiam ex necessitate amat quidquid amat sub ratione boni.

Art. V. – *Utrum ad beatitudinem hominis requiratur corpus.*

RESP. NEG. – *Scil.*: non requiritur ad constituendam beatitudinem, sed ad bene esse beatitudinis.

R. PRIMI EST *ex auctoritate*: « Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus et non per speciem. Audemus autem, et voluntatem habemus bonam peregrinari a corpore, *et praesentes esse ad Deum* ». (II Cor. 5, 6). Et *ex ratione*: quia divina essentia per phantasmata videri non potest (P. I, q. xii, art. 2).

R. SECUNDI EST: quia anima perfectior erit in sua natura corpori unita quam sine corpore, et ideo perfectius habebit suam propriam operationem, in qua felicitas consistit.

NOTANDUM: 1. - Ad beatitudinem imperfectam, quae in hac vita haberi potest, requiritur corpus, quia operatio intellectus in hac vita non potest esse sine phantasmate (In corp.).

2. - Separatio animae a corpore dicitur animam retardare, ne tota intentione tendat in visionem divinae essentiae. Appetit enim anima sic frui Deo, quod etiam ipsa fruitio derivetur ad corpus per redundantiam, sicut est possibile; et ideo quamdiu ipsa fruitur Deo sine corpore, appetitus ejus sic quiescit in eo, quod tamen adhuc ad participationem ejus vellet suum corpus pertingere (Ad 4m). Unde, corpore resumpto, beatitudo crescit, non intensive, sed extensive (Ad 5m); et secundum hoc, angeli perfectiorem habent beatitudinem quam homines (Ad 6m).

Art. VI. - *Utrum ad beatitudinem requiratur aliqua perfectio corporis.*

RESP. AFF. - *Scil. :* ad beatitudinem omnibus modis perfectam requiritur perfecta dispositio corporis et antecedenter et consequenter.

Antecedenter, R. EST: quia si corpus non est perfecte dispositum, aggravaret animam, et mens ab illa visione summi caeli avertitur. Ut Aug. dicit.

Consequenter, R. EST: quia ex beatitudine animae fiet redundantia ad corpus, ut et ipsum sua perfectione potiatur.

Art. VII. - *Utrum ad beatitudinem requirantur aliqua exteriora bona.*

RESP. NEG. - *Scil. :* ad beatitudinem perfectam exteriora bona nullo modo requiruntur.

R. EST: quia illa perfecta beatitudo quae in visione Dei consistit, vel erit in anima sine corpo-

re, vel erit in anima corpori conjuncta, non jam animali, sed *spirituali*.

Art. VIII. – *Utrum ad beatitudinem requiratur societas amicorum.*

RESP. NEG. – *Scil.*: ad beatitudinem perfectam (patriae) non requiritur societas amicorum de necessitate, sed ad bene esse beatitudinis.

R. PRIMI EST: quia homo habet totam plenitudinem suae perfectionis in Deo.

R. SECUNDI EST: quia, si anima beata, extrinsecus adjuvari dicenda, fortasse hoc solo adjuvatur quod beati se invicem vident, et de sua societate gaudent.

QUAESTIO V

De adeptione beatitudinis

Deinde considerandum est de adeptione beatitudinis; et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum homo possit consequi beatitudinem.*

RESP. AFF. – R. EST: quia homo est capax perfecti boni; comprehendit enim universale et perfectum bonum, et voluntas ejus illud appetere potest. (P. I., q. xii, art. 1).

NOTANDUM: Rationalis natura consequi potest beatitudinem, quae est perfectio intellectualis naturae, alio modo quam angeli. Nam angeli consecuti sunt eam statim post principium suae conditionis; homines autem per tempus ad ipsam perveniunt (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum unus homo possit esse beatior altero.*

RESP. AFF. – *Scil.*: non quantum ad ipsum bonum quod est beatitudinis objectum; sed quantum ad adeptionem et fruitionem hujus boni.

R. PRIMI EST: quia bonum beatitudinis est ipsum summum bonum, quod est unum.

R. SECUNDI EST: quia quanto magis hoc bono fruitur, tanto beatior est, quod ex eo accidit, quod unus est melius dispositus vel ordinatus ad ejus fruitionem.

Art. III. – *Utrum aliquis in hac vita possit esse beatus.*

RESP. NEG. – *Scil.*: aliqualis participatio beatitudinis in hac vita haberi potest; perfecta vero non potest haberi in hac vita.

PRIMA R. EST: ex communi ratione beatitudinis: quia in hac vita non potest omne malum excludi; nec boni desiderium potest satiari, ut patet.

SECUNDA R. EST: quia homo in hac vita non potest pervenire ad visionem divinae essentiae (P. I., q. xii, art. 2).

NOTANDUM: Vera ratio beatitudinis consideratur ex objecto, quod dat speciem actui, non autem ex subjecto. Unde imperfectio ex parte objecti tollit rationem verae beatitudinis; imperfectio autem ex parte subjecti, non tollit rationem verae beatitudinis, sed imperfecte dicitur per respectum ad modum quo Deus seipso fruitur (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum beatitudo habita possit amitti.*

RESP. NEG. – *Scil.*: beatitudo perfecta.

PRIMA R. EST: quia ad perfectam beatitudinem, quae desiderium hominis perfecte quietat, necesse est quod homo securitatem obtineat retinendi bonum quod habet. Quod si haec opinio est certa, habemus intentum; si vero est falsa, esset falsum intellectum, quod est malum. Non igitur jam vera erit beatitudo, si aliquod malum ei inest. Sic ex communi ratione beatitudinis.

SECUNDA R. EST: ex ratione beatitudinis in speciali: *a*) quia beatus videns divinam essentiam, nunquam vult eam amittere; talis enim visio replet animam omnibus bonis, cum conjungat fonti totius bonitatis; *b*) quia non potest eam perdere, Deo subtrahente; esset enim poena quaedam, quae supponeret culpam: culpa autem non potest cadere in illo, qui divinam essentiam videt, quia habet rectitudinem voluntatis (q. iv, art. 4); *c*) quia nec aliquod aliud agens potest eam subtrahere; mens enim Deo conjuncta super omnia alia elevatur, et sic ab hujusmodi conjunctione nullum aliud agens potest ipsam excludere.

NOTANDUM: Beatitudo est perfectio consummata, quae omnem defectum excludit a beato; et ideo absque mutabilitate advenit eam habenti, faciente hoc virtute divina, quae hominem sublevat in participationem aeternitatis transcendentis omnem mutationem (Ad 1m).

Art. V. – *Utrum homo per sua naturalia possit acquirere beatitudinem.*

RESP. NEG. – R. EST: quia omnis cognitio quae est secundum modum substantiae creatae, deficit a visione divinae essentiae, quae in infinitum excedit omnem substantiam creatam (P. I., q. xii, a. 4).

Art. VI. – *Utrum homo consequatur beatitudinem per actionem alicujus superioris creaturae.*

RESP. NEG. – R. EST: quia cum omnis creatura naturae legibus sit subjecta, utpote habens limitatam virtutem et actionem, illud quod excedit naturam creatam, non potest fieri virtute alicujus creaturae. Et sic homo fit beatus solo Deo agente.

NOTANDA: 1. – In ordine universi homo quidem adjuvatur ab angelis ad consequendum ultimum finem secundum aliqua praecedentia, qui-

bus disponitur ad ejus consecutionem; sed ipsum ultimum finem consequitur per ipsum primum agentem, qui est Deus (Ad 1m).

2. - Lumen gloriae, per quod Deus videtur, in Deo quidem est perfecte et secundum esse naturale; in qualibet autem creatura est imperfecte, et secundum esse similitudinarium vel participatum. Unde nulla creatura beata potest communicare suam beatitudinem alteri (Ad 2m).

Art. VII. - *Utrum requirantur aliqua opera bona ad hoc quod homo beatitudinem consequatur a Deo.*

RESP. AFF. - R. EST: quia cum beatitudo excedat omnem naturam creatam, nulla pura creatura convenienter beatitudinem consequitur absque motu operationis, per quam tendit in ipsam, et sic ordo servetur in rebus.

NOTANDA: 1. - Posset Deus simul facere voluntatem recte tendentem in finem, et finem consequentem. Sed ordo divinae sapientiae exigit ne hoc fiat (In corp. art.).

2. - Angelus, qui est superior naturae quam homo, consecutus est beatitudinem ex ordine divinae sapientiae uno motu operationis meritoriae (P. I., q. lxii, art. 5); homines autem consequuntur ipsam multis motibus operationum (Ibid.).

3. - Quia per Christum, qui est Deus et homo, beatitudo erat ad alios derivanda; statim a principio suae conceptionis, absque aliqua operatione meritoria praecedente, anima ejus fuit beata. (Ad 2m).

Art. VIII. - *Utrum omnis homo appetat beatitudinem.*

RESP. AFF. - *Scil.:* considerando beatitudinem secundum suam rationem communem; non secundum sua rationem specialem.

R. PRIMI EST: quia ratio communis beatitudinis est bonum perfectum; omnis autem homo ap-

petat ut sua voluntas satietur; voluntas autem satisfit per bonum perfectum.

R. SECUNDI EST: quia ratio specialis beatitudinis est id in quo beatitudo consistit; et secundum hoc non omnes cognoscunt beatitudinem, quia nesciunt cui ratio rei communis beatitudinis conveniat.

DE ACTIBUS HUMANIS *

Quia igitur ad beatitudinem per actus aliquos necesse est pervenire, oportet consequenter de humanis actibus considerare, ut sciamus quibus actibus perveniatur ad beatitudinem vel impediatur beatitudinis via. Sed quia operationes et actus circa singularia sunt, ideo omnis operativa scientia in particulari consideratione perficitur. Moralis igitur consideratio, quia est humanorum actuum, primo quidem tradenda est in universali, secundo vero in particulari. – Circa universalem autem considerationem humanorum actuum, primo quidem considerandum occurrit de ipsis actibus humanis, secundum de principiis eorum. Humanorum autem actuum quidam sunt hominis proprii, quidam sunt homini et aliis animalibus communes. Et quia beatitudo est proprium hominis bonum, propinquius se habent ad beatitudinem actus qui sunt proprie humani, quam actus qui sunt homini aliisque animalibus communes. Primo ergo considerandum est de actibus qui sunt proprii hominis. Secundo de actibus qui sunt homini aliisque animalibus communes, qui dicuntur animae passionibus. – Circa primum duo consideranda occurrunt: primo de conditione humanorum actuum; secundo de distinctione eorum actuum. Cum autem actus humani proprie dicantur qui sunt voluntarii, eo quod voluntas est rationalis appetitus, qui est proprius hominis, oportet considerare de actibus in quantum sunt voluntarii. Primo ergo considerandum est de voluntario et involuntario in communi; secundo de actibus qui sunt voluntarii, quasi ab

*Vide nostram « Schematicam Divisionem Totius Summae etc. ».

ipsa voluntate elicit, ut immediate ipsius voluntatis, existentes; tertio de actibus qui sunt voluntarii, quasi a voluntati imperati, qui sunt ipsius voluntatis, mediantibus aliis potentiis. Et quia actus voluntarii habent quasdam circumstantias, secundum quas dijudicantur, primo considerandum est de voluntario et involuntario, et consequenter de circumstantiis ipsorum actuum, in quibus voluntarium et involuntarium invenitur. Circa primum quaeruntur octo:

QUAESTIO VI

De voluntario et involuntario

Art. I. - *Utrum in humanis actibus inveniatur voluntarium.*

RESP. AFF. - *Scil.* : oportet in actibus humanis maxime voluntarium esse.

R. EST: quia homo maxime cognoscit finem sui operis, et movet seipsum; seu, movet seipsum cum cognitione finis.

NOTANDA: 1. - Quodcumque sic agit vel movetur a principio intrinseco, quod habet aliquam notitiam finis, habet in seipso principium sui actus, non solum ut agat, sed etiam ut agat propter finem; quod autem nullam notitiam habet finis, etsi in eo sit principium actionis vel motus, non tamen ejus quod est agere vel moveri propter finem, est principium in ipso, sed in alio a quo ei imprimitur principium suae motionis in finem (In corp.).

2. - Non est de ratione voluntarii quod principium intrinsecum sit principium. Sed principium intrinsecum voluntarii actus, quod est vis cognoscitiva et appetitiva, est primum principium *in genere appetitivi motus*, sed movetur ab aliquo exteriori *secundum alias species motus* (Ad 1m).

3. - Deus movet hominem ad agendum, non solum sicut proponens sensui appetibile, vel sicut immutans corpus, sed etiam sicut movens ipsam voluntatem; quia omnis motus tam voluntatis, quam naturae ab eo procedit sicut a primo movente (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum voluntarium inveniatur in animalibus brutis.*

RESP. AFF. – *Scil.* : secundum rationem imperfectam.

R. EST: quia in animalibus brutis non est perfecta cognitio finis, sed imperfecta, quae in sola finis apprehensione consistit, sine hoc quod cognoscatur ratio finis et proportio actus ad finem. Imperfectam autem cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem imperfectam, prout scilicet apprehendens finem non deliberat, sed subito movetur in ipsum.

NOTANDA: 1. – Perfecta cognitio finis habetur quando non solum apprehenditur res quae est finis, sed etiam cognoscitur ratio finis, et proportio ejus quod ordinatur ad finem ipsum (In corp.).

2. – Voluntas nominat *rationalem* appetitum; et ideo non potest esse in his quae ratione carent; voluntarium autem denominative dicitur a voluntate, et potest trahi ad ea in quibus est aliqua participatio voluntatis secundum aliquam convenientiam ad voluntatem; et hoc modo voluntarium attribuitur animalibus brutis, inquantum scilicet per cognitionem aliquam moventur in finem (Ad 1m).

3. – Ex hoc quod ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas in utrumque potest; et secundum hoc, voluntarium non est in brutis animalibus (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum voluntarium possit esse absque omni actu.*

RESP. AFF. – *Scil.* : tum absque actu exteriori, cum absque actu interiori.

R. EST: quia voluntas volendo et agendo potest impedire hoc, quod est non velle et non agere, et aliquando debet (impedire); unde hoc quod est non velle et non agere imputatur ei, quasi ab ipsa existens: et hoc est voluntarium indirectum; quia non procedit directe ab agente.

Art. IV. - *Utrum violentia voluntati possit inferri.*

RESP. NEG. - *Scil.* : quantum ad ipsum proprium actum voluntatis, quod est velle immediate ab ipsa procedens, violentia non potest ei inferri; potest tamen ei inferri quantum ad actus a voluntate imperatos.

R. PRIMI EST: quia actus voluntatis nihil est aliud quam inclinatio quaedam procedens ab interiori principio cognoscente, quod autem est coactum vel violentum, est ab exteriori principio.

R. SECUNDI EST: quia voluntas violentiam pati potest, inquantum per violentiam exteriora membra impediri possunt ne imperium voluntatis exequantur.

Art. V. - *Utrum violentia causet involuntarium.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sicut id quod contra naturam est innaturale dicitur esse, ita quod contra voluntatem est dicitur involuntarium: commune est enim voluntario et naturali quod utrumque sit a principio intrinseco.

NOTANDA: 1. - Violentia non causat involuntarium quantum ad ipsum actum proprium voluntatis, quia, ut dictum est (art. praec.), violentia voluntati inferri non potest; sed quantum ad actus imperatos (ad 1m).

2. - Cum actio infertur ab aliquo exteriori, manente in eo qui patitur voluntate patiendi, non est simpliciter violentum; unde non potest dici involuntarium (ad 2m).

Art. VI. - *Utrum metus causet involuntarium simpliciter.*

RESP. NEG. - *Scil.* : metus causat voluntarium simpliciter, involuntarium secundum quid.

R. EST: quia id quod fit sub metu, inquantum est hic et nunc, seu actu, et sub aliis conditionibus individualibus, habet principium ab intra;

sicut projectio mercium in mare, ut hic et nunc, in casu. Sed consideratum, ut extra hunc casum existens, prout repugnat voluntati, non est nisi secundum rationem tantum: et ideo est involuntarium secundum quid, i. e., prout consideratur extra hunc casum existens. Unumquodque enim simpliciter esse dicitur, secundum quod est in actu; quod est autem in sola apprehensione, non est simpliciter, sed secundum quid.

NOTANDUM: In eo quod per vim seu violentiam agitur, voluntas interior nihil agit; sed in eo quod fit per metum, voluntas aliquid agit, ut dictum est (In corp.).

Art. VII. – *Utrum concupiscentia causet involuntarium.*

RESP. NEG. – *Scil.* : non causat involuntarium, sed magis facit aliquid voluntarium.

R. EST: quia per concupiscentiam voluntas inclinatur ad volendum id quod concupiscit. Potest tamen voluntas passioni resistere, ut infra dicitur (q. lxxvii, art. 6 et 7).

Art. VIII. – *Utrum ignorantia causet involuntarium.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Ignorantia antecedens ad actum; non vero ignorantia' concomitans, nec ignorantia consequens.

R. PRIMI EST: quia ignorantia antecedens est causa volendi, quod alias non vellet; sicut cum aliquis homo ignorat aliquam circumstantiam actus, quam non tenebatur scire, et ex hoc aliquid agit, quod non faceret, si sciret.

R. SECUNDI EST: quia concomitanter ad actum ignorantia habetur quando est de eo quod agitur, tamen etiamsi sciretur, nihilominus ageretur; unde non causat involuntarium, sed non voluntarium.

R. TERTII EST: quia consequenter se habet ignorantia ad voluntatem, inquantum ipsa ignorantia est voluntaria; sive directe, ut ignorantia *affectata*, sive indirecte, cum quis scire potest et debet, quod ignorat, quae est ignorantia *malae electionis*.

QUAESTIO VII

De circumstantiis humanorum actuum

Deinde considerandum est de circumstantiis humanorum actuum; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum circumstantia sit accidens actus humani.*

RESP. AFF. – R. EST: quia accidens dicitur quod est extra substantiam rei, pertinens tamen ad ipsam rem. Sic autem se habet circumstantia, ut ex ipso nomine patet; dicitur enim in localibus aliquid circumstare, quod est quidem extrinsecum a re, tamen attingit ipsam, vel appropinquat ei secundum locum.

Art. II. – *Utrum circumstantiae humanorum actuum sint considerandae a theologo.*

RESP. AFF. – PRIMA R. EST: quia ad theologum pertinet considerare actus humanos secundum quod per eos homo ad beatitudinem ordinatur; actus autem proportionantur fini secundum commensurationem quamdam, quae fit per debitas circumstantias.

SECUNDA R. EST: quia theologus considerat actus humanos secundum quod in eis invenitur

bonum et malum, melius et pejus; et hoc diversificatur secundum circumstantias.

TERTIA R. EST: quia actus humanus iudicatur voluntarius vel involuntarius secundum cognitionem vel ignorantiam circumstantiarum. Sic etiam dicendum est de merito et de demerito.

Art. III. – *Utrum convenienter enumerentur circumstantiae in Lib. III Ethicorum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia circumstantia potest attingere ipsum actum humanum tripliciter: attingens ipsum actum, causam actus, effectum actus. Attingit ipsum actum vel per modum mensurae, sicut tempus et locus (*quando et ubi*), vel per modum qualitatis, sicut modus agendi (*quomodo*). Attingit effectum, ut cum consideratur *quid*. Attingit causam finalem per *propter quid*; causam materiale, sive objectum, per *quid et circa quid*; causam agentem principalem, per *quis*; causam agentem instrumentalem, per *quibus auxiliis*.

Sic enim ab Aristotele enumerantur circumstantiae (Lib. III Ethic., Cap. I a medio): quis, quid, circa quid, ubi, quando, quomodo, quo, cujus gratia. Tullius comprehendit « circa quid » sub « quid », et sic enumerat septem.

Art. IV. – *Utrum sint principales circumstantiae « propter quid », et ea « in quibus est operatio ».*

RESP. AFF. – R. EST: quia actus proprie dicuntur humani prout sunt voluntarii. Objectum autem et motivum voluntatis est finis. Ergo principalissima circumstantia est illa quae tangit finem, seu circumstantia « propter quid », seu « cur », seu « cujus gratia ». Secundaria est illa quae attingit substantiam actus, i. e., *quid fecit*.

Aliae sunt magis vel minus principales, secundum quod magis vel minus ad has appropinquant.

NOTANDUM: Etsi *finis* non sit de substantia actus (sed est extrinsecus rei), est tamen *causa actus principalissima*, inquantum movet agentem ad agendum. Unde et maxime actus moralis speciem habet ex fine (Ad 2m).

DE ACTIBUS VOLUNTATIS IN SPECIALI

Deinde considerandum est de ipsis actibus voluntatis in speciali; et primo de actibus qui sunt immediate ipsius voluntatis, velut a voluntate elicit; secundo de actibus imperatis a voluntate. Voluntas autem movetur et in finem, et in ea quae sunt ad finem. - Primo igitur considerandum est de actibus voluntatis quibus movetur in finem; et deinde de actibus ejus quibus movetur in ea quae sunt ad finem. Actus autem voluntatis in finem videntur esse tres, scilicet *velle*, *frui* et *intendere*. Primo ergo considerabimus de voluntate; secundo de fruitione; tertio de intentione. - Circa primum consideranda sunt tria; primo quidem quorum voluntas sit; secundo a quo moveatur; tertio, quomodo moveatur. - Circa primum quaeruntur tria:

QUAESTIO VIII

De his quorum voluntas sit

Art. I. - *Utrum voluntas sit tantum boni.*

RESP. AFF. - *Scil.* : boni apprehensi per intellectum.

R. EST: quia voluntas est appetitus quidam rationalis; omnis autem appetitus non est nisi boni. Bonum tamen appetitus sive sensitivi, sive intellectivi seu rationalis, non est bonum rei,

sed apprehensum; talis autem appetitus sequitur formam apprehensam, et finis potest esse bonum vel apprensibile bonum.

Art. II. – *Utrum voluntas sit tantum finis, an etiam eorum quae sunt ad finem.*

RESP. AFF. – *Scil.* : secundum quod voluntas nominat potentiam, sic se extendit et ad finem, et ad ea quae sunt ad finem; si autem loquamur de voluntate secundum quod nominat proprie actum, sic proprie loquendo est finis tantum.

R. PRIMI EST: quia ratio boni, quod est objectum potentiae voluntatis, invenitur non solum in fine, sed etiam in his quae sunt ad finem.

R. SECUNDI EST: quia simplex actus potentiae est in id quod est secundum se objectum potentiae. Id autem quod est propter se objectum voluntatis, i. e., bonum et volitum, est finis; unde voluntas est proprie ipsius finis. Ea vero quae sunt ad finem, non sunt bona seu volita propter seipsa, sed ex ordine ad finem.

Art. III. – *Utrum voluntas eodem actu moveatur in finem et in id quod est ad finem.*

RESP. NEG. – *Scil.* : non eodem actu voluntas fertur absolute in finem, et in id quod est ad finem; tamen eodem actu fertur, in finem, secundum quod est ratio volendi ea quae sunt ad finem, et in ipsa quae sunt ad finem.

R. PRIMI EST: quia voluntas potest ferri in finem, in quantum huiusmodi, sine hoc quod feratur in ea quae sunt ad finem, et haec quandoque etiam tempore praecedat.

R. SECUNDI EST: quia voluntas, in ea quae sunt ad finem, in quantum huiusmodi, non potest ferri, nisi feratur in ipsum finem.

QUAESTIO IX

De motivo voluntatis

Deinde considerandum est de motivo voluntatis; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum voluntas moveatur ab intellectu.*

RESP. AFF. - *Scil.*: sicut praesentans ei objectum suum, i. e., non ut causa efficiens, sed in genere causae formalis et finalis, seu ex parte objecti.

R. EST: quia ipsum bonum, quod est objectum voluntatis, apprehenditur secundum quamdam specialem rationem comprehensam sub universali ratione veri. Sic intellectus (practicus) movet voluntatem quoad specificationem. - Sed voluntas movet intellectum, ex parte sui (seu subjecti), et quoad exercitium; quia ipsum verum (particulare), quod est perfectio intellectus, continetur sub universali bono, ut quoddam bonum particulare: ex hac parte autem voluntas movet alias potentias animae ad suos actus. Utimur enim aliis potentiis, cum volumus. (In corp. et ad 3m).

Arti II. - *Utrum voluntas moveatur ab appetitu sensitivo.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia id quod apprehenditur sub ratione boni et convenientis movet voluntatem per modum objecti. Manifestum est autem quod secundum passionem appetitus sensitivi immutatur homo ad aliquam dispositionem; unde videtur ipsi aliquid conveniens, quod non videtur ei extra passionem existenti: et per hunc modum ex parte objecti (et indirecte) appetitus sensitivus movet voluntatem.

NOTANDA: 1. Voluntas est simpliciter praestantior quam appetitus sensitivus; sed quoad illum

in quo passio dominatur, inquantum subjacet passioni, praeeminet appetitus sensitivus (Ad 1m).

2. Actus et electiones hominum sunt circa singularia; unde ex hoc ipso quod appetitus sensitivus est virtus particularis, habet magnam virtutem ad hoc quod per ipsum sic disponitur homo, ut ei aliquid videatur sic vel aliter circa singularia (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum voluntas moveat seipsam.*

RESP. AFF. – *Scil.:* quantum ad exercitium actus secundum rationem finis.

R. EST: quia voluntas per hoc quod *actu* vult finem, movet seipsam ad volendum ea quae sunt ad finem.

Art. IV. – *Utrum voluntas moveatur ab aliquo exteriori principio.*

RESP. AFF. – *Scil.:* non solum ex parte objecti, seu quoad specificationem, de quo jam supra (art. 1); sed ex parte ipsius voluntatis, seu quoad exercitium.

R. EST: quia omne quod quandoque est agens in actu, et quand que in potentia, indiget moveri ab aliquo movente; et quia non est procedere in infinitum, necesse est ponere quod in primum motum voluntatis voluntas procedat ex instinctu alicujus exterioris moventis, ut Aristoteles concludit in quodam capite Eth. Eudemicæ (scil., cap. 18, circa princ.). – In hoc autem non est violentia, quia ipsa voluntas est quae vult, ab alio tamen mota (Ad 2m); ipsa voluntas est agens proximum, mota a primo movente (Ad 3m).

Art. V. – *Utrum voluntas moveatur a corpore caelesti.*

RESP. NEG. – *Scil.:* corpora caelestia impossibile est quod moveant voluntatem ab intrinseco, seu quantum ad exercitium.

R. EST: quia voluntas est potentia omnino immaterialis et incorporea; est enim in ratione, quae non est alligata organo corporali. – Possunt tamen corpora caelestia voluntatem movere sicut et caetera corpora exteriora, quoad specificationem, sive directe, sive movendo organa potentiarum sensitivarum. – Homo tamen sapiens resistere potest passionibus; et per voluntatem liberam et nequaquam motui caelesti subjectam, huiusmodi caelestium corporum effectus impedit: *sapiens enim, ut dicitur, dominatur astris* (Ptolemaeus, in Centiloquio) (Ad 3m).

Art. VI. – *Utrum voluntas moveatur a Deo solo sicut ab exteriori principio.*

RESP. AFF. – *Scil.* : quantum ad motum voluntarium, seu naturalem.

R. EST: quia naturalis motus non causatur (in creatura) nisi ab eo quod causat naturam. Voluntatis autem causa nihil potest esse quam Deus: a) quia voluntas est potentia animae rationalis, quae a solo Deo causatur per creationem (P. I., q. xc, art. 2 et 3); b) quia voluntas habet ordinem ad bonum universale; unde nihil potest esse voluntatis causa, nisi solus Deus, qui est universale bonum.

NOTANDUM: Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum. Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam, ut infra dicetur (q. cix, et cxii). – (Ad 3m).

QUAESTIO X

De modo quo voluntas movetur

Deinde considerandum est de modo quo voluntas movetur; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum voluntas ad aliquid naturaliter moveatur.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) ad bonum in communi; b) ad omnia universaliter illa quae conveniunt volenti secundum suam naturam.

R. PRIMI EST: quia bonum in communi est principium motuum voluntariorum; principium autem in his quae conveniunt rei, est naturale: uno modo enim, dicitur esse naturale rei illud quod convenit ei secundum suam substantiam (et hoc est quod per se inest rei). Item, quia bonum in communi est objectum proprium voluntatis; quaelibet autem potentia ad suum proprium objectum naturaliter tendit. – Item, quia bonum in communi est finis ultimus, qui sic se habet in appetibilibus, sicut principia demonstrationum in intelligibilibus.

R. SECUNDI EST: quia sunt quaedam bona quae respiciunt consistentiam naturalem hominis, sicut cognitio veri, esse et vivere, et alia hujusmodi.

NOTANDUM: Non oportet quod voluntas, quae de potentia in actum reducitur, dum aliquid vult, semper actu velit, sed solum quando est in aliqua dispositione determinata. Voluntas autem Dei, quae est actus purus, semper est in actu volendi (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum voluntas moveatur de necessitate a suo objecto.*

RESP. NEG. – *Scil. :* non ab omni suo objecto voluntas de necessitate movetur.

R. EST: quia non omne objectum quod voluntati proponitur est universaliter et secundum omnem considerationem bonum. Illud autem solum bonum quod est perfectum, et cui nihil deficit, est tale bonum quod voluntas non potest non velle, quod est beatitudo. Particularia autem bona, inquantum deficiunt ab aliquo bono, possunt accipi ut non bona, et sic repudiari a voluntate.

NOTANDUM: Quantum ad exercitium voluntas a nullo objecto (creato) ex necessitate movetur; potest enim aliquis de quocumque objecto non cogitare; et per consequens neque actu velle illud (In corp.).

Art. III. - *Utrum voluntas moveatur de necessitate ab inferiori appetitu.*

RESP. NEG. - *Scil. :* nisi ratio totaliter ligetur ab inferiori appetitu seu a passione.

R. EST: quia si ratio non totaliter absorbetur a passione, remanet quantum ad aliquid iudicium rationis liberum. - Unde aut motus voluntatis non est in homine, sed sola passio dominatur, sicut in brutis animalibus accidit; aut si motus voluntatis sit, non ex necessitate sequitur passionem.

NOTANDUM: Quantum ad illa verba Apostoli: *Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio* (Rom. vii, 19), dicit Sanctus Doctor: «etsi voluntas non possit facere quin motus concupiscentiae insurgat, de quo Apostolus dicit: *Quod odi malum, illud facio*, id est, *concupisco*, tamen potest voluntas non velle concupiscere, aut concupiscentiae non consentire; et sic non ex necessitate sequitur passionem (Ad 1m).

Art. IV. - *Utrum voluntas moveatur de necessitate ab exteriori motivo, quod est Deus.*

RESP. NEG. - R. EST: quia cum voluntas sit activum principium non determinatum ad unum,

sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet ejus motus contingens, et non necessarius, nisi in his ad quae naturaliter movetur. Deus enim, cui pertinet naturam servare, et non corrumpere, omnia movet secundum eorum conditionem.

QUAESTIO XI

De fruitione, quae est actus voluntatis

Deinde considerandum est de fruitione; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum frui sit actus appetitivae potentiae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia frui, quod a fructu videtur derivari, pertinet ad amorem vel delectationem, quam aliquis habet de ultimo expectato, quod est finis. Finis autem et bonum est objectum appetitivae potentiae.

Art. II. – *Utrum frui conveniat tantum rationali creaturae an etiam animalibus brutis.*

RESP.: etiam animalibus brutis, sed secundum rationem imperfectam; rationali autem creaturae secundum rationem perfectam.

R. EST: quia frui invenitur in iis quae cognitionem habent, est enim appetitivae potentiae. Sed in homine cognitio finis est perfecta, quia homo non solum cognoscit finem et bonum, sed etiam rationem finis universalis et boni. Animalia autem bruta cognoscunt tantum finem et bonum particulariter, quin cognoscant rationem finis,

et ideo moventur ad finem et ad fruitionem per instinctum.

NOTANDUM: Creaturae cognitione carentes, etiam si finem attingant, tamen finem non fruuntur; quia frui non est exequentis potentiae, sed imperantis (In corp.).

Art. III. – *Utrum fruitio sit tantum ultimi finis.*

RESP. AFF. – *Scil.*: fruitio proprie dicta, et secundum completam rationem fructus, seu frui.

R. EST: quia ad completam rationem fructus pertinet quod sit ultimum, et quod appetitum quietet quadam dulcedine vel delectatione. Quod autem ad aliud refertur non est simpliciter unum, potest tamen habere frui secundum quid.

NOTANDUM: Fructus Spiritus Sancti ita dicuntur, quia sunt effectus quidam Spiritus Sancti in nobis, non autem ita quod eis fruamur tanquam ultimo fine. Vel aliter dicendum quod dicuntur *fructus*, secundum Ambrosium, quia «propter se petenda sunt», non quidem ita quod ad beatitudinem non referantur, sed quia in se ipsis habent unde nobis placere debeant (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum fruitio sit solum finis habiti.*

RESP. NEG. – R. EST: quia praeter fruitionem perfectam, quae est jam habiti finis realiter, est alia fruitio imperfecta, quae est finis non habiti realiter, sed in intentione tantum: dupliciter enim habetur finis ultimus, uno modo perfecte, et alio modo imperfecte, ut dictum est. – Tamen fruitio imperfecta dicitur *propria*, quia ejus objectum est ultimus finis, objectum est enim quod dat speciem actus; fruitio de alio objecto, non solum est imperfecta, sed etiam impropria. Perfecta vel imperfecta dicitur ex parte eam assequentis (Ad 2m).

QUAESTIO XII

De intentione

Deinde considerandum est de intentione; et circa hoc quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum intentio sit actus intellectus, vel voluntatis.*

RESP.: voluntatis, praesupposita ordinatione rationis.

R. EST: quia *intentio*, quae *in aliud tendere* significat, pertinet ad id quod movet ad finem. Voluntas autem movet omnes alias vires animae ad finem, ut supra habitum est (q. ix, art. 1). Unde *intentio* proprie est actus voluntatis.

NOTANDUM: Super illa verba Domini: *Si lumen quod in te est, tenebrae sunt*, etc. (Mt. vi, 23), sic habet Sanctus Doctor: « Intentio dicitur *lumen*, quia manifesta est intendenti. Unde et opera dicuntur *tenebrae*, quia homo scit quid intendit, sed nescit quid ex opere sequatur, sicut Aug. ibidem exponit » (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum intentio sit tantum ultimi finis.*

RESP. NEG. – R. EST: quia intentio potest esse etiam de termino medio, qui est principium unius partis motus, et finis alterius, scil. praecedentis.

Art. III. – *Utrum aliquis possit simul duo intendere.*

RESP. AFF. – *Scil. :* sive sint ordinata ad invicem, sive non.

R. PRIMI EST: quia intentio non solum est finis ultimi, sed etiam medii.

R. SECUNDI EST: quia homo potest unum alteri praeeligere, quia ad plura valet.

Art. IV. – *Utrum intentio finis sit idem actus cum voluntate ejus quod est ad finem.*

RESP. AFF. – *Scil.*: est idem motus, prout id quod est ad finem, est propter finem.

R. EST: quia ratio finis est etiam volendi ea quae sunt ad finem.

Idem enim actus cadit super objectum, et super ea quae sunt de ratione objecti.

Art. V. – *Utrum intentio conveniat brutis animalibus.*

RESP. NEG. – *Scil.*: intendere finem prout est moventis, non convenit brutis animalibus; sed convenit eis prout sunt mota.

R. PRIMI EST: quia intendere finem prout est moventis, est ordinare motum sive sui, sive alterius, ad finem; quod est rationis tantum.

R. SECUNDI EST: quia ut mota, animalia bruta, intendunt finem in quantum moventur ab instinctu naturali ad aliquid, quod per naturalem concupiscentiae instinctum faciunt (Ad 3m).

QUAESTIO XIII

De electione eorum quae sunt ad finem

Consequenter considerandum est de actibus voluntatis qui sunt in comparatione ad ea quae sunt ad finem; et sunt tres, *eligere*, *consentire* et *uti*. Electionem autem praecedit consilium. Primo ergo considerandum est de electione; secundo de consilio; tertio de consensu; quarto de usu. Circa electionem quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum electio sit actus voluntatis vel rationis.*

RESP.: substantialiter non est actus rationis, sed voluntatis.

R. EST: quia quantum ad substantiam actus materialiter se habet ad ordinem qui imponitur a superiori potentia, i. e., a ratione; unde iste actus formaliter est a ratione. Ratio enim voluntatem praecedit, et actum ejus ordinat.

Art. II. – *Utrum electio conveniat brutis animalibus.*

RESP. NEG. – R. EST: quia in his quae sunt penitus determinata ad unum, electio locum non habet. Appetitus autem sensitivus, qui solus est in brutis, est determinatus ad unum particulare secundum ordinem naturae.

NOTANDUM: In operibus brutorum animalium apparent quaedam sagacitates, inquantum habent inclinationem naturalem ad quosdam ordinatissimos processus, utpote a summa arte ordinatos. Et propter hoc etiam quaedam animalia dicuntur prudentia vel sagacia, non quod in eis sit aliqua ratio, vel electio; quod ex hoc apparet quod omnia quae sunt unius naturae similiter operantur (Ad 3m)

Art. III. – *Utrum electio sit solum eorum quae sunt ad finem, an etiam quandoque ipsius finis.*

RESP.: Electio est solum eorum quae sunt ad finem.

R. EST: quia finis in operabilibus se habet ut principium, et non ut conclusio: illud autem quod cadit sub electione se habet ut conclusio in syllogismo operabilium. – Tamen unus finis potest aliquando considerari ut medium ad alium finem, et hoc modo sub electione cadit. Sed ultimus finis nullo modo sub electione cadit, est enim tantum unus (In corp. art. et ad 2m).

Art. IV. – *Utrum electio sit tantum eorum quae per nos aguntur.*

RESP. AFF. – *Scil. :* electio semper est humanorum actuum.

R. EST: quia id quod est ad finem (et ideo ad electionem pertinet), vel est actio (humana), vel res aliqua, interveniente aliqua actione, per quam facit id quod est ad finem, vel utitur eo (sicut medicus facit de medicina).

Art. V. – *Utrum electio sit solum possibile.*

RESP. AFF. – *Scil.:* id quod est impossibile sub electione non cadit.

PRIMA R. EST: quia electiones nostrae referuntur ad nostras actiones (art. praec.); ea autem quae per nos aguntur sunt semper possible.

SECUNDA R. EST: quia per id quod est impossibile, non potest aliquis consequi finem.

TERTIA R. EST: quia ad id quod est impossibile, nullus movetur.

Art. VI. – *Utrum homo ex necessitate eligat, vel libere.*

RESP.: libere.

R. EST: quia electio, cum non sit de fine (art. 3), sed de his quae sunt ad finem, non est perfecti boni, quod est beatitudo, sed aliorum particularium bonorum. Et ideo homo non ex necessitate, sed libere elegit.

NOTANDUM: Non oportet quod semper ex fine insit homini necessitas ad eligendum ea quae sunt ad finem; quia non omne quod est ad finem, tale est quod sine eo finis haberi non possit; aut si tale sit, non semper sub tali ratione consideratur (Ad 1m).

QUAESTIO XIV

De consilio, quod electionem praecedit

Deinde considerandum est de consilio; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum consilium sit inquisitio.*

RESP. AFF. – R. EST: quia in rebus dubiis et incertis ratio non profert iudicium absque inqui-

sitione praecedente. Consilium autem, quod electionem praecedit, est circa singularia contingentia, quae propter sui variabilitatem incerta sunt. Haec autem inquisitio consilium vocatur.

Art. II. – *Utrum consilium sit de fine, an solum de his quae sunt ad finem.*

RESP.: solum de his quae sunt ad finem.

R. EST: quia omnis inquisitio supponit principium; principium enim non cadit sub quaestione. Finis autem in operabilibus habet rationem principii. – Potest tamen id quod accipitur ut *finis* in una inquisitione, accipi ut *ad finem* in alia; et sic de eo erit consilium.

NOTANDUM: Id quod accipitur ut finis est jam determinatum. Unde quamdiu habetur ut dubium, non habetur ut finis; et ideo si de eo consilium habetur, non erit consilium de fine, sed de eo quod est ad finem (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum consilium sit solum de his quae a nobis aguntur.*

RESP. AFF. – R. EST: quia inquisitio consilii proprie est de contingentibus singularibus, non autem de necessariis et universalibus; circa quae consideratio unius per se sufficere potest. Singularia autem contingentia, appetuntur secundum quod sunt utilia ad operationes.

Art. IV. – *Utrum consilium sit de omnibus quae a nobis aguntur.*

RESP. NEG. – R. EST: quia consilium est inquisitio quaedam, ut diximus (art. 1 hujus quaes.). Inquisitio autem est de illis quae in dubio veniunt. Quaedam autem sunt in humanis opera-

bilibus quae non sunt dubitabilia; et hoc contingit ex duobus: uno modo quia per determinatas vias proceditur ad determinatos fines; alio modo quia quaedam sunt minima, de quibus non opus est consilio; quod enim parum est, quasi nihil accipit ratio.

Art. V. – *Utrum consilium procedat ordine resolutorio.*

RESP. AFF. – R. EST: quia principium in inquisitione consilii est finis, qui quidem est prior in intentione, posterior tamen in esse.

NOTANDUM: Procedere a causis in effectus est processus *compositus*; quia causae simpliciores sunt effectibus: si ergo principium quod est prius in intentione, est etiam prius in esse, processus est compositus. Si principium est prius in intentione, posterius tamen in esse, processus est *resolutorius*, utpote cum de effectibus manifestis iudicamus, resolvendo in causas simplices. (In corp. art.).

Art. VI. – *Utrum consilium procedat in infinitum.*

RESP. NEG. – *Scil.* : inquisitio consilii est finita in actu ex parte principii et ex parte termini.

R. PRIMI EST: quia principium, in quantum est finis, non cadit sub consilio, sed supponitur (art. 2); principium autem ex alio genere sumpsum, i. e., id quod per sensum accipitur ut certum, non cadit sub inquisitione, sed supponitur.

R. SECUNDI EST: quia id quod agitur propter finem, habet rationem conclusionis; sicut finis habet rationem principii. – Nihil prohibet tamen consilium potentia infinitum esse, secundum quod singularia contingentia sunt potentiâ infinita (In corp. et ad 1m).

QUAESTIO XV

**De consensu, qui est actus voluntatis,
respectu eorum quae sunt ad finem**

Deinde considerandum est de consensu; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum consensus sit actus appetitivae vel apprehensivae virtutis.*

RESP.: Consensus magis proprie pertinet ad voluntatem quam ad intellectum.

R. EST: quia, sicut *sentire* proprie dictum ad apprehensivam potentiam pertinet, *consentire*, quod est *simul sentire*, importat quamdam conjunctionem ad id cui consentitur. Et ideo voluntas, cujus est tendere ad ipsam rem, *magis proprie* dicitur consentire: sicut intellectus magis proprie dicitur *assentire* (In corp. et ad 2m et 3m).

Art. II. – *Utrum consensus conveniat brutis animalibus.*

RESP. NEG. – R. EST: quia non est in potestate animalium brutorum *applicare* appetitivum motum vel non applicare, applicare ad hoc vel ad illud; sed talis motus est in eis ex instinctu naturae. Unde consentire est proprie solum rationalis naturae. In animalibus determinatio appetitus in aliquid invenitur passive tantum (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum consensus sit de fine, vel de his quae sunt ad finem.*

RESP.: proprie est de his quae sunt ad finem.

R. EST: quia motus appetitivus applicatur ad id quod ex consilio iudicatum est. Consensus nominat applicationem appetitivi motus. Consilium autem non est nisi de his quae sunt ad finem; unde consensus, proprie loquendo, non

est nisi de his quae sunt ad finem. – Dicimus « proprie loquendo » quia hic sumitur consensus in sensu stricto; de fine enim proprie est voluntas, seu velle (Ad 1m).

NOTANDUM: Electio addit supra consensum quamdam relationem respectu ejus cui aliquid praeeligitur; et ideo post consensum adhuc remanet electio. Si consensus est circa plura quae ducunt ad finem, quia omnia placent, sed ex his unum eligitur; tunc electio differt a consensu non solum ratione sed etiam re; – si vero est unum solum quod placet, tunc idem est re consensus et electio, non autem ratione: cadit enim sub consensu in quantum placet ad agendum; sub electione, in quantum praefertur aliis (Ad 3m).

Unde sic habetur processus: 1. Apprehensio finis; 2. velle finem; 3. consilium seu inquisitio eorum quae sunt ad finem; 4. consensus, seu applicatio motus appetitivi ad ea quae sunt ad finem; 5. electio mediorum ad finem.

Art. IV. – *Utrum consensus in actum pertineat solum ad superiorem animae partem.*

RESP. AFF. – R. EST: quia consensus in actum (i. e. ad agendum) finalis sententia est de agendis. Finalis autem sententia semper ad rationem superiorem pertinet (secundum tamen quod voluntas in ratione includitur), cujus est judicare (art. 1, hujus quaes).

QUAESTIO XVI

De usu, qui est actus voluntatis, in comparatione eorum quae sunt ad finem

Deinde considerandum est de usu; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum uti sit actus voluntatis.*

RESP. AFF. – *Scil. : uti primo et principaliter est voluntatis tanquam primi moventis; rationis*

autem tanquam dirigentis, et aliarum potentiarum tanquam exequentium.

R. EST: quia usus rei alicujus importat applicationem rei illius ad aliquam operationem. Voluntas autem est quae movet potentias animae ad suos actus (quaes. ix, art. 1). Actio autem proprie non attribuitur instrumento sed principali agentī. Unde primo et principaliter uti est voluntatis.

Art. II. – *Utrum uti conveniat brutis animalibus.*

RESP. NEG. – R. EST: quia uti non est nisi ejus qui scit referre aliquid in alterum; quod ad rationem pertinet. Est enim uti applicare aliquod principium actionis ad actionem.

NOTANDUM: Animalia per sua membra aliquid agunt instinctu naturae, non per hoc quod cognoscant ordinem membrorum ad illas operationes; unde non dicuntur proprie applicare membra ad agendum, nec uti membris (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum usus possit esse etiam ultimi finis.*

RESP. NEG. – R. EST: quia uti importat applicationem alicujus ad aliquid. Unde uti nunquam est ultimi finis, sed est semper ejus quod est ad finem.

NOTANDUM: Finis ultimus, simpliciter loquendo, est ipsa res; sed quoad hunc (finem) adeptio finis est ultimus finis. Et secundum hoc, utimur fine (re) ad possessionem finis. Similiter dicitur de fruitione finis, quae habetur per usum finis (In corp. et ad 2m).

Art. IV. – *Utrum usus praecedat electionem.*

RESP. NEG. – *Scil. :* secundum quod voluntas utitur executiva potentia.

R. EST: quia electio pertinet ad primam habitudinem voluntatis ad volitum, in quantum scilicet volitum est in voluntate per quamdam pro-

portionem seu ordinem ad volitum; et secundum hoc electio complet hanc proportionem seu ordinem. Usus vero pertinet ad secundam habitudinem voluntatis ad volitum, quae habetur per realem possessionem voliti: et hoc habetur per usum potentiae executivae. – Sed quia voluntas rationem habet, et utitur ea, potest intelligi usus ejus ad finem.

QUAESTIO XVII

De actibus imperatis a voluntate

Deinde considerandum est de actibus imperatis a voluntate; et circa hoc quaeruntur novem:

Art. I. – *Utrum imperare sit actus rationis, vel voluntatis.*

RESP.: essentialiter est actus rationis, praesupposito tamen actu voluntatis.

R. EST: quia imperans ordinat eum cui imperat ad aliquid agendum, intimando vel denuntiando: sic autem ordinare per modum cujusdam intimationis est rationis. – Sed, ut diximus supra (quaes. ix, art. 1), primum movens in viribus animae ad exercitium actus est voluntas. Unde imperare est actus rationis praesupposito actu voluntatis in cuius virtute ratio movet per imperium ad exercitium actus.

Art. II. – *Utrum intimare pertineat ad animalia bruta.*

RESP. NEG. – *Scil.:* impossibile est quod in brutis animalibus, in quibus non est ratio, sit aliquo modo imperium.

R. EST: quia imperare nihil aliud est quam ordinare aliquem ad aliquid agendum cum quadam intimativa motione. Ordinare autem est proprius actus rationis.

Art. III. – *Utrum usus praecedat imperium.*

RESP. NEG. – *Scil.* : usus, secundum quod subditur potentiae executivae, sequitur imperium; secundum quod est in ratione referente ipsum in finem, praecedit imperium.

R. PRIMI EST: quia imperium naturaliter prius est quam imperio obediatur; obeditur autem per usum rei cui conjungitur usus utentis.

R. SECUNDI EST: quia talis usus in ratione existens praecedit electionem, ut supra dictum est (quaes, praec. art. 4); ergo a fortiori imperium.

Art. IV. – *Utrum imperium et actus imperatus sint actus unus vel diversi.*

RESP.: Sunt unus actus humanus secundum quoddam totum; sunt diversi secundum partes.

R. EST: quia sic se habet imperium ad actum imperatum, sicut actus moventis primi ad actum instrumenti. Actus autem moventis primi se habet *formaliter* ad actum instrumenti: in actibus enim humanis actus inferioris potentiae materialiter se habet ad actum superioris; inquantum inferior potentia agit in virtute superioris moventis ipsam.

Art. V. – *Utrum actus voluntatis imperetur.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ratio potest ordinare de actu voluntatis.

NOTANDUM: Primus actus voluntatis non est ex ordinatione rationis, sed ex instinctu naturae, aut superioris causae, ut supra dictum est (q. ix, a. 4).

Art. VI. – *Utrum actus rationis imperetur.*

RESP. AFF. – *Scil.* : quantum ad exercitium actus; quantum autem ad objectum non semper imperatur.

R. PRIMI EST: quia ratio reflectitur supra seipsam; unde, sicut ordinat de actibus aliarum potentiarum, ita etiam potest ordinare de suo actu; sicut cum indicitur alicui quod attendat.

R. SECUNDI EST: quia quantum ad apprehensionem veritatis circa aliquid, hoc non est in potestate nostra, sed contingit per virtutem alicujus luminis vel naturalis vel supernaturalis. Est autem alius actus rationis, qui assentit his quae apprehendit. Quidam autem assensus non sunt in potestate nostra, sicut assensus ad prima principia, quibus intellectus naturaliter assentit; et ideo, proprie loquendo, naturae imperio subjacent. Alii autem assensus vel dissensus sunt in potestate nostra, et sub imperio cadunt. Tali sunt qui circa illa apprehensa versantur, quae intellectum non convincunt; sed intellectus potest ad ipsa assentire vel ab ipsis dissentire, vel saltem assensum vel dissensum suspendere propter aliquam causam.

Art. VII. - *Utrum actus appetitus sensitivi imperetur.*

RESP. AFF. - *Scil.* : non imperio despotico, sed politico.

R. EST: quia apprehensio imaginis, cum sit particularis, regulatur ab apprehensione rationis, quae est universalis, et ex ista parte actus appetitus sensitivi subjacet imperio rationis. Sed actus appetitus sensitivi non solum dependet ex vi appetitiva, sed etiam ex corporalis organi dispositione, quae non totaliter subjacet imperio rationis, quandoque enim motus subito concitatur ad apprehensionem imaginationis vel sensus, et tunc ille motus est *praeter* imperium rationis. - Et sic explicatur illa verbi Apostoli: « *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis*

meae » (Rom. vii, 19). Agitur de dispositione corporali antecedens ad actum appetitus sensitivi; dispositio autem consequens, sequitur imperium rationis, quia sequitur motum localem cordis (Ad 2m).

Art. VIII. – *Utrum actus animae vegetabilis impetur.*

RESP. NEG. – R. EST: quia actus vegetabilis animae procedunt ex appetitu naturali, qui non consequuntur aliquam apprehensionem; consequenter non possunt a ratione imperari.

Art. IX. . *Utrum actus exteriorum membrorum imperentur.*

RESP. AFF. – *Scil.:* membra corporis obediunt rationi quantum ad actus suos, qui sequuntur vires sensitivae, non autem quantum ad illos qui sequuntur vires naturales.

R. EST: quia vires sensitivae subduntur imperio rationis: membra enim corporis sunt organa quaedam animae. Sed vires naturales non subduntur imperio rationis.

NOTANDUM: Motus genitalium membrorum rationi non obedit ex poena peccati; ut anima suae inobedientiae ad Deum in illo praecipuo membro poenam patiatur per quod peccatum originale ad posteros traducitur. Consideranda tamen est ratio naturalis, quare motus hujusmodi membrorum (cordis et membri genitalis) specialiter rationi non obedit. Ad motum enim horum membrorum requiritur aliqua alteratio naturalis, scilicet caliditatis et frigiditatis; quae quidem alteratio non subjacet imperio rationis. Specialiter autem hoc accidit in his duobus membris, quia utrumque istorum membrorum est quasi quoddam animal separatum, inquantum est principium vitae; principium autem est virtute totum. Cor enim principium est sensuum; et ex membro genitali virtus exit seminalis, quae est virtute totum animal; et ideo habent proprios motus naturaliter, quia principia oportet esse naturalia (Ad 3m).

DE BONITATE ET MALITIA HUMANORUM ACTUUM

Post hoc considerandum est de bonitate et malitia humanorum actuum; et primo, quomodo actio humana sit bona vel mala; secundo de his quae consequuntur ad bonitatem vel malitiam humanorum actuum, puta meritum vel demeritum, peccatum et culpa. – Circa primum occurrit triplex consideratio. Prima est de bonitate et malitia humanorum actuum in generali. Secunda de bonitate et malitia interiorum actuum. Tertia de bonitate et malitia exteriorum actuum. Circa primum quaeruntur undecim.

QUAESTIO XVIII

De bonitate et malitia humanorum actuum in generali

Art. I. – *Utrum omnis humana actio sit bona, vel aliqua mala.*

RESP.: non omnis actio humana est bona, sed aliqua est mala.

R. EST: quia, cum de bono et malo in actionibus oporteat loqui sicut de bono et malo in rebus, eo quod unaquaeque res talem actionem producit, qualis est ipsa, omnis actio, in quantum habet aliquid de esse, intantum habet de bonitate. In quantum vero deficit ei aliquid de plenitudine essendi quae debetur actioni humanae, intantum deficit a bonitate, et sic dicitur mala; puta si deficiat ei vel determinata quantitas, vel debitus locus, vel aliquid hujusmodi. Unde malum agit in virtute boni deficientis (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum actio hominis habeat bonitatem vel malitiam ex objecto.*

RESP. AFF. - R. EST: quia actio humana habet speciem ex objecto; sic enim se habet actio humana ad objectum, sicut res naturalis ad suam formam; id enim quod primum dat plenitudinem essendi rei est id quod dat ei speciem, i. e., forma. Immo, sicut prima bonitas rei naturalis attenditur ex sua forma, quae dat speciem rei; ita et prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto convenienti (rationi): et dicitur bonum ex genere, i. e., ratione formae ipsius.

NOTANDA: 1. - Licet res exteriores sint in seipsis bonae, tamen non semper habent debitam proportionem (i. e., secundum rationem rectam) ad hanc vel illam actionem; et ideo, inquantum considerantur ut objecta talium actionum, non habent rationem boni (Ad 1m).

2. - Obiectum non est materia *ex qua*, sed materia *circa quam*; et habet quodammodo rationem formae, inquantum dat speciem (Ad 2m). Obiectum est aliquo modo effectus potentiae activae, est enim terminus actionis ejus; motus autem habet speciem a terminis (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum actio hominis sit bona vel mala ex circumstantia.*

RESP. AFF. - R. EST: quia plenitudo bonitatis actionis (humanae) non tota consistit in sua specie, sed aliquid additur ex his quae adveniunt tanquam accidentia quaedam; et hujusmodi sunt circumstantiae debitae: sicut sunt accidentia debita in rebus naturalibus, quae dicuntur *per se* accidentia (Ad 2m).

Art. - IV. - *Utrum actio humana sit bona vel mala ex fine.*

RESP. AFF. - R. EST: quia praeter bonitatem absolutam quae in actione humana existit, est ratio bonitatis ex fine a quo ipsa actio dependet;

nam, illud quod ab alio dependet oportet quod consideratur per considerationem ad causam a qua dependet.

NOTANDUM: In actione humana quadruplex bonitas considerari potest: prima est secundum genus, prout scilicet est actio; alia vere secundum speciem, quae accipitur secundum objectum conveniens; tertia est secundum circumstantias, quasi secundum accidentia quaedam; quarta autem secundum finem, quasi secundum habitudinem ad bonitatis causam (In corp. art.). – Non tamen est actio bona *simpliciter*, nisi omnes (istae quatuor) bonitates concurrant: quia « quilibet singularis defectus causat malum; bonum autem causatur ex integra causa », ut Dionysius dicit (Ad 3m). – Finis autem quamvis sit causa extrinseca actionis humanae, tamen debita proportio ad finem et relatio in ipsum *inhaeret* actioni (Ad 2m).

Art. V. – *Utrum aliqua actio humana sit bona vel mala in sua specie.*

RESP. AFF. – *Scil.:* actus morales differunt specie secundum bonum et malum.

R. EST: quia unum est principium cui comparantur actus humani, scil., ratio; cui actus vel conveniunt vel non conveniunt: si conveniunt sunt boni, sin autem sunt mali. Haec autem differentia est *per se*; differentiae autem *per se* diversificant speciem. Unde bonum et malum diversificant speciem in actibus moralibus.

Art. VI. – *Utrum actus habeat speciem boni vel mali ex fine.*

RESP. AFF. – *Scil.:* actus interiores voluntarii specificantur a fine.

R. EST: quia id quod est ex parte voluntatis (in actibus humanis) se habet ut formale ad id quod est ex parte exterioris actus; voluntas enim utitur membris ad agendum sicut instrumentis,

neque actus exteriores habent rationem moralitatis, nisi in quantum sunt voluntarii. Unde species actus humani consideratur formaliter secundum finem; materialiter autem secundum objectum exterioris actus.

NOTANDUM: Sicut actus exterior accipit speciem ab objecto circa quod est, ita actus interior voluntatis accipit speciem a fine sicut a proprio objecto (In corp. art.).

Art. VII. - *Utrum species bonitatis quae est ex fine, contineatur sub specie quae est ex objecto, sicut sub genere, vel e converso.*

RESP.: quando objectum per se ordinatur ad finem, species bonitatis quae est ex objecto continet illam, quae est ex fine, sicut sub genere.

PRIMA R. EST: quia differentia specifica quae est ex fine, est magis generalis; differentia autem ex objecto est magis specifica, quia sumitur a forma magis particulari.

SECUNDA R. EST: quia differentia specifica quae est ex objecto per se ordinato ad talem finem est specifica respectu ejus, unde continetur sub fine sicut sub genere.

TERTIA R. EST: quia voluntas, cujus proprium objectum est finis, est universale motivum respectu omnium potentiarum animae, quarum propria objecta sunt objecta particularium actuum.

NOTANDUM: Dicimus in responsione: *quando objectum per se ordinatur ad finem*, quia secus differentia specifica quae est ex objecto, non esset per se determinativa ejus quae est ex fine, nec e converso. Unde dicimus quod ille, qui furatur ut moechetur, committit duas malitias in uno actu (In corp. art.).

Dicitur: *per se ordinatur*, quia secus differentia non esset specifica, sed accidentalis.

Art. VIII. – *Utrum aliquis actus sit indifferens secundum suam speciem.*

RESP. AFF. – R. EST: quia contingit quod objectum actus non includit aliquid pertinens ad ordinem rationis, sicut levare festucam de terra, ire ad campum, et hujusmodi. Tales actus, secundum speciem, suam neque sunt boni, neque mali.

Art. IX. – *Utrum aliquis actus sit indifferens secundum individuum.*

RESP. NEG. – *Scil.* : agitur de actibus a deliberativa ratione procedentibus.

R. EST: quia oportet quod quilibet *individualis actus* habeat aliquam circumstantiam per quam trahatur ad bonum vel ad malum, ad minus ex parte intentionis finis. Necesse est autem quod actus vel ordinatur vel non ordinatur ad *debitum* finem. – Si autem actus non procedit a ratione deliberativa, sed ex quadam imaginatione (sicut cum aliquis fricat barbam, vel movet manum, aut pedem), talis actus non est proprie loquendo moralis vel humanus, cum hoc habeat actus a ratione; et sic erit indifferens, quasi extra genus moralium actuum existens.

Art. X. – *Utrum aliqua circumstantia constituat actum moralem in specie boni vel mali.*

RESP. AFF. – R. EST: quia processus rationis non est determinatus ad aliquid unum, sicut est differentia specifica in rebus naturalibus; sed quolibet dato, potest ulterius procedere; et sic potest circumstantiam considerare ut principalem conditionem objecti determinantis speciem actus: sicut tollere alienum *in loco sacro* addit specialem repugnantiam ad ordinem rationis, praeter illam quae constituitur in specie furti.

Art. XI. – *Utrum omnis circumstantia augens bonitatem vel malitiam constituat actum moralem in specie boni vel mali.*

RESP. NEG. – R. EST: quia non omnis circumstantia respicit specialem ordinem rationis: quandoque enim circumstantia praesupponit aliam circumstantiam, a qua actus moralis habet speciem boni vel mali; sicut tollere aliquid alienum in magna vel parva quantitate: haec autem circumstantia « tollere aliquid in magna vel parva quantitate » non mutat speciem, potest tamen aggravare vel diminuire peccatum.

QUAESTIO XIX

De bonitate et malitia actus interioris voluntatis

Deinde considerandum est de bonitate actus interioris voluntatis; et circa hoc quaeruntur decem:

Art. I. – *Utrum bonitas voluntatis dependeat ex objecto.*

RESP. AFF. – *Scil.*: bonum et malum in actibus voluntatis proprie attenditur secundum objecta.

R. EST: quia bonum et malum sunt *per se differentiae* actus voluntatis (quaes. praec. art. 5); differentia autem speciei in actibus est secundum objecta (ibid.). Ergo bonitas vel malitia voluntatis dependet proprie ex objecto.

Art. II. – *Utrum bonitas voluntatis dependeat ex solo objecto.*

RESP. AFF. – *Scil.*: proprie loquendo, et considerando circumstantias ut mere accidentia.

R. EST: quia bonitas voluntatis ex solo uno illo dependet quod *per se* facit bonitatem in actu, i. e., ex objecto, et non ex circumstantiis, quae sunt quaedam accidentia actus. Illud enim quod est *per acc.* reducitur ad id quod est *per se*.

Art. III. – *Utrum bonitas voluntatis dependeat ex ratione.*

RESP. AFF. – *Scil. :* bonitas voluntatis dependet a ratione eo modo quo dependet ab objecto.

R. EST: quia objectum voluntatis, a quo proprie dependet bonitas voluntatis (art. 1 et 2), proportionatur ei per rationem; bonum enim intellectus est objectum voluntatis proportionatum ei. Nam, appetitus voluntatis non potest esse de bono, nisi prius a ratione apprehendatur (Ad 1m).

Art. IV. – *Utrum bonitas voluntatis dependeat ex lege aeterna.*

RESP. AFF. – *Scil. :* bonitas voluntatis humanae magis dependet a lege aeterna, quam a ratione humana.

R. EST: quia ratio humana, a qua bonitas voluntatis mensuratur (art. praec.), lumen suum habet a ratione seu lege aeterna, secundum illud: *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? Signatum est super lumen vultus tui, Domine.* (Ps. IV, 6). – Unde ubi deficit humana ratio, oportet ad rationem aeternam recurrere.

NOTANDUM: Licet lex aeterna sit nobis ignota, secundum quod est in mente divina, innotescit tamen nobis aliquantulum vel per rationem naturalem, quae ab ea derivatur ut propria ejus imago, vel per aliqualem revelationem superadditam (Ad 3m).

Art. V. – *Utrum voluntas discordans a ratione errante sit mala.*

RESP. AFF. – *Scil.* : omnis voluntas discordans a ratione, sive recta sive errante, semper est mala.

R. EST: quia bonitas vel malitia voluntatis dependet ab objecto non prout consideratur secundum naturam sui, sed secundum quod a ratione apprehenditur ut bonum vel malum, ad faciendum vel ad evitandum.

Art. VI. – *Utrum voluntas concordans rationi erranti sit bona.*

RESP. NEG. – *Scil.* : voluntas concordans rationi erranti errore voluntario sive directe sive indirecte, est mala; concordans rationi erranti errore involuntario, non est mala.

R. EST: quia, in primo casu, cum error sit voluntarius, non excusat quin voluntas concordans rationi vel conscientiae sic erranti sit mala; e contra in secundo casu; sicut diximus de ignorantia (quaes. VI, art. 8).

Art. VII. – *Utrum voluntatis bonitas in his quae sunt ad finem, dependeat ex intentione finis.*

RESP. AFF. – *Scil.* : si intentio praecedat voluntatem.

R. EST: quia ratio bonitatis ipsius voliti (quod est ad finem), est ordo ipsius ad finem (bonum). Sicut jejunium habet rationem bonitatis si fit propter Deum. – Si autem intentio est consequens voluntatem, tunc haec bonitas voluntatis non dependet ex intentione; nisi quatenus reiteratur actus voluntatis cum sequenti intentione.

NOTANDUM: Si causa volendi est intentio mala, tunc voluntas non potest dici bona, etiamsi media ad finem sint bona; e. g., dare elemosynam

propter vanam gloriam. Si vero intentio mala est consequens, non depravat actum voluntatis, qui praecessit, sed actum voluntatis qui iteratur (Ad 2m). Ergo ut voluntas sit bona, requiritur ut sit boni (sive realis sive apprehensi) sub rationi boni, i. e. cum intentione boni; seu, quod velit bonum, et propter bonum (Ad 3m).

Art. VIII. – *Utrum quantitas bonitatis vel malitiae in voluntate sequatur quantitatem boni vel mali in intentione.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Quantitas bonitatis voluntatis non semper sequitur quantitatem bonitatis intentionis, sed malitiae quantitas est secundum quantitalem malitiae intentionis.

R. PRIMI EST: quia quantitas actus, vel intensio actus, in qua quantitas meriti consistit, ut infra dicitur (q. cxiv, art. 4), non semper sequitur quantitatem intentionis; unde non quantum aliquis intendit mereri, meretur. Sola enim bonitas intentionis non est tota causa bonae voluntatis (Ad 2m).

R. SECUNDI EST: quia sola malitia intentionis sufficit ad malitiam voluntatis; et ideo tantum mala est intentio, quantum etiam mala est voluntas (Ad 3m).

Art. IX. – *Utrum bonitas voluntatis dependeat ex conformitate ad divinam voluntatem.*

RESP. AFF. – R. EST: quia objectum proprium voluntatis divinae est ipsum summum bonum, qui est finis ultimus voluntatis humanae (quae. I., art. 8). Ad bonitatem humanae voluntatis autem requiritur quod ordinetur ad ultimum finem. – Haec autem ordinatio seu conformitas voluntatis humanae ad voluntatem divinam fit non per aequiparationem, sed per imitationem, ut patet,

Art. X. – *Utrum necessarium sit voluntatem humanam conformari voluntati divinae in volito, ad hoc quod sit bona.*

RESP. AFF. – *Scil.:* voluntas humana debet conformari in volito formaliter; non autem materialiter.

R. EST: quia non est recta voluntas alicujus hominis volentis aliquod bonum particulare, nisi referat illud in bonum commune totius. Ex fine autem sumitur quasi formalis ratio volendi illud quod ad finem ordinatur. Unde bonum particulare est volitum materialiter, bonum vero commune formaliter. Tenetur homo conformari divinae voluntati in volito formaliter, non autem materialiter, nescimus enim in particulari quid Deus vult. – Tamen ratione causae efficientis recta voluntas humana etiam materialiter Deo conformatur, quia vult hoc quod Deus vult eam velle. – Conformitas autem ex charitate in particularibus reducitur ad conformitatem formalem ratione finis ultimi, quod est objectum proprium charitatis.

QUAESTIO XX

De bonitate et malitia exteriorum actuum humanorum

Deinde considerandum est de bonitate et malitia quantum ad exteriores actus; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum bonitas vel malitia per prius sit in actu voluntatis, vel in actu exteriori.*

RESP.: In actu voluntatis. – R. EST: quia proprium objectum voluntatis est finis; unde ratio boni vel mali, quam habet actus exterior ex ordine ad finem, per prius invenitur in actu voluntatis, et ex eo derivatur ad actum exteriorem,

NOTANDUM: Bonitas finis operis magis derivatur a ratione quam a voluntate, et secundum hoc bonitas actus exterioris prior est, quam bonitas actus voluntatis; sed quantum ad executionem operis, prior est bonitas voluntatis (In corp. art.); voluntas autem comparatur ad actum exteriorem sicut causa efficiens (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum tota bonitas et malitia exterioris actus dependeat ex bonitate et malitia voluntatis.*

RESP. NEG. – R. EST: quia illa sola bonitas quae est secundum ordinem ad finem dependet a voluntate (finis operantis); alia vero quae est ex debita materia et circumstantiis (finis operis), dependet ex ratione; – et ex hac dependet bonitas voluntatis, secundum quod in ipsam fertur.

Art. III. – *Utrum bonitas et malitia sit eadem exterioris et interioris actus.*

RESP. AFF. – *Scil.:* quando actus exterior est bonus vel malus solum ex ordine ad finem; non vero quando actus exterior habet bonitatem vel malitiam secundum se.

R. PRIMI EST: quia tunc unus est finis actus voluntatis et actus exterioris. Actus autem voluntatis et actus exterior, prout considerantur in genere moris, sunt unus actus (quaes. xvii, art. 4, et quaes. xviii, art. 6 ad 3m).

R. SECUNDI EST: quia tunc finis voluntatis potest esse alius quam finis actus exterioris, ut patet.

Art. IV. – *Utrum actus exterior aliquid addat de bonitate vel malitia supra actum interiorem.*

RESP. AFF. – *Scil.:* actus exterior, qui habet bonitatem vel malitiam secundum se, i. e., se-

cundum materiam et debitas circumstantias (finis operis), addit supra bonitatem vel malitiam interioris actus; si bonitatem vel malitiam habet ex fine (finis operantis), tunc actus exterior nihil addit, nisi per acc.

R. PRIMI EST: quia sic actus exterior comparatur ad voluntatem ut terminus et finis; omnis autem inclinatio vel motus perficitur in hoc quod consequitur finem, vel attingit terminum.

R. SECUNDI patet ex supra dictis; quia bonitas et malitia actus exterioris tunc habetur solum ex bonitate vel malitia finis.

Art. V. – *Utrum eventus sequens aliquid addat de bonitate vel malitia ad exteriorem actum.*

RESP. NEG. – *Scil.:* si eventus sequens non est praecogitatus, et ex tali actu sequitur non per se, sed per accidens, non addit ad bonitatem vel malitiam actus.

R. EST: quia non datur iudicium de re aliqua secundum illud quod est per accidens, sed secundum illud quod est per se.

Art. VI. – *Utrum idem actus exterior possit esse bonus et malus.*

RESP. NEG. – *Scil.:* impossibile est quod unus actus, prout est in genere moris, sit bonus et malus bonitate et malitia morali; si tamen sit unus unitate naturae, et non unitate moris, potest esse bonus et malus.

R. EST: quia in primo casu intentio est una, et unus actus moraliter; in secundo casu, intentio potest esse diversa, et ideo plures actus moraliter; sicut ambulatio continua est una, sed in ipsa voluntas ambulantis mutari potest.

QUAESTIO XXI

**De his quae consequuntur actus
humanos ratione bonitatis vel malitiae**

Deinde considerandum est de his quae consequuntur actus humanos ratione bonitatis vel malitiae; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum actus humanus, inquantum est bonus vel malus, habeat rationem rectitudinis vel peccati.*

RESP. AFF. – R. EST: quia actus humanus dicitur bonus quia concordat rationi et legi aeternae; dicitur malus per hoc quod recedit ab ordine rationis et legis aeternae: in his enim quae aguntur per voluntatem regula proxima est ratio humana, regula autem suprema est lex aeterna. Unde actus humanus, ex hoc quod est bonus vel malus, habeat rationem rectitudinis vel peccati.

Art. II. – *Utrum actus humanus, inquantum est bonus vel malus, habeat rationem laudabilis vel culpabilis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia laudari et culpari nihil aliud est quam imputari alicui (qui dominium habet sui actus) bonitatem vel malitiam sui actus.

Art. III. – *Utrum actus humanus, inquantum est bonus vel malus, habeat rationem meriti et demeriti.*

RESP. AFF. – R. EST: quia actus humanus inquantum est bonus vel malus, habet rationem ordinis ad retributionem secundum justitiam;

per bonum autem vel malum homo agit in pro-
fectum vel in nocumentum alterius.

NOTANDUM: Cum aliquis agit in bonum vel ma-
lum alterius singularis personae, cadit ibi dupliciter
ratio meriti vel demeriti; uno modo, secundum
quod debetur ei retributio a singulari persona
quam juvat vel offendat; alio modo secundum
quod debetur ei retributio a toto collegio. Quicum-
que enim agit aliquid in bonum vel malum ali-
cujus in societate existentis, hoc redundat in to-
tam societatem; sicut qui laedit manum, per con-
sequens laedit hominem. (In corp. art.).

Art. IV. – *Utrum actus humanus, inquantum est
bonus vel malus, habeat rationem meriti vel de-
meriti apud Deum.*

RESP. AFF. – *Scil.:* sive actus ordinatur ad
alterum ratione ipsius qui agit, sive ratione com-
munitatis.

R. PRIMI EST: quia debitum est ut ad finem
ultimum omnes actus referantur (quaes. xix,
art. 10).

R. SECUNDI EST: quia in qualibet communi-
tate ille qui regit communitatem, praecipue habet
curam boni communis; unde ad eum pertinet
retribuere pro his quae bene vel male fiunt in
communitate. Deus autem est gubernator et
rector totius universi, et specialiter rationalium
creaturarum.

NOTANDUM: Homo non ordinatur ad communi-
tatem politicam secundum se totum, et secundum
omnia sua; et ideo non oportet quod quilibet actus
ejus sit meritorius vel demeritorius per ordinem
ad communitatem politicam. Sed totum quod
homo est, et quod potest et habet, ordinandum
est ad Deum; et ideo omnis actus hominis bonus
vel malus habet rationem meriti vel demeriti apud
Deum, quantum est ex ipsa ratione actus (Ad 3m).

DE PASSIONIBUS ANIMAE *

Post haec considerandum est de passionibus animae, et primo in generali; secundo in speciali. In generali autem quatuor occurrunt circa eas consideranda: primo quidem de subjecto earum; secundo de differentia earum; tertio de comparatione earum ad invicem; quarto de malitia et bonitate ipsarum. – Circa primum quaeruntur tria:

QUAESTIO XXII

De subjecto passionum animae

Art. I. – *Utrum aliqua passio sit in anima.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non proprie, sed per accidens.

R. EST: quia pati dicitur proprie, quando aliquid recipitur cum alterius abiectione, sive ad pejus (et sic propriissime dicitur pati), sive ad melius; sicut per aegrotationem abjicitur sanitas, et per sanitatem abjicitur aegritudo; talis autem passio non est nisi secundum transmutationem corporalem: unde non potest competere animae nisi per accidens. – Alio modo dicitur pati communiter, secundum quod *omne* recipere est pati; et sic sentire et intelligere animae est quoddam *pati*.

Art. II. – *Utrum passio magis sit in parte appetitiva quam in apprehensiva.*

RESP.: Passio magis est in parte appetitiva, quam in apprehensiva.

R. EST: quia nomine passionis proprie dictae importatur quod patiens trahatur ad id quod

*Vide «Divisionem Schematicam Summae Theol.» – Tab. XII.

est agentis; magis autem trahitur anima ad rem per vim appetitivam, quam per vim apprehensivam: per vim appetitivam anima trahitur ad res, prout sunt in seipsis; per vim apprehensivam recipit res secundum proprium modum per cognitionem.

NOTANDA 1. – Passio pertinet ad defectum in quantum est alicujus secundum quod est in potentia. Unde in his quae appropinquant primo perfecto, scilicet Deo, invenitur parum de ratione potentiae et passionis: in aliis autem consequenter plus (Ad 1m).

2. – Vis appetitiva dicitur esse magis activa, quia est magis principium exterioris actus; et hoc habet ex hoc ipso ex quo habet quod sit magis passiva (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum passio sit magis in appetitu sensitivo, quam intellectivo, qui dicitur voluntas.*

RESP.: Passio magis est in appetitu sensitivo, quam in intellectivo.

R. EST: quia passio proprie invenitur ubi est transmutatio corporalis; in actu appetitus intellectivi non requiritur aliqua transmutatio corporalis, quia hujusmodi appetitus non est virtualis organum.

QUAESTIO XXIII

De differentia passionum ab invicem

Deinde considerandum est de passionum differentia ab invicem; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum passiones quae sunt in concupiscibili, sint diversae ab his quae sunt in irascibili.*

RESP. AFF. – R. EST: quia potentia concupiscibilis et potentia irascibilis differunt specie;

habent enim diversa objecta specialia comprehensa sub uno communi objecto: unde passionnes quae sunt in concupiscibili differunt specie ab illis quae sunt in irascibili. - Pertinent ad concupiscibilem illae quae respiciunt bonum vel malum simpliciter, quod est delectabile vel dolorosum; hae sunt: amor et odium, desiderium et fuga, delectatio et tristitia; pertinent autem ad irascibilem illae quae respiciunt bonum vel malum sub ratione ardui; et hae sunt: spes et desperatio, audacia et timor, et ira quae non habet oppositum.

NOTANDUM: Vis irascibilis data est animalibus ut tollantur impedimenta quibus concupiscibilis in suum objectum tendere prohibetur, vel propter difficultatem boni adipiscendi, vel propter difficultatem mali superandi. Et ideo passionnes irascibilis omnes terminantur ad passionnes concupiscibilis (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum contrarietas passionum irascibilis sit secundum contrarietatem boni et mali.*

RESP. NEG. - *Scil.:* non omnis contrarietas passionum irascibilis est secundum contrarietatem boni et mali.

R. EST: quia in irascibili est duplex contrarietas: una secundum contrarietatem objectorum (boni vel mali); alia accessum et recessum ab eodem termino, sicut timor et audacia; et ratio hujus est, quia objectum irascibilis est sensibile bonum vel malum, non quidem absolute, sicut in concupiscibili, sed sub ratione difficultatis et arduitatis. Sic habetur contrarietas secundum bonum et malum, inter spem et timorem; et contrarietas secundum accessum et recessum ab eodem termino, inter audaciam et timorem.

NOTANDUM: Bonum, inquantum bonum, non potest esse terminus *a quo*, sed solum ut *ad quem*; quia nihil refugit bonum, inquantum bonum, sed

omnia appetunt ipsum. Similiter, nihil appetit malum, inquantum hujusmodi, sed omnia fugiunt ipsum; et propter hoc malum non habet rationem termini *ad quem*, sed solum termini *a quo* (In corp. art.).

Art. III. – *Utrum sit aliqua passio animae non habens contrarium.*

RESP. AFF. – *Scil.* : ira, quae non potest habere contrarium neque secundum accessum et recessum, neque secundum contrarietatem boni et mali.

R. PRIMI EST: quia ira causatur ex malo difficili jam injacente, unde non habet contrarium secundum accessum et recessum.

R. SECUNDI EST: quia malo jam injacenti opponitur bonum jam adeptum, quod jam non potest habere rationem ardui vel difficilis; nec post adeptionem boni remanet alius motus, nisi quietatio appetitus in bono adepto, quae pertinet ad gaudium, quod est passio concupiscibilis.

NOTANDUM: Motus irae non potest habere aliquem motum animae contrarium, sed solummodo opponitur ei cessatio a motu; sicut Philosophus dicit in sua Rhetorica (Lib. II, cap. 3 in princ.), quod « mitescere opponitur ei quod est irasci », quod non est oppositum contrarie, sed negative vel privativae (In corp. art.).

Art. IV. – *Utrum sint aliquae passionες differentes specie in eadem potentia non contrariae ad invicem.*

RESP. AFF. – *Scil.* : sunt undecim passionες quarum sex sunt in concupiscibili et quinque in irascibili, quae specificē distinguuntur et non sunt contrariae ad invicem.

R. EST: quia passionες differunt secundum diversam virtutem activam potentiae, sive concupiscibilis sive irascibilis. In motibus autem appetitivae partis, bonum habet quasi virtutem

attractivam, malum autem virtutem repulsivam. Bonum ergo primo in potentia appetitiva causat quamdam inclinationem, seu aptitudinem, seu connaturalitatem ad bonum, quod pertinet ad passionem *amoris*, cui per contrarium respondet *odium* ex parte mali. Secundo, si bonum sit nondum habitum, dat ei motum ad assequendum bonum amatum; et hoc pertinet ad passionem *desiderii* vel concupiscentiae; et ex opposito ex parte mali est *fuga*, vel abominatio. Tertio, cum adeptum fuerit bonum, dat appetitus quietationem quamdam in ipso bono adepto; et hoc pertinet ad delectationem vel *gaudium*, cui opponitur ex parte mali dolor vel *tristitia*. Similiter, in passionibus irascibilis praesupponitur aptitudo vel inclinatio ad prosequendum bonum vel fugiendum malum ex concupiscibili, quae absolute respicit bonum vel malum; et respectu boni nondum adepti est *spes* et *desperatio*; respectu vero mali nondum iniacentis est *timor* et *audacia*; respectu mali jam iniacentis est *ira*, cui nulla passio opponitur; quia bonum jam iniacens non haberet rationem ardui, sed importat gaudium, quod est concupiscibilis.

QUAESTIO XXIV

De bono et malo in animae passionibus

Deinde considerandum est de bono et malo circa passiones animae: et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum bonum et malum morale possit in passionibus animae inveniri.*

RESP. AFF. - *Scil.*: non prout considerantur secundum se, sed secundum quod subjacent imperio rationis et voluntatis.

R. PRIMI EST: quia secundum se passiones sunt motus quidam irrationalis appetitus.

R. SECUNDI EST: quia secundum quod subjacent imperio rationis et voluntatis, est in eis bonum vel malum morale. – Immo, quia propinquior est appetitus sensitivus rationi et voluntati quam membra exteriora, multo magis ipsae passiones possunt dici bonae vel malae moraliter, quam motus et actus membrorum exteriorum. Dicuntur autem voluntarie, vel ex eo quod a voluntate imperantur, vel ex eo quod a voluntate non prohibentur.

Art. II. – *Utrum omnis passio animae sit mala moraliter.*

RESP. NEG. – R. EST: quia passiones sunt malae moraliter, seu dicuntur morbi, vel perturbationes animae, solum cum carent moderatione rationis. – Hoc est secundum doctrinam peripateticorum, quam Tullius, cum Stoicis, inconvenienter improbat.

NOTANDA: 1. – In omni passione animae additur aliquid vel diminuitur a naturali motu cordis, inquantum cor intensius vel remissius movetur secundum *systolen* (contractio cordis) aut *diastolen* (dilatatio cordis, seu melius: reditus cordis ad pristinam suam magnitudinem post contractionem); et secundum hoc habet (cor) passionis rationem (Ad 2m).

2. – Passiones animae, inquantum sunt praeter ordinem rationis, inclinant ad peccatum; inquantum autem sunt ordinatae a ratione, pertinent ad virtutem (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum passio addat vel diminuatur ad bonitatem vel malitiam actus.*

RESP.: Diminuunt et addunt passiones animae actui humano bonitatem vel malitiam, prout subduntur imperio rationis et voluntatis.

R. EST: quia ad perfectionem boni moralis pertinet quod homo ad bonum moveatur non solum secundum voluntatem, sed etiam secundum appetitum sensitivum; tanto enim bonum hominis erit perfectius, quanto ad plura, quae homini conveniunt, derivari potest.

NOTANDUM: Passiones animae dupliciter se possunt habere ad iudicium rationis: uno modo *antede*; et sic cum obnubilent iudicium rationis, ex quo dependet bonitas actus moralis, diminuunt actus bonitatem. Laudabilius enim est quod ex iudicio rationis aliquis faciat opus charitatis, quam ex sola passione misericordiae. Alio modo se habent *consequenter*, et hoc dupliciter: uno modo per modum redundantiae, quia scilicet cum superior pars animae intense movetur in aliquid, sequitur motum ejus etiam pars inferior; et sic passio indicat bonitatem (vel malitiam) moralem majorem. Alio modo per modum electionis, quando scilicet homo ex iudicio rationis eligit affici aliqua passione, ut promptius operetur, cooperante appetitu sensitivo; et sic passio animae addit ad bonitatem (vel malitiam) actionis (Ad 1m). Passio autem tendens in malum praecedens iudicium rationis diminuit peccatum (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum aliqua passio sit bona vel mala ex sua specie.*

RESP. AFF. - *Scil.*: non secundum suam naturam; sed secundum quod in sua specie participat aliquid de voluntario et rationis iudicio.

R. PRIMI EST: quia passio secundum quod est in genere naturae non cadit sub regula morum, sicut dictum est de actibus (q. xviii, art. 6 et 7; et q. xx, art. 3).

R. SECUNDI EST: quia objectum alicujus passionis potest esse de se conveniens rationi, vel dissonum a ratione; sicut patet de verecundia, quae est timor turpis; et de invidia, quae est tristitia de bono alterius; sic enim pertinent ad speciem exterioris actus.

QUAESTIO XXV

De ordine passionum ad invicem

Diende considerandum est de ordine passionum ad invicem; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum passiones irascibilis sint priores passionibus concupiscibilis, vel e converso.*

RESP.: Passiones concupiscibilis sunt priores.

R. EST: quia passiones concupiscibilis habent aliquid ad motum et aliquid ad quietem, sicut desiderium et gaudium; passiones autem irascibilis habent aliquid in motum tantum. Immo, passiones irascibilis habent principium a passionibus concupiscibilis, et in ipsis terminantur: unde sunt mediae inter passionibus concupiscibilis quae important motum in bonum vel in malum, et inter passiones concupiscibilis quae important quietem in bono vel in malo; sicut ira quae oritur ex tristitia et terminat ad gaudium (vindictae).

NOTANDUM: Loquimur hic de ordine passionum *per se* (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum amor sit prima passionum concupiscibilis.*

RESP. AFF. – *Scil.*: in ordine executionis amor est prima, in ordine vero intentionis amor est ultima passionum concupiscibilis circa bonum.

R. PRIMI EST: quia in ordine executionis seu consecutionis tria requiruntur: aptitudo sive proportio appetitus ad bonum; motus ad bonum; et quies in bono. Aptitudo est amor, qui est complacentia boni; desiderium est motus; gaudium seu delectatio est quies in bono.

R. SECUNDI EST: quia in ordine intentionis e converso accidit: delectatio causat desiderium et amorem.

NOTANDUM: Omnes passiones quarum objectum est *bonum*, naturaliter sunt priores passionibus quarum objectum est *malum*: *malum* autem non est nisi privatio boni. (In corp. art.).

Art. III. - *Utrum spes sit prima inter passiones irascibilis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia spes et desperatio cum sint circa bonum, priores sunt timore et audacia, quae sunt circa malum. Sed spes est prior desperatione, quia desperatio non est circa bonum secundum se, sed est magis recessio a bono. Timor autem cum sit recessus a malo, prior est audacia. Ira autem est de malo et supponit timorem et audaciam, « nullus enim irascitur vindictam appetens, nisi audeat vindicari » (AVICENNA, *De Naturalibus*, lib. vi). Unde in ordine irascibilis ultima venit ira.

NOTANDUM: Sic ordo omnium passionum habetur per viam generationis:—

Amor et odium; desiderium et fuga; spes et desperatio; timor et audacia; ira; gaudium et tristitia. (In corp. art.).

Art. IV. - *Utrum istae sint quatuor principales passiones, gaudium, tristitia, spes et timor.*

RESP. AFF. - *Scil.*: gaudium et tristitia sunt principales respectu boni et mali praesentis; spes et timor respectu boni et mali futuri.

R. EST: quia aliae passiones ad has quatuor complete reducuntur seu terminantur. Tamen gaudium et tristitia sunt completivae simpliciter; omnes enim passiones circa bonum terminantur in gaudium, et circa malum in tristitia. Spes et timor sunt completivae sed non simpliciter, quia non sunt finales.

DE PASSIONIBUS ANIMAE IN SPECIALI

Consequenter considerandum est de passionibus animae in speciali: et primo de passionibus concupiscibilis; secundo de passionibus irascibilis. Prima consideratio erit tripartita; nam primo considerabimus de amore et odio; secundo de concupiscentia et fuga; tertio de delectatione et tristitia. Circa amorem consideranda sunt tria: 1. De ipso amore. – 2. De causa amoris. – 3. De effectibus ejus. Circa primum quaeruntur quatuor:

QUAESTIO XXVI

De amore

Art. I. – *Utrum amor sit in concupiscibili.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia amor dicitur per respectum ad bonum absolute, non per respectum ad arduum; quod est objectum irascibilis.

NOTANDUM: Triplex est amor seu appetitus, secundum triplicem motum in aliquid sibi conveniens: Amor *naturalis*, cujus apprehensio boni ad quod tendit, non est in ipso amante, sed in Institute naturae, sicut cum lapis tendat deorsum ad quietem; amor *sensitivus*, qui est in brutis, et sequitur apprehensionem sensitivam, et est etiam in homine, sed aliquomodo rationi obedit; et amor *intellectivus* seu *rationalis*, qui consequitur apprehensionem appetentis secundum iudicium liberum. In unoquoque autem horum appetituum amor dicitur illud quod est principium motus tendentis in finem amatum (In corp. art.).

Art. II. – *Utrum amor sit passio.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia passio est effectus agentis in patiente. Amor autem est prima immutatio appetitus ab appetibili, qui nihil est aliud quam complacentia appetibilis. – Ex hac compla-

centia sequitur motus in appetibile, qui est desiderium; et ultimo quies, quae est gaudium.

NOTANDUM: Dicitur quod unio pertinet ad amorem, inquantum per complacentiam appetitus amans se habet ad id quod amat, sicut ad seipsum vel ad aliquid sui. Et sic patet quod amor non est ipsa relatio unionis, sed unio est consequens amorem. Unde « unio est opus amoris », ut Philosophus dicit (Polit. Lib. II, cap. 2 a medio). - (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum amor sit idem quod dilectio.*

RESP. NEG. - **R. EST:** quia dilectio addit supra amorem electionem praecedentem, ut ipsum nomen sonat. Unde dilectio non est in concupiscibili, sed in voluntate tantum, et est in sola rationali creatura.

NOTANDA: 1. - Differunt amor, dilectio, charitas et amicitia: amicitia est quasi habitus; amor et dilectio significantur per modum actus; charitas utroque modo dici potest. Amor est communius inter ista tria quae per actum significantur: dilectio addit ad amorem electionem, et charitas dicitur inquantum id quod amatur magni pretii aestimatur, ut ipsum nomen designat (In corp. art.).

2. - Amor prout est in appetitu intellectivo est dilectio (Ad 1m). Sub ratione passionis, sensu extenso, amor Dei in anima divinius est quam dilectio; quia homo potest per amorem tendere in Deum passive quodammodo ab ipso Deo attractus, quod est divinius quam tendere in Deum per propriam rationem, quod pertinet ad rationem dilectionis (Ad 4m).

Art. IV. - *Utrum amor convenienter dividatur in amorem amicitiae et amorem concupiscentiae.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia motus amoris in duo tendit, scilicet, in bonum quod quis vult alicui, vel sibi, vel alii (amor concupiscentiae), et in illud cui vult bonum (amor amicitiae). Et haec divisio est secundum prius et posterius, quia id quod amatur amore amicitiae, simpliciter et per se amatur; quod autem amatur amore con-

cupiscentiae, non simpliciter et secundum se amatur, sed amatur alteri. – Unde ille proprie dicitur amicus cui aliquod bonum volumus; illud autem dicimur concupiscere, quod volumus nobis (Ad 1m). – Tamen amicitia, nobis utilis et delectabilis, in quantum trahitur ad amorem concupiscentiae, deficit a ratione vere amicitiae (Ad 3m).

QUAESTIO XXVII

De causa amoris

Deinde considerandum est de causa amoris; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum bonum sit sola causa amoris.*

RESP. AFF. – *Scil.:* propria causa amoris est bonum.

R. EST: quia proprium objectum amoris est bonum; causa autem motus potentiae appetitivae est objectum ipsius. Unicuique autem bonum non est, nisi id quod est sibi connaturale et proportionatum. Malum vero nunquam amatur nisi sub ratione boni.

NOTANDUM: Pulchrum est idem bono sola ratione differens. Addit supra bonum quemdam ordinem ad vim cognoscitivam (mediante visu et auditu); ita quod bonum dicatur id quod simpliciter complacet appetitui, pulchrum autem dicatur id cuius ipsa apprehensio placet (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum cognitio sit causa amoris.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia bonum non est objectum appetitus, nisi prout est apprehensum. Unde apprehensio boni corporalis est principium amoris sensitivi; et contemplatio spiritualis pulchritudinis seu bonitatis est principium amoris spiritualis. Remanet tamen quod motivum formale di-

lectionis sit bonum, non autem cognitio. Unde aliquid plus amari potest quam cognosci, sicut in amore Dei.

Art. III. - *Utrum similitudo sit causa amoris.*

RESP. AFF. - *Scil.* : quae habetur ex hoc quod utrumque habet idem in actu, est causa amoris amicitiae; alia autem similitudo quae habetur ex hoc quod unum habet in potentia et in quadam inclinatione illud quod aliud habet in actu, causat amorem concupiscentiae.

R. PRIMI EST: quia ex hoc quod aliqui duo sint similes, quasi habentes unam formam, sunt quodammodo unum in forma illa; sicut duo homines sunt unum in specie humanitatis; et ideo affectus unius tendit in alterum sicut in unum sibi, et vult ei bonum sicut et sibi.

R. SECUNDI EST: quia unicuique existenti in potentia, inquantum hujusmodi, inest appetitus sui actus, et in ejus consecutione delectatur, si sit sentiens et cognoscens.

NOTANDUM: Magis amat unusquisque seipsum quam alium; quia sibi unus est in substantia, alteri vero in similitudine alicujus formae. Et ideo, si ex eo quod est sibi similis in participatione formae, impediatur ipsemet a consecutione boni quod amat, efficitur ei odiosus, non inquantum est similis, sed inquantum est proprii boni impeditivus (In corp. art.).

Art. IV. - *Utrum aliqua alia passionum animae sit causa amoris.*

RESP. NEG. - *Scil.* : omnis alia passio supponit aliquem amorem.

R. EST: quia omnis alia passio animae importat motum ad aliquid vel quietem in aliquo, quod procedit ex aliqua connaturalitate vel coaptatione, quae pertinet ad rationem amoris. - Unde si delectatio causat amorem, delectatio illa tamen causatur ex alio amore praecedente (Ad 1m).

QUAESTIO XXVIII

De effectibus amoris

Deinde considerandum est de effectibus amoris; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – Utrum unio sit effectus amoris.

RESP. AFF. – *Scil.* : tum amoris concupiscentiae effective, tum amoris amicitiae formaliter.

R. PRIMI EST: quia amor concupiscentiae movet ad desiderandum et quaerendum praesentiam amati quasi sibi convenientis et ad se pertinentis.

R. SECUNDI EST: quia amor amicitiae est ipsa met unio vel nexus. Amor enim amicitiae apprehendit amatum ut alterum se, in quantum vult ei bonum, sicut et sibi ipsi. Unde amicus dicitur *alter ipse*.

NOTANDA: 1. – Unio tripliciter se habet ad amorem: a) Quaedam unio est causa amoris, et haec est unio *substantialis* qua quis amat seipsum; alia est unio *similitudinis*, qua quis amat alia, et est duplex: b) una est quae est *essentialiter* ipse amor, et haec est unio *affectiva* tum in amore amicitiae cum in amore concupiscentiae; c) alia est unio *realis*, quae est effectus amoris (Ad 2m).

2. – Amor est magis unitivus quam cognitio; cognitio enim perficitur per hoc quod cognitum unitur cognoscendi secundum suam similitudinem, amor vero facit quod ipsa res quae amatur, uniatur aliquo modo amanti (Ad 3m).

Art. II. – Utrum mutua inhaesio sit effectus amoris.

RESP. AFF. – *Scil.* : ut amans sit in amato, et e converso, tum quantum ad vim apprehensivam, cum quantum ad vim appetitivam.

R. PRIMI EST: quia amatum immoratur in apprehensione amantis; amans enim non est contentus superficiali apprehensione amati, sed nititur singula quae ad amantem pertinent, intrinsecus disquirere; et sic ad interiora ejus ingreditur; et affectus amoris subintrat in amatum (Ad 2m).

R. SECUNDI EST: quia per vim appetitivam amatum est in amante prout per quamdam complacentiam est impressum in affectu ejus. Et e converso, amans est in amato, quia ipse amans, amore concupiscentiae, quaerit perfecte habere amatum, quasi ad intima illius perveniens. Amore vero amicitiae amans est in amato, inquantum reputat bona vel mala amici sicut sua, et voluntatem amici sicut suam.

NOTANDUM: Tertio modo mutua inhaesio intelligi in amore amicitiae secundum viam redamationis, inquantum mutuo se amant amici, et sibi invicem bona volunt et operantur, quod non invenitur in quolibet amore (In corp. art. et ad 3m).

Art. III. - *Utrum extasis sit effectus amoris.*

RESP. AFF. - *Scil. : a)* amor est causa dispositiva extasis quae est ex parte apprehensiva; *b)* amor amicitiae est simpliciter causa directa extasis ex parte appetitiva; *c)* amor concupiscentiae est secundum quid causa directa ejusdem extasis.

R. PRIMI EST: quia amor facit meditari de amato (art. praec.); intensa autem meditatio unius abstrahit ab aliis.

R. SECUNDI EST: quia in amore amicitiae affectus alicujus simpliciter exit extra se; quia quasi gerit curam et providentiam ipsius amati.

R. TERTII EST: quia in amore concupiscentiae amans non contentus gaudere de bono quod habet, quaerit frui aliquo extra se.

Art. IV. – *Utrum zelus sit effectus amoris.*

RESP. AFF. – *Scil.* : zelus ex intensione amoris provenit.

R. EST: quia cum amor sit motus quidam in amatum, intensus amor quaerit excludere omne id quod sibi repugnat, vel si hoc nequit facere, tolerat et gemit; et hoc fit per zelum, qui est vehemens motus amantis in rem amatam.

NOTANDUM: In amore concupiscentiae, ille qui intense aliquid concupiscit, movetur contra omne illud quod repugnat consecutioni vel fruitioni quietae ejus quod amatur, sicut habetur in zelu invidiae. Zelus autem amoris amicitiae facit hominem moveri contra omne illud quod repugnat bono amici, sicut est zelare pro Deo, secundum illud « *Zelus domus tuae comedit me* » Jn. II (In corp. art.).

Art. V. – *Utrum amor sit passio laesiva amantis.*

RESP. NEG. – *Scil.* : Amor boni convenientis est perfectivus et meliorativus amantis; amor autem boni quod non est conveniens amanti, est laesivus et deteriorativus amantis.

R. PRIMI EST: quia nihil quod coaptatur ad aliquid quod est sibi conveniens, ex ipso laeditur; sed magis, si sit possibile, perficitur et melioratur: unde maxime homo perficitur et melioratur per amorem Dei.

R. SECUNDI EST: quia quod coaptatur ad aliquid quod non est sibi conveniens, ex hoc laeditur et deterioratur; amor autem significat coaptationem quamdam appetitivae virtutis ad aliquid bonum. Unde maxime homo laeditur et deterioratur per peccatum.

NOTANDA: 1. – Quantum ad id quod est materiale in passione amoris, quod est immutatio aliqua corporalis, accidit quod amor sit laesivus per excessum immutationis (In corp. art.).

2. - Quatuor sunt effectus proximi amoris: liquefactio, fruitio, languor et fervor. Cordis congelatio vel duritia est dispositio repugnans amori; sed *liquefactio* importat quamdam mollificationem cordis, qua exhibet se cor habile ut amatum in ipsum subintrat. Si ergo amatum fuerit praesens, sequitur *fruitio*; si vero absens, sequitur tristitia de absentia, quae est *languor*, et intentum desiderium de consecutione amati quod significatur per *fervorem*. Hi sunt effectus amoris formaliter accepti (Ad responsiones passim).

Art. VI. - *Utrum amor sit causa omnium quae amans agit.*

RESP. AFF. - *Scil.*: Omne quod aliquis agit, agit ex aliquo amore.

R. EST: quia omne agens agit propter aliquem finem; finis autem est bonum desideratum et amatum unicuique. - Loquimur hic de amore communiter accepto.

QUAESTIO XXIX

De odio

Deinde considerandum est de odio; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum causa et objectum odii sit malum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia odium est dissonantia quaedam appetitus ad id quod apprehenditur ut repugnans et nocivum. Quod autem est nocivum et repugnans, habet rationem mali; sicut omne quod est conveniens et attrahit habet rationem boni. - Consideratur igitur malum non ut ens, quia ut ens est bonum; sed per comparationem ad apprehensionem ut nocivum. (In responsionibus).

Art. II. – *Utrum odium causetur ex amore.*

RESP. AFF. – R. EST: quia nihil odio habetur, nisi per hoc quod contrariatur convenienti quod amatur: in quolibet autem prius est considerandum quid ei conveniat quam quid ei repugnet.

NOTANDUM: Amor et odium naturaliter quidem sunt simul secundum rationem, sed non realiter, sicut est in speciebus numerorum, figurarum et motuum (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum odium sit fortius quam amor.*

RESP. NEG. – *Scil.*: simpliciter loquendo amor est fortior odio; sed aliquando odium est fortius (per accidens).

R. PRIMI EST: a) quia amor est causa odii, ut dictum est (art. praec.); causa autem est semper fortior suo effectu; – b) quia fortius movetur aliquid in finem, quam ad ea quae sunt ad finem. Recessus a malo autem ordinatur ad consecutionem boni sicut ad finem; amor autem ordinatur directe ad finem.

R. SECUNDI EST: a) quia odium est magis sensibile quam amor; amor enim est in homine quasi in habitum et naturam; – b) quia odium quod correspondet majori amori, magis movet quam minor amor.

Art. IV. – *Utrum aliquis possit habere odio seipsum.*

RESP. NEG. – *Scil.*: per se loquendo impossibile est quod aliquis odiat seipsum; sed per accidens potest contingere quod aliquis seipsum odio habeat.

R. PRIMI EST: quia impossibile est quod aliquis per se loquendo vellit malum sibi ipsi, sub ratione mali; nam malum est praeter voluntatem.

R. SECUNDI EST: a) quia accidit quandoque, illud quod appetitur ut secundum quid bonum, esse simpliciter malum; sic ex parte objecti. - b) Ex parte subjecti; quia homo aliquando vult quaedam quae sunt contraria rationi. Utroque modo autem ille qui diligit iniquitatem odit non solum animam suam, sed etiam seipsum. - Tamen nullus sibi vult et facit malum, nisi in quantum apprehendit illud sub ratione boni (Ad 2m).

Art. V. - *Utrum aliquis possit odio habere veritatem.*

RESP. AFF. - *Scil. :* in particulari nihil prohibet quoddam ens et quoddam verum odio haberi, non autem in universali.

R. EST: quia in universali omne ens et verum est bonum; bonum autem est quod omnia appetunt; et ideo non potest odio haberi. Tamen in particulari ens et verum possunt habere rationem contrarii et repugnantis bono amato. Quod tripliciter contingere potest: a) secundum quod veritas est in ipsis rebus, cum homo vellet non esse verum quod est verum; b) secundum quod veritas est in cognitione ipsius hominis, sicut si aliquis non vellet cognoscere veritatem fidei ut libere peccaret; c) secundum quod veritas est in intellectu alterius, in quantum quod haec veritas redarguat peccatorem. Unde homo veritatem odio habet non per se (per se enim veritas est amabilis), sed per accidens.

Art. VI . - *Utrum aliquid possit haberi odio in universali.*

RESP. AFF. - *Scil. :* ut natura quaedam universale potest esse objectum odii non solum partis intellectivae, sed etiam sensitivae; in quantum universale subest intentioni universalita-

tis, sic potest odio haberi ex parte intellectiva tantum. Sed ira semper est de aliquo particulari.

R. EST: quia aliquid potest adversari animali ex natura communi, sicut lupus ovi; unde ovis odit lupum generaliter. Inquantum vero universale subest intentioni universalitatis fit per abstractionem a materia individuali et sic non potest odio haberi, nisi in parte intellectiva. – Ira autem semper causatur ex aliquo actu laedentis; actus autem particularium sunt.

QUAESTIO XXX

De concupiscentia

Deinde considerandum est de concupiscentia; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum concupiscentia sit tantum in appetitu sensitivo.*

RESP. AFF. – *Scil.*: proprie loquendo concupiscentia est in appetitu sensitivo.

R. EST: quia concupiscentia, ut ipsum nomen concupiscentiae sonat quod aliquam consociationem in cupiendo importat, proprie pertinet simul ad animam et corpus, unde est in organo corporeo.

NOTANDUM: Proprie est concupiscere, appetere aliquid sub ratione boni delectabilis secundum sensum. Appetere autem bonum appetitu animali, qui sequitur apprehensionem, pertinet solum ad vim appetitivam (Ad 3m). – Appetitus spiritualium bonorum dicitur interdum concupiscentia per similitudinem; vel etiam per redundantiam appetitus superioris partis in inferiorem appetitum, sicut cum dicitur: *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum* (Ps. 83, 3).

Art. II. - *Utrum concupiscentia sit passio specialis.*

RESP. AFF. - *Scil. :* concupiscentia est passio specificè distincta ab amore et a delectatione, ratione diversitatis activitatis objecti.

R. EST: quia delectabile secundum sensum (quod est proprium objectum vis concupiscibilis), inquantum sibi adaptat et conformat appetitum, causat amorem; inquantum vero absens attrahit ad seipsum, causat concupiscentiam; inquantum vero praesens quietat in se ipso, causat delectationem.

NOTANDUM: Diversitas objecti potest attendi vel secundum naturam ipsius objecti, vel secundum diversitatem in virtute agendi. Diversitas quidem objecti activi, quae est secundum rei naturam, facit materialem differentiam passionum (i. e. in genere naturae, non in genere moris); sed diversitas quae est secundum virtutem activam, facit formalem differentiam passionum, secundum quam passiones specie differunt (In corp. art.).

Art. III. - *Utrum sint aliquae concupiscentiae naturales et aliquae non naturales.*

RESP. AFF. - R. EST: quia dupliciter est aliquid delectabile: uno modo, quia est conveniens naturae animalis; et huiusmodi concupiscentia delectabilis dicitur naturalis, et est communis animalibus brutis et omnibus hominibus; - alio modo aliquid dicitur delectabile secundum apprehensionem rationis; et huiusmodi delectabilis concupiscentia dicitur non naturalis, et solet magis dici cupiditas, et haec est propria hominum.

Art. IV - *Utrum concupiscentia sit infinita.*

RESP. AFF. - *Scil. :* concupiscentia naturalis est finita in actu, et infinita in potentia; concupiscentia vero non naturalis est omnino infinita.

R. PRIMI EST: quia id quod natura requirit semper est finitum in actu; est tamen infinitum in potentia per successionem.

R. SECUNDI EST: quia concupiscentia non naturalis sequitur rationem (art. praec.); rationi autem competit in infinitum procedere.

ITEM: Concupiscentia finis semper est infinita; quia semper vult finem; illa autem quae est ejus quod est ad finem non est infinita. Unde qui finem ponunt in divitiis, habent concupiscentiam divitiarum in infinitum; qui autem divitias appetunt propter necessitatem vitae, concupiscunt divitias finitas sufficientes ad necessitatem vitae; et sic de aliis. (In corp. art.).

QUAESTIO XXXI

De delectatione secundum se

Deinde considerandum est de delectatione, et tristitia. Circa delectationem vero consideranda sunt quatuor: primo, de ipsa delectatione secundum se; secundo, de causis delectionis; tertio, de effectibus ejus; quarto, de bonitate et malitia ipsius. Circa primum quaeruntur octo:

Art. I. -- *Utrum delectatio sit passio.*

RESP. AFF. – R. EST: quia delectatio est motus in appetitu animali, consequens apprehensionem sensus. Delectatio enim sequitur consecutionem perfectionis; quae consecutio, quae est tota simul, cum in animalibus per sensus apprehenditur, motus quidam animae in appetitu sensitivo causatur, et iste motus est delectatio. – Unde delectatio est operatio, non per essentiam, sed per causam (Ad 1m); licet enim delectatio sit quies quaedam appetitus, tamen ratione im-

mutationis appetitus a praesentia boni appetibilis; de quo delectatur, delectatio quidam motus est (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum delectatio sit in tempore.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Delectatio secundum se non est in tempore; sed per accidens est in tempore.

R. EST: quia secundum se delectatio est in bono jam adepto, quod est quasi terminus motus; sed si illud bonum adeptum transmutationi subiaceat, erit delectatio per accidens in tempore. – Si autem sit omnino intransmutabile, delectatio non erit in tempore nec per se, nec per accidens. In hac vita autem delectatio semper est in tempore per accidens, quia subjacet causis transmutabilibus.

NOTANDA: 1. – Motus dupliciter dicitur: uno modo, qui est actus imperfecti, scilicet existentis in potentia, in quantum hujusmodi; et talis motus est successivus et in tempore. Alius autem motus est actus perfecti, i. e., existentis in actu, sicut intelligere, sentire, velle, et hujusmodi, et etiam delectari; et hujusmodi motus non est successivus, nec per se in tempore (Ad 1m).

2. – Delectatio dicitur morosa vel diuturna, secundum quod per accidens est in tempore.

Art. III. – *Utrum delectatio differat a gaudio.*

RESP. AFF. – R. EST: quia nomen gaudii non habet locum nisi in delectatione quae sequitur rationem.

NOTANDUM: Laetitia, exultatio et jucunditas, quae non nisi in naturis rationabilibus utimur, pertinent ad gaudium. Prima est dilatatio cordis, ac si *latitia* diceretur; altera habetur in quantum interius gaudium ad exteriora prosilit; ultima dicitur a quibusdam specialibus laetitiae signis vel effectibus (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum delectatio sit in appetitu intellectivo.*

RESP. AFF. - *Scil.:* in voluntate est gaudium.

R. EST: quia delectatio quaedam sequitur apprehensionem rationis.

NOTANDUM: Delectatio habet rationem passionis, proprie loquendo, in quantum est cum aliqua transmutatione corporali; et sic non est in appetitu intellectivo; sed (in appetitu intellectivo est) secundum simplicem motum, sicut est in Deo et in angelis (Ad 2m). Unde in nobis non solum est delectatio in qua communicamus cum brutis, sed etiam in qua communicamus cum angelis (Ad 3m).

Art. V. - *Utrum delectationes corporales et sensibiles sint majores delectationibus spiritualibus et intelligibilibus.*

RESP. NEG. - *Scil.:* tum si considerantur ex parte cognitionis sensus et intellectus, tum si dilectiones considerantur secundum se, objective.

R. PRIMI EST: quia homo multo magis delectatur de hoc quod cognoscit aliquid intelligendo, quam de hoc quod cognoscit aliquid sentiendo; intellectualis enim cognitio et perfectior est et etiam magis cognoscitur; quia intellectus magis reflectitur supra actum suum, quam sensus. Unde homo magis vult sibi conservare cognitionem intellectivam quam sensibilem.

R. SECUNDI EST: a) ex parte boni conjuncti: quia ipsum bonum spirituale est majus quam corporale bonum, et est magis dilectum; b) ex parte ipsius cui jungitur: quia pars intellectiva est multo nobilior et magis cognoscitiva quam pars sensitiva; c) ex parte conjunctionis: quia conjunctio partis intellectivae cum objecto suae delectionis est magis intima, et magis perfecta, et magis firma, quam illa partis

sensitivae; magis intima, quia intellectus penetrat usque ad essentiam rei; magis perfecta, quia delectatio intellectiva magis pertinet ad motum perfectum (i. e. sine successione); et magis firma, quia delectatio spiritualis per se est incorruptibilis. - Tamen quoad nos delectationes sensitivae sunt magis vehementes: primo, quia sensibilia sunt magis nota quoad nos; secundo, delectationes sensibiles sunt cum aliqua transmutatione corporali; tertio, delectationes corporales habent tristitias contrarias, unde magis acceptantur, quasi ut medicinae contra dolores.

Art. VI. - *Utrum delectationes tactus sint majores delectationibus quae sunt secundum alios sensus.*

RESP. AFF. - *Scil.*: ratione utilitatis delectatio tactus major est; ratione cognitionis major est illa visus.

R. EST: quia utilitas sensibilibus attenditur secundum ordinem ad conservationem naturae animalis; ad hanc autem utilitatem propinquius se habent sensibilia tactus, qui est cognoscitivus calidi et frigidi, umidi et sicci, et hujusmodi ex quibus consistit animal. - Visus est major quantum ad cognitionem, ut patet, et quantum ad suam relationem cum delectationibus intelligibilibus. - Delectatio tactus tamen est simpliciter major quam illa visus, quia magis ordinatur ad naturalia, sicut ad cibum, et venerea et hujusmodi; in unoquoque autem quod est naturale, est potentissimum.

Art. VII. - *Utrum aliqua delectatio sit non naturalis.*

RESP. AFF. - *Scil.*: simpliciter loquendo dantur delectationes quae sunt contra rationem seu speciem humanam, quae sunt contra conserva-

tionem corporis, sed sunt connaturales secundum quid.

R. EST: quia contingit in aliquo individuo corrumpi aliquod principiorum naturalium speciei, et sic id quod est contra naturam speciei (simpliciter), fieri per accidens naturale huic individuo, sicut ex aegritudine dulcia videntur amara, et e converso; vel propter consuetudinem aliqui delectantur in comedendo homines.

Art. VIII. – *Utrum delectatio possit esse delectationi contraria.*

RESP. AFF. – *Scil.:* in contrariis terminis.

R. EST: quia delectatio proportionatur quieti. Quies autem potest esse quieti contraria in termino contrario.

QUAESTIO XXXII

De causa delectationis

Deinde considerandum est de causa delectationis; et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum operatio sit causa propria delectationis.*

RESP. AFF. – *Scil.:* operatio est causa propria et prima delectationis.

R. EST: quia ad delectationem requiritur consecutio boni convenientis et cognitio hujusmodi adeptiois. Utrumque autem horum in quadam operatione consistunt.

NOTANDUM: Operationes sunt delectabilia in quantum sunt proportionatae et connaturales operanti. Cum autem virtus humana sit finita, secundum aliquam mensuram operatio est ei proportionata. Unde si excedat illam mensuram, jam

non erit proportionata, nec delectabilis, sed magis laboriosa et attaedians. Et secundum hoc, otium et ludus, et alia quae ad requiem pertinent, delectabilia sunt, inquantum auferunt tristitiam quae est ex labore (Ad 3m). - Similiter dicendum est si labor non est secundum naturam libertatis hominis, et secundum dignitatem humanam.

Art. II. - *Utrum motus sit causa delectationis.*

RESP. AFF. - *Scil.:* motus est causa delectationis, quoad omnia quae in ipsa delectatione reperiuntur; i. e. quoad bonum delectans, conjunctionem delectabilis, et cognitionem hujus cognitionis.

R. PRIMI EST: quia bonum est nobis delectans inquantum per ipsum transmutatio nobis efficitur, quae est secundum naturam.

R. SECUNDI EST: quia ex parte conjunctionis boni delectantis fit etiam transmutatio delectabilis, quia actio continuata alicujus auget effectum.

R. TERTII EST: quia cum aliqua non poterunt apprehendi tota simul, delectat in his transmutatio, ut unum transeat, et alterum succedat, et sic totum sentiatur.

Art. III. - *Utrum spes et memoria sint causae delectationis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia bonum nobis conveniens est nobis praesens etiam per spem et per memoriam. Per spem quidem ut quid reale in potentia seu possibilitate adipiscendi; per memoriam autem per solam conjunctionem apprehensionis. Unde secundum gradum, major est delectatio sensus quam spei, et major spei quam illa delectatio memoriae.

Art. IV. – *Utrum tristitia sit causa delectationis.*

RESP. AFF. – *Scil.* : tristitia est causa delectationis tum prout est in actu, tum prout est in memoria, propter subsequentem evasionem.

R. PRIMI EST: quia tristitia in actu existens facit memoriam rei dilectae, de cujus absentia aliquis tristatur, et tamen de sola ejus apprehensione delectatur.

R. SECUNDI EST: quia secundum quod homo apprehendit se evasisse ab aliquibus tristibus et dolorosis, accrescit ei gaudii materia; sicut « quanto majus fuit periculum in praelio, tanto majus erit gaudium in triumpho », ut dicit Aug. (Confess. lib. viii, cap. 3, ante medium).

Art. V. – *Utrum actiones aliorum sint nobis causa delectationis.*

RESP. AFF. – PRIMA R. EST: quia per operationem aliorum consequimur aliquod bonum.

SECUNDA R. EST: quia per honorem et laudem efficitur nobis aliqua cognitio, vel aliqua aestimatio proprii boni, quae causat delectationem.

TERTIA R. EST: quia si opera aliorum sunt bona aestimantur ut propria propter vim amoris; si sunt mala efficiunt delectationem inimici.

Unde operatio aliorum potest nobis causare delectationem: a) per effectum; b) per apprehensionem; c) per affectionem.

Art. VI. – *Utrum benefacere alteri sit causa delectationis.*

RESP. AFF. – *Scil.* : a) per comparisonem ad effectum; b) per comparisonem ad finem; c) per comparisonem ad principium.

R. PRIMI EST: quia bonum quod in aliis per nos fit aestimamus ut nostrum propter unionem amoris, sicut caetera bona amici.

R. SECUNDI EST: quia per quod aliquis alteri benefacit, sperat consequi aliquod bonum sibi ipsi vel a Deo vel ab homine; spes autem delectationis est causa.

R. TERTII EST: quia a) *ex facultate* benefaciendi fit in homine imaginatio abundantis boni proprii, ex quo possit aliis communicare; b) *ex habitu* benefaciendi benefacere fit alicui connaturale; unde liberales delectabiliter dant aliis; c) quod facimus *ex motivo* benefaciendi fit delectatio; omnia enim quae facimus vel patimur propter amicum, delectabilia sunt, quia amor praecipuus causa delectationis est.

NOTANDUM: Vincere, redarguere et punire causant etiam aliquam delectationem, non in quantum sunt in malum alterius, sed in quantum pertinent ad proprium bonum, quod plus homo amat quam odiat malum alterius (Ad 3m).

Art. VII. - *Utrum similitudo sit causa delectationis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia similitudo est quaedam unitas; unde id quod est simile, in quantum est unum, est delectabile, sicut et amabile (q. xxvii, art. 3). - Per accidens autem etiam simile potest esse corruptivum proprii boni, et sic fit fastidiosum et contristans. Et hoc fit vel per excessum, sicut per superabundantes delectationes corporales fastidiuntur; vel per contrarietatem ad proprium bonum, sicut figuli abominantur alios figulos, quia per eos amittunt excellentiam propriam.

Art. VIII. - *Utrum admiratio sit causa delectationis.*

RESP. AFF. - *Scil.* : Admiratio est causa delectationis in quantum habet adjunctam spem consequendi cognitionem ejus quod scire desiderat.

R. EST: quia admiratio importat desiderium quoddam sciendi causam viso effectu. Desiderium autem ex spe est delectabile. Etiam gaudet anima in collatione unius ad alterum, quia conferre unum alteri est proprius et connaturalis actus rationis.

NOTANDUM: Contemplatio eorum quae jam scita sunt est delectabilis per se, quia est secundum definitionem delectationis, quae importat quietem in bono, et hujusmodi quietis perceptionem. Sed delectatio ex inquisitione potest esse major per accidens, propter intensionem desiderii. Desiderium autem excitatur ex perceptione ignorantiae; unde maxime homo delectatur in his quae de novo invenit aut addiscit (Ad 2m).

QUAESTIO XXXIII

De effectibus delectationis

Deinde considerandum est de effectibus delectationis; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum delectationis sit dilatare.*

RESP. AFF. – *Scil.*: tum ex parte apprehensivae virtutis, cum ex parte appetitivae virtutis.

R. PRIMI EST: quia ex apprehensione alicujus boni convenientis apprehendit homo se perfectionem quamdam adeptum, quae est spiritualis *magnitudo*, et secundum hoc animus hominis dicitur per delectationem magnificari seu dilatari.

R. SECUNDI EST: quia virtus appetitiva, quae assentit rei delectabili, et in ea quiescit, quodammodo se praebet ei ad eam interius capiendam; et sic dilatatur affectus hominis per delectationem, quasi se tradens ad continendum interius rem delectantem.

NOTANDUM: Dilatatio pertinet ad amorem ratione cujusdam extensionis, inquantum affectus amantis ad alios extenditur; ad delectationem vero, pertinet inquantum aliquid in seipso ampliatur, ut quasi capacius reddatur (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum delectatio causet sui sitim vel desiderium.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) delectatio in actu non causat simpliciter sitim vel desiderium sui de re non habita; b) delectationes spirituales maxime faciunt sitim sui ipsarum; c) delectatio prout est in memoria causat sitim sui ipsius per se.

R. PRIMI EST: quia delectatio est affectio appetitus circa rem praesentem. Contingit autem rem praesentem non perfecte haberi, vel ex parte rei habitae, sicut dum aliquis delectatur in eo quod habet, desiderat potiri eo quod restat; vel ex parte ipsius habentis, sicut cum in mundo isto percipientes aliquid imperfecte de divina perfectione (quae in se est simul tota), delectamur.

R. SECUNDI EST: quia delectationes spirituales non superex crescunt (sicut corporales faciunt) naturalem habitudinem, sed perficiunt naturam.

R. TERTII EST: quia delectatio in memoria causat in homine illam dispositionem in qua erat sibi delectabile quod praeteriit.

Art. III. - *Utrum delectatio impediatur usum rationis.*

RESP. AFF. - *Scil. :* Delectatio quae habetur de ipso actu rationis, sicut in contemplando vel ratiocinando, non impedit sed adjuvat usum rationis; sed delectationes corporales impediunt usum rationis triplici ratione.

R. PRIMI EST: quia illud attentius operamur in quo delectamur; attentio autem, quae habetur in actu rationis, adjuvat operationem.

R. SECUNDI EST: a) quia si delectatio corporalis fuerit magna, vel totaliter impedit usum rationis, ad se intentionem animi attrahendo, vel multum impedit; b) quia quaedam delectationes corporales corrumpunt existimationem pru-

dentiae, maxime superexcedentes; c) quia ad delectationem sequitur quaedam transmutatio corporalis, quae impedit usum rationis sicut in vinolentis. – Unde: a) est ratione distractionis; b) ratione contrarietatis; c) secundum quamdam ligationem.

NOTANDUM: Usus rationis requirit debitum usum imaginationis, et aliarum virium sensitivarum, quae utuntur organo corporali; et ideo ex transmutatione corporali usus rationis impeditur, impedito actu virtutis imaginativae et aliarum virium sensitivarum (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum delectatio perficiat operationem.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Delectatio operationem perficit, cum per modum supervenientis finis, tum per modum agentis causae, indirecte tamen.

R. PRIMI EST: quia delectatio, super bonum quod est operatio, importat quietationem appetitus.

R. SECUNDI EST: quia agens, ex hoc quod delectatur in sua actione vehementius attendit ad ipsam, et diligentius eam operatur. – Unde operatio causat delectationem sicut causa efficiens; delectatio autem perficit operationem per modum finis (Ad 2m).

QUAESTIO XXXIV

De bonitate et malitia delectationum

Deinde considerandum est de bonitate et malitia delectationum: et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum omnis delectatio sit mala.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Aliquae dilectiones sunt bonae, et aliquae malae, cum ex parte boni, in quo aliquis quiescens delectatur, tum ex parte operationis.

R. PRIMI EST: quia in moralibus, sicut in naturalibus, bona delectatio est, secundum quod appetitus superior aut inferior requiescit in eo quod convenit rationi; et quaedam delectatio est mala, ex eo quod quiescit in eo quod a ratione discordat, et a lege Dei.

R. SECUNDI EST: quia delectationes magis sunt affines operationibus quam concupiscentiae. Unde cum concupiscentiae bonorum operationum sint bonae, malarum vero malae, multo magis delectationes bonarum operationum sunt bonae, malarum vero malae.

Art. II. - *Utrum omnis delectatio sit bona.*

RESP. NEG. - *Scil.*: Non omnis delectatio est simpliciter talis et simpliciter bona.

R. EST: quia delectatio est quies appetitus in bono: unde si bonum est simpliciter illud in quo quiescit appetitus, erit simpliciter delectatio et simpliciter bona: si autem non est bonum simpliciter, sed quoad hunc, tunc nec delectatio est simpliciter, sed huic; nec simpliciter est bona, sed bona secundum quid, vel apparens bona. Similiter dicendum est de mala delectatione: alia est simpliciter mala, alia secundum quid.

Art. III. - *Utrum aliqua delectatio sit optimum.*

RESP. AFF. - *Scil.*: illa quae hominis beatitudinem consequitur.

R. EST: quia fructio Dei importat delectationem quamdam in ultimo fine. Loquimur hic de optimo in rebus humanis. Haec autem fructio fit per contemplationem Dei, quae consequitur operationem perfectam intellectus.

Art. IV. – *Utrum delectatio sit mensura vel regula secundum quam judicetur bonum vel malum in moralibus.*

RESP. AFF. – *Scil.:* delectatio voluntatis est regula in moralibus, non autem delectatio appetitus sensitivi.

R. EST: quia delectatio est quies voluntatis et cujuslibet appetitus in bono; unde homo judicatur bonus vel malus praecipue secundum delectationem voluntatis: si homo delectatur in operibus secundum convenientiam rationis, dicitur bonus; si autem in malis dicitur malus.

NOTANDUM: In via generationis amor et desiderium sunt priora delectatione; secundum rationem finis autem delectatio est prior: finis enim in operabilibus habet rationem principii, a quo maxime sumitur iudicium, sicut a regula vel mensura (Ad 1m); nam bonitas rei dependet ex fine: et sic quodammodo bonitas delectationis est causa bonitatis in operatione (ad 3m).

QUAESTIO XXXV

De dolore et tristitia secundum se

Deinde considerandum est de dolore et tristitia; et circa hoc primo considerandum est de tristitia seu dolore secundum se; secundo de causis ejus; tertio de effectibus ipsius; quarto de remediis; quinto de bonitate vel malitia ejus. Circa primum quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum dolor sit passio animae.*

RESP. AFF. – *Scil.:* dolor secundum quod est in appetitu sensitivo propriissime dicitur passio animae.

R. EST: quia dolor est motus appetitus sensitivi consequens apprehensionem mali conjuncti,

quod privat aliquo bono; motus autem appetitus sensitivi dicitur passio, et praecipue illi qui defectum sonant.

NOTANDUM: Dolor de amissione boni demonstrat bonitatem naturae: non quia dolor sit actus naturalis appetitus, sed quia natura aliquid appetit ut bonum, quod cum removeri sentitur, sequitur doloris passio in appetitu sensitivo (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum tristitia sit idem quod dolor.*

RESP. AFF. - *Scil.*: Ille solus dolor qui ex apprehensione interiori (sive intellectus sive imaginationis) causatur, nominatur tristitia (quae dividitur contra gaudium; sicut supra dictum est: q. xxxi, art. 3).

R. EST: quia gaudium, cui opponitur tristitia, ex interiori apprehensione causatur. - Ille autem dolor qui ex apprehensione exterioris sensus causatur, nominatur quidem dolor, non autem tristitia, nisi inquantum cadat etiam sub apprehensione interiori.

Art. III. - *Utrum tristitia sit contraria delectationi.*

RESP. AFF. - R. EST: quia objectum delectationis, quod est bonum praesens, et objectum tristitia, quod est malum praesens, sunt contraria; differunt enim secundum formam.

NOTANDUM: Dolor potest esse delectabilis per accidens, inquantum scilicet habet adjunctam admirationem, ut in spectaculis; vel inquantum facit recordationem rei amatae, et facit percipere amorem ejus, de cujus absentia doletur. Unde, cum amor sit delectabilis; et dolor, et omnia quae ex amore consequuntur, inquantum in eis sentitur amor, sunt delectabilia (Ad 2m).

Art. IV. - *Utrum omnis tristitia omni delectationi contrarietur.*

RESP. NEG. - *Scil.*: a) secundum genus suum semper contrarietatem habent; b) si sunt de eo-

dem, similiter semper contrariantur; c) si sunt de diversis, non habent oppositionem ad invicem secundum rationem speciei; d) si illa diversa sunt contraria, tunc delectatio et tristitia non solum non habent contrarietatem secundum rationem speciei, sed etiam habent convenientiam et affinitatem.

R. PRIMI EST: quia genus tristitiae pertinet ad fugam, genus vero delectationis pertinet ad prosecutionem; quae autem secundum formam generis contrariantur, contrariantur universaliter, sicut vitium et virtus.

R. SECUNDI EST: quia contrariantur secundum speciem, sicut justitia et injustia circa idem.

R. TERTII EST: quia sunt magis disparata quam diversa; sicut tritari de morte amici, et delectari in contemplatione.

R. QUARTI EST: quia contrario modo se habere ad contraria habet rationem similitudinis, sicut gaudere de bono, et tritari de malo.

NOTANDUM: Genus sumitur ex materia; in accidentalibus autem loco materiae est subjectum. In qualibet tristitia est contraria dispositio subjecti dispositioni quae est in qualibet delectatione. Nam in qualibet delectatione appetitus se habet ut acceptans id quod habet; in qualibet autem tristitia se habet ut fugiens; et ideo ex parte subjecti quaelibet delectatio est medicina contra quamlibet tristitiam; et quaelibet tristitia est impeditiva cujuslibet delectationis, praecipue quando delectatio contrariatur tristitiae etiam secundum speciem (Ad 2m).

Art. V. - *Utrum delectationi contemplationis sit aliqua tristitia contraria.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Nulla tristitia contrariatur delectationi quae est de ipsa contemplatione, nec adjungitur ei aliqua tristitia, nisi per accidens.

R. EST: quia objecto contemplationis nihil est contrarium. Nam, contrariorum rationes, secundum quod sunt apprehensae, non sunt contrariae; sed unum contrarium est ratio cognoscendi aliud. Unde contemplatio ipsa, etiamsi de objecto nocivo et contristante sit, non habet rationem tristitiae, sed delectationis. Unde delectatio contemplationis nec tristitiam adnexam habet, sicut delectationes corporales, quia non causatur ex hoc quod excluditur aliqua molestia, sed ex hoc quod est secundum seipsam delectabilis. - Per accidens autem adiungitur tristitia delectationi contemplationis indirecte, quia mens humana unitur in contemplatione viribus apprehensivis sensitivis, in quarum actu accidit lassitudo; et ideo indirecte admiscetur aliqua afflictio vel dolor contemplationi.

NOTANDUM: Contemplatio secundum se nunquam habet rationem mali, cum contemplatio nihil aliud sit quam consideratio veri, quod est bonum intellectus; sed per accidens tantum, in quantum scilicet contemplatio vilioris impedit contemplationem melioris; vel ex parte rei contemplatae, ad quam inordinate appetitus afficitur (Ad 3m)

Art. VI. - *Utrum magis sit fugienda tristitia quam delectatio appetenda.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Per se loquendo magis est appetenda delectatio, quam fugienda tristitia; per accidens autem e converso accidere potest triplici ex capite.

R. PRIMI EST: a) quia naturaliter magis est appetitus delectationis quam fuga tristitiae; delectatio enim potest esse integra et perfecta, tristitia vero semper est secundum partem. b) Quia objectum delectationis (bonum) per se ipsum appetitur, malum autem, quod est objectum

tristitiae, inquantum est privatio boni est fugiendum: quod autem est per se potius est illo quod est per accidens.

R. SECUNDI EST: a) ex parte apprehensionis: scil. ex indigentia (absentia) amati, quae tristitiam causat; tanto magis enim fugitur tristitia, quanto magis sentitur amor, ex eo quod contrariatur amori. b) Ex parte causae contristantis seu dolorem inferentis, quando repugnat bono magis amato quam sit bonum illud in quo delectemur; unde magis fugiamus flagella, quam delectationem cibi quaeramus. c) Ex parte effectus; quia tristitia impedit non unam tantum delectationem, sed omnes. – Unde quantum ad motum qui est ab interiori (motus naturalis), seu motum appetitivae partis, cum sit ab anima ad res, magis appetitur delectatio quam fugiatur tristitia; quantum autem ad motum qui est ab exteriori, seu sensitivae partis, qui est quasi a rebus ad animam, per accidens, magis fugitur tristitia quam delectatio appetatur; quia magis sentitur quod est magis contrarium (Ad 2m).

NOTANDUM: Temperatus magis laudatur ex hoc quod non prosequitur delectationes tactus, quam ex hoc quod non fugit tristitias contrarias (Ad 3m).

Art. VII. – *Utrum dolor exterior sit major quam interior.*

RESP. NEG. – *Scil.:* dolor interior est major cum ratione causae, tum ratione apprehensionis.

R. PRIMI EST: quia dolor interior est ex hoc quod aliquid repugnat *ipsi appetitui*; exterior autem dolor ex eo quod repugnat appetitui, *quia repugnat corpori*. Semper autem quod est *per se*, prius est eo quod est *per aliud*.

R. SECUNDI EST: quia apprehensio rationis et

imaginationis altior est quam apprehensio sensus tactus.

NOTANDUM: Non solum dolor interior est major quam exterior, sed etiam *universalior*; quia dolor exterior potest etiam augere dolorem interiorem, sed non e converso (In corp. art.).

Art. VIII. - *Utrum sint tantum quatuor species tristitiae.*

RESP. AFF. - *Scil.*: acedia, anxietas, misericordia et invidia; quae tamen dicuntur *species* non secundum quod communiter loquimur de speciebus et generibus, sed per applicationem rationis tristitiae ad aliquid extraneum, sicut dicimus carbonem et flammam esse species ignis.

R. EST: quia aliquid extraneum hic sumi potest vel ex parte causae, vel ex parte effectus tristitiae. Causa tristitiae est malum proprium; malum tristitiae extraneum est malum alterius: tristitia autem de malo alterius, inquantum aestimatur ut proprium est *misericordia*; si autem bonum alienum aestimatur ut malum proprium, est *invidia*. Effectus vero tristitiae consistit in fuga appetitus; quae ad aliquid extraneum habetur cum non appareat alicui aliquod refugium, et tunc est *anxietas*, vel etiam *angustia*; quae si in tantum procedat ut etiam exteriora membra immobilitet, dicitur *acedia*; quae idem dicitur ac vocem amputare, eo quod vox inter omnes exteriores motus magis exprimit interiorem conceptum et affectum.

NOTANDA: 1. - Delectatio, cum a bono causetur, uno modo dicitur, et ideo delectationis non assignantur tot species, sicut tristitiae, quae causatur ex malo, quod multifariam contingit (Ad 1m).

2. - *Nemesis* seu indignatio dicitur inquantum dolemus inesse bonum alicui quem eo prorsus esse indignum arbitramur: est species tristitiae, quae ad invidiam reducitur (Ad 2m).

QUAESTIO XXXVI

De causis tristitiae seu doloris

Deinde considerandum est de causis tristitiae; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum causa doloris sit bonum amissum vel magis malum conjunctum.*

RESP.: Malum conjunctum est magis causa tristitiae quam bonum amissum.

R. EST: quia malum conjunctum in passione tristitiae non est pura privatio boni, sicut in naturalibus, sed ipsa privatio boni in quantum cadit sub apprehensione, et sic habet rationem entis, et se habet per modum contrarii (amori). Bonum autem amissum non se habet per modum contrarii. Unde, sicut objectum proprium delectationis est bonum adeptum, ita objectum proprium tristitiae est malum conjunctum.

Art. II. – *Utrum concupiscentia sit causa doloris.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Concupiscentia secundum se considerata est interdum causa doloris, ex consequenti.

R. EST: quia retardatio boni concupiti, vel ejus totalitas oblatio causat tristitiam.

NOTANDA: 1. – Concupiscentia, si pro amore in genere sumitur, sicut frequenter accidit apud S. Augustinum, est causa universalis doloris; sed proprie sumpta, non potest esse causa universalis doloris, quia dolor ex concupiscentia provenit ex subtractione bonorum futurorum; dum, e contra, magis dolemus de subtractione bonorum praesentium, quam futurorum, quae concupiscimus. (In corp. art.).

2. – Concupiscentia est delectabilis quamdiu manet spes adipiscendi quod concupiscitur; sed, subtracta spe per impedimentum appositum, concupiscentia dolorem causat (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum appetitus unitatis sit causa doloris.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sic se habet appetitus unitatis, sicut appetitus boni: uterque autem est amor. Sicut ergo amor vel appetitus boni est causa doloris (ut dictum est art. praec.), ita etiam amor vel appetitus unitatis.

NOTANDUM: Bonum uniuscujusque rei in quadam unitate consistit, prout scil. unaquaeque res habet in se unita illa ex quibus consistit ejus perfectio (In corp. art.); unde dolor non causatur ex appetitu cujuslibet unitatis, sed ejus in qua consistit perfectio naturae (Ad 1m): secundum hoc separatio potest esse delectabilis, inquantum scilicet removetur illud quod est contrarium perfectioni rei (Ad 2m et 3m).

Art. IV. - *Utrum potestas cui non potest resisti, sit causa doloris.*

RESP. AFF. - Scil.: Talis potestas est causa doloris quando sub ipsa remanet inclinatio appetitus in contrarium.

R. EST: quia potestas, cui resisti non potest, consideratur tanquam causa conjunctionis mali. Sed si potestas fortior intantum invalescat, quod mutet contrariam inclinationem in inclinationem propriam, jam non erit aliqua repugnantia vel violentia, sed fit inclinatio naturalis.

QUAESTIO XXXVII

De effectibus doloris seu tristitiae

Deinde considerandum est de effectibus doloris vel tristitiae; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum dolor auferat facultatem addiscendi.*

RESP. AFF. - R. EST: quia dolor sensibilis (de quo hic agitur) maxime trahit ad se intentionem

animae; naturaliter enim unumquodque tota intentione tendit ad repellendum contrarium, sicut etiam in rebus naturalibus apparet. – In hoc tamen attenditur diversitas secundum diversitatem amoris, quem homo habet ad addiscendum vel considerandum; quia quanto major fuerit (amor), magis retinet intentionem animi, ne omnino feratur ad dolorem.

NOTANDA: 1. – Tam delectatio quam dolor, in quantum ad se trahunt animae intentionem, impediunt considerationem rationis: unde impossibile est in ipsa delectatione venereorum aliquid intelligere. Sed tamen magis trahit ad se intentionem animae dolor quam delectatio; sicut etiam videmus in naturalibus quod actio corporis naturalis magis intenditur in contrarium, sicut aqua calefacta magis patitur a frigido, ut fortius congeletur. Si ergo dolor seu tristitia fuerit moderata, per accidens potest conferri ad addiscendum in quantum aufert superabundantiam delectationum; sed per se impedit, et si intendatur, totaliter aufert (Ad 2m).

2. – Dolor exterior, qui accidet ex laesione corporali, magis habet transmutationem corporalem adjunctam quam dolor interior; qui tamen est major secundum illud quod est formale in dolore, quod est ex parte animae. Et ideo dolor corporalis magis impedit contemplationem, quae requirit omnimodam quietem, quam dolor interior; et tamen etiam dolor interior, si multum intendatur, ita trahit intentionem, ut non possit homo de novo aliquid addiscere (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum aggravatio animi sit effectus tristitiae vel doloris.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia dicitur homo aggravari ex eo quod aliquo pondere impeditur a proprio motu; hoc autem accidit ei metaphorice per tristitiam, quae contingit ex aliquo malo praesenti, quod quidem aggravat animum, in quantum impedit ipsum ne fruatur eo quod vult.

Et quando tristitia magna est impeditur etiam quandoque exterior motus corporis, ita quod homo remaneat stupidus in seipso, praesertim quando tristitia aufert spem evadendi.

Art. III. - *Utrum tristitia, vel dolor debilitet omnem operationem.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Si comparatur operatio ad tristitiam sicut ad id de quo est tristitia, sic tristitia quamlibet operationem impedit; si autem comparatur ad tristitiam sicut ad principium et causam, sic tristitia magis causat operationem.

R. PRIMI EST: quia illud quod cum tristitia facimus, nunquam ita bene facimus, sicut quod cum dilectatione vel sine tristitia operamur.

R. SECUNDI EST: quia quanto magis aliquis de re aliqua tristatur, tanto magis conatur ad expellendam tristitiam: dummodo remaneat spes expellendi.

Art. IV. - *Utrum tristitia magis noceat corpori quam aliae animae passiones.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Tristitia maxime infert corpori nocementum.

R. EST: quia tristitia quam maxime repugnat vitali cordis motioni *secundum speciem*; impediatur enim per tristitiam *processus* motionis vitalis, quae a corde procedit. Aliae passiones, quae important appetitus ad prosequendum aliquid, sicut amor, gaudium et desiderium possunt nocere vitali cordis motioni *secundum mensuram* per excessum, inquantum excedunt mensuram motionis; aliae passiones, quae important morum appetitus cum fuga vel retractione, repugnant vitali cordis motioni *secundum speciem*, sicut timor, desperatio, et tristitia; sed maxime tristi-

tia, quia est de malo *praesenti*. Unde, « *spiritus tristis exsiccat ossa* » (Prov, xvii, 22); et Prov. xxv, 20: *Sicut tinea vestimento, et vermis ligno, ita tristitia viri nocet corpori*; et Eccli. xxxviii, 19: *A tristitia festinat mors*.

QUAESTIO XXXVIII

De remediis tristitiae seu doloris

Deinde considerandum est de remediis doloris, seu tristitiae; et circa hoc quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum dolor vel tristitia mitigetur per quamlibet delectationem.*

RESP. AFF. – R. EST: quia delectatio sic se habet ad tristitiam, sicut quies in corporibus ad fatigationem; delectatio est enim quies appetitus in bono convenienti, tristitia vero est ex eo quod repugnat appetitui, et quamdam fatigationem seu aegritudinem appetitus importat. Fatigatio autem per quietem mitigatur vel aufertur.

NOTANDUM: Licet non omnis delectatio contrarietur omni tristitiae secundum speciem, contrariatur tamen secundum genus, ut supra dictum est (q. xxxv, art. 4, ad 2m); et ideo ex parte dispositionis subjecti quaelibet tristitia per quamlibet delectationem mitigari potest (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum dolor vel tristitia mitigetur per fletum.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Lacrymae et gemitus naturaliter mitigant tristitiam.

PRIMA R. EST: quia omne nocivum interius clausum magis affligit, quia magis multiplicatur intentio animae circa ipsum; sed quando ad exteriora diffunditur, tunc animae intentio ad exteriora quodammodo disgregatur, et sic interior dolor minuitur.

SECUNDA R. EST: quia semper operatio conveniens homini secundum dispositionem in qua est, sibi est delectabilis: fletus autem et gemitus sunt quaedam operationes convenientes tristato seu dolenti.

Art. III. – *Utrum dolor et tristitia mitigentur per compassionem amicorum.*

RESP. AFF. – PRIMA R. EST: quia cum aliquis videt de sua tristitia alios contristatos, fit ei quasi quaedam imaginatio quod illud onus (tristitiae) alii cum ipso ferant; et ideo levius fert tristitiae onus, sicut etiam in portandis oneribus corporalibus contingit.

SECUNDA R. (et melior) EST: quia per hoc quod amici contristantur ei, percipit se ab eis amari; quod est delectabile; causa autem amoris magis delectat.

Art. IV. – *Utrum per contemplationem veritatis dolor et tristitia mitigentur.*

RESP. AFF. – R. EST: quia in contemplatione veritatis maxima delectatio consistit (q. xxxl, art. 5). Unde tanto magis contemplatio veritatis mitigat tristitiam et dolorem, quanto perfectius aliquis est amator sapientiae.

NOTANDA: 1. – Scientia causat dolorem ex parte rerum cognitarum vel propter difficultatem et defectum inveniendae veritatis, vel propter hoc quod per scientiam homo cognoscit multa quae voluntati contrariantur: ex parte tamen contemplationis veritatis causat delectationem (Ad 1m).

2. – In viribus animae fit redundantia a superiori ad inferius; et secundum hoc delectatio contemplationis, quae est in superiori parte, redundat ad mitigandum etiam dolorem, qui est in sensu (Ad 3m).

Art. V. – *Utrum dolor et tristitia mitigentur per somnum et balnea.*

RESP. AFF. – R. EST: quia somnum et balnea et hujusmodi reformant naturam corporalem in debitum statum vitalis motionis, et sic tristitiam mitigant, quae tali vitali motioni corporis repugnat (q. xxxvii, art. 4).

QUAESTIO XXXIX

De bonitate et malitia tristitiae, seu doloris

Deinde considerandum est de bonitate et malitia tristitiae vel doloris; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum omnis tristitia sit mala.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Quamvis tristitia omnis secundum se mala sit, inquantum impedit quietem appetitus in bono; tamen bona est tristitia, qua quis de malo tristatur opere.

R. EST: quia, ad bonitatem pertinet ut, supposita praesentia mali, sequatur tristitia vel dolor; nam, non sentire malum, vel non reputare ipsum sibi repugnans, est manifeste malum, sicut patet in corpore.

Art. II. – *Utrum tristitia possit esse bonum honestum.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Secundum illam rationem qua tristitia est bona.

R. EST: quia omne bonum honestum procedit ex rectitudine rationis et voluntatis; sic etiam tristitia bona, quae talis est secundum cognitionem et recusationem mali.

Art. III. - *Utrum tristitia possit esse bonum utile.*

RESP. AFF. - *Scil.*: tristitia de malo quod est fugiendum; de malo praesens non est quaestio, cum non possit non esse praesens.

R. EST: quia tristitia in malo fugiendo geminatur fugiendi causa: tristitia de malo enim facit ut malum (quod jam per se ipsum fugiendum est) vehementer fugiatur; sicut delectatio de bono facit ut bonum avidius quaeratur.

Art. IV. - *Utrum dolor corporis sit summum malum.*

RESP. NEG. - *Scil.*: Nulla tristitia seu dolor potest esse summum hominis malum; sive: a) tristitia sit de vero malo; b) sive sit de apparenti malo, quod est vere bonum.

R. PRIMI EST: quia semper habetur aliquid pejus quam tristitia de vero malo, scil: ipsum malum non judicare ut malum, vel ipsum non refutare.

R. SECUNDI EST: quia semper pejus esset omnino alienari a *vero* bono.

DE PASSIONIBUS IRASCIBILIS *

Consequenter considerandum est de passionibus irascibilis; et primo de spe et desperatione; secundo de timore et audacia; tertio de ira.

QUAESTIO XL

De spe et desperatione

Circa spem et desperationem quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum spes sit idem quod desiderium vel cupiditas.*

RESP. NEG. - R. EST: quia inter qualitates objectispei illa est, quod objectum spei sit arduum

* Vide « Divisionem Schematicam ». - Tab. XIII.

cum difficultate adipiscibile; non enim aliquis dicitur aliquid sperare minimum, quod statim est in sua potestate ut habeat: et per hoc differt spes a desiderio vel cupiditate, quae est de bono futuro absolute; unde pertinet ad concupiscibilem, spes autem ad irascibilem.

NOTANDUM: Circa objectum spei quatuor conditiones attenduntur: quod sit *a)* de bono; contra timorem, qui est de malo; *b)* de bono futuro; contra gaudium, quod est de bono praesenti; *c)* de bono arduo; contra desiderium vel cupiditatem, quae est de bono futuro absolute; *d)* de bono adipiscibili; contra desperationem, quae propter hoc est desperatio. (In corp. art.).

Art. II. – *Utrum spes sit in vi apprehensiva, an in vi appetitiva.*

RESP.: ad vim appetitivam pertinet.

R. EST: quia spes importat extensionem appetitus in bonum; est autem spes motus animi sequens apprehensionem boni futuri, ardui, possibilis adipisci: motus autem ad rem ad appetitum proprie pertinet; vis, e contra, apprehensiva perficitur secundum quod res cognitae sunt in cognoscente.

NOTANDA: 1.– Quia spes respicit ad bonum possibile, insurgit dupliciter homini motus spei, sicut dupliciter est aliquid ei possibile, scil. secundum propriam virtutem, et secundum virtutem alterius. Quod ergo aliquis sperat adipisci per propriam virtutem dicitur sperare tantum; quod sperat ex auxilio virtutis alienae dicitur proprie expectare, quasi ex alio sperare (Ad 1m).

2. – Motus spei sequens aestimationem et fidem se posse adipisci illud quod homo desiderat, *fiducia* nominatur, sicut effectus ex causa magis nota (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum spes sit in brutis animalibus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia si canis videat leporem, aut accipiter avem nimis distantem (et sic de aliis animalibus brutis), non movetur ad ipsam, quasi non sperans se eam posse adipisci; si autem sit in propinquo, movetur quasi sub spe adipiscendi. Interiores autem passionibus animalium ex exterioribus motibus deprehendi possunt. Talis autem motus in animalibus est ex apprehensione cujus ratio est in intellectu separato, qui naturam instituit. Sic dicendum est etiam de desperatione.

NOTANDUM: Quamvis bruta animalia non cognoscant futurum; tamen ex instinctu naturali movetur animal ad aliquid futurum, ac si futurum praevideret; hujusmodi enim instinctus est eis inditus ab intellectu divino praevidente futura (Ad 1m); unde licet id quod est futurum non cadat sub visu, tamen ex his quae videt animal in praesenti, movetur ejus appetitus in aliquod futurum vel prosequendum vel vitandum (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum spei contrarietur desperatio.*

RESP. AFF. - *Scil.:* inter spem et desperationem est contrarietas secundum accessum et recessum respectu ejusdem termini, quae contrarietas in passionibus irascibilis invenitur; (in passionibus autem concupiscibilis est contrarietas secundum accessum ad contrarios terminos tantum; sicut amor ad bonum, odium accessum ad malum).

R. EST: quia objectum spei, prout consideratur cum possibilitate adipiscendi, habet rationem attractivi; objectum autem desperationis est sine hac possibilitate, et habet rationem repulsivi; quia ut dicitur (Ethic, lib. iii, cap. 3): « cum ventum fuerit ad aliquid impossibile, tunc homines discedunt ». - Unde, desperatio non im-

portat solam privationem spei sed importat quemdam recessum a re desiderata propter aestimationem impossibilitatem adipiscendi (Ad 3m).

Art. V. – *Utrum causa spei sit experientia.*

RESP. AFF. – R. EST: cum quia per experientiam homo acquirit facultatem aliquid de facili faciendi, tum quia per experientiam, sicut per doctrinam et persuasionem, fit homini existimatio quod aliquid sit sibi possibile, quod impossibilem ante experientiam reputabat. – In hoc tamen secundo casu potest experientia causam defectus spei fieri; quia per experientiam potest fieri homini existimatio quod aliquid non sit sibi possibile, quod possibile existimabat. – Unde, in senibus est defectus spei propter experientiam, inquantum experientia facit existimationem impossibilis. Et propter hoc « multa eis eveniunt in deterius » (Ad 2m). – E contra, stultitia et inexperientia possunt esse causa spei quasi per accidens, removendo scil. scientiam, per quam vere existimatur aliquid esse non possibile. Unde ea ratione inexperientia est causa spei, qua experientia est causa defectus spei (Ad 3m).

Art. VI. – *Utrum in juvenibus et in ebriosis abundet spes.*

RESP. AFF. – R. EST: a) quia iuvenes multum habent de *futuro*, et parum de praesenti; b) caliditatem naturae habent, et propter hoc multos spiritus; et ita in eis cor ampliatur, ut sic ad *ardua* tendant; c) non sunt passi repulsam, nec experti impedimenta in suis conatibus, consequenter de facili reputant aliquid sibi *possibile*. Haec duo ultima etiam in ebriis et in stultis habentur, in quibus est spes, et iterum inconsideratio periculorum vel defectuum.

Art. VII. - *Utrum spes sit causa amoris.*

RESP. AFF, - *Scil.* : inquantum bonum arduum fit nobis possibile, non per nos, sed per alios.

R. EST: quia ex hoc quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movetur in ipsum sicut in bonum nostrum; et sic incipimus eum amare. - Inquantum autem spes est de bono sperato, sic supponit amorem; non enim est spes nisi de bono desiderato et amato. Item, amor est causa spei per accidens, inquantum ex amore nostro ad aliquem speramus ab ipso redamari.

Art. VIII. - *Utrum spes conferat ad operationem, vel magis impediat.*

RESP.: Spes magis confert ad operationem, quam impedit.

PRIMA R. EST ex objecto spei, quod est bonum arduum possibile: quia existimatio ardui excitat attentionem; existimatio vero possibilis non retardat conatum; unde sequitur quod homo intense operatur per spem.

SECUNDA R. EST ex effectu: quia spes causat delectationem, quae adjuvat operationem. - In aliquibus casibus particularibus spes impedit operationem per accidens, inquantum causat tristitiam (Ad 2m).

DE TIMORE

Consequenter considerandum est primo de timore, et secundo de audacia. Circa timorem consideranda sunt quatuor: primo de ipso timore; secundo de objecto ejus; tertio de causa ipsius; quarto de effectu. Circa primum quaeruntur quatuor:

QUAESTIO XLI

De timore secundum se

Art. I. – *Utrum timor sit passio animae.*

RESP. AFF. – *Scil.* : inter caeteros animae motus post tristitiam timor magis rationem obtinet passionis.

R. EST: quia propriissime passiones dicuntur illae quae important transmutationem aliquam corporalem cum aliquo nocumento. Timor autem est motus animae de malo futuro, qui contractionem cordis facit; tamen non ita nocet sicut tristitia, quae est de malo praesenti. – De gradibus passionum videatur q. xxii, art. i.

Art. II. – *Utrum timor sit specialis passio.*

RESP. AFF. – R. EST: quia timor habet specialem objectum, a quo speciem recipit, scil. malum futurum, difficile, cui resisti vix potest. – Consequenter timor nullo modo est in concupiscibili, quia non respicit malum absolute; sed est in concupiscibili prout passiones irascibilis a passionibus concupiscibilis derivantur, et ad eas terminantur, sicut jam dictum est (q. xxv, art. 1), sic timor est ex fuga mali, quae est ex desiderio boni; et terminatur timor ad tristitiam, quia objectum timoris est contristans. (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum sit aliquis timor naturalis.*

RESP. NEG. – R. EST: quia timor ut passio est de malo contristativo, quod non repugnat naturae, sed desiderio appetitus; et talis timor non est naturalis, quia non invenitur in rebus inanimatis, supponit enim apprehensionem. – Timor autem de malo corruptivo, quod natura refugit propter naturale desiderium essendi, est naturalis.

Unde, sicut amor, desiderium et (quodammodo) spes dicuntur etiam naturales propter inclinationem naturalem ad bonum, ita et timor, ut explicatum est. Tamen quaedam passiones nunquam naturales dicuntur, quia ad motus earum nullo modo sufficit inclinatio naturalis; et hoc, vel quia esse non possunt sine apprehensione, sicut delectatio et dolor seu tristitia; vel quia motus earum est contra rationem inclinationis naturalis, sicut ira, et ille timor qui refugit impenationem mali contrarii.

Art. IV. - *Utrum convenienter assignentur species timoris.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Secundum Damascenum, qui assignat sex species timoris secundum divisionem propriam objecti ipsius timoris, et sunt: segnities, erubiscentia, verecundia, admiratio, stupor et agonia.

R. EST: quia malum, sicut et bonum, considerari potest in hominis operatione et in exterioribus rebus. In operatione ipsius hominis potest duplex malum timeri: primo quidem labor aggravans naturam; et sic causatur *segnities*, cum scilicet aliquis refugit operari propter timorem excedentis laboris. Secundo turpitudine laedens opinionem; et sic si turpido timeatur in actu committendo, est *erubiscentia*; si autem sit de turpi jam facto, est *verecundia*. Malum autem quod in exterioribus rebus consistit, tripliciter potest excedere hominis facultatem ad resistendum. Primo ratione suae magnitudinis, cum aliquis considerat aliquod magnum malum, cuius exitum considerare non sufficit; et sic est *admiratio*. Secundo ratione dissuetudinis, quia scil. aliquod malum inconsuetum nostrae considerationi offer-

tur, et sic est magnum nostra reputatione; et hoc modo est *stupor*, qui causatur ex insolita imaginatione. Tertio modo ratione improvisionis, sicut futura infortunia timentur, et talis timor dicitur *agonia*.

QUAESTIO XLII

De objecto timoris

Deinde considerandum est de objecto timoris; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum objectum timoris sit bonum vel malum.*

RESP.: Timor primo et per se respicit malum sicut proprium objectum; respicit autem bonum secundum quod habet habitudinem ad bonum.

R. PRIMI EST: quia timor primo et per se quamdam fugam importat; fuga autem est a malo, sicut prosecutio est ad bonum.

R. SECUNDI EST: a) quia per malum privatur bonum, unde nulla est causa timendi, nisi ne amittatur bonum amatum, ut dicit S. Augustinus;— b) quia bonum potest esse *causa* timoris, in quantum scilicet aliquod bonum sua virtute potest inducere aliquod nocumentum in bono amato: sicut Deus in quantum potest infligere poenas vel spiritualis vel corporales: et per hunc etiam modum timetur potestas alicujus hominis, et similia.

Art. II. – *Utrum malum naturae sit objectum timoris.*

RESP. AFF. – R. EST: quia malum naturae est malum corruptivum, quod contrariatur naturae; sicut malum contristativum contrariatur volun-

tati: timor autem, ut diximus, provenit ex phantasia futuri mali corruptivi vel contristativi. - Tamen malum naturae si sit vel longe distans, vel sine spe evasionis praesens, non timetur: sic homines, qui sciunt omnes quod morientur, non timent mortem; et similiter illi qui sine spe ad mortem damnantur adhuc non timent, quia tunc malum non aestimatur ut futurum, sed ut jam praesens.

Art. III. - *Utrum timor sit de malo culpa.*

RESP. NEG. - R. EST: quia malum culpae causam habet voluntatem humanam; id autem quod subjacet potestati et voluntati nostrae non habet rationem timoris; timor enim est de malo arduo futuro, quod non potest de facili vitari. - Seducio tamen ad peccandum et mala consequentia peccatum cadunt sub ratione timoris, ut causae exteriores timoris.

Art. IV. - *Utrum timor ipse timeri possit.*

RESP. AFF. - *Scil.:* inquantum timor provenit ex causa extrinseca, non autem inquantum subjacet voluntati.

R. EST: quia illud solum habet rationem terribilis quod ex causa extrinseca provenit. Timor autem ut passio consequens phantasiam imminenti mali, potest considerari ut causa extrinseca timoris. Secundum hoc enim potest aliquis timere ne immineat ei necessitas timendi propter ingruentiam alicujus excellentis mali. - Timor autem subjacet voluntati, inquantum appetitus inferior obedit rationi, et secundum hoc non potest timeri.

Art. V. - *Utrum repentina magis timeantur.*

RESP. AFF. - R. EST: quia repentinum facit quod malum imminens majus appareat; omnia

enim corporalia et bona et mala, quanto magis considerantur, minora apparent. Secundo, insolitum et repentinum subtrahat remedia quae homo potest praeparare ad repellendum futurum malum, et secundum hoc auget debilitatem timentis, quod auget timorem.

Art. VI. – *Utrum ea contra quae non est remedium magis timeantur.*

RESP. AFF. – R. EST: quia mala quae postquam advenerint, non possunt habere remedium, vel non de facili, accipiuntur ut perpetua vel diuturna; et ideo maxime redduntur timenda.

QUAESTIO XLIII

De causa timoris

Deinde considerandum est de causa timoris; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum causa timoris sit amor.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non causa efficiens; sed per modum materialis dispositionis.

R. EST: quia amor non infert malum quod timeatur; sed amor est id per quod aliquid aestimatur malum quod timetur. Ex hoc enim quod aliquis amat aliquod bonum, sequitur quod privativum talis boni sit ei malum; et per consequens quod timeat ipsum tanquam malum. Unde timor per se nascitur ex amore (Ad 1m).

NOTANDUM: Timor per se et primo respicit malum quod refugit, et sic importat fugam; secundario vero et per accidens quandoque causat amorem, sicut si homo, qui timet puniri a Deo, servat mandata ejus; et sic incipit sperare, et spes introducit amorem (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum causa timoris sit defectus.*

RESP. AFF. - *Scil.*: non defectus ex parte causae efficientis timorem, sed ex parte dispositionis ejus qui timet, et cum aliqua mensura.

R. EST: quia illud quod causat timorem, si defectum habet, minorem timorem causat; nam, causa timoris ex hac parte non est defectus, sed virtus et robur, cujus effectus repelli non potest. E contra, defectus ex parte subjecti minuit virtutem qua aliquis de facili possit repellere imminens malum. Tamen hic defectus debet esse cum aliqua mensura, secus timor fit tristitia, quae est de majori malo, vel potest totaliter sensum mali auferre vel amorem boni, cujus contrarium timetur, sicut accidit in illis qui decapitantur, in quibus defectus excedit mensuram timoris (Ad 2m).

QUAESTIO XLIV

De effectibus timoris

Deinde considerandum est de effectibus timoris, et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum timor faciat contractionem.*

RESP. AFF. - R. EST: quia per motum timoris, qui ex apprehensione mali imminentis provenit, sentitur debilitas virtutis, quae quanto debilior est, tanto ad pauciora se extendit: et ideo ex ipsa imaginatione, quae causat timorem, sequitur quaedam contractio in appetitu, seu in vi appetitiva. Et secundam similitudinem hujus contractionis, quae pertinet ad appetitum animale, sequitur etiam in timore ex parte corporis (quod

est materiale passionis) contractio caloris et spirituum ad interiora; i. e. a corde ad inferiora (Ad 2m), seu ad nutritiva (art. 3, hujus quaes., ad 1m).

NOTANDUM: 1. - Quia per timorem fit contractio caloris non ad cor, sed a corde ad inferiora, sequitur quod timentes non promptly invadunt, sed magis refugiunt a malo. E contra, in iratis congregantur spiritus et calor circa cor; et sic irati redduntur prompti et audaces ad invadendum malum (Ad 1m). - Propter eandem rationem, timor contrariatur formationi vocis, quae fit per emissionem spirituum ad superiora per os; et propter hoc timor tacentes facit; et inde est etiam quod *timor trementes facit*, ut Philosophus dicit (in lib. de Problemat., problem. L 1). - In verecundia autem, anima, quasi in se contracta, magis vacat ad motionem spirituum et caloris; unde fit eorum diffusio ad exteriora; et propter hoc verecundati rubescunt. Malum autem quod verecundia timet, non opponitur naturae, sed solum appetitui animali; unde fit contractio secundum appetitum animale, non autem secundum naturam corporalem, sicut fit in periculo mortis, ubi timentes pallescunt (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum timor faciat consiliativos.*

RESP. AFF. - *Scil.*: secundum voluntatem seu sollicitudinem consiliandi, non vero secundum facultatem bene consiliandi.

R. PRIMI EST: quia quae timorem incutiunt, non sunt simpliciter mala, sed habent quamdam magnitudinem, tum ex eo quod apprehenduntur ut quae difficiliter repelli possunt, tum etiam quia apprehenduntur ut de prope existentia. Unde homines maxime in timoribus quaerunt consiliari.

R. SECUNDI EST: quia homini affecto secundum aliquam passionem videtur aliquid vel majus vel minus quam sit secundum rei veritatem. Et sic

ex defectu rectitudinis iudicii *qualibet* passio, quantum est de se, impedit facultatem bene consiliandi.

NOTANDUM: Timor facit magis conciliativos quam spes; quia spes est de bono, prout possumus ipsum consequi; timor autem de malo, prout vix repelli potest; et ita magis respicit rationem difficilis timor quam spes: in difficilibus autem, maxime in quibus nobis non confidimus, consiliamur, sicut dictum est supra (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum timor faciat tremorem.*

RESP. AFF. - R. EST: quia in timore fit quaedam contractio ab exterioribus ad interiora; et ideo exteriora frigida remanent; et propter hoc in eis accidit tremor, qui causatur ex debilitate virtutis continentis membra. Ad huiusmodi autem debilitatem maxime facit defectus caloris, *qui est instrumentum quo anima movet* (De anima, lib. II, text. 50).

NOTANDUM: Calor ab exterioribus ad interiora per timorem revocato, multiplicatur calor interiorius, et maxime versus inferiora, id est circa nutritivam; et ideo consumpto humido, consequitur sitis, et etiam interdum solutio ventris et urinae emissio, et quandoque etiam seminis, propter contractionem ventris et testiculorum (Ad 1m). - Item, timentibus maxime tremit cor, et membra quae habent aliquam connexionem ad pectus ubi est cor; quia in timore calor deserit cor, tendens a superioribus ad inferiora. Unde timentes maxime tremunt in voce, etc. (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum timor impediat operationem.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Ex parte instrumentorum corporalium, timor, quantum est de se, semper natus est impedire exteriorem operationem; sed ex parte animae, timor moderatus confert ad bene operandum.

R. PRIMUS EST: quia ex timore accidit in exterioribus membris defectus caloris (articulis praecedentibus).

R. SECUNDUS EST: quia tunc timor causat sollicitudinem, et facit hominem attentius consiliari et operari.

QUAESTIO XLV

De audacia

Deinde considerandum est de audacia; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum audacia sit contraria timori.* .

RESP. AFF. – *Scil.* : maxime distat a timore.

R. EST: quia timor refugit nocumentum futurum propter ejus victoriam super ipsum timentem; audacia vero aggreditur periculum imminens propter victoriam sui supra ipsum periculum.

NOTANDUM: Securitas non significat aliquid contrarium timori, sed solum timoris exclusionem; ille enim dicitur esse securus qui non timet. Unde securitas opponitur timori sicut privatio, audacia autem sicut contrarium; et sicut contrarium includit in se privationem, ita audacia securitatem (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum audacia consequatur spem.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ex hoc quod aliquis sperat superare terribile imminens, ex hoc audacter insequitur ipsum. – Ad timorem vero sequitur desperatio; ideo autem aliquis desperat, quia timet difficultatem quae est circa bonum sperandum.

Art. III. - *Utrum defectus aliquis sit causa audaciae.*

RESP. NEG. - *Scil.:* nisi forte per accidens sicut accidit apud ebrios.

R. EST: quia audacia consequitur spem, et contraiartur timori. Ea autem quibus, ex parte motus appetitivi, provatur spes causans audaciam, ut illa quae faciunt nos aestimare quod possibile sit adipisci victoriam, etc.; et ea quibus timor excluditur, puta quia homo non habet inimicos, et similia: non habent rationem defectus. Similiter ea quae spem causant ex parte transmutationis corporalis, vel timorem excludunt, per se non habent rationem defectus, quia sunt illa quae caliditatem faciunt circa cor, uti illi qui habent parvum cor, vel illi qui sunt vini amatores; in quibus magis provocatur audacia, non propter defectum, nisi per accidens, sed propter calorem cordis, qui dilatationem cordis facit. Unde nullus defectus causat audaciam, nisi per accidens, inquantum (defectus) habet adjunctam aliquam excellentiam vel veram vel aestimativam, vel ex parte alterius vel ex parte sui (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum audaces sint promptiores in principio quam in fine in ipsis periculis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia audacia sequitur apprehensionem sensitivae virtutis; virtus autem sensitiva non est collativa, nec inquisitiva singulorum quae circumstant rem, sed subitum habet iudicium. Unde audaces quando jam experiuntur ipsum periculum, sentiunt majorem difficultatem quam aestimaverunt; et ideo deficient. Ratio, e contra, est discursiva omnium.

NOTANDUM: Etiam in audacibus accidit tremor propter revocationem caloris ab exterioribus

ad interiora, sicut etiam in timentibus; sed in audacibus revocatur calor ad cor, in timentibus autem ad inferiora, ut dictum est in praecedentibus (Ad 1m).

DE IRA

Deinde considerandum est de ira: et primo de ira secundum se; secundo de causa factiva irae et remedio ejus; tertio de effectu ejus. Circa primum quaeruntur octo:

QUAESTIO XLVI

De ira secundum se

Art. I. – *Utrum ira sit passio specialis.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Secundum generalitatem quamdam.

R. EST: quia ira dici potest generalis in quantum ex concursu multarum passionum causatur; non enim insurgit motus irae, nisi propter aliquam tristitiam illatam, et nisi adsit desiderium et spes ulciscendi.

NOTANDUM: Vis irascibilis denominatur ab ira, non quia omnis motus hujus potentiae sit ira, sed quia ad iram terminantur omnes motus hujus potentiae, et inter alios motus iste est manifestior (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum objectum irae sit bonum vel malum.*

RESP.: Ira semper respicit duo objecta, quorum unum est bonum, alter malum.

R. EST: quia motus irae tendit in duo, scilicet in ipsam vindictam quam appetit et sperat sicut quoddam bonum, unde et de ipsa delectatur; tendit etiam in illum de quo quaerit vindictam,

sicut in contrarium et nocivum quod pertinet ad rationem mali; unde ira est passio quodammodo composita ex contrariis passionibus, et respicit objectum suum non simpliciter seu, ut dicitur, per modum incomplexi, sed per modum complexi.

Art. III. - *Utrum ira sit in concupiscibili.*

RESP. NEG. - R. EST: quia objectum irae non est bonum vel malum absolute, quod est objectum passionum concupiscibilis; sed arduitatem habet cum ex parte vindictae, tum ex parte illius de quo vindictam quaerit: quaecumque enim nihil sunt, aut modica valde, nullo modo digna (irae) aestimamus.

NOTANDUM: Ira dicitur crescere in odium, non quod eadem numero passio quae prius fuit ira, postmodum fiat odium per quamdam inveterationem; sed per quamdam causalitatem; ira enim per diuturnitatem causat odium (Ad 2m).

Art. IV. - *Utrum ira sit cum ratione.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Illa ira quae non tantum ex imaginatione procedit, sicut in animalibus brutis (art. VII, ad 1m).

R. EST: quia appetitus vindictae importat collationem poenae infligendae ad nocumentum sibi illatum, quod syllogismum importat.

NOTANDUM: Motus appetitivae virtutis potest esse cum ratione dupliciter: uno modo cum ratione *praecipiente*, et sic voluntas est cum ratione, unde dicitur appetitus rationalis; alio modo cum ratione *denuntiante*, et sic ira est cum ratione, ut manifestante injuriam (Ad 1m). - Sed ira non perfecte audit rationem (Ad 3m), quia iratus non perfecte audit imperium rationis.

Art. V. - *Utrum ira sit naturalior quam concupiscentia.*

RESP.: Ira est naturalior: a) non ex parte objecti; b) sed ex parte subjecti, et quidem: non secundum naturam hominis genericam; c) sed

secundum naturam specificam; et *d*) secundum complexionem individui.

R. PRIMI EST: quia ex parte objecti, concupiscentia, et maxime ciborum et venereorum, naturalior est quam ira, inquantum ista magis naturalia sunt quam vindicta.

R. SECUNDI EST: quia inquantum homo est animal naturalior concupiscit quam irascitur, prout concupiscentia magis necessaria est ad vitam animalem quam ira.

R. TERTII EST: quia homini ut animal rationale magis competit ira, quae est cum ratione, quam concupiscentia, quae est de se sine ratione.

R. QUARTI EST: quia habitudinem naturalem ad irascendum, quae est ex complexione individui, magis de facili sequitur ira quam concupiscentia, vel aliqua alia passio. Est enim homo dispositus ad irascendum, secundum quod habet cholericam complexionem. Unde dicit Philosophus (Ethic. lib. vii, c. 6) quod «ira magis traducitur a parentibus in filios quam concupiscentia».

NOTANDUM: Propter temperamentum suae complexionis homo non habet superexcellentiam neque irae neque alicujus alterius passionis. Alia animalia autem disponuntur ad excessum alicujus passionis, ut leo ad audaciam, canis ad iram, lepus ad timorem, et sic de aliis. Ex parte vero rationis est naturale homini et irasci, et mansuetum esse; secundum quod ratio quodammodo causat iram, inquantum nuntiat causam irae; et quodammodo sedat iram, inquantum iratus non totaliter audit imperium rationis (Ad 1m).

Art. VI. – *Utrum ira sit gravior quam odium.*

RESP. NEG. – *Scil.*: Odium multo deterius et gravius est quam ira.

R. EST: quia odians appetit malum inimici, inquantum est malum; iratus autem appetit malum ejus contra quem irascitur, non inquan-

tum est malum, sed inquantum habet quamdam rationem boni, scilicet prout aestimat illud esse justum, inquantum est (malum) vindicativum. Manifestum est autem quod appetere malum sub ratione justī, minus habet de ratione mali, quam velle malum simpliciter; imo, velle malum sub ratione justī, potest esse etiam secundum virtutem justitiae.

NOTANDUM: Multipliciter differt ira ab odio: 1. Utrumque objectum odii, secundum modum complexi (art. II hujus quaes.), est malum, vult enim malum alicui tanquam cuidam inconvenienti; unum objectum vero irae est semper bonum. - 2. Cum odium appetat malum alterius secundum se, nulla mensura mali satiatur; unde dicit Eccli. xii, 16: *Inimicus, si invenerit tempus non satiabitur sanguine*. Ira, e contra, tunc miseretur, si malum illatum excedit mensuram justitiae secundum aestimationem irascentis. Quantum autem ad intensionem desiderii, ira magis excludit misericordiam quam odium, propter cholerae inflammationem, sed statim subditur (Ad 1m). - 3. Iratus hoc appetit ut ille cui nocumentum infert, percipiat, et doleat, et quod cognoscat, propter injuriam illatam sibi hoc provenire. Sed odiens de hoc nihil curat, quia appetit malum alterius, inquantum hujusmodi (Ad 2m). - 4. Odium provenit ex permanentiori causa quam ira. Nam ira provenit ex aliqua commotione animi propter laesionem illatam; sed odium procedit ex aliqua dispositione hominis, secundum quam reputat sibi contrarium et nocivum id quod odit: unde odium est magis insanabile quam ira. (Ad 3m).

Art. VII. *Utrum ira sit ad illos solum ad quos est justitia.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ira appetit malum, inquantum habet rationem justī vindicativi.

NOTANDUM: Ira ad res inanimatas exurgit in nobis ex imaginatione tantum nuntiante laesionem. Item dicendum de ira contra mortuos; quia ipsi non dolent (Ad 1m). Item, per se non contingit aliquem sibi irasci, sed metaphoricē (Ad 2m).

Art. VIII. – *Utrum convenienter assignentur species irae.*

RESP. AFF. – *Scil.* : *fel*, mania et furor; quae sumuntur secundum ea quae dant irae aliquod augmentum.

R. EST: quia augmentum irae contingit tripliciter: a) ex facilitate ipsius motus, et talis ira est *fel*, quia cito accenditur; b) ex tristitia causante iram, et haec est *mania*, quae a manendo dicitur, quia diu in memoria manet; c) ex appetitu vindictae, et haec pertinet ad *furorem*, qui nunquam quiescit donec puniat. Philosophus vocat primos *acutos*, alios *amaros*, et ultimos *difficiles*. – *Excandescencia* pertinet ad primam speciem (Ad 2m).

QUAESTIO XLVII

De causa effectiva irae, et de remediis ejus

Deinde considerandum est de causa effectiva irae, et de remediis ejus; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum semper motivum irae sit aliquod factum contra eum qui irascitur.*

RESP. AFF. – R. EST: quia vindicta locum non habet nisi ubi praecessit injuria; nec injuria omnis ad vindictam provocat, sed illa sola quae ad eum pertinet qui appetit vindictam. Contra illos autem qui aliis nocent irascimur et vindictam appetimus, quia aliquo modo ad nos pertinent vel per aliquam affinitatem, vel amicitiam, vel saltem per communicationem naturae (Ad 2m).

NOTANDUM: Ira non dicitur in Deo secundum passionem animi, sed secundum iudicium iustitiae, prout vult vindictam facere de peccato. Peccator enim peccando Deo nihil nocere effective potest. Tamen ex parte sua dupliciter contra Deum

agit: primo quidem inquantum eum in suis mandatis contemnit; secundo inquantum nocumentum aliquod infert alicui, vel sibi, vel alteri; quod ad Deum pertinet, prout ille cui nocumentum infertur, sub Dei providentia et tutela continetur (Ad 1m); sic Deus dicitur irasci contra homines propter peccata, secundum illud Psal. cv, 40: *Ira-tus est furore Dominus in populum suum.*

Art. II. - *Utrum sola parvipensio vel despectio sit motivum irae.*

RESP. AFF. - *Scil.* : Omnes causae irae reducuntur ad parvipensionem.

R. EST: quia justa vindicta non fit nisi de eo quod est injuste factum; et ideo provocativum ad iram semper est aliquid sub ratione injusti. Injustum autem seu nocumentum tripliciter contingit alicui inferri: ex ignorantia, ex passione et ex electione. Agere autem aliquid ex ignorantia, vel passione diminuit rationem injuriae; et est quodammodo provocativum misericordiae et veniae. E contra, illi qui ex industria nocumentum inferunt, *ex contemptu* peccare videntur; et ideo contra eos maxime irascimur. - Alia R. est: quia ex omnibus bonis nostris aliquam excellentiam quaerimus; et ideo quodcumque nocumentum nobis infertur, inquantum excellentiae derogat, videtur ad parvipensionem pertinere.

NOTANDA: 1. - Animal brutum non appetit honorem sub ratione honoris, appetit tamen naturaliter quamdam excellentiam, et ideo irascitur contra ea quae illi excellentiae derogant (Ad 2m).

2. - Oblivio, exultatio in aliorum infortuniis, privata denuntiatio malorum, impedimentum consequendae propriae voluntatis, et similia, quae iram provocant, ad contemptum et parvipensionem reducuntur (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum excellentia irascentis sit causa irae.*

RESP. AFF. - *Scil.* : secundum habitudinem ad motivum irae; non vero ex parte dispositionis.

R. EST: quia quanto aliquis est excellentior, injustius parvipenditur in hoc in quo excellit; et ideo illi qui sunt in aliqua excellentia, maxime irascuntur, si parvipendantur. – Ex parte dispositionis autem quae in eo relinquitur ex tali motivo, magis despectus seu infirmitas ejus quam excellentia, causat iram; ea enim quae ad defectum pertinent, maxime sunt contristantia, quia homines defectibus subjacentes facilius laeduntur: et ista est ratio quare infirmi facilius irascuntur; quia facilius contristantur.

Art. IV. – *Utrum defectus alicujus sit causa ut contra eum facilius irascamur.*

RESP. AFF. – *Scil.*: Defectus vel parvitas ejus contra quem irascimur iram augmentat.

R. EST: quia auget *indignam* despectionem ex parte illius qui injuriam infert. – Aliquando tamen parvitas vel defectus diminuit indignam despectionem; et talis defectus seu parvitas non auget, sed diminuit iram: sic illi qui poenitent de injuriis factis, et humiliantur, et veniam petunt, mitigant iram; inquantum scilicet tales videntur non despiciere, sed magis magnipendere eos quibus se humiliant.

QUAESTIO XLVIII

De effectibus irae

Deinde considerandum est de effectibus irae; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum ira causat delectationem.*

RESP. AFF. – *Scil.*: inquantum tristitia se habet sicut principium ad iram, delectatio sicut effectus et terminus.

R. EST: quia motus irae insurgit ex aliqua illata injuria *contristante*, cui quidem tristitiae remedium adhibetur per vindictam. Et ideo ad praesentiam vindictae delectatio sequitur, et tanto major quanto major fuit tristitia.

Art. II. - *Utrum ira maxime causet fervorem in corde.*

RESP. AFF. - R. EST: quia motus irae non est per modum retractionis, cui proportionatur frigus, sed magis per modum insecutionis, cui proportionatur calor; consequenter fit motus irae causativus cujusdam fervoris sanguinis et spirituum circa cor, quod est instrumentum passionum animae. Potissime enim tendit ira ad repellendam injuriam per appetitum vindictae.

NOTANDA: 1. - Sic describitur fervor irae a S. Greg. M. (Mor. lib. v. c. 30): « Irae suae stimulus accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se praepedit, facies ignescit, exasperantur oculi, et nequaquam recognoscuntur noti; ore quidem clamorem format, sed sensus quid loquatur ignorat ». (In corp. art.).

2. - En quomodo distinguitur fervor amoris a fervore irae: « Fervor amoris est cum quadam dulcedine et lenitate, est enim in bonum amatum; et ideo assimilatur calori aeris et sanguinis; propter quod sanguinei sunt magis amativi; et dicitur quod cogit amare jecur, in quo fit quaedam generatio sanguinis. Fervor autem irae est cum amaritudine ad consumendum, quia tendit ad punishmentem contrarii; unde assimilatur calori ignis et cholerae » (Ad 1m). Unde, sicut ignis magnus cito extinguitur, consumpta materia, ita etiam ira propter suam vehementiam cito deficit (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum ira maxime impediatur rationis usum.*

RESP. AFF. - *Scil.*: non ex parte motus passionis qui est cum ratione, ut dictum est; sed ex parte transmutationis corporalis.

R. EST: quia ira maxime facit perturbationem corporalem circa cor, ita ut etiam usque ad exteriora membra derivetur. Unde, homo iratus in loquendo non potest discernere quid sit occultandum et quid manifestandum, nec etiam excogitare occultandi vias; quod etiam partim accidit ex ampliacione cordis, quae pertinet ad magnanimitatem, quam facit ira (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum ira maxime causet taciturnitatem.*

RESP. AFF. – *Scil.*: Cum in quantum est cum ratione, tum in quantum impedit rationem si sit valde vehemens.

R. PRIMI EST: quia ex parte rationis, aliquando ira, perturbato animo, quasi ex iudicio silentium ducit, ut dicit Greg.

R. SECUNDI EST: quia perturbatio irae usque ad exteriora membra perducitur; et maxime ad illa membra in quibus expressius relucet vestigium cordis, sicut in oculis, et in facie, et in lingua. Potest igitur esse tanta perturbatio irae, quod omnino impediatur lingua ab usu loquendi, vel etiam mortem causare potest. – Si autem non fuerit tanta perturbatio, tunc ex superabundantia perturbationis cordis sequitur oris locutio (Ad 3m).

DE HABITIBUS

Post actus et passiones considerandum est de principiis humanorum actuum; et primo de principiis intrinsicis; secundo de principiis extrinsecis. Principium autem intrinsicum est potentia et habitus. Sed quia de potentia in prima parte dictum est (quaes. lxxvii), nunc restat de habitibus considerandum. Et primo quidem in generali; secundo vero de virtutibus et vitiis, et hujusmodi aliis habitibus, qui sunt humanorum actuum principia.

Circa ipsos autem habitus in generali quatuor consideranda sunt: 1. quidem de ipsa substantia habituum; 2. de subjecto eorum; 3. de causa generationis, augmenti et corruptionis ipsorum; 4. de distinctione ipsorum. – Circa primum quaeruntur quatuor.

QUAESTIO XLIX

De habitibus in generali, quoad eorum substantiam

Art. I. – *Utrum habitus sit qualitas.*

RESP. AFF. – *Scil.:* non prout *habitus* dicitur ab habendo secundum quod homo vel quaecumque alia res dicitur aliquid habere; sed secundum quod aliqua res aliquo modo habet se in se ipsa, vel ad aliquid aliud.

R. PRIMI EST: quia sic habitus est commune ad diversa genera et ponitur inter *postpraedicamenta*, vel se habet ad ea quae considerantur ut unum genus, et dicitur *praedicamentum*. De his autem nunc non loquimur.

R. SECUNDI EST: quia prout res aliqua se habet in se ipsa vel ad aliud, iste modus se habendi est secundum aliquam qualitatem; et hoc modo habitus quaedam qualitas est; unde habitus dicitur « dispositio secundum quam bene vel male disponitur dispositum aut secundum se aut ad aliud ».

NOTANDA: 1. – *Habitus* (seu *habere*) secundum quod commune est ad diversa genera, ponitur inter *Postpraedicamenta*; ut *praedicamentum* intelligitur ut aliquid medium inter habens et id quod habet: sicut « inter habentem indumentum, et indumentum quod habetur, est habitus medius ».

2. – *Dispositio* semper importat ordinem alicujus habentis partes, et est triplex: a) secundum *locum*,

et hoc pertinet ad praedicamentum situs, qui est ordo partium in loco; b) secundum *potentiam*, quae includit illas dispositiones quae sunt in praeparatione et idoneitate nondum perfecte, sicut scientia et virtus inchoata; c) secundum *speciem*, quae includit perfectas dispositiones, quae dicuntur *habitus*, de quibus nunc loquimur, sicut habitus scientiae et virtutis complete (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum habitus sit determinata species qualitatis.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Habitus (et dispositio) est prima species qualitatis, non secundum assignationem Simplicii, sed Aristotelis.

R. EST: quia habitus (et dispositio) est modus sive determinatio subjecti secundum esse accidentale in ordine ad ipsam naturam subjecti; natura autem est id quod primum consideratur in re. Aliae autem dispositiones subjecti secundum esse accidentale sunt: vel secundum actionem et passionem, quae consequuntur principia naturae, quae sunt materia et forma: et sic habentur secunda et tertia species qualitatis, scil. potentia et impotentia, passio et patibilis qualitas; vel secundum quantitatem, et sic habetur quarta species qualitatis, scil. forma et figura. Simplicius autem assignabat species qualitatis non ex modo sive determinatione ad subjectum, secundum definitionem qualitatis; sed ponebat habitum et dispositionem tanquam qualitates *adventitiae*, aliae autem species tanquam *naturales*: quae distinctio inconueniens est, quia dispositiones possunt esse etiam naturales, et multae figurae et qualitates passibiles possunt esse adventitiae.

NOTANDA: 1. – *Qualitas* importat modum substantiae, (*modus* autem est quem mensura praefigit). Id secundum quod determinatur potentia materiae secundum esse substantiale, dicitur qua-

litas (substantialis), quae est differentia substantiae, et id secundum quod determinatur potentiam subjecti secundum esse accidentale, dicitur qualitas accidentalis, quae est etiam quaedam differentia: species qualitatis de quibus hic loquimur, sunt qualitates accidentales (In corp. art.).

2. - Quarta species qualitatis (forma et figura) non habet rationem facilis vel difficilis, boni vel mali, cito transientis aut diuturni, quia est sine motu et sine ratione boni et mali; Secunda et Tertia species, cum sint secundum actionem et passionem, habent rationem facilis et difficilis, cito transientis aut diuturni, sed non habent rationem boni vel mali; Prima autem Species (Habitus et Dispositio) habet rationem facilis et difficilis mobili et etiam rationem boni vel mali; quia, cum respiciat naturam rei (subjecti), dicit ordinem ad finem, secundum quod aliqua natura est finis generationis et motus. Et ideo *habitus est dispositio (firma) secundum quam aliquis bene vel male disponitur, vel habitus sunt secundum quod ad passiones nos habemus bene vel male*. Est habitus bonus quando est conveniens naturae rei, secus est malus (In corp. art.).

3. - Differentia «difficile mobile» diversificat habitum a dispositione. Dispositio proprie dicta dividitur contra habitum dupliciter: Primo, prout dispositio imperfecte inest, et de facili amittitur; habitus vero perfecte inest, et non de facili amittitur: sic dispositio et habitus sunt in eadem specie, et dispositio *fit* habitus, sicut puer fit vir; - Secundo, prout dispositio habet causam transmutabilem, habitus vero habent causam immobilem; unde dispositio de facili amittitur, et habitus non de facili transmutatur: et secundum hoc dispositio et habitus non sunt ejusdem speciei, sed diversarum specierum unius generis subalterni; et secundum hoc dispositio *non fit* habitus (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum habitus importet ordinem ad actum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* consequenter sed principaliter.

R. EST: quia habitus, ut dictum est (art. antec.), dicit ordinem ad naturam, prout est ei conveniens

vel non; natura autem et ratio potentiae est, ut sit principium actus. Unde habitus qui est alicujus potentiae ut subjecti, principaliter importat ordinem ad actum.

NOTANDUM: Non est de ratione habitus quod respiciat potentiam (nisi ex consequenti), sed quod respiciat naturam. Et quia natura praecedit actionem, quam respicit potentia, ideo prior species qualitatis ponitur habitus quam potentia (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum sit necessarium esse habitum.*

RESP. AFF. – *Scil. :* Ibi necessarium est esse habitum, ubi requiritur quod plura concurrant ad disponendum subjectum ad unum eorum ad quae est in potentia, quae diversis modis commensurari possunt; ut sic disponatur bene vel male ad formam vel ad operationem.

R. EST: quia talis dispositio, si est firma, fit per habitum. Habitus enim est dispositio; et dispositio est «ordo habentis partes vel secundum locum, vel secundum potentiam, vel secundum speciem», ut supra dictum est (art. 1 hujus quae ad 3m).

NOTANDUM: Sequitur ex hoc quod ubi non est distinctio potentiae et actus, vel ubi id cujus substantia est sua operatio, vel cujus esse est propter seipsum, ibi non est habitus, sicut patet in Deo. Similiter, ibi non est habitus ubi aliquid non est in potentia nisi ad unum, sicut patet in multis rebus naturalibus (In corp. art.).

QUAESTIO L

De subjecto habituum

Deinde considerandum est de subjecto habituum; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum in corpore sit aliquis habitus.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) prout habitus dicit ordinem ad operationem, sic non est in corpore

nisi secundario; b) prout dicit ordinem ad formam sic est in corpore, sed non perfecte.

R. PRIMI EST: quia omnis operatio corporis aut est a naturali qualitate corporis, aut ab anima movente corpus: operatio naturalis corporis est determinata ad unum, ut supra diximus (quaes. praec., art. 4); si operatio est ex anima per corpus, habitus principaliter est ipsius animae; quia habitus proportionantur operationibus; secundario vero est (habitus) in corpore, inquantum corpus disponitur et habilitatur ad prompte deserviendum operationibus animae.

R. SECUNDI EST: quia corpus comparatur ad animam ut subjectum ad formam; unde in ipso est *habitualis dispositio* ad sanitatem, pulchritudinem, et hujusmodi, quae tamen de facili transmutabiles sunt, propter mobilitatem subjecti; unde non perfecte habent rationem habitus, nec dicuntur simpliciter habitus, sicut dicuntur illi qui sunt animae (Ad 2m).

NOTANDUM: Differunt qualitates primae speciei ab illis tertiae speciei; quia habitus et dispositio primo et per se non important alterationem in subjecto, dum hoc faciunt passio et patibilis qualitas: passio quidem si est motus cito transiens, patibilis qualitas si trasmutationes corporales sunt permanentes. (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum anima sit subjectum habitus secundum suam essentiam, vel secundum suam potentiam.*

RESP.: Habitus sunt in anima secundum suam potentiam in ordine ad operationes; inquantum autem habitus dicunt ordinem ad naturam, non possunt esse in essentia animae, nisi respectu ad naturam superiorem.

R. PRIMI EST: quia anima est principium operationum per potentias, per quas ad multas operationes se habet.

R. SECUNDI EST: quia ipsa anima est forma completiva humanae naturae; unde non se habet ut subjectum disponendum ad aliquid aliud, sed sicut forma ad quam aliquis disponitur: et secundum hoc magis potest esse aliquis habitus vel dispositio in corpore per ordinem ad animam, quam in anima per ordinem ad corpus. – Sed respectu ad naturam superiorem, cujus homo potest particeps esse, sec. illud II. Pet. I., 4: *Ut simus consortes naturae divinae*, sic nihil prohibet in anima secundum suam essentiam esse aliquem habitum, scilicet gratiam, ut infra dicitur (quaes. cx, a. 4).

NOTANDUM: Accidens per se non potest esse subjectum accidentis. Sed quia in ipsis accidentibus est ordo quidam, subjectum, secundum quod est sub uno accidente, intelligitur esse subjectum alterius; et sic dicitur unum accidens esse subjectum alterius, ut superficies est subjectum coloris; et hoc modo potest potentia esse subjectum habitus (ad 2m). Talis habitus autem non dicit ordinem ad naturam sed ad operationem, et est potentia posterior (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum in potentiis sensitivae partis possit esse aliquis habitus.*

RESP. AFF. – *Scil.*: non prout operantur ex instinctu naturae; sed secundum quod operantur ex imperio rationis.

R. PRIMI EST: quia sic ordinantur ad unum.

R. SECUNDI EST: quia sic ad diversa ordinari possunt, ad quae bene vel male possunt disponi.

NOTANDA: 1. – In brutis animalibus habitus quodammodo poni possunt, inquantum scil. a ratione hominis per quamdam consuetudinem disponuntur ad aliquid operandum; sed materialiter tantum, quia non habent dominium sui actus. (Ad 2m).

2. - Appetitus sensitivus natus est moveri ab appetitu rationali, et in viribus sensitivis *appetitivis* non sunt habitus, nisi secundum quod operantur ex imperio rationis. Vires autem sensitivae *apprehensivae* magis sunt natae ut ab ipsis accipiant vires rationales; unde habitus magis sunt in viribus sensitivis appetitivis, quam in viribus sensitivis apprehensivis. Sed etiam in viribus sensitivis apprehensivis possunt poni aliqui habitus secundum quos homo sit bene memorativus, vel cogitativus, vel imaginativus. Vires autem sensitivae apprehensivae *exteriores*, ut visus et auditus, et hujusmodi, non sunt susceptivae aliquorum habituum, sed secundum dispositionem suae naturae ordinantur ad suos actus determinatos; sicut et membra corporis, in quibus non sunt habitus, sed magis in viribus imperantibus motum ipsorum (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum in ipso intellectu sit aliquis habitus.*

RESP. AFF. - *Scil. :* habitus intellectivi (scientia, sapientia et intellectus) sunt principaliter in intellectu possibili, secundario in viribus interioribus sensitivis.

R. EST: quia ejus est habitus, cujus est operatio: intelligere autem et considerare est proprius actus intellectus. Ergo et habitus, quo consideratur, est proprie in ipso intellectu. - Item, phantasma comparatur ad intellectum possibilem ut objectum ad potentiam. Habitus autem non sunt in objecto, sed sunt in ipsa potentia, quibus disponitur ad objectum (Ad 1m). Sed, quia vires apprehensivae sensibiles interius preparant intellectui possibili proprium objectum, ideo ex bona dispositione harum virium, ad quam cooperatur bona dispositio corporis, redditur homo habilis ad intelligendum; est sic habitus intellectivus *secundario* potest esse in istis viribus (Ad 3m).

Art. V. – *Utrum in voluntate sit aliquis habitus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia cum voluntas sit potentia rationalis, diversimode potest ad agendum ordinari; et ideo oportet in voluntate aliquem habitum ponere, quo bene disponatur ad suum actum (In corp. art.), bonum enim rationis, ad quod voluntas inclinatur, multipliciter diversificatur. – Item, ex ipsa ratione habitus apparet quod habitus habet quemdam principalem ordinem ad voluntatem, prout « habitus est quo quis utitur, *cum voluerit* » (In corp. art.); est enim voluntas,, ut principium appetitivum, *movens et mota* (Ad 2m).

Art. VI. – *Utrum in angelis sit aliquis habitus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia angeli, inquantum sunt in potentia, indigent perfici habitualiter per aliquas species intelligibiles ad operationem propriam. Deum autem, a quo in infinitum distant, attingere possunt per habitus qui sunt « deiformes », quibus scil. Deo conformantur. Habitus vero qui sunt dispositiones ad esse naturale, non sunt in angelis, cum sint immateriales.

NOTANDUM: Inquantum angelus est *actu*, potest per essentiam suam aliqua intelligere: ad minus seipsum, et alia secundum modum suae substantiae, et tanto perfectius, quanto est perfectior; et secundum hoc non indiget habitu (In corp. art.).

QUAESTIO LI

De causa habituum quantum ad generationem ipsorum

Deinde considerandum est de causa habituum et primo quantum ad generationem ipsorum; secundo quantum ad augmentum; tertio quantum ad diminutionem et corruptionem. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum aliquis habitus sit a natura.*

RESP. AFF. – *Scil. :* Sunt in hominibus aliqui habitus (i. e. dispositiones ad operationem) naturales, tanquam partim ex natura existentes, et partim ab exteriori principio, tum in potentiis apprehensivis, tum in appetitivis. In *apprehensivis* autem sunt secundum inchoationem, et secundum naturam speciei et secundum naturam individui. In *appetitivis* autem non est aliquis habitus naturalis secundum inchoationem ex parte speciei (i. e. ipsius animae), quantum ad substantiam habitus, sed solum quantum ad principia quaedam ipsius. Ex parte corporis autem secundum naturam individui sunt aliqui habitus appetitivi secundum inchoationes naturales.

R. EST: quia quantum ad potentias *apprehensivas*, secundum naturam speciei et ex parte ipsius animae est intellectus principiorum, qui dicitur habitus naturalis; ex ipsa enim natura animae intellectualis convenit homini quod statim cognito quid est *totum*, et quid est *pars*, cognoscat quod omne totum est majus sua parte; et simile est in caeteris; sed cognitio principiorum provenit nobis ex sensibus. Secundum vero naturam individui est aliquis habitus cognoscitivus secundum inchoationem naturalem, inquantum unus homo ex dispositione organorum est magis aptus ad bene intelligendum quam alius, inquantum ad operationem intellectus indigemus virtutibus sensitivis. Unde neque ratione speciei neque ratione individui contingit in hominibus esse habitus naturales, ita quod sint totaliter a natura.

Inquantum ad potentias *appetitivas* non est aliquis habitus naturalis secundum inchoationem ex parte ipsius animae, ut supra diximus; quia

inclinatio ad objecta propria quae videtur esse inchoatio habitus, non pertinet ad habitum, sed ad ipsam rationem potentiarum.

Ex parte autem corporis secundum naturam individui sunt aliqui habitus, ut supra diximus (in Resp.); quia quidam sunt dispositi ex propria corporis complexione ad castitatem, vel mansuetudinem, vel ad aliquid hujusmodi.

NOTANDUM: Habitus, secundum quod est dispositio subjecti in ordine ad formam, vel naturam, contingit esse naturalis in hominibus et ratione speciei et ratione individui, vel totaliter a natura, vel partim a natura et partim ab exteriori principio; quia est aliqua dispositio naturalis, quae debetur humanae speciei, extra quam nullus homo invenitur. Sed quia talis dispositio quamdam latitudinem habet, contingit diversos gradus hujusmodi dispositionis convenire diversis hominibus secundum naturam individui, sicut dictum est de sanitate (In corp. art.). — In Angelis contingit esse habitus, qui sunt totaliter a natura, scil. *habitus operativos*, eo quod habent species intelligibiles naturaliter inditas (ibid.).

Art. II. — *Utrum aliquis habitus causatur ex actibus.*

RESP. AFF. — *Scil.:* Ex multiplicatis actibus generatur quaedam qualitas in potentia passiva et mota, quae nominatur habitus.

R. EST: quia omne quod patitur et movetur ab alio, disponitur per actum agentis. Unde agens, inquantum est agens, non recipit aliquid; sed inquantum agit motum ab alio, sic recipit aliquid a movente; et sic causatur habitus (Ad 1m). Propterea, in agente in quo est *solum* activum principium sui actus, sicut in igne ad califiendum, non potest aliquis habitus causari ex proprio actu, ut patet; et inde est quod res naturales « non possunt aliquid consuescere vel dissuescere », ut dicitur (In corp. art.).

Art. III. – *Utrum per unum actum possit generari habitus.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) habitus morales non causantur per unum actum; b) in potentiis apprehensivis potest causari habitus in intellectu possibili per unum actum, non autem in intellectu passivo; c) habitus corporales possibile est causari ex uno actu.

R. PRIMI EST: quia ad hoc quod aliqua qualitas causetur in passivo, oportet quod activum totaliter vincat passivum. Ratio autem, quod est principium activum respectu ad generationem habitus (moralis), non totaliter potest supervincere appetitivam potentiam in uno actu, eo quod appetitiva potentia se habet diversimode ad multa.

R. SECUNDI EST: quia respectu intellectus *possibilis*, una propositio per se nota convincit intellectum ad assentiendum firmiter conclusioni. Quantum ad intellectum *passivum*, qui est ratio particularis, in qua partem habet vis cogitativa cum memorativa et imaginativa, habitum scientiae non potest causari nisi ex pluribus reiteratis actibus, ut aliquid firmiter memoriae imprimatur.

R. TERTII EST: quia si activum (agens) fuerit magnae virtutis, habitus corporales possibile est causari ex uno actu, sicut quandoque medicina fortis statim inducit sanitatem.

Art. IV. – *Utrum aliqui habitus sint hominibus infusi a Deo.*

RESP. AFF. – PRIMA R. EST: quia habitus quibus homo disponitur ad ultimam et perfectam suam beatitudinem, quae excedit facultatem humanae naturae, non possunt homini inesse, nisi ex infusione divina: habitus enim oportet esse proportionatos ei ad quod homo disponitur secundum ipsos.

SECUNDA R. EST: quia Deus producere potest effectus causarum secundarum absque ipsis causis secundis (ut in primo dictum est, q. cv, art. 6); sicut Apostolis dedit scientiam Scripturarum et omnium linguarum, quam homines per studium vel consuetudinem acquirere possunt, licet non ita perfecte.

QUAESTIO LII

De augmento habituum

Deinde considerandum est de augmento habituum; et circa hoc quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum habitus augeantur.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Intensio et remissio in habitibus et dispositionibus considerari potest vel secundum se vel secundum participationem subjecti.

R. EST: quia habitus secundum se potest ad plura vel pauciora se extendit; sicut sanitas vel scientia, quae sic dicitur major vel minor; – secundum participationem subjecti, quia habitus magis recipitur in uno quam in alio, secundum diversam aptitudinem vel ex natura vel ex consuetudine; sicut aequalis scientia vel sanitas magis recipitur in uno quam in alio.

NOTANDUM: Habitus quidem perfectio est, non tamen talis perfectio quae sit terminus sui subjecti, puta dans ei esse specificum; neque etiam in sui ratione terminum includit, sicut species numerorum; unde nihil prohibet quin recipiat magis et minus (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum habitus augeantur per additionem.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Augmentum habituum non fit per additionem formae ad formam; sed

fit per hoc quod subjectum magis vel minus perfecte participat unam et eandem formam.

R. EST: quia si augmentum fit per additionem, hoc esset aut ex parte formae, aut ex parte subjecti. Si autem ex parte ipsius formae, talis additio (vel subtractio) variaret speciem. Si ex parte subjecti, hoc fit vel quia aliqua pars subjecti recipit formam quam prius non habebat, vel quia aliquod aliud subjectum additur participans eandem formam; sed secundum istorum duorum modorum non dicitur aliquid magis (v. g. album vel calidum), sed majus. - E contra, sicut per agens quod est actu, fit aliquid actu (v. g. calidum), quasi incipiens participare formam (calidi), non quod fiat ipsa forma, ut patet; ita per actionem intensam ipsius agentis efficitur magis calidum *tanquam perfectius participans formam*, non autem tanquam formae aliquid additum; i. e., non per additionem: et sic de habitibus, de augmento vel quantitate quorum loquimur per conaturalitatem intellectus nostri ad res corporales, quae sub imaginatione cadunt (art. 1 hujus quaes.).- Tamen, quia quaedam accidentia augentur etiam secundum seipsa, in quibusdam eorum fieri potest etiam augmentum per additionem, sicut in scientia; quae tamen etiam per intensiorem participationem subjecti augetur. - In habitibus autem corporalibus non multum videtur fieri augmentum per additionem, sed per intensionem.

Art. III. - *Utrum quilibet actus augeat habitum.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Dependet ex intensione actus.

R. EST: quia quilibet actus auget habitum vel disponit ad augmentum ipsius, si intensio actus

proportionaliter aequetur vel etiam excedat intensiōi habitus. Si vero intensiō actus proportionaliter deficiat ab intensiōe habitus, talis actus non disponit ad augmentum habitus, sed magis ad diminutionem ipsius.

QUAESTIO LIII

De corruptione et diminutione habituum

Deinde considerandum est de diminutione et corruptione habituum; et circa hoc quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum habitus corrumpi possit.*

RESP. AFF. – *Scil.*: sive per se sive per accidens.

R. EST: quia habitus corrumpi potest sive per contrarium suum sive per corruptionem subjecti in quo est; et hoc iterum sive per corruptionem ipsius subjecti, sive per aliud a quo ipsum subjectum dependet. Sicut intellectus possibili in quo est habitus scientiae non est corruptibilis ex parte sua, sed dependet ex processu rationis in quo deceptio subintrare potest, et sic scientiam corrumpere. Habitus vero primorum principiorum tam speculabilium quam practicoꝝ corrumpi non possunt neque per se neque per accidens; quia immediate ab intellectu agente causantur, qui suum contrarium non habet.

Art. II. – *Utrum habitus possit diminui.*

RESP. AFF. – R. EST: quia diminutio habitus est quaedam via ad corruptionem. Et sicut ex eadem causa augentur, ex qua generantur; ita ex eadem causa diminuuntur ex qua corrumpuntur.

NOTANDUM: Habitus secundum se consideratus est forma simplex (e. g. sanitas); et secundum hoc non accidit ei diminutio (nec augmentum), sed secundum diversum modum participandi, qui

provenit ex indeterminatione potentiae ipsius participantis, quae scilicet diversimode potest unam formam participare (i. e. magis vel minus intensive) vel quae potest ad plura vel ad pauciora extendi, (i. e. per additionem) - (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum habitus corrumpatur vel diminuat per solam cessationem ab opere.*

RESP. AFF. - *Scil.*: in quantum operatio est movens per accidens, i. e., sicut id quod removet prohibens.

R. EST: quia per cessationem ab opere remove-
tur actus qui prohibebat causas corrumpentes
vel diminuentes habitum, sive quantum ad habi-
tus qui per se corrumpuntur, i. e. ex contrario
agente, et sic virtutes corrumpuntur per passio-
nes et operationes immoderatas, quae succe-
scunt ex diuturna cessatione ab actibus virtutum;
sive quantum ad habitus qui corrumpuntur per
acc. seu ratione subjecti, sicut scientia, et aliae
virtutes intellectuales, quia ex cessatione actus
insurgunt imaginationes extraneae, quibus homo
redditur minus aptus ad recte iudicandum, et
quandoque disponitur ad contrarium, si per fre-
quentem usum intellectualis habitus non succi-
dantur et comprimantur.

QUAESTIO LIV

De distinctione habituum

Deinde considerandum est de distinctione habi-
tuum, et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum multi habitus possint esse in una potentia.*

RESP. AFF. - *Scil.*: sive ut dispositiones ad naturam, sive ut dispositiones ad operationem seu finem naturae.

R. PRIMI EST: quia unius subjecti possunt diversimode partes accipi; sicut in corpore humano ubi est sanitas, fortitudo et pulchritudo ex dispositione naturae quoad humores, partes similes, et membra respective.

R. SECUNDI EST: quia sicut plura objecta possunt movere unam potentiam passivam; ita una potentia passiva potest esse subjectum diversorum actuum vel perfectionum secundum speciem. Potentia autem passiva comparatur ad actum determinatum unius speciei, sicut materia ad formam.

NOTANDUM: Sicut in rebus naturalibus diversitas specierum est secundum formam, diversitas autem generum est secundum materiam; ita etiam diversitas objectorum secundum genus facit distinctionem potentiarum; diversitas vero objectorum secundum speciem facit diversitatem actuum secundum speciem, et per consequens habituum (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum habitus distinguantur secundum objecta.*

RESP. AFF. – *Scil.:* habitus secundum speciem distinguuntur etiam secundum objecta.

R. EST: quia habitus, ut habitus, dicit ordinem ad aliquid: omnia autem quae dicuntur secundum ordinem ad aliquid, distinguuntur secundum distinctionem eorum ad quae dicuntur. Habitus autem ordinatur, ut dispositio, ad naturam et ad operationem. Item habitus potest considerari ut forma. Formae autem distinguuntur ab invicem secundum diversa principia activa, eo quod omne agens facit simile secundum speciem. Unde habitus distinguuntur specie secundum tria: a) secundum principia activa talium dispositionum (habitus); b) secundum naturam, inquantum habitus disponit ipsam naturam; c) secundum objecta specie differentia.

NOTANDUM: Diversi habitus possunt habere idem objectum materiale, non autem idem objectum formale. Similiter, idem objectum attingi potest per diversa media, sicut per diversa principia activa, quibus habitus specificè diversificantur, ut diximus hic. Sic Astrologus et Naturalis demonstrant rotunditatem terrae: primus per media mathematica, sicut per figuram eclipsisium, alter per medium naturale, sicut per motum gravium ad medium (terrae), vel per aliud hujusmodi. Propterea, scientia astrologi differt ab illa naturalis. (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum habitus distinguantur secundum bonum et malum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia habitus distinguuntur non solum secundum objecta et principia activa, sed etiam in ordine ad naturam. Si igitur habitus dicunt convenientiam ad naturam, dicuntur boni; si vero disconvenientiam, dicuntur mali: habitus boni sunt virtutes, mali vero vitia. Unde est quod actus virtutum conveniunt naturae humanae, quia sunt secundum rationem; actus vero vitiorum, cum sint contra rationem, a natura humana discordant.

Art. IV. – *Utrum unus habitus ex multis habitibus constituatur.*

RESP. NEG. – *Scil.* : agitur hic principaliter de habitibus operativis.

R. EST: quia etiam in multiplicitate objectorum (materialium) est ordinatio ad aliquid unum, ad quod principaliter respicit habitus: inde est quod habitus est *qualitas simplex* non constituta ex pluribus habitibus, etiamsi ad multa, se extendat. – Quod autem quaedam virtutes dicuntur *partes* virtutum cardinalium, sic dicuntur non ut partes integrales ex quibus (materialiter) constituitur totum, sed partes subjectivae, sive potentiales, ut infra patebit (q. lvii, art. 6 ad 4, et 2a-2ae, q. xlviij). – (Ad 2m).

DE VIRTUTIBUS

Consequenter considerandum est de habitibus in speciali; et quia habitus, ut dictum est (quaes. praec. art. 3), distinguuntur per bonum et malum, primo dicendum est de habitibus bonis, qui sunt virtutes, et alia eis conjuncta, scil. dona, beatitudines et fructus; secundo de habitibus malis, scil. de vitiis et peccatis. Circa virtutes autem quinque consideranda sunt. Primo de essentia virtutis; secundo, de subjecto ejus; tertio de divisione virtutum; quarto de causa virtutis; quinto de quibusdam proprietatibus virtutis. Circa primum quaeruntur quatuor:

QUAESTIO LV

De virtutibus quantum ad earum essentiam

Art. I. – *Utrum virtus humana sit habitus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia potentiae rationales, quae sunt propriae hominis, non sunt determinatae ad unum, sed determinantur ad actus per habitus, ut ex supra dictis patet (q. xlix, art. 3), et ideo *virtutes humanae* habitus dicuntur; sicut *virtutes naturales* dicuntur potentiae naturales activae quae secundum seipsas sunt determinatae ad suos actus. *Virtus* enim ex ipsa ratione nominis importat quamdam potentiae perfectionem (art. 2, hujus q.).

NOTANDUM: Virtus tripliciter dicitur: ut habitus, ut actus, et ut objectum: Ita Fides e. g. consideratur ut habitus, ut credere et ut id quod creditur. Sed quando dicitur quod virtus est *ultimum* potentiae, sumi debet pro objecto virtutis; sicut si aliquis potest ferre centum libras, et non plus, virtus ejus consideratur secundum centum libras (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum virtus humana sit habitus operativus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia virtus humana, de qua loquimur, illa est quæ est propria hominis; unde non est in corpore, nec ad vires pertinet quæ sunt animæ et corpori communes, sed ad vires animæ tantum, quæ sunt rationales. Anima autem habet rationem formæ, et est potentia ad agere magis quam ad esse. Unde virtus humana, quæ est in anima, dicit ordinem ad agere. - Quod si virtus *assimilatur* sanitati et pulchritudini, quæ sunt debitæ dispositiones corporis, hoc contingit quia ipsa virtus est quaedam dispositio ordinata in anima (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum virtus humana sit habitus bonus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia virtus cujuslibet rei dicit ordinem ad bonum. Virtus enim importat perfectionem potentiae, cujus *ultimum*, in quod ordinatur, oportet quod sit bonum. Unde Virtus humana, quæ est habitus operativus, est bonus habitus, et boni operativus.

NOTANDUM: Tanto ratio perfectior esse ostenditur, quanto infirmitates corporis et inferiorum partium magis potest vincere seu tolerare. Et ideo virtus humana, quæ rationi attribuitur, in infirmitate perfici dicitur, non quidem rationis, sed in infirmitate corporis et inferiorum partium (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum virtus convenienter definiatur.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Virtus est bona qualitas, seu habitus mentis, qua recte vivitur, et qua nullus male utitur, (et quam Deus in nobis sine nobis operatur).

R. EST: quia ista definitio perfecte complectitur totam rationem virtutis, secundum omnes causas virtutis. Perfecta enim ratio uniuscujusque rei colligitur ex omnibus causis ejus. - *Causa formalis*, quæ ex genere et specifica differentia acci-

pitur, habetur in *qualitas* (genus) seu in *habitus* (genus proximum), et in *bona* (differentia). – Materia in *qua* seu subjectum virtutis (virtus enim non habet materiam *ex qua*, nec *circa quam* quia hic agitur de virtute in communi) habetur in *mentis*. – Causa finalis exprimitur per verba: *Qua recte vivitur*; et ut discernatur ab his quae se habent quandoque ad bonum, quandoque ad malum, adjungitur: *Qua nullus male utitur*. Causa autem efficiens, quantum ad virtutes infusas, habetur in verbis: *Quam Deus in nobis sine nobis operatur*. Quae quidem particula si auferatur, reliquum definitionis erit commune omnibus virtutibus, et acquisitis, et infusis.

NOTANDA: Virtus dicitur *bona*, quia eo aliquid est bonum, (bonum scil. rationis, seu bonum animae), quod est secundum rationem esse (Ad 1m et 2m). *Rectitudo*, de qua in definitione, importat ordinem ad finem debitum et ad legem divinam, quae est regula voluntatis humanae, et est communis omni virtuti (Ad 4m). Quantum ad ultimam particulam definitionis notandum est, quod virtus infusa causatur in nobis a Deo sine nobis agentibus, non tamen sine nobis consentientibus. Quae vero per nos aguntur, Deus in nobis causat non sine nobis agentibus; ipse enim operatur in omni voluntate et natura (Ad 6m).

QUAESTIO LVI

De subjecto virtutis

Deinde considerandum est de subjecto virtutis; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum virtus sit in potentia animae sicut in subjecto.*

RESP. AFF. – PRIMA R. est ex ipsa ratione virtutis: quia virtus importat perfectionem potentiae; perfectio autem est in eo cuius est perfectio.

SECUNDA R. est ex eo quod virtus est habitus

operativus: quia omnis operatio est ab anima, per aliquam potentiam.

TERTIA R. est ex hoc quod virtus disponit ad optimum: quia optimum est finis, qui est operatio rei, vel aliquid consecutum per operationem a potentia egredientem.

NOTANDUM: Unum accidens non potest sustentare aliud accidens, non est enim accidens accidentis; sed unum accidens *inhaeret substantiae* mediante alio accidente, ut color corpori mediante superficie; unde superficie dicitur subjectum coloris: sic potentia animae, quae est accidens, dicitur esse subjectum virtutis (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum una virtus possit esse in pluribus potentiis.*

RESP. NEG. - *Scil.:* una virtus non potest esse in pluribus potentiis *ex aequo*; sed *ex ordine quodam*.

R. PRIMI EST: quia diversitas potentiarum attenditur secundum *generales* condiciones objectorum (i. e. secundum genus, seu ratione materiae); diversitas vero habituum attenditur secundum *speciales* condiciones objectorum (i. e. secundum speciem, seu ratione formae); unde *ex aequo* non potest una virtus esse in duabus vel pluribus potentiis.

R. SECUNDI EST: quia *ex ordine quodam* una virtus potest in una potentia esse *principaliter*, et insuper se extendat ad alias per modum diffusionis vel per modum dispositionis (disponens ad alias potentias), secundum quod una potentia movetur ab alia, et secundum quod una potentia accipit ab alia; sicut prudentia, quae est in ratione sicut in subjecto, sed praesupponit rectitudinem voluntatis sicut principium (Ad 3m).

NOTANDUM: *Scire* praeexigitur ad virtutem moralem, inquantum virtus moralis operatur secundum rationem rectam; sed *essentialiter* in appetendo virtus moralis consistit (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum intellectus possit esse subjectum virtutis.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Intellectus est subjectum virtutis non simpliciter, nisi secundum ordinem ad voluntatem, quae est simpliciter subjectum virtutis.

R. EST: quia habitus qui sunt in intellectu absque omni ordine ad voluntatem, uti scientia, sapientia, intellectus et ars, dant quidem *facultatem* ad bonum actum, sed non faciunt quod aliquis *recte facultate utatur*, quod ad rationem virtutis simpliciter dicta pertinet. Virtus enim est qua dicitur homo bonum operari et esse bonus simpliciter: unde « virtus est quae bonum facit habentem, et opus ejus bonum reddit ». Virtutes autem intellectuales dicuntur virtutes secundum quid, et homo qui has virtutes habet non dicitur simpliciter bonus, sed solum secundum quid, puta bonus grammaticus, aut bonus faber. – Subjectum vero habitus qui simpliciter dicitur virtus, non potest esse nisi voluntas vel aliqua potentia secundum quod est mota a voluntate; quod homo enim actu bene agat, contingit ex hoc quod homo habet bonam voluntatem. Intellectus autem potest a voluntate moveri sicut et alias potentias; considerat enim aliquis aliquid actu eo quod vult. Et ideo intellectus, secundum quod habet ordinem ad voluntatem, potest esse subjectum virtutis simpliciter dictae; cum intellectus speculativus seu ratio, quae est subjectum fidei (quae est imperata a voluntate quoad actum assentiendi), tum intellectus practicus qui est subjectum prudentiae, ad quam requiritur quod homo se bene habeat per rectitudinem voluntatis; est enim prudentia « recta ratio agibulum ».

Art. IV. – *Utrum irascibilis et concupiscibilis sint subjectum virtutis.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non secundum se consideratae; sed prout sunt rationales, in quantum participant rationem.

R. PRIMI EST: quia irascibilis et concupiscibilis secundum se sunt partes sensitivi appetitus, et magis infectionem fomitis habent, quam bonum virtutis (Ad 2m).

R. SECUNDI EST: quia sunt natae rationi obedire. Unde oportet quod in eis sit quaedam habitualis conformitas ad rationem, qua bene disponuntur ad motum rationis, sicut instrumentum ad actionem artificis.

NOTANDUM: Alia ratione regitur corpus ab anima, et irascibilis et concupiscibilis a ratione. Corpus enim ad nutum obedit animae absque contradictione in his in quibus natum est ab anima moveri (scil. principatu despotico); irascibilis et concupiscibilis vero non obediunt ad nutum rationi, sed habent proprios motus suos, quibus interdum rationi repugnant: unde ratio regit eas « principatu politico », quia habent quasi voluntatem propriam (Ad 3m).

Art. V. – *Utrum vires apprehensivae sensitivae sint subjectum virtutis.*

RESP. NEG. – *Scil.* : a) Vires apprehensivae sensitivae non sunt subjectum virtutis; sed b) sunt subjectum alicujus habitus sic dicti consuetudinalis; et c) vires sensitivae appetitivae sunt subjectum virtutis.

R. PRIMI EST: quia virtus est habitus perfectus, quo non contingit nisi bonum operari. Hoc autem est in illa potentia quae est consummativa boni operis. Vires autem apprehensivae sensitivae sunt tantum praeparatoriae ad cognitionem intellectivam. Unde in ipsis non potest esse virtus.

R. SECUNDI EST: quia habitus consuetudinalis nihil est aliud quam habitudo acquisita per consuetudinem, quae est in modum naturae. Talis consuetudo autem acquiritur in viribus apprehensivis sensitivis, praecipue in memoria.

R. TERTII EST: quia vires *appetitivae* sensitivae natae sunt obedire appetitui rationis (Ad 1m).

Art. VI. – *Utrum voluntas possit esse subjectum virtutis.*

NOTANDUM: Loquimur hic de illis virtutibus quae ordinantur ad aliquid bonum extrinsecum.

RESP. AFF. – *Scil.:* Voluntas est subjectum virtutis cuius objectum excedit proportionem volentis, non autem illius cuius objectum est proportionatum bonum voluntati.

R. EST: quia ibi indiget potentia habitu periciente ad bene agendum (seu virtute), ubi ad hoc non sufficit propria ratio potentiae.

NOTANDUM: Bonum excedit proportionem volentis sive quantum ad totam speciem humanam (sicut bonum divinum, quod transcendit limites naturae), sive quantum ad individuum (sicut boni proximi). Et ideo huiusmodi virtutes quae ordinant affectum hominis in Deum vel in proximum, sunt in voluntate sicut in subjecto, ut charitas, iustitia et huiusmodi. (In fine art.).

QUAESTIO LVII

De distinctione virtutum intellectualium

Deinde considerandum est de distinctione virtutum; et primo quantum ad virtutes intellectuales; secundo quantum ad morales; tertio quantum ad theologicas. Circa primum queruntur sex:

Art. I. – *Utrum habitus intellectuales speculativi sint virtutes.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Sunt virtutes secundum quid, seu primo modo dictae, non autem simpli-

citer, seu secundo modo dictae (Vide q. praec. art. 3).

R. EST: quia tales habitus faciunt *facultatem* bonae operationis tantum, scil. considerationis veri seu contemplandi; non autem faciunt *uti* potentia, quod solum ad vim appetitivam pertinet. Unde, secundum hoc, in usu talium virtutum speculativarum, potest esse meritum, si ex charitate procedunt ad actum, ut Gregorius dicit, quod «Contemplativa vita majoris est meriti quam activa» (Moral. lib. vi, cap. 18).

NOTANDUM: Isti habitus dicuntur operativi inquantum habent ordinem ad interius opus intellectus (Ad 1m), cujus altissimum objectum est Deus, qui est summum speculabile (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum sint tantum tres habitus intellectuales speculativi, scilicet Sapientia, Scientia et Intellectus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia objectum intellectus, quod est verum, potest esse vel per se notum, seu evidens, et circa hoc requiritur habitus principiorum qui *intellectus* vocatur; vel est tale quod per inquisitionem rationis attingitur; et hoc iterum dupliciter esse potest: uno modo quod est ultimum (inquisitionis, seu conclusionis) respectu totius cognitionis humanae; et circa hoc est habitus *sapientiae*, quae considerat altissimas causas et proinde de omnibus judicat (etiam de principiis per se notis); alio modo, quod est ultimum respectu alicujus generis veritatum; et circa hoc est *scientia*: unde secundum diversa genera scibilium sunt diversi habitus scientiarum, dum tamen sapientia non est nisi una.

NOTANDA: 1. - Istae tres virtutes (Sapientia, Intellectus et Scientia) non ex aequo distinguuntur ab invicem, sed ordine quodam; sicut accidit in *totis potentialibus*, quorum una pars est perfectior

altera, sicut anima rationalis est perfectior quam sensibilis, et sensibilis quam vegetabilis. Hoc enim modo Scientia dependet ab Intellectu sicut a principaliori: et utrumque dependet a Sapientia sicut a principalissimo, quae sub se continet et Intellectum et Scientiam, ut de conclusionibus scientiarum dijudicans, et de principiis earumdem (Ad 2m).

2. – Habitus virtutis se habet determinate ad bonum, nullo modo ad malum. Bonum autem intellectus est verum, malum autem ejus est falsum. Unde soli illi habitus dicuntur virtutes intellectuales, quibus semper dicitur verum, et nunquam falsum. Opinio vero et suspicio possunt esse veri et falsi; et ideo non sunt intellectuales virtutes (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum habitus intellectualis qui est ars, sit virtus.*

RESP. AFF. – *Scil. :* eo modo quo habitus speculativi; i. e., non simpliciter sed secundum quid.

R. EST: quia ars, sicut caeteri habitus speculativi, non facit bonum opus quantum ad usum, ad hoc enim necessaria est voluntas; sed facit bonum opus quantum ad *facultatem* bene agendi tantum; est enim ars *recta ratio aliquorum operum faciendorum*. – Secundum hoc ergo ars dicitur *virtus virtutis* in quantum ad usum movetur ab alia virtute morali; manifestum est enim quod artifex per justitiam, quae facit voluntatem rectam, inclinatur ut opus fidele faciat (Ad 1m et ad 2m).

NOTANDUM: Habitus speculativi in quantum ad opera rationis ordinantur, puta ad constructionem syllogismi aut orationis congruae, aut ad opus numerandi vel mensurandi, dicuntur etiam artes per quamdam similitudinem, seu *artes liberales*, quia ab anima dependent quae est libera, ad differentiam illarum artium quae ordinantur ad opera per corpus exercita, quae sunt quodammodo *serviles*, in quantum corpus serviliter subditur ani-

mae. Illae vero scientiae quae ad nullum huiusmodi opus ordinentur, simpliciter scientiae dicuntur, non autem artes. Nec oportet, si liberales artes sunt nobiliores, quod magis eis conveniat ratio artis (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum prudentia sit virtus distincta ab arte.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ars (ut diximus in praec. art.) facit solum facultatem boni operis, non autem respicit appetitum; est enim recta ratio factibilium; - dum, e contra, prudentia non solum facit boni operis facultatem, sed etiam usum (boni operis); respicit enim appetitum, tanquam praesupponens rectitudinem appetitus; unde dicitur « recta ratio agibilium ». « Factio autem est actus transiens in exteriorem materiam », sicut aedificare, secare, etc.; « agere autem est actus permanens in ipso agente », sicut videre, velle et huiusmodi. Ad prudentiam igitur, cum sit recta ratio eorum actuum qui fiunt et permanent in ipso agente, requiritur quod homo sit bene dispositus circa finem, quod fit per appetitum rectum. Unde prudentia est virtus moralis. Bonum autem artificialium non est bonum appetitus humani, sed bonum ipsorum operum artificialium; unde ars non supponit appetitum rectum. Unde, si artifex volens peccat, laudatur ut artifex; prudens, e contra, magis laudatur si noleas peccet.

NOTANDUM: Ars convenit et cum habitibus speculativis et cum prudentia. Tamen magis convenit cum prudentia quantum ad subjectum et materiam; utrumque enim est in opinativa parte animae, et circa contingens aliter se habere. Sed ars magis convenit cum habitibus speculativis in ratione virtutis (quia facit tantum facultatem boni operis sicut caeteri virtutes speculativi), quam cum prudentia (Ad 2m).

Art. V. – *Utrum prudentia sit virtus necessaria homini.*

RESP. AFF. – *Scil.*: necessaria ad bene vivendum; immo maxime necessaria.

R. EST: quia prudentia est virtus intellectiva per quam ratio bene ordinatur ad ea (media) quae sunt ad finem. Bene autem vivere consistit in bene operari. Bene autem operari requirit ut opus sit bonum et modus operandi conveniens. Hoc autem fit si opus ad finem rectum ordinatur per media convenientia. Finis rectus fit per rectum appetitum (voluntatem); media autem eliguntur per rationem. Habitus autem quo ratio convenientia media eligit ad finem rectum consequendum est prudentia. Hoc autem maxime necessarium est ad bene operandum, i. e., ad bene vivendum (In corp. art.). – Est enim prudentia recta ratio ipsorum actuum humanorum (art. praec. ad 1m).

NOTANDUM: Prudentia et ars sunt virtutes intellectus practici; quia circa sola contingentia ponuntur: ars circa factibilia, prudentia circa agibilia. In intellectu autem speculativo illae solae ponuntur virtutes intellectuales quae sunt circa necessaria (scil.: sapientia, intellectus et scientia). Verum intellectus speculativi accipitur per conformitatem intellectus ad rem. Verum intellectus practici accipitur per conformitatem ad appetitum rectum; quae quidem conformitas in necessariis locum non habet, sed solum in contingentibus (Ad 3m).

Art. VI. – *Utrum eubulia, synesis et gnome sint virtutes adjunctae prudentiae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia praecipere, quod est actus principalis prudentiae, et est actus intellectus practici, supponit consilium et iudicium, qui sunt actus intellectus speculativi. *Eubulia* autem est virtus bene consiliativa, et *synesis*

et *gnome* sunt partes iudicativae: prima est iudicativa de agendis secundum legem communem; altera vero de agendis secundum ipsam rationem naturalem in his in quibus deficit lex communis. (Ad 3m). – De his plenius infra, in II-IIae, quaes. LI, art. 4).

QUAESTIO LVIII

De distinctione virtutum moralium ab intellectualibus

Deinde considerandum est de virtutibus moralibus, et primo de distinctione earum a virtutibus intellectualibus; secundo de distinctione earum ab invicem, secundum propriam materiam; tertio de distinctione principalium vel cardinalium ab aliis. Circa primum quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum omnis virtus sit moralis.*

RESP. NEG. – R. EST: quia virtus moralis dicitur a more, secundum quod mos significat quamdam inclinationem naturalem, vel quasi naturalem, ad aliquid agendum. Inclinatio autem ad actum proprie convenit appetitivae virtuti (q. ix, art. 1). Et ideo non omnis virtus dicitur moralis sed solum illa quae est in vi appetitiva.

NOTANDUM: Quandoque mos significat *consuetudinem*, sed tunc ad primam significationem reducitur, cum quodammodo in naturam vertatur, et facit inclinationem similem naturali. Secundum hanc inclinationem naturalem (vel per infusionem gratiae Spiritus Sancti) interpretat S. Doctor illa verba Psalmi lxxvii: « *Qui habitare facit unius moris in domo* ».

Art. II. – *Utrum virtus moralis distinguatur ab intellectuali.*

RESP. AFF. – R. EST: quia virtus moralis perficit potentiam appetitivam, dum autem virtus

intellectualis perficit rationem. Sicut igitur appetitus distinguitur a ratione; ita virtus moralis distinguitur ab intellectuali. Sed sicut appetitus est principium humani actus secundum hoc quod participat aliquid rationem; ita habitus moralis habet rationem virtutis humanae, in quantum rationi conformatur. – Virtus autem moralis necessaria est praeter virtutem intellectualem, quia ratio non imperat appetitivae potentiae principatu despotico, sicut anima regit corpus, sed principatu politico, quo scil. aliquis praestit liberis, qui habent jus in aliquo contradicendi.

NOTANDUM: In definitione virtutis, illa verba «recta ratio» non ponuntur tanquam pars essentialis virtutis, sed sicut quiddam participatum in omnibus virtutibus moralibus, in quantum prudentia (quae est «recta ratio agibilium»), dirigit omnes virtutes morales (Ad 4m).

Art. III. – *Utrum sufficienter virtus dividatur per moralem et intellectualem.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Virtus humana.

R. EST: quia principium humanorum actuum, circa quod virtus est habitus perfectivus ad bene operandum, est duplex: intellectus (sive speculativus, sive practicus) et voluntas.

NOTANDA: 1. – Prudentia secundum essentiam suam est intellectualis virtus; sed secundum materiam convenit cum virtutibus moralibus; et secundum hoc connumeratur virtutibus moralibus; est enim «recta ratio agibilium». (Ad 1m).

2. – Continentia a delectationibus et perseverantia in tristitiis (sicut etiam patientia) non sunt virtutes, sed aliquid minus virtute; non enim perficiunt appetitivam virtutem sensitivam: quod ex hoc patet quod in continente et perseverante superabundant inordinatae passionibus; quod non esset, si appetitus sensitivus esset perfectus aliquo habitu conformante ipsum ad rationem (Ad 2m).

3. – Fides, spes et charitas sunt supra virtutes humanas; sunt enim virtutes hominis, prout est factus particeps divinae gratiae (Ad 3m).

Art. IV. — *Utrum moralis virtus possit esse sine intellectuali.*

RESP. NEG. — *Scil.:* Virtus moralis non potest esse sine intellectu et prudentia.

R. EST: quia virtus moralis est habitus electivus, i. e., faciens bonam electionem. Ad bonam autem electionem requiritur debita intentio finis, et ut homo recte accipiat ea quae sunt ad finem. Haec autem non possunt fieri sine intellectu principiorum naturaliter cognitorum, et sine prudentia quae est «recta ratio agibilium». Tamen possunt esse sine sapientia, scientia et arte. — Unde in virtuoso non oportet quod vigeat usus rationis, quantum ad omnia, sed solum quantum ad ea quae sunt agenda secundum virtutem; unde etiam qui videntur *simplices*, eo quod carent mundana astutia, possunt esse prudentes, sec. illud Matth. x, 16: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.* (Ad 2m).

NOTANDUM: Ad bene operandum non sufficit naturalis inclinatio ad bonum, sed requiritur etiam rationis iudicium. Immo, quanto magis haec inclinatio naturalis ad bonum est fortior, tanto potest esse periculosior, nisi recta ratio adjungatur: sicut equus currens, si sit caecus, tanto fortius impingit et laeditur, quanto fortius currit (Ad 3m).

Art. V. — *Utrum intellectualis virtus possit esse sine morali.*

RESP. NEG. — *Scil.:* Prudentia, quae est intellectualis virtus, esse non potest sine morali virtute; caeterae autem virtutes intellectuales possunt.

R. EST: quia prudentia est «recta ratio agibilium», non solum in universali, sed etiam in particulari, in quibus sunt actiones; actiones autem perficiuntur per virtutes morales, secundum quas fiat quodammodo homini connaturale recte judi-

care de fine (In corp. art.). Unde non potest prudentia esse bene consiliativa, bene iudicativa et bene praeceptiva nisi per virtutem moralem removeatur impedimentum passionum corrumpentium consilium, iudicium et praeceptum (Ad 3m).

QUAESTIO LIX

De distinctione virtutum moralium secundum relationem ad passiones

Deinde considerandum est de distinctione moralium virtutum ad invicem. Et quia virtutes morales, quae sunt circa passiones, distinguuntur secundum diversitatem passionum, oportet primo considerare in communi comparisonem virtutis ad passionem; secundo distinctionem moralium virtutum secundum passiones. Circa primum quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum virtus moralis sit passio.*

RESP. NEG. – PRIMA R. EST: quia passio est motus quidam appetitus sensitivi (q. xxii, art. 3); virtus autem moralis non est motus, sed principium appetitivi motus, habitus quidam existens.

SECUNDA R. EST: quia passiones ex se ipsis non habent rationem boni vel mali. Bonam enim vel malum hominis est secundum rationem. Virtus autem se habet ad bonum tantum (q. iv, art. 3).

TERTIA R. EST: quia motus passionis (dato quod aliqua passio se habeat ad bonum tantum, vel ad malum tantum) semper habet principium in appetitu, et terminatur in ratione; e converso, virtutis motus semper habet principium in ratione, et terminum in appetitu, secundum quod a ratione movetur.

NOTANDUM: Virtus moralis secundum suam essentiam non est medium inter passiones; sed secundum suum effectum; quia scil. inter passiones medium constituit (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum virtus moralis possit esse cum passione.*

RESP. AFF. – *Scil.:* In quantum passiones dicuntur quicumque motus appetitus sensitivi.

R. EST: quia ut tales, passiones possunt esse a ratione moderatae; et ut tales sunt in virtuoso. – Stoici autem non distinguebant inter appetitum sensitivum et appetitum intellectivum; et dicebant passiones esse affectiones inordinatae, quae utique non possunt esse in virtuoso per deliberationem.

NOTANDUM: Passio praeveniens iudicium rationis, si in animo praevaleat, ut ei consentiatur, impedit consilium et iudicium rationis: si vero sequatur quasi ex ratione imperata, adjuvat ad consequendum imperium rationis (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum virtus moralis possit esse cum tristitia.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Virtus moralis potest (imo debet) esse cum tristitia *moderata* de his quae quocumque modo repugnant virtuti.

R. EST: quia aliquod malum potest esse virtuoso praesens, quod quidem malum ratio detestatur. Unde appetitus sensitivus in hoc sequitur detestationem rationis, quod de hujusmodi malo tristatur, moderate tamen secundum rationis iudicium.

Art. IV. – *Utrum omnis virtus moralis sit circa passiones.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Non omnis virtus moralis est circa passiones, quaedam sunt circa operationes.

R. EST: quia ratio ordinat per virtutem moralem non solum passiones appetitus sensitivi, sed etiam *operationes* appetitus intellectivi, qui est voluntas, quae non est subjectum passionis (q. xxii, art. 3).

Art. V. – *Utrum aliqua virtus moralis possit esse absque passione.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Virtutes morales quae sunt circa passiones, sicut circa propriam materiam, sine passionibus esse non possunt; aliae autem quae sunt circa operationes, possunt esse sine passionibus.

R. PRIMI EST: quia ad virtutem pertinet quod ea quae sunt subjecta rationi, a propriis actibus non vacent; sed quod imperium rationis exequantur, proprios actus agendo.

R. SECUNDI EST: quia virtus quae est circa operationes tantum est justitia, per quam applicatur voluntas ad proprium actum, qui non est passio. – Tamen gaudium justitiae, quod est in anima, potest per redundantiam gaudium passionis causare; vires enim inferiores sequuntur motum superiorum (q. xvii, art. 7, et q. xxiv, art. 3).

QUAESTIO LX

De distinctione virtutum moralium ab invicem

Deinde considerandum est de distinctione virtutum moralium ab invicem; et circa hoc quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum sit una tantum virtus moralis.*

RESP. NEG. – **R. EST:** quia in moralibus, ubi ratio est sicut imperans et movens, vis autem appetitiva sicut imperata et mota, appetitus recipit impressionem rationis non quasi univoce; quia non est rationale per essentiam sed per participationem. Unde appetibilia secundum mo-

tionem rationis constituuntur in diversis speciebus, secundum quod diversimode se habent ad rationem.

NOTANDUM: Objectum rationis est *verum*; ratio autem veri est eadem in omnibus moralibus, quae sunt contingentia agibilia: unde est una virtus in eis (i. e. in omnibus virtutibus moralibus) dirigens, scil. prudentia, quae est «recta ratio agibile». Sed objectum appetitivae virtutis est *bonum appetibile*, cujus diversa ratio est secundum diversam habitudinem ad rationem dirigentem (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum virtutes morales quae sunt circa operationes, distinguantur ab his quae sunt circa passiones.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Prout operationes et passiones comparentur ad virtutes morales non ut effectus earum, sed ut materia *circa quam*.

R. EST: quia bonum et malum in quibusdam operationibus attenditur secundum ipsas operationes, qualitercumque homo afficitur ad eas, in quantum scilicet, bonum et malum in eis accipitur secundum rationem commensurationis *ad alterum*; et virtus directiva talium operationum est justitia et ejus partes; – in quibusdam vero operationibus bonum et malum attenditur solum secundum commensurationem *ad operantem*, et virtutes directivae in talibus operationibus sunt principaliter circa interiores affectiones, seu passiones animae; in his enim bonum et malum considerari oportet secundum quod homo bene vel male circa hujusmodi afficitur. – Prout operationes et passiones sunt *effectus* virtutis sic non distinguuntur virtutes morales, quia omnis virtus est productiva aliquas operationes bonas, et delectationem aliquam vel tristitiam (q. lix, art. 4, ad 1m).

Art. III. – *Utrum circa operationes sit tantum una virtus moralis.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Virtutes morales quae sunt circa operationes (ad alterum), conveniunt in quadam generali ratione justitiae, quae attenditur secundum debitum ad alterum; distinguuntur autem secundum diversas speciales rationes (justitiae).

R. PRIMI EST: quia in operationibus exterioribus (i. e. ad alterum) ordo rationis instituitur, non secundum proportionem ad affectionem hominis, sed secundum ipsam convenientiam rei in seipsa; secundum quam convenientiam accipitur ratio debiti, ex quo constituitur ratio justitiae. Ad justitiam enim pertinet ut quis debitum reddat. Unde omnes hujusmodi virtutes quae sunt circa operationes, habent aliquo modo rationem justitiae.

R. SECUNDI EST: quia debitum non est unius rationis in omnibus; et secundum diversas rationes debiti sumuntur diversae virtutes: puta religio per quam redditur debitum Deo; pietas per quam redditur debitum parentibus vel patriae; gratia per quam redditur debitum benefactoribus, et sic de aliis.

NOTANDUM: Justitia proprie dicta est una specialis virtus, quae attendit perfectam rationem debiti, quod secundum aequivalentiam potest restitui; dicitur tamen et ampliato nomine justitia secundum quamcumque debiti redditionem; et sic non est una specialis virtus (Ad 1m).

Art. IV. – *Utrum circa diversas passiones diversae sint virtutes morales.*

RESP. AFF. – a) Circa diversas passiones generaliter loquendo sunt diversae virtutes morales; b) circa passiones contrarias est eadem virtus; c) circa passiones quae sunt ordinatae ad invicem,

i. e. quae secundum quemdam ordinem se invicem consequuntur (sicut habetur in passionibus concupiscibilis), est eadem virtus moralis; d) circa passiones quae non sunt unius ordinis, sunt diversae virtutes, puta circa passiones irascibilis.

R. PRIMI EST: quia passiones generaliter loquendo ad diversas potentias pertinent; ergo etiam ad diversas virtutes.

R. SECUNDI EST: quia virtus moralis in quadam medietate consistit; medium autem in contrariis passionibus instituitur secundum eandem rationem, sicut in naturalibus idem est medium in contrariis.

R. TERTII EST: quia motus passionum qui secundum quemdam ordinem se invicem consequuntur, sunt ad idem ordinati, scil. ad consequendum bonum, vel ad fugiendum malum; sicut ex amore procedit concupiscentia, et ex concupiscentia pervenitur ad delectationem; vel, e contra, ex odio ad fugam vel abominationem, quae perducit ad tristitiam. Una est virtus circa amorem, concupiscentiam et delectationem: temperantia, quae est etiam circa oppositas passiones.

R. QUARTI EST: quia passiones quae non sunt unius ordinis, ad diversa ordinantur, ut patet. Et sic, audacia et timor ordinantur ad aliquod magnum periculum, et circa has est fortitudo; spes et desperatio ordinantur ad aliquid bonum arduum, et circa eas est magnanimitas; ira autem ordinatur ad superandum aliquod contrarium, quod nocumentum intulit, et circa hanc est mansuetudo.

Art. V. - *Utrum virtutes morales distinguantur secundum diversa objecta passionum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia objecta passionum dicunt ordinem ad rationem: secundum quod

igitur diversimode objecta passionum comparantur ad rationem, diversas species virtutum causant; perfectio enim virtutis moralis ex ratione dependet. – In quantum vero objecta passionum diversimode ordinantur ad appetitum sensitivum, causant diversas species passionum.

NOTANDUM: Non eodem modo objecta passionum afficiunt appetitum sensitivum et rationem. Diversitas enim objectorum potest causare diversitatem passionum, quin causet diversitatem virtutum (art. praec.); et e contra, diversitas objectorum passionum potest causare diversitatem virtutum, quin causet diversitatem passionum; puta, in delectatione, quae est una passio, circa quam diversae virtutes ordinantur. Tamen diversitas objectorum (passionum), prout respicit diversitatem *potentiarum*, semper diversificat species virtutum (In corp. art.).

2. – Secundum Aristotelem decem sunt virtutes morales quae sunt circa passiones, seu diversificantur per objecta passionum: «fortitudo, temperantia, liberalitas, magnificentia, magnanimitas, philotimia (amor honoris), mansuetudo, amicitia (i. e. affabilitas), veritas et eutrapelia (bona conversatio, seu «moderata recreatio»). (In corp. art.). De his erit sermo in II-IIae.

QUAESTIO LXI

De virtutibus cardinalibus

Deinde considerandum est de virtutibus cardinalibus, et circa hoc quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum virtutes cardinales debeant dici cardinales, vel principales.*

RESP. AFF. – *Scil.*: Inter virtutes morales ponuntur illae quae dicuntur principales seu cardinales.

R. EST: quia virtutes cardinales habent perfectam rationem virtutis; scil., rectitudinem appe-

titus: hujusmodi enim virtus non solum facit facultatem bene agendi, sed ipsum etiam usum boni operis causat. – Prudentia, quae est intellectualis virtus, est etiam moralis secundum materiam, ut ex supra dictis patet (q. lvii, art. 4).

NOTANDUM: Aliae virtutes intellectuales a prudentia, etsi sint principaliores quam morales quantum ad subjectum, non tamen sunt principaliores quantum ad rationem virtutis, quae respicit bonum, quod est objectum appetitus (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum sint quatuor virtutes morales.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) ratione principii formalis virtutis; quod est bonum rationis; et b) secundum subjecta, quae sunt quatuor.

R. PRIMI EST: quia bonum rationis considerari potest: a) secundum quod in ipsa consideratione rationis consistit, et sic est una virtus principalis, quae dicitur *prudentia*; b) secundum quod ponitur ordo rationis circa aliquid; et hoc vel est circa operationes, et sic *justitia*; vel circa passionem, et sic necesse est duas virtutes, prout passio impellit ad aliquid contrarium rationi, et circa hoc est *temperantia*; vel retrahit ab eo quod ratio dictat, et circa hoc est *fortitudo*.

R. SECUNDI EST: quia quadruplex est subjectum virtutis moralis; scil. rationale per essentialitatem, quod *prudentia* perficit; et rationale per participationem, quod dividitur in voluntatem, quae est subjectum *justitiae*, et in concupiscibilem, quae est subjectum *temperantiae* et in irascibilem, quae est subjectum *fortitudinis*.

NOTANDUM: Prudentia est simpliciter principalior omnibus; aliae autem ponuntur principales, unaquaeque in suo genere (Ad 1m). – Aliae virtutes reducuntur ad praedictas, quantum ad subjectum, et quantum ad rationes formales.

Art. III. – *Utrum aliae virtutes magis debeant dici principales quam istae.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Solae quatuor virtutes morales, justitia, videlicet, temperantia, prudentia et fortitudo, cardinales et principales omnium sunt: a) tam propter eorum supra alias generalitatem, b) quam propter materiae principalitatem.

R. PRIMI EST: quia istae quatuor virtutes sunt secundum quatuor communes rationes formales omnium virtutum; omnis enim virtus quae facit bonum in consideratione rationis, dici potest prudentia; omnis virtus quae facit bonum debiti et recti in operationibus, dici potest justitia; omnis virtus quae cohibet passiones et reprimit, potest dici temperantia; et omnis virtus quae facit firmitatem animi contra quascumque passiones, dici potest fortitudo.

R. SECUNDI EST: quia istae virtutes denominantur ab eo quod est praecipuum in unaquaque materia virtutis: puta prudentia quae est praeceptiva; justitia, quae est circa actiones debitas inter aequales; temperantia, quae reprimit concupiscentias delectationum tactus; fortitudo, quae firmat contra pericula mortis.

Art. IV. – *Utrum quatuor virtutes cardinales differant ab invicem.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) Non in quantum significant quasdam generales condiciones humani animi; b) sed in quantum determinantur ad materias speciales.

R. PRIMI EST: quia ut tales condiciones generales inveniuntur in omnibus virtutibus: sic prudentia nihil aliud est quam quaedam rectitudo discretionis in quibuscumque actibus vel mate-

riis; et sic de aliis. Secundum hoc prudentia esset virtus distincta ab aliis tribus, quia est etiam intellectualis; sed aliae tres non essent virtutes distinctae ab invicem.

R. SECUNDI EST: quia sic unaquaeque virtutum cardinalium determinatur ad unam materiam in qua principaliter laudatur illa generalis conditio, a qua nomen virtutis accipitur; et sic sunt diversi habitus secundum diversitatem objectorum distincti.

Art. V. – *Utrum virtutes cardinales convenienter dividantur in virtutes politicas, purgatorias, purgati animi et exemplares.*

RESP. AFF. – R. EST: quia istae virtutes possunt considerari: a) prout sunt in Deo ut *exemplares*; ita scil. quod ipsa divina mens in Deo dicatur prudentia; temperantia vero conversio divinae intentionis ad seipsum; fortitudo Dei est ejus immutabilitas; et justitia Dei est observatio legis aeternae in suis operibus. – b) Prout homo per has virtutes recte se habet in rebus humanis gerendis; et sic dicuntur *politicae*. – c) Prout homo per has virtutes tendit ad Deum; ita scil. quod per prudentiam omnia mundana divinorum contemplatione despiciat, omnimque animae cogitationem in divina sola dirigat; et sic de aliis virtutibus, quae *purgatoriae* dicuntur. d) Prout istae virtutes assequuntur divinam similitudinem, et sunt jam *purgati animi*; ita scil. quod prudentia sola divina intueatur; temperantia terrenas cupiditates nesciat; fortitudo passiones ignoret; justitia cum divina mente perpetuo foedere societur, eam scil. imitando; quas quidem virtutes dicimus esse beatorum vel aliquorum in hac vita perfectissimorum.

QUAESTIO LXII

De virtutibus theologicis

Deinde considerandum est de virtutibus theologicis; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum sint aliquae virtutes theologicae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia beatitudo perfecta ad quam homo ordinatus est (q. iii, art. 1), secundum quod per Christum facti sumus *consortes divinae naturae* (II Petr. I), excedit proportionem humanae naturae; unde oportet quod homini addantur divinitus aliqua principia per quae ita ordinetur ad beatitudinem supernaturalem, sicut per principia naturalia ordinatur ad finem connaturalem; et hujusmodi principia dicuntur *virtutes theologicae*; quae sic dicuntur propter tria: a) quia habent Deum pro objecto, in quantum per eas recte ordinamur in Deum; b) quia a solo Deo nobis infunduntur; c) quia sola divina revelatione traduntur.

Art. II. – *Utrum virtutes theologicae distinguantur ab intellectualibus et moralibus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia objectum theologarum virtutum est ipse Deus, qui est ultimus rerum finis, prout nostrae rationis cognitionem excedit. Objectum autem virtutum intellectualium et moralium est aliquid quod humana ratione comprehendi potest. Habitus autem distinguuntur specie secundum formalem differentiam objectorum.

Art. III. – *Utrum convenienter fides, spes et charitas ponantur virtutes theologicae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sicut per naturalem inclinationem ordinatur homo in finem sibi con-

naturalem, ita per virtutes theologicas ordinatur ad beatitudinem supernaturalem. Ad finem autem sibi connaturalem homo ordinatur per principia universalialia naturaliter ei nota per lumen intellectus, et per inclinationem voluntatis naturaliter tendentis in bonum rationis. Haec autem deficiunt in ordine ad finem supernaturalem. Unde necesse est quod homini supernaturaliter addantur: a) quaedam principia supernaturalialia, quae divino lumine capiuntur, et haec sunt credibilia, de quibus est *fides*; b) quod voluntas ordinetur ad illum finem quantum ad motum intentionis in ipsum tendentem, sicut in id quod est possibile consequi, quod pertinet ad *spem*; et c) quantum ad unionem quamdam spirituaalem, per quam quodammodo transformatur in illum finem, quod fit per *charitatem*.

Art. IV. - *Utrum fides sit prior spe, et spes charitate.*

RESP. AFF. - *Scil.*: ordine generationis et secundum actum; non vero ordine perfectionis.

R. PRIMI EST: quia per fidem apprehendit intellectus ea quae sperat et amat. Unde actus fidei praecedat; sed habitus simul infunduntur. Item, quantum ad *spem*; quia ex hoc ipso quod homo sperat de aliquo, procedit ad amandum ipsum.

R. SECUNDI EST: quia tam fides quam spes formatur per charitatem, et perfectionem virtutis acquirit (ut infra dicitur: II-IIae, q. xxiii, art. 7 et 8).

NOTANDUM: Spes, quantum ad *principale obiectum*, scil. bonum quod speratur, non praecedat amorem, sed amor praecedat *spem*; nunquam enim speratur aliquod bonum nisi desideratum et ama-

tum; – sed quantum ad illum *a quo se sperat posse consequi bonum*, spes praecedit amorem, quamvis postea ex ipso amore spes augeatur. Per hoc enim quod aliquis reputat per aliquem se posse consequi aliquod bonum, incipit amare ipsum; et ex hoc ipso quod ipsum amat, postea fortius de eo sperat (Ad 3m).

QUAESTIO LXIII

De causa virtutum

Deinde considerandum est de causa virtutum; et circ hoc quaeruntur quatuor.

Art. I. – *Utrum virtus insit nobis a natura.*

RESP. NEG. – *Scil.*: Virtutes tam intellectuales quam morales nobis insunt naturaliter secundum aptitudinem et inchoationem tantum: a) cum ratione speciei, quae est ab anima, vel etiam a corpore inquantum est determinatum ad talem animam; b) tum ratione individui; sed c) non insunt nobis secundum consummationem.

R. PRIMI EST: quia in ratione hominis insunt naturaliter quaedam principia naturaliter cognita tam scibilium quam agendorum; quae sunt quaedam seminaria intellectualium virtutum et moralium, inquantum in voluntate inest quidam naturalis appetitus boni, quod est secundum rationem.

R. SECUNDI EST: quia ex corporis dispositione aliqui sunt dispositi vel melius vel pejus ad quasdam virtutes, prout scil. vires quaedam sensitivae actus sunt quarumdam partium corporis, ex quarum dispositione adjuvantur vel impediuntur hujusmodi vires in suis actibus, et per consequens vires rationales, quibus hujusmodi sensitivae vires deserviunt; et secundum hcc unus homo habet naturalem aptitudinem ad scientiam, alius ad fortitudinem, alius ad temperantiam.

R. TERTII EST: quia natura determinatur ad unum; consummatio autem hujusmodi virtutum non est secundum modum actionis, sed diversimode secundum diversas materias, in quibus virtutes operantur, et secundum diversas circumstantias.

Art. II. – *Utrum aliqua virtus causetur in nobis ex assuetudine operum.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) Virtus hominis ordinata ad bonum, quod modificatur secundum regulam rationis humanae, potest ex actibus humanis causari; sed b) virtus ordinans hominem ad bonum secundum quod modificatur per legem divinam, et non per rationem humanam, non potest causari per actus humanos, sed solum per operationem divinam in nobis.

R. PRIMI EST: quia tales actus procedunt a ratione, sub cujus potestate et regula tale bonum consistit.

R. SECUNDI EST: quia principium talium actuum non est ratio, et tale bonum, quod per legem divinam modificatur, est sub potestate et regula divina; unde talem virtutem definit Augustinus: *Quam Deus in nobis sine nobis operatur.* – Unde virtutes humanitas acquisitae possunt esse in homine, sine gratia, seu in peccato mortali existenti, non autem virtutes infusae, maxime si in sua perfectione considerentur (Ad 1m). Habitui autem non contrariatur directe actus, sed habitus.

Art. III. – *Utrum aliquae virtutes morales sint in nobis per infusionem.*

RESP. AFF. – R. EST: quia virtutes theologicae, quibus ad finem supernaturalem ordinamur, loco sunt illorum naturalium principiorum, ex

quibus procedunt omnes virtutes tam intellectuales quam morales, quae ex nostris actibus acquiruntur. Oportet igitur quod, sicut se habent virtutes acquisitae ad principia naturalia, ita etiam virtutibus theologicis respondeant alii habitus divinitus causati in nobis. Effectus enim oportet esse suis causis et principiis proportionatos.

NOTANDUM: Virtutes a nobis acquisitae non sunt proportionatae virtutibus theologicis; et ideo oportet alias eis proportionatas immediate a Deo causari (Ad 1m). Item, virtutes theologicae sufficienter nos ordinant in finem supernaturalem, secundum quamdam inchoationem, quantum scilicet ad ipsum Deum immediate; sed oportet per alias virtutes infusas perfici animam circa alias res, semper tamen in ordine ad Deum (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum virtus quam acquirimus ex operum assuetudine, sit ejusdem speciei cum virtute infusa.*

RESP. NEG. – *Scilicet*: a) cum propter differentiam formalem objectorum; b) tum propter ea ad quae ordinantur virtutes.

R. PRIMI EST: quia motus qui imponitur secundum regulam rationis humanae in materia virtutis, est alterius rationis quam motus qui imponitur secundum regulam divinam circa eandem materiam. Sic, e. g. in sumptione ciborum temperantia acquisita statuitur modus ut non noceat valetudini corporis; secundum autem regulam legis divinae requiritur quod « homo castigat corpus suum et in servitutem redigat », quod fit per temperantiam infusam.

R. SECUNDI EST: quia per virtutes morales infusas homines bene se habent ad hoc quod sint *cives sanctorum et domestici Dei*; per alias virtutes acquisitas homo bene se habet in ordine ad res humanas.

QUAESTIO LXIV

De medio virtutum

Deinde considerandum est de proprietatibus virtutum; et primo quidem de medio virtutum; secundo de connexione virtutum; tertio de aequalitate earum; quarto de ipsarum duratione. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum virtutes morales sint in medio.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia bonum virtutis moralis consistit in adaequatione (motus circa passionem) ad mensuram rationis; a qua quis discordat vel per hoc quod superexcedit mensuram, vel per hoc quod deficit ab ea. Unde manifeste apparet quod virtus moralis in medio consistit; i. e. est in medio inter excessum et defectum mensurae rationis.

NOTANDUM: Quantum ad magnificentiam et magnanimitatem si considerantur secundum quantitatem absolutam, sunt in extremo et maximo; si vero considerantur secundum comparisonem ad circumstantias, sic habent rationem medii, ut scil. sint ubi oportet, et quando oportet, et propter quod oportet (Ad 2m). Idem dicendum est etiam de virginitate et de voto paupertatis (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum medium virtutis moralis sit medium rei, vel rationis.*

RESP.: EST MEDIUM RATIONIS. *Scil.:* a) non secundum quod medium existit in ipso actu rationis; sed b) in quantum est id quod a ratione ponitur in aliqua materia.

R. PRIMI EST: quia virtus moralis non perficit actum rationis, sed actum virtutis appetitivae;

et sic medium virtutis moralis non est medium rationis.

R. SECUNDI EST: quia, ut dictum est (art. praec.) virtus moralis dicitur consistere in medio per conformitatem ad rationem rectam.

NOTANDUM: Medium virtutis iustitiae, in quantum scil. iustitia dat unicuique quod debet, et non plus nec minus, est idem ac medium rei; quia iustitia est circa operationes quae consistunt in rebus exterioribus, in quibus rectum institui debet simpliciter et secundum se. Medium autem rationis aliarum virtutum moralium non est etiam medium rei, quia aliae virtutes sunt circa passiones, circa quas homines diversimode se habent. Et ideo oportet quod rectitudo rationis in passionibus instituat per respectum ad nos, qui afficimur secundum passiones (In corp. art.).

Art. III. – *Utrum virtutes intellectuales consistant in medio.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Sive virtutes intellectuales speculativae, sive practicae, in quantum verum habet rationem mensurati a re, habent medium rei; virtutes intellectuales practicae, in quantum habent conformitatem ad appetitum rectum, habent medium rationis.

R. PRIMI EST: quia bonum (quod est verum) virtutis intellectualis, sive speculativae sive practicae, consistit in quodam medio per conformitatem ad ipsam rem, secundum quod dicit esse quod est, vel non esse quod non est.

R. SECUNDI EST: quia verum virtutis intellectualis practicae respectu appetitus habet rationem regulae et mensurae. Unde prudentia, quae est virtus intellectualis practicae, respectu ad appetitum (rectum) habet medium rationis, sicut caeterae virtutes morales; cum hac tamen

differentia, quod medium rationis prudentiae est regulantis et mensurantis, medium rationis aliae virtutis moralis est ut regulatae et mensuratae.

Art. IV. – *Utrum virtutes theologicae consistant in medio.*

RESP. NEG. – *Scil.* : Per se loquendo seu si mensura virtutis theologicae accipitur secundum ipsam rationem virtutis theologicae, sic non consistit in medio; per accidens autem seu si mensura accipitur ex parte nostra, sic virtutes theologicae possunt considerari ut habeant medium et extremum.

R. PRIMI EST: quia sic mensura et regula virtutis theologicae est ipse Deus; fides enim nostra regulatur secundum veritatem divinam, charitas secundum bonitatem ejus, et spes secundum magnitudinem omnipotentiae et pietatis ejus; et ista est mensura excedens omnem humanam facultatem; et in hoc tanto est melius quanto magis acceditur ad summum credendo, sperando et diligendo.

R. SECUNDI EST: quia, etsi non possumus ferri in Deum quantum debemus, debemus tamen ferri in ipsum credendo, sperando et amando secundum mensuram nostrae conditionis. Secundum hoc enim regulam et mensuram transcendere contingit vel ab ea deficere. – Sic e. g., spes, ex parte nostra, est media inter praesumptionem et desperationem, inquantum scil. aliquis praesumere dicitur ex eo quod sperat a Deo bonum quod excedit suam conditionem; vel desperare quia non sperat quod secundum suam conditionem sperare posset. Non autem potest esse superabundantia spei ex parte Dei, cujus bonitas est infinita (Ad 3m).

QUAESTIO LXV

De connexione virtutum

Deinde considerandum est de conexione virtutum; et circa hoc quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum virtutes morales sint ad invicem connexae.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) Virtutes morales perfectae, i. e., illae quae inclinant ad bonum opus bene agendum, sunt inter se connexae, sive si accipiantur secundum generales condiciones virtutum (q. lxi, art. 3 et 4), sive si considerentur secundum materias; – b) Virtutes morales imperfectae, quae nihil aliud sunt quam inclinationes in nobis sive a natura sive ex assuetudine ad aliquod bonum opus faciendum, non sunt connexae.

R. PRIMI EST: quia, secundum condiciones generales virtutum moralium, ut Augustinus et S. Gregorius dicunt, unaquaeque virtus debet habere, si est perfecta, discretionem, quae pertinet ad prudentiam; rectitudinem, quae pertinet ad justitiam; moderantiam, quae est temperantiae; et firmitatem animi, quae pertinet ad fortitudinem. – Si vero considerantur secundum suas materias, sic, ut vult Aristoteles, omnes virtutes morales connexae sunt in prudentia; quia proprium virtutis moralis est facere electionem rectam, est enim virtus moralis habitus electivus. Ad rectam autem electionem non sufficit inclinatio in debitum finem, quod est directe per habitum virtutis moralis, sed etiam quod aliquis directe eligat ea quae sunt ad finem, quod fit per prudentiam, quae est consiliativa, et iudicativa, et praeceptiva eorum quae sunt ad finem. – Similiter prudentia esse non potest sine aliis virtuti-

bus moralibus; quia prudentia est recta ratio agibilium: fines autem agibilium sunt sicut principia prudentiae. Aliquis autem recte se habet ad fines agibilium per morales virtutes.

R. SECUNDI EST: quia, ut vidimus, aliquis ex naturali complexione vel ex aliqua assuetudine est promotus ad opera, e. g., liberalitatis, qui tamen non est promptus ad opera, v. g., castitatis.

NOTANDA: 1. - Ille qui aliquam virtutem acquirit, modico studio seu exercitio etiam alias virtutes acquirere potest; et secundum hoc potest dici alias virtutes habere. Illud enim habere dicimus quod in promptu est ut habeamus, secundum illud Philosophi: « Quod parum deest, quasi nihil deesse videtur » (Ad 1m).

2. - Virtutes intellectuales non sunt connexae inter se, quia sunt circa diversas materias ad invicem non ordinatas, sicut patet in diversis scientiis et artibus. Habent tamen omnes ordinem ad prima principia; et secundum hoc omnes virtutes intellectuales dependent ab intellectu principiorum, sicut prudentia a virtutibus moralibus, ut dictum est (in R. primi) - (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum virtutes morales possint esse sine charitate.*

RESP. NEG. - *Scil.*: Virtutes morales infusae, i. e., secundum quod sunt operativae boni in ordine ad ultimum finem supernaturalem, et consequenter non possunt humanis actibus acquiri, esse non possunt sine charitate.

R. EST: quia si prudentia (non infusa) esse non potest sine aliis virtutibus moralibus, inquantum tales virtutes faciunt bene se habere ad fines « agibilium », ex quibus procedit ratio prudentiae (art. praec.); multo magis prudentia infusa esse non potest sine charitate, per quam homo bene se habet circa ultimum finem simpliciter. Aliae

autem virtutes morales sine prudentia esse non possunt; consequenter nec sine charitate.

NOTANDUM: Ex dictis patet quod solae virtutes infusae sunt perfectae, et simpliciter dicendae sunt virtutes; quia bene ordinant hominem ad finem ultimum simpliciter; aliae virtutes (scilicet acquisitae) sunt secundum quid virtutes, non autem simpliciter. Ordinant enim hominem bene respectu finis ultimi in aliquo genere, non autem respectu finis ultimi simpliciter. Et sic interpretantur verba illa (Rom. xiv, 23): « *Omne quod non est ex fide, peccatum est* »; i. e., non habet rationem virtutis perfectae simpliciter. (In corp. art.).

Art. III. – *Utrum charitas possit esse sine aliis virtutibus moralibus.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Cum charitate simul infunduntur omnes virtutes morales.

R. EST: quia Deus non minus operatur in operibus gratiae quam in operibus naturae. In operibus autem naturae non invenitur principium aliquorum operum in aliqua re, quin inveniantur in ea quae sunt necessaria ad hujusmodi opera perficienda. Charitas autem inquantum ordinat hominem ad finem ultimum, est principium omnium bonorum operum, quae in finem ultimum ordinari possunt. Unde oportet quod cum charitate simul infundantur omnes virtutes morales, quibus homo perficit singula genera bonorum operum.

NOTANDA: 1. – Ex dictis patet quod, virtutes morales non solum habent connexionem propter prudentiam, sed etiam propter charitatem: et quod qui amittit charitatem per peccatum mortale, amittit omnes virtutes morales infusae (In fine art.).

2. – Habitus moralium virtutum infusarum patiuntur interdum difficultatem in operando propter aliquas dispositiones contrarias ex praecedentibus actibus relictas; quae quidem difficultas

non ita accidit in virtutibus moralibus acquisitis, quia per exercitium actuum, quo acquiruntur, tolluntur etiam contrariae dispositiones (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum fides et spes possint esse sine charitate.*

RESP. AFF. – *Scil.*: Non secundum esse perfectum virtutis, sed secundum inchoationem quamdam.

R. EST: quia ad rationem virtutis pertinet ut non solum secundum ipsam aliquod bonum operemur, sed etiam bene. Fides autem sine charitate, non potest debito *velle* assentire; voluntas enim perficitur per charitatem. « Omnis enim rectus motus voluntatis ex recto amore procedit ». – Similiter de spe: Spes enim sine charitate sperare non potest futuram beatitudinem ex praesentibus propriis meritis, quia talia non habentur sine charitate; sed ex meritis quas quis proponit in futurum acquirere, sed haec spes non est perfecta.

Art. V. – *Utrum charitas possit esse sine fide et spe.*

RESP. NEG. – R. EST: quia aliquis non potest habere amicitiam ad Deum, quae est charitas, nisi credat hujusmodi societatem et conversationem cum Deo, et speret se ad hanc societatem pertinere.

NOTANDA: 1. – Charitas non est qualiscumque amor Dei, sed amor Dei quo diligitur ut beatitudinis objectum, ad quod ordinamur per fidem et spem (Ad 1m).

2. – Charitas est radix fidei et spei, in quantum dat eis perfectionem virtutis; sed fides et spes secundum rationem propriam praesupponuntur ad charitatem ut dictum est (q. lxii, art. 4), et sic charitas sine eis esse non potest (Ad 2m).

QUAESTIO LXVI

De aequalitate virtutum

Deinde considerandum est de aequalitate virtutum; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum virtus possit esse major vel minor.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) sive in virtutibus specie differentibus; sive in virtute ejusdem speciei; et hoc dupliciter: b) sive secundum ipsam virtutem; c) sive ex parte subjecti participantis.

R. PRIMI EST: quia causa et radix humani boni (quod est objectum virtutis) est ratio; tanto igitur aliqua virtus est potior, quanto est causae (seu rationi) propinquior. Et ideo prudentia, quae perficit rationem, praefertur in bonitate aliis virtutibus moralibus. Justitia, quae est in voluntate, praefertur fortitudini, quae est in irascibili; et fortitudo praefertur concupiscibili, quae minus participat rationem.

R. SECUNDI EST: quia magnitudo vel parvitas virtutis, secundum seipsam consideratae, attenditur secundum ea ad quae se extendit.

R. TERTII EST: quia ad attingendum medium virtutis, quod est secundum rationem rectam, unus est melius dispositus quam alius: vel propter majorem assuetudinem, vel propter meliorem dispositionem naturae, vel propter perspicacius judicium rationis, aut etiam propter majus gratiae donum, quod unicuique datur *secundum mensuram donationis Christi* (Ephes. iv, 7).

Art. II. – *Utrum omnes virtutes simul in eodem existentes sint aequales.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) Non agitur de virtutibus secundum inchoationem seu inclinationem; sed

b) de virtutibus perfectis secundum participationem subjecti: et secundum hoc omnes virtutes unius hominis sunt aequales quadam aequalitate proportionis, in quantum aequaliter crescunt in homine; sicut digiti manus.

R. PRIMI EST: quia quantum ad id quod est materiale in virtutibus moralibus, scil. inclinationem ipsam ad actum virtutis, potest esse unus homo magis promptus ad actum unius virtutis quam ad actum alterius vel ex natura, vel ex consuetudine, vel etiam ex gratiae dono.

R. SECUNDI EST: quia virtutes morales sunt connexae, et simul intenduntur vel remittuntur. Si connexio virtutum ponatur secundum quatuor conditiones generales virtutum, sic patet quod quaelibet virtus habet omnes istas conditiones aequales. Si vero consideratur connexio secundum materiam determinatam uniuscujusque virtutis, ratio aequalitatis accipitur ex parte prudentiae quantum ad id quod est formale in omnibus virtutibus moralibus, puta quantum ad ordinationem rationis; existente enim ratione aequaliter perfecta in uno et eodem, oportet quod proportionaliter secundum rationem rectam medium constituatur in qualibet materia virtutum.

Art. III. - *Utrum virtutes morales praeemineant intellectualibus.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Simpliciter loquendo, i. e. secundum propriam rationem speciei seu objecti, hoc est enim simpliciter loqui de aliqua re, virtutes intellectuales, quae perficiunt rationem, sunt nobiliores quam morales, quae perficiunt appetitum; in ordine vero ad actum virtus moralis nobilior est, et magis rationem virtutis habet quam virtus intellectualis.

R. PRIMI EST: quia objectum rationis, cum sit universalius, nobilius est quam objectum appetitus, quod est particulare.

R. SECUNDI EST: quia virtus moralis perficit appetitum, cujus est movere alias potentias ad actum. Et quia virtus dicitur ex eo quod est principium alicujus actus, cum sit perfectio potentiae, sequitur etiam quod ratio virtutis magis competat virtutibus moralibus quam virtutibus intellectualibus.

Art. IV. – *Utrum justitia sit praecipua inter virtutes morales.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Simpliciter loquendo, et excepta prudentia, quae est virtus intellectualis circa moralia.

R. EST: quia justitia propinquior est rationi, cum quia est in voluntate sicut in subjecto, fortitudo vero et temperantia sunt in appetitu sensitivo, tum quia est circa operationes quibus homo ordinatur non solum in seipso, sed etiam ad alterum; unde « justitia est praeclarissima virtutum », ut dicitur (Eth. lib. v, c. 1). – Inter alias virtutes fortitudo est nobilior temperantia, quia fortitudo subdit rationi appetitivum motum in his quae ad mortem et vitam pertinent; temperantia autem in his quae immediate ordinantur ad vitam in eodem secundum numerum vel secundum speciem, scil. in cibis et venereis.

Secundum quid autem dicitur aliqua virtus esse major, secundum quod adminiculum seu ornamentum praebet principali virtuti (In corp. art.); ita patientia, quae opus perfectum habet scil. in tolerantia malorum, est secundum hoc perfectior et major justitia (Ad 2m); et magnanimitas, quae ad alias virtutes comparatur sicut ornatus earum, est secundum quid major omnibus aliis (Ad 3m).

Art. V. – *Utrum sapientia sit maxima inter virtutes intellectuales.*

RESP. AFF. – R. EST: quia objectum sapientiae praecellit inter objecta omnium virtutum intellectualium; considerat enim causam altissimam, quae est Deus, per quam habet iudicium de omnibus aliis virtutibus intellectualibus, et est quasi architectonica respectu omnium.

NOTANDA: 1. – Prudentia se habet tanquam ministra sapientiae; imperat enim de his quae ad sapientiam ordinantur, ut homines ad sapientiam pervenire possint: introducit enim ad eam, praeparans ei viam, sicut ostiarius ad regem (Ad 1m). – Item prudentia considerat ea quibus pervenitur ad felicitatem; sed sapientia considerat ipsum objectum felicitatis, quod est altissimum intelligibile (Ad 2m).

2. – Sapientia, ad quam pertinet Dei cognitio, homini maxime in statu hujus vitae non potest perfecte advenire, ut sit quasi ejus possessio; sed hoc solius Dei est. Sed tamen illa modica cognitio quae per sapientiam de Deo haberi potest, omni alii cognitioni praefertur (Ad 3m).

Art. VI. – *Utrum charitas sit maxima inter virtutes theologicas.*

RESP. AFF. – R. EST: quia aliae virtutes theologicae important quamdam distantiam ab objecto, quamvis idem sit objectum harum trium virtutum: est enim fides de non visis, et spes de non habitis; sed amor charitatis est de eo quod jam habetur; est enim amatum quodammodo in amante, et etiam amans per affectum trahitur ad unionem amati, propter quod dicitur, I Jn. iv, 16: *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.*

NOTANDUM: Fides et spes causant charitatem non efficienter, sed dispositive. Causa autem quae dicitur potior suo effectu, non est causa disponens, ut evidenter patet; sed est causa perficiens (Ad 3m).

QUAESTIO LXVII

De duratione virtutum post hanc vitam

Deinde considerandum est de duratione virtutum post hanc vitam; et circa hoc quaerentur sex:

Art. I. – *Utrum virtutes morales maneant post hanc vitam.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) Non quantum ad materiale virtutum; sed b) quantum ad earum formale.

R. PRIMI EST: quia materiale in his virtutibus est inclinatio quaedam partis appetitivae ad passiones vel operationes secundum modum aliquem, qui a ratione determinatur. Hoc autem materiale non remanet post hanc vitam, ubi neque est concupiscentia, neque timor, etc.; neque communicatio et distributio rerum.

R. SECUNDI EST: quia formale in omnibus virtutibus est ipse ordo rationis, quod semper remanet in alia vita, ubi rectissima erit ratio. Sic erit prudentia sine ullo periculo erroris; fortitudo sine molestia tolerandorum malorum; temperantia sine repugnatione libidinum. Prudentiae erit Deo nullum bonum praeponere vel aequare; fortitudinis, ei firmissime inhaerere; temperantiae, nullo defectu noxio delectari. Actus vero iustitiae erit Deo subjectum esse, sicut etiam in hac vita ad iustitiam pertinet esse superiori subditum.

NOTANDUM: Ante resurrectionem corporis partes irrationales (quae sunt in irascibili et in concupiscibili) non erunt actu in anima, sed solum radicaliter in essentia ejus (I P., q. lxxvii, art. 8); unde neque correspondentes virtutes erunt in actu, sed in radice. Post resurrectionem vero, vires irrationales in organis corporis erunt sicut et nunc sunt.

Unde erit in irascibili fortitudo, et temperantia in concupiscibili, perfecte dispositae, ad obediendum rationi. Justitia autem semper remanet, tum ratione subjecti, quia voluntas incorruptibilis est, tum etiam propter similitudinem actus, i. e. subjectioni superiori: propter hoc dicitur justitia «perpetua et immortalis» (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum virtutes intellectuales manean post hanc vitam.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Virtutes intellectuales manent post hanc vitam quantum ad species intelligibiles, quae sunt in intellectu possibili.

R. EST: quia species intelligibiles recipiuntur in intellectu possibili immobiliter secundum modum recipientis; unde et intellectus possibilis dicitur «locus specierum», quasi species intelligibiles conservans. - Quantum autem ad phantasmata destructo corpore destruuntur, ut patet.

NOTANDA: 1. - Species se habent in virtutibus intellectualibus sicut formales; phantasmata autem sicut materialia. Unde intellectuales virtutes manent post hanc vitam quantum ad id quod est formale in eis, non autem quantum ad id quod est materiale, sicut de moralibus dictum est (art. praec.).

2. - Anima separata post mortem habet alium modum intelligendi quam per conversionem ad phantasmata, ut dictum est (P. I, q. lxxxix, art. 1), et sic scientia manet: non tamen secundum eundem modum operandi, sicut de virtutibus moralibus dictum est (art. praec.) - (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum fides maneat post hanc vitam.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Cum ratione ipsius fidei, tum ratione subjecti.

R. PRIMI EST: quia imperfectio fidei, in quantum fides est *argumentum non apparentium* (Hebr. xi, 1), est de ratione ipsius, et consequenter perinet ad speciem ipsius; unde sublata hac imperfec-

tione per claritatem visionis, tollitur et species fidei. Unde non potest remanere eadem fides numero.

R. SECUNDI EST: quia fides in sui ratione habet imperfectionem quae est ex parte subjecti, ut scil. credens non videat id quod credit; beatitudo autem de sui ratione habet perfectionem ex parte subjecti, ut scil. beatus videat id quo beatificatur. Unde manifestum est quod impossibile est quod fides maneat simul cum beatitudine in eodem subjecto.

NOTANDUM: Fides medio se habet inter opinionem et scientiam. Excedit enim opinionem in hoc quod habet firmam inhaesionem; deficit vero a scientia in hoc quod non habet visionem (In corp. art.).

Art. IV. – *Utrum spes maneat post mortem in statu gloriae.*

RESP. NEG. – R. EST: quia spes *de ratione sui* importat imperfectionem subjecti (sicut dictum est de fide), inquantum importat motum quemdam in id quod non habetur. Consequenter, quando habetur id quod speratur, scil. divina fruitio, jam spes esse non poterit.

NOTANDA: 1. – Timor, qui in gloria remanet, non est ille qui spei opponitur, per oppositionem boni et mali; sed est timor reverentialis. In damnatis autem non est proprie timor; ut dictum est (q. xlii, art. 2), timor nunquam est sine aliqua spe evasionis. Est tamen in ipsis aliquis timor poenae quantum ad successionem poenarum, secundum quod remanet in ipsis ratio futuri, quod est objectum timoris (Ad 2m).

2. – Respectu gloriae corporis (post resurrectionem) in animabus sanctorum potest esse quidem desiderium, non autem spes, proprie loquendo; neque secundum quod spes est virtus theologica (sic enim ejus objectum est Deus, non autem aliquid bonum creatum); neque secundum quod communiter sumitur, quia objectum spei est arduum; quod in casu locum non habet (Ad 3m).

Art. V. – *Utrum aliquid fidei vel spei remaneat in gloria.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) Nihil idem numero vel specie, quod est in fide, remanet in patria, sed b) solum idem in genere; c) nec remanet idem genere quoad substantiam generis eadem numero. d) Quantum ad spem nihil omnino remanet.

R. PRIMI EST: quia remota differentia specifica nihil remanet idem numero vel specie; quia differentia est designativa generis. Cognitio autem fidei est hic ratione sui aenigmatica, in patria vero erit visio aperta.

R. SECUNDI EST: quia fides convenit cum visione patriae quantum ad cognitionem in genere.

R. TERTII EST: quia sublata specifica differentia, non potest substantia generis eadem numero remanere; sicut non remanet eadem animalitas, si sit alia anima constituens animal.

R. QUARTI EST: quia spes non convenit cum beatitudini neque in genere; comparatur enim spes ad beatitudinis fruitionem sicut motus ad quietem in termino.

Art. VI. – *Utrum remaneat charitas post hanc vitam in gloria.*

RESP. AFF. – R. EST: quia charitas est amor de cuius ratione non est imperfectio aliqua; i. e., non habet imperfectionem ratione speciei sui, sicut habent fides et spes (ut supra dictum est). Potest enim eadem charitas esse habiti (possessionem objecti amoris) vel non habiti, et visi vel non visi. Unde charitas remanet in patria eadem numero, et perfectissima erit quia removebitur ab ea id quod est in ipsa imperfectum per accidens, scil. ratione status huius vitae. – Unde charitas viae per augmentum non potest pervenire ad

aequalitatem charitatis patriae, propter differentiam quae est ex parte causae. Visio enim est quaedam causa amoris; Deus autem quanto perfectius cognoscitur, tanto perfectius amatur (Ad 3m).

QUAESTIO LXVIII

De donis Spiritus Sancti

Consequenter considerandum est de donis Spiritus Sancti et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum dona differant a virtutibus.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Non secundum nominis rationem; sed ut habitus, secundum quod nobis a Sacra Scriptura traduntur sub nomine spirituum, secundum quod in nobis sunt ab inspiratione divina. (Isa. xi, 2).

R. PRIMI EST: quia illud quod est ab alio, ut donum, potest esse perfectivum alicujus ad bene operandum, et sic haberet rationem virtutis.

R. SECUNDI EST: quia inspiratio importat quamdam motionem ab exteriori. Omne autem quod movetur, necesse est proportionatum esse motori. In homine autem est duplex principium movens: unum interius, quod est ratio; aliud exterius, quod est Deus. Sicut igitur virtutes humanae (etiam infusae) perficiunt hominem, secundum quod homo natus est moveri per rationem in his quae interius vel exterius agit; ita oportet inesse homini (altiores) dispositiones, secundum quas sit dispositus ad hoc quod divinitus moveatur; et istae perfectiones vocantur dona, non solum quia infunduntur a Deo, sed quia secundum ea homo disponitur ut efficiatur *prompte mobilis* ab inspiratione divina.

NOTANDA: 1. - Dona quandoque vocantur virtutes, sed secundum communem rationem virtutum, non autem proprie (Ad 1m).

2. - Sapientia dicitur intellectualis virtus, secundum quod procedit ex iudicio rationis; dicitur autem donum secundum quod operatur ex instinctu divino. Et similiter dicendum est de aliis (Ad 4m).

Art. II. - *Utrum dona sint homini necessaria ad salutem.*

RESP. AFF. - *Scil.:* In his in quibus instinctus rationis non sufficit.

R. EST: quia non habemus plenam et perfectam possessionem virtutum theologarum, quibus ad finem supernaturalem ordinamur; imperfecte enim diligimus et cognoscimus Deum, nec quantum ad omnia repellere possumus stultitiam (Ad 3m). Unde ut efficaciter moveamur ad finem ultimum, non sufficit motio rationis, etiam si ratio est virtutibus theologis formata, nisi desuper adsit instinctus et motio Spiritus Sancti per dona.

NOTANDA: 1. - Ratio est magis perfecta per virtutes theologicas quam per lumen naturale. Tamen haec perfectio perfectiori modo habetur ab homine quam illa. Perfectio luminis naturalis enim habetur ab homine quasi plena possessione, alia autem quasi imperfecta (In corp. art.).

2. - Dona excedunt communem perfectionem virtutum, non quantum ad genus operum, eo modo quo consilia praecedunt praecepta, sed quantum ad modum operandi, secundum quod movetur homo ab altiori principio (Ad 1m).

(Nota: Quod dona Spiritus Sancti non sunt communes inspirationes gratiae, quae ad omnem actum supernaturalem requiruntur, sed sunt speciales motiones Spiritus Sancti, hoc patet non solum quia dona sunt septem, inspirationes autem communes gratiae sunt sine numero; sed etiam hoc patet ex verbis nostri Doctoris. Dicit enim quod dona requiruntur ad «altiora» quam ad ea quae sunt virtutum; «oportet enim discipulum esse

dispositum ad hoc quod alteriorem doctrinam capiat a doctore » (art. praec.). Comparat dona ad virtutes heroicas et divinas, de quibus loquitur Philosophus, et secundum quas dicuntur aliqui *divini viri* (art. praec., ad 1m). Hic etiam (art. 2) non dicit quod virtutes theologicae non habent actum proprium, sed quod actus ipsarum virtutum non est perfectus sine donis, sine donis enim « imperfecte diligimus et cognoscimus Deum ». Dicit etiam ad 3m quod per virtutes non possumus repellere stultitiam *quantum ad omnia*; ergo quantum ad aliqua possumus. Unde virtutes theologicae operari possunt etiam sine donis, quamvis imperfecte; et propterea ad perfectionem virtutum « *semper* indigemus moveri quodam instinctu Spiritus Sancti » (Ad 2m). In hoc sensu ergo interpretanda sunt exempla de luna (quae secundum S. Doctorem, habet in se etiam lumen quoddam naturale, sed imperfectum), et de discipulo medicinae, ab ipso S. Doctore in hoc articulo illata.*

Art. III. – *Utrum dona Spiritus Sancti sint habitus.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Ut etiam ipse homo, in quantum est liberi arbitrii, quando a Spiritu Sancto per dona agitur, et ipse agat.

R. EST: quia sicut se habent virtutes morales ad vim appetitivam in comparatione ad rationem, ita se habent dona Spiritus Sancti ad homines in comparatione ad Spiritum Sanctum. Sicut igitur virtutes morales sunt habitus quidam quibus vires appetitivae disponuntur ad prompte obediendum rationi, ita dona sunt etiam habitus quidam, quibus homo perficitur ad prompte obediendum Spiritui Sancto.

NOTANDUM: Quia septem dona Spiritus Sancti necessaria sunt ad salutem, quantum ad ipsa Spiritus Sanctus semper manet in sanctis (Ad 2m). –

* Vide nostrum opus De Donis Sp. S. in **GENERE**, apud Marietti (Taurini).

(Consequenter dona esse non possunt in peccatoribus; et secundum hoc saltem, distinguenda sunt a motione gratiae actualis in non habentibus gratiam gratum facientem).

Art. IV. - *Utrum convenienter septem dona Spiritus Sancti enumerentur.*

RESP. AFF. - R. EST: quia motio Spiritus Dei in homine se extendit ad omnes vires humanas, sicut imperium rationis ad omnes vires appetitivas. Unde, sicut sunt virtutes in omnibus viribus hominis, quae possunt esse principia humanorum actuum; ita etiam sunt dona, scil. in ratione et in vi appetitiva. In ratione autem speculativa quantum ad apprehensionem est intellectus, in practica, consilium; quantum ad recte iudicandum, in ratione speculativa est sapientia; in practica, scientia. Appetitiva autem, in his quae sunt ad alterum, perficitur per pietatem; in his quae sunt ad seipsum perficitur per fortitudinem, contra timorem; per donum timoris, quod ad temperantiam correspondet, contra concupiscentiam et inordinatam inclinationem delectabilium; secundum illud Psal. cxviii, 120: « *Confige timore tuo carnes meas, a iudiciis enim tuis timui* ». Et sic patet quod haec dona se extendunt ad omnia ad quae se extendunt virtutes tam morales quam intellectuales.

NOTANDUM: Primo hominis unio cum Deo fit per fidem, spem et charitatem. Unde istae virtutes praesupponuntur ad dona, *sicut radices quaedam donorum*. Unde omnia dona pertinent ad has tres virtutes, sicut quaedam derivationes praedictarum virtutum (Ad 3m).

Art. V. - *Utrum dona Spiritus Sancti sint connexa.*

RESP. AFF. - R. EST: quia omnes vires animae disponuntur per dona in comparatione ad Spiritum Sanctum, sicut vires appetitivae disponun-

tur per virtutes morales in comparatione ad regimen rationis. Sicut igitur omnes virtutes morales connectuntur sibi invicem in prudentia, quae rationem perficit; ita omnia dona connectuntur in charitate, per quam Spiritus Sanctus in nobis inhabitat (Rom. v. 5). – Unde qui charitatem habet, omnia dona Spiritus Sancti habet; quorum nullum sine charitate haberi potest (In fine art.).

Art. VI. – *Utrum dona Spiritus Sancti remaneant in patria.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Quantum ad essentiam donorum perfectissime erunt in patria; quantum autem ad materiam circa quam in hoc statu vitae operantur, non erunt in patria.

R. PRIMI EST: quia dona perficiunt mentem humanam ad prompte sequendam motionem Spiritus Sancti: hoc autem praecipue erit in patria, quando *Deus erit omnia in omnibus* (I Cor. xv, 28), et homo erit totaliter Deo subditus.

R. SECUNDI EST: quia tales operationes locum non habebunt in statu gloriae. – Unde opera vitae activae non erunt (in patria) materia donorum, sed omnia habebunt actus suos circa ea quae pertinet ad vitam contemplativam, quae est vita beata (Ad 3m).

Art. VII. – *Utrum dignitas donorum attendatur secundum enumerationem Isaiae XI.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Secundum ordinem materiae circa quam, seu secundum quid, dignitatis ordo donorum sumitur secundum Isaiaem; nimirum: Sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, et timor Domini.

R. EST: quia secundum materiam bene ponitur consilium et fortitudo ante scientiam et pie-

tatem; nam consilium et fortitudo habent locum in arduis, pietas autem et scientia in communibus. – Simpliciter autem loquendo, i. e. per comparisonem ad proprios actus, dignitas donorum sumenda est ex principiis actuum, sicut in virtutibus, et sic est ordo: Sapientia, Intellectus, Scientia, Consilium, Pietas, Fortitudo et Timor; sicut virtutes intellectuales praeferuntur virtutibus moralibus; et inter intellectuales praeferuntur contemplativae activis. Inter virtutes morales justitia praefertur fortitudini et temperantiae, et fortitudo temperantiae, quibus respondent Pietas, Fortitudo et Timor. Prudentiae autem correspondet Consilium.

Art. VIII. – *Utrum virtutes sint praeferendae donis.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) Virtutes theologicae praeferuntur donis et regulant ea; b) dona autem praeferuntur virtutibus intellectualibus et moralibus.

R. PRIMI EST: quia sic se habent dona ad virtutes theologicas, sicut virtutes morales ad intellectuales. Sicut enim in virtutibus intellectualibus perficitur ratio quae est virtutum moralium motiva, ita in virtutibus theologis perficiuntur dona, quae Spiritui Sancto uniuntur per ipsas.

R. SECUNDI EST: quia dona perficiunt vires animae in comparisonem ad *Spiritum Sanctum* moventem; virtutes autem perficiunt vel ipsam rationem (virtutes intellectuales), vel vires in ordine ad rationem (virtutes morales).

NOTANDUM: Ordine generationis seu dispositionis virtutes morales praecedunt dona; per hoc enim quod homo bene se habet circa rationem propriam, disponitur ad hoc quod se bene habeat in ordine ad Deum (Ad 2m).

2. Sic relatio virtutum inter se et inter dona resumitur: Virtutes in tria genera distinguuntur: sunt enim quaedam virtutes theologicae, quaedam intellectuales, quaedam morales. Virtutes autem theologicae sunt quibus mens humana Deo conjungitur; virtutes autem intellectuales sunt quibus ratio ipsa perficitur; virtutes autem morales sunt quibus vires appetitivae perficiuntur ad obediendum rationi. Dona autem Spiritus Sancti sunt quibus omnes vires animae disponuntur ad hoc quod subdantur motioni divinae (In corp. art.).

QUAESTIO LXIX

De beatitudinibus

Deinde considerandum est de beatitudinibus; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum beatitudines distinguantur a virtutibus et donis.*

RESP. AFF. – *Scil.*: Ut actus distinguuntur ab habitibus.

R. EST: quia beatitudines sunt operationes virtutum et praecipue donorum (si loquamur de beatitudine aeterna), quibus movemur et appropinquamus ad finem beatitudinis. Beatitudo enim hic spe habetur ex eo quod aliquis convenienter movetur ad finem, et appropinquat ad ipsum; quod quidem fit per actionem. – Hinc beatitudines dici possunt opera quaedam eximia virtutum ac praecipue donorum, quatenus peculiari quadam ratione conducunt ad veram ac caelestem beatitudinem adipiscendam.

Art. II. – *Utrum praemia quae attribuuntur beatitudinibus, ad hanc vitam pertineant.*

RESP. AFF. – *Scil.*: Illa praemia quae aliquam beatitudinis inchoationem important; non vero illa quae perfectam beatitudinem important.

R. PRIMI EST: quia inchoatio beatitudinis jam est in hac vita, sicut est in viris perfectis. Ipsi enim consolantur per Spiritum Sanctum, jam misericordiam consecuti sunt, Deum, purgato oculo per donum intellectus, aliquo modo vident, et filii Dei nominantur et sunt. Tamen haec perfectius erunt in patria (Ad 3m).

R. SECUNDI EST: quia perfecta beatitudo non habetur hic, sed in alia vita.

Art. III. - *Utrum convenienter enumerentur beatitudines.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Convenientissime, secundum Matthaeum, cap. V.

R. EST: quia beatitudines enumerantur secundum triplicem hominis beatitudinem; quarum prima est falsa, et in vita voluptuosa consistit; quae est impedimentum beatitudinis futurae; alia est vitae activae; et ultima vitae contemplativae. Vita autem voluptuosa est vel in affluentia bonorum, sive divitiarum, sive honorum; vel in sequela passionum, sive irascibilis sive concupiscibilis. Quantum ad affluentiam divitiarum et honorum, homo retrahitur per virtutem, per quam moderate eis utatur, per dona autem ea totaliter contemnet: cui correspondet prima beatitudo: *Beati pauperes spiritu*. A sequela immoderata passionum irascibilis retrahit virtus; donum autem totaliter eas tranquillas reddit: et his correspondet secunda beatitudo: *Beati mites*. A sequela passionum concupiscibilis moderat virtus, donum autem eas totaliter abjicit; et, si necessarium fuerit, voluntarium luctum assumit: cui respondet tertia beatitudo: *Beati qui lugent*. Hae tres beatitudines igitur ponuntur ut removens impedimenta ad veram

beatitudinem consequendam. – Felicitas vitae activae autem habetur per bona opera erga proximum, sive ratione debiti, sive beneficii. Ratione debiti homo operatur per justitiam; per donum autem ferventi desiderio opera justitiae implet: et his respondet quarta beatitudo: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam*. Quantum ad beneficia, seu spontanea dona, habetur virtus liberalitatis, qua donamus quibus donandum est, puta amicis et nobis conjunctis; donum autem hoc facit propter Dei reverentiam: et circa hoc ponitur quinta beatitudo: *Beati misericordes*. – Quantum autem ad vitam contemplativam, sive perfectam (in patria), sive inchoatam, haec consideratur ut praemium vitae activae, prout homo perficitur in seipso per munditiam cordis a passionibus; et huic respondet sexta beatitudo: *Beati mundo corde*; – vel prout homo perficitur in comparatione ad proximum, scil. per pacem justitiae, secundum illud Isaiae xxxii, 17: *Opus justitiae pax*, circa quod septima beatitudo ponitur: *Beati pacifici*. – Octava autem beatitudo: *Beati estis cum maledixerint vobis*. etc., est quaedam confirmatio et manifestatio omnium praecedentium. Ex hoc enim quod aliquis est confirmatus in paupertate spiritus et mititate, et aliis sequentibus, provenit quod ab his bonis propter aliquam persecutionem non recedit. Unde octava beatitudo quodammodo ad septem praecedentes pertinet (Ad 5m).

NOTANDUM: Sanctus Lucas (cap. VI) nominat tantum quatuor beatitudines, inquantum narrat sermonem Domini factum esse *ad turbas*. Unde beatitudines enumerantur ab eo secundum capacitatem turbarum, quae solam voluptuosam et temporalem et terrenam beatitudinem noverunt. S. Ambrosius autem has quatuor beatitudines ut opera quatuor virtutum cardinalium enumerat, dicens: « *paupertas* pertinet ad temperantiam, quae

illecebrosa non quaerit; *esuries* ad justitiam, quia qui esurit, compatitur, et compatiendo largitur; *fletus* ad prudentiam, cujus est flere occidua; *patri odium hominum*, ad fortitudinem » (Ad 6m).

Art. IV. - *Utrum praemia beatitudinum convenienter enumerentur.*

RESP. AFF. - *Scil.*: Praemia ista convenientissime assignantur, considerata conditione beatitudinum secundum tres beatitudines supra assignatas (art. praec.).

R. EST: quia contra bona temporalia et caduca voluptuosae beatitudinis convenientissime repromittit bona spiritualia et aeterna. *Scil.*: illis qui divitias et honores propter Deum relinquunt, i. e. pauperibus spiritu, repromittit *regnum coelorum*; illis vero qui litigia et bella (ad quae quaedam passiones irascibilis impellunt) vetant, i. e. mitibus, quietam *possessionem terrae* viventium repromittit, per quam significatur soliditas bonorum aeternorum. Illis, qui dilectiones mundi, quae per appetitum concupiscibilis appetuntur, i. e. lugentibus, *consolationem* Dominus repromittit. - Quarta et quinta beatitudo ad opera activae beatitudinis pertinent per justitiam et misericordiam erga proximum. Unde, illis, qui injustitiam relinquunt propter justitiam, *saturitatem* repromittit; et illis, qui se non retrahunt a miseriis alienis, propter misericordiam, *miseri cordiam* repromittit per quam ab omni miseria liberentur. - Aliae vero duae ultimae beatitudines pertinent ad contemplativam felicitatem seu, beatitudinem, quae ut praemia indicantur meritorum dispositionum sive suiipsius, sive inter alios per pacem. Prioribus autem, qui per munditiam cordis disponuntur, repromittit *visionem Dei*; aliis vero, qui per pacem inter homines,

imitatores sunt Dei, qui est Deus unitatis et pacis, *filiationem divinam* repromittit, quae est in perfecta conjunctione ad Deum per sapientiam consummatam.

NOTANDUM: Sicut octava beatitudo est firmitas quaedam omnium beatitudinum, ita debentur ei omnium beatitudinum praemia (Ad 2m).

QUAESTIO LXX

De fructibus Spiritus Sancti

Deinde considerandum est de fructibus Spiritus Sancti, et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum fructus Spiritus Sancti quos Apostolus nominat ad Galatas V, sint actus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sunt operationes, quae, sub ratione ultimi seu termini et delectationis, ab homine procedunt secundum virtutem Spiritus Sancti in homine, quasi cujusdam divini seminis. Sicut igitur operatio hominis quae procedit ab homine secundum facultatem rationis, *fructus rationis* dicitur; ita istae operationes dicuntur *fructus Spiritus Sancti*. Illae sunt actus secundi rationis et delectationem habent quia sunt operanti convenientes; istae sunt operationes seu actus virtutum et donorum, qui secumferunt delectationem secundum Spiritum Sanctum.

NOTANDUM: 1. – Cum fructus habeat quodammodo rationem ultimi et finis, nihil prohibet alicujus fructus esse alium fructum, sicut finis ad finem ordinatur. Unde, opera nostra, in quantum sunt effectus quidam Spiritus Sancti in nobis operantis, habent rationem fructus; in quantum vero ordinantur ad finem vitae aeternae, habent magis rationem florum: unde dicitur Eccli. xxiv, 23: *Flores mei fructus honoris et honestatis* (Ad 1m).

2. – Nomina virtutum quandoque sumuntur pro actibus eorum; sicut quando dicitur: Fides est credere, et similia. Et hoc modo sumuntur nomina virtutum in enumeratione fructuum (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum fructus a beatitudinibus differant.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Plus ad rationem beatitudinis quam ad rationem fructus requiritur.

R. EST: quia ad rationem fructus sufficit quod sit aliquid habens rationem ultimi et delectabilis. Sed ad rationem beatitudinis ulterius requiritur quod sit aliquid perfectum et excellens. Unde omnes beatitudines possunt dici fructus, sed non convertitur. Unde beatitudines ratione suae perfectionis magis attribuuntur donis quam virtutibus.

Art. III. – *Utrum fructus convenienter enumerentur ab Apostolo.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Fructus duodecim, qui sunt: Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas; et significari possunt per duodecim fructus de quibus Apoc. ult. 2: *Ex utraque parte fluminis lignum vitae, afferens fructus duodecim.*

R. EST: quia fructus Spiritus Sancti, qui quasi ex quodam divino semine procedunt, bene enumerantur secundum processus Spiritus Sancti in nobis. Spiritus Sanctus autem procedit ad hoc ut, primo, mens nostra ordinetur in seipsa; secundo, circa ea quae sunt juxta; et tertio, circa ea quae sunt infra. Quantum ad se ipsam, oportet mentem ordinari in primis circa amorem, qui est prima affectio, et omnium affectionum radix: et hoc fit per charitatem. Sequela charitatis autem est *gaudium*. Et ad gaudium perfectum sequitur *pax*, tum quia gaudium importat quietem ab exterioribus conturbantibus, tum etiam quia qui cor habet perfecte in uno peccatum, a

nullo alio molestari potest, cum alia quasi nihil reputet. Sic ordinatur mens in bonis. In malis autem ordinatur per Spiritum Sanctum ut non perturbetur per imminetia malorum, quod fit per *patientiam*; et (secundo) ut non perturbetur in dilatatione bonorum, quod pertinet ad *longanimitatem*. – Ad id autem quod est juxta hominem, scil. proximum, disponitur mens nostra primo quidem quantum ad voluntatem bene faciendi; et ad hoc pertinet *bonitas*; secundo, quantum ad beneficentiae executionem, et ad hoc pertinet *benignitas* (quasi bono igni amoris fervens); tertio autem ad hoc quod aequanimiter tollentur mala ab eis illata, et hoc pertinet ad *mansuetudinem*, quae cohibet iram; et quarto, quantum ad hoc quod nec per fraudem vel dolum proximis noceamus, quod fit per *fidem*, si pro fidelitate hic sumatur. – Ad id autem quod infra est, disponitur mens nostra, primo quidem quantum ad exteriores actiones, scil. per *modestiam*, quae in omnibus dictis et factis modum servat; et quantum ad interiores concupiscentias per *continentiam* et *castitatem*.

NOTANDA: 1. Si fides (ut fructus) sumatur pro fide qua creditur in Deum sic per hanc ordinatur homo ad id quod est supra se, ut scil. homo intellectum suum Deo subjiciat, et per consequens omnia quae ipsius sunt (In corp. art.).

2. Continentia et castitas distinguuntur per hoc quod castitas refrenat hominem ab illicitis, continentia vero a licitis; vel etiam, per hoc quod continens patitur concupiscentias, sed non deducitur; castus autem neque patitur, neque deducitur (In fine art.).

3. Sicut Aug. dicit (supra Epis. ad Galatas), «Apostolus non hoc ita suscepit, ut doceret, quot sunt vel opera carnis, vel fructus Spiritus; sed ut ostenderet, in quo genere illa vitanda, illa vero sectanda sint». Unde potuissent vel plures vel etiam pauciores fructus enumerari. Et tamen om-

nes donorum et virtutum actus possunt secundum quamdam convenientiam ad haec reduci, secundum quod omnes virtutes et dona necesse est quod ordinent mentem aliquo praedictorum modorum (Ad 4m).

Art. IV. - *Utrum fructus Spiritus Sancti contrariantur operibus carnis.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) Secundum communem rationem contrariantur fructus operibus carnis; b) non autem singula singulis secundum rationem propriam; c) tamen secundum quamdam adaptationem S. Augustinus (super Epist. ad Galatas, c. 5) contraponit singulos fructus singulis operibus carnis.

R. PRIMI EST: quia sunt sicut motus sursum et motus deorsum. Etenim, Spiritus Sanctus movet humanam mentem ad id quod est secundum rationem, vel potius ad id quod est supra rationem; appetitus autem carnis, trahit ad bona sensibilia, quae sunt infra hominem.

R. SECUNDI EST: quia, sicut dictum est (art. praec. ad 4m), Apostolus non intendit enumerare omnia opera spiritualia, nec omnia carnalia.

R. TERTII EST: quia sic potest charitas, per quam anima conjungitur Deo, in qua etiam est vera castitas, contraponi *fornicationi*, quae est amor explendae libidinis a legitimo connubio solutus. Et sic similiter contraponit *immunditiae* gaudium, *servituti idolorum* paci; *veneficiis*, *inimicitiiis*, *contentionibus*, *animositatibus* et *dissentionibus* longanimitatem, benignitatem et bonitatem. *Haeresibus* autem opponitur fides; *invidiae* mansuetudo; *ebrietatibus* et *comessationibus* continentia.

NOTANDUM: Quia « bonum contingit uno modo, malum vero omnifariam », ut Dionysius dicit, unde est quod uni virtuti plura vitia opponuntur. Et propter hoc non est mirum, si plura ponuntur opera carnis quam fructus Spiritus (Ad 2m).

DE VITIIS ET PECCATIS *

Consequenter considerandum est de vitiis et peccatis. – Circa quae sex considerata occurrunt: primo quidem de ipsis vitiis et peccatis secundum se; secundo de distinctione eorum; tertio de comparatione eorum ad invicem; quarto de subjecto peccati; quinto de causa ejus; sexto de effectu ipsius. – Circa primum quaeruntur sex:

QUAESTIO LXXI

De vitiis et peccatis secundum se

Art. I. – *Utrum vitium contrarietur virtuti.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Vitium opponitur virtuti secundum id quod *directe* est de ratione virtutis, i. e., inquantum virtus importat dispositionem quamdam alicujus convenienter se habentis secundum modum suae naturae.

R. EST: quia vitium uniuscujusque rei esse videtur quod non sit disposita secundum quod convenit suae naturae. Unde Augustinus dicit (De Lib. Arb. lib. III, cap. 4, in fine): « Quod perfectioni naturae deesse perspexeris, id voca vitium ».

NOTANDA: 1. *Malitia* contrariatur ei quod virtutis est secundum essentiam non directe, sed ex consequenti, i. e., inquantum virtus est bonitas quaedam, eo quod est dispositio secundum naturam. *Peccatum* autem contrariatur virtuti inquantum ordinatur ad actum; nam peccatum proprie nominat actum inordinatum, sicut actus virtutis est actus ordinatus et debitus (In corp. art.).

2. Virtuti magis opponitur vitium quam morbus vel aegrotatio animi (haec enim duo in animo non possunt nisi cogitatione secerni, ut Tullius dicit); quia in plus se habet vitium quam aegre-

*Vide nostram « Divisionem Schematicam ». – Tab. XV.

tatio vel morbus animi. Ista autem important inordinatum affectum; quem vitium non ex necessitate importat; sunt enim quaedam peccata ex infirmitate, vel ex passione, magis quam ex inordinato affectu causantur (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum vitium sit contra naturam.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Et intantum est contra naturam hominis, inquantum est contra ordinem rationis.

R. EST: quia vitium opponitur virtuti (art. praec.); virtus autem est bene dispositiva secundum convenientiam suae naturae; vitium autem dicitur ex hoc quod est qualitas dispositiva contra id quod convenit suae naturae; et propter hoc vitium a vituperatione trahitur, ut S. Aug. dicit. - Intantum autem est contra naturam hominis, inquantum est contra ordinem rationis, quia natura uniuscujusque rei est a forma; natura autem hominis, ut homo, constituitur per animam rationalem. Quod est ergo secundum rationem, est secundum naturam hominis, inquantum est homo; et e contra: proprie est contra naturam hominis, id quod est contra rationem.

NOTANDA: 1. Ex hoc vitia et peccata in hominibus proveniunt, quod sequuntur inclinationem naturae sensitivae contra ordinem rationis (Ad 3m).

2. Lex aeterna comparatur ad ordinem rationis humanae, sicut ars ad artificiatum. Unde ejusdem rationis est quod vitium et peccatum sit contra ordinem rationis humanae, et quod sit contra legem aeternam (Ad 4m).

Art. III. - *Utrum vitium sit pejus quam actus vitiosus.*

RESP. NEG. - R. EST: quia etiam in bonitate et malitia habitus medio modo se habet inter potentiam et actum. Sicut igitur actus, in bono et in malo, praeminet potentiae (melius est enim

bene agere, quam posse bene agere; et vituperius est male agere, quam posse male agere); ita praeeminet etiam habitui. – Et hoc apparet etiam ex eo quod habitus dicitur bonus vel malus, ratione bonitatis vel malitiae actus: id autem propter quod unumquodque tale, et illud magis. – Sic simpliciter potior est actus; sed quia habitus habet rationem diurnitatis, quam actus non habet, vel etiam alias qualitates, quas actus non habet, ut actus, ideo secundum hoc, i. e., secundum quid habitus est potior (Ad 1m).

NOTANDUM: Habitus est causa actus in genere causae efficientis; sed actus est causa habitus in genere causae finalis, secundum quam consideratur ratio boni et mali; et ideo in bonitate et malitia actus praeeminet habitui (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum peccatum simul possit esse cum virtute.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) cum virtutibus acquisitis; b) non autem cum virtutibus infusis, in quantum sunt virtutes; et nisi sit peccatum veniale.

R. PRIMI EST: quia sicut habitus non generatur per unum actum, ita nec per unum actum corrumpitur.

R. SECUNDI EST: quia virtutes infusae, in quantum sunt virtutes, i. e. perfectae, radicem habent in charitate, cui contrariatur peccatum mortale; non autem veniale, quos per consequens ipsam non excludit, nec alias. Fides autem et spes informes, possunt simul esse cum peccato; sed istae, in quantum sunt informes, non sunt virtutes perfectae.

Art. V. – *Utrum in quolibet peccato sit aliquis actus.*

RESP. NEG. – *Scil.:* in peccato omissionis, de quo hic agitur, a) si intelligatur solum illud quod per se pertinet ad rationem peccati, sic quan-

doque habetur actus interior, quandoque non habetur neque actus interior, neque exterior; b) si intelligantur etiam causae et occasiones omissionis, sic necesse est in peccato omissionis *aliquem actum esse*, si directe feruntur in omissionem; si autem se habent *per acc.* ad omissionem, omissio erit per se loquendo absque omni actu.

R. PRIMI EST: quia omissio provenit ex hoc quod aliquis *vult* non facere quod facere tenetur, puta cum aliquis vult non ire ad ecclesiam, quando ad hoc tenetur. Quandoque autem hoc provenit quia hora qua tenetur e. g. ire ad ecclesiam, nihil cogitat de eundo vel non eundo ad ecclesiam. (Quod fieri potest sine culpa).

R. SECUNDI EST: quia si causa vel occasio directe infertur in omissionem, si causa vel occasio subdatur voluntati, non potest esse sine actu saltem interiori voluntati; puta cum aliquis vult non ire ad ecclesiam. Si vero causa vel occasio se habet tantum *per accidens* ad omissionem, i. e. praeter intentionem (hoc enim dicimus per acc. quod est praeter intentionem), puta cum aliquis vult diu vigilare de sero, ex quo sequitur (praeter intentionem) quod non vadat hora matutinali ad ecclesiam, tunc verius dici potest quod tale peccatum omissionis, absque omni actu esse; quia iudicium de rebus dandum est secundum illud quod est *per se* in rebus, non autem secundum illud quod est *per accidens*.

NOTANDUM: Peccatum omissionis contrariatur praecepto affirmativo, quod obligat semper sed non ad semper (Ad 3m).

Art. VI. - *Utrum convenienter definiatur peccatum esse dictum, vel factum, vel concupitum contra legem aeternam.*

RESP. AFF. - R. EST: quia peccatum nihil aliud est quam actus humanus malus. Inquantum est

actus humanus, est circa dictum, factum vel concupitum voluntarium, quod constituit *materiale* peccati; inquantum autem est malus, importat carentiam debitae commensurationis, scil. ad regulam voluntatis humanae, quae est lex; et hoc habetur quasi *formale* peccati.

NOTANDUM: Lex seu regula regulans voluntatem humanam est duplex: una *propinqua*, et homogenea, et est ipsa humana ratio: alia vero est *prima* regula, scil. lex aeterna quae est quasi ratio Dei (In corp. art.). – A theologis consideratur peccatum praecipue secundum quod est offensa contra Deum; a Philosopho autem morali, secundum quod contrariatur rationi. Et ideo Augustinus convenientius definit peccatum ex hoc quod est contra legem aeternam, quam ex hoc quod est contra rationem; praecipue cum per legem aeternam regulemur in multis quae excedunt rationem humanam, sicut in his quae sunt fidei (Ad 5m).

QUAESTIO LXXII

De distinctione peccatorum

Deinde considerandum est de distinctione peccatorum vel vitiorum; et circa hoc quaeruntur novem:

Art. I. – *Utrum peccata differant specie secundum objecta.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Peccata specie distinguuntur ex parte actuum voluntariorum, magis quam ex parte inordinationis in peccato existentis.

R. EST: quia illud quod est *per se* in peccato est ex parte actus voluntarii, inquantum peccans intendit talem actum exercere in tali materia. Inordinatio autem (ad regulam moralitatis) se habet *per accidens* ad intentionem peccantis: « nullus enim intendit ad malum operatur ». Actus

autem voluntarii distinguuntur specie secundum objecta (q. xviii, art. 2) seu secundum finem, quod in idem redit, cum objectum habeat rationem boni (Ad 1m).

NOTANDUM: Peccatum non est pura privatio, sed est actus debito ordine privatus. Et ideo peccata magis distinguuntur specie secundum opposita; quamvis, etiamsi distinguantur secundum oppositas virtutes, in idem rediret; virtutes enim distinguuntur specie secundum objecta (q. ix, art. 5).

Art. II. - *Utrum convenienter distinguantur peccata spiritualia a carnalibus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia duplex est delectatio, ad quam per peccatum appetitus inordinate tendit, (quaes. xxxi, art. 3): una animalis (seu animae), quae consummatur in sola apprehensione rei ad votum habitae, sicut cum aliquis delectetur in laude humana, et haec dicitur delectatio spiritualis; alia autem est naturalis, seu corporalis, quae per tactum corporalem perficitur, et haec dicitur delectatio carnalis; sicut gula, quae perficitur in delectatione ciborum, et luxuria, quae perficitur in delectatione venererorum. Peccata autem recipiunt speciem ab objecto et fine.

NOTANDUM: Quamvis ratione finis distinguuntur specificiter peccata inter spiritualia et carnalia, tamen omnis rationis humanae defectus initium habet aliquo modo ex sensu carnali (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum peccata distinguantur specie secundum causas.*

RESP. NEG. - *Scil. :* a) Peccata non distinguuntur specie secundum causas activas vel motivas, (seu moventes); sed b) secundum causam finalem.

R. PRIMI EST: quia principia activa in actibus voluntariis non se habent ex necessitate ad unum;

et ideo ex uno principio activo vel motivo possunt diversae species peccatorum procedere; sicut ex timore male humiliante potest procedere quod homo furetur, et quod occidat, et quod deserat gregem sibi commissum.

R. SECUNDI EST: quia finis est objectum voluntatis; actus autem humani habent speciem ex fine. – Quantum ad causam formalem et materialem, hic non habent locum, quia istae constituunt substantiam, non autem actum; peccatum autem non est substantia, sed actus.

NOTANDUM: Objecta, quamvis secundum quod sunt materia circa quam, habeant rationem terminorum, a quibus motus specificantur; tamen etiam termini motus dant speciem motibus, inquantum habent rationem finis (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum peccatum convenienter distinguatur in peccatum in Deum, in seipsum, et in proximum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia peccatum est actus inordinatus. Ordo autem in homine est triplex: unus est secundum regulam rationis, alter secundum regulam legis divinae, et tertius est quo ordinatur ad alios homines; nam homo non est animal solitarius, sed naturaliter politicum et sociale.

NOTANDUM: Ordo Dei continet ordinem rationis et excedit ipsum; quaedam enim continentur in ordine Dei quae excedunt rationem humanam; sicut ea quae sunt fidei, et quae debentur soli Deo. Similiter ordo socialis includit ordinem rationis et excedit ipsum, inquantum quod in quibusdam ordinamur secundum rationem quantum ad nos tantum (In corp. art.). Haec peccata specificè distinguuntur non secundum quod unus ordo in alio includitur, sed secundum quod unus ordo alium excedit. Sic peccatum *in Deum* proprie est in hoc secundum quod ordo seu regula legis divinae excedit regulam humanam, i. e., per peccata

contra virtutes theologicas. Similiter, peccata contra iustitiam sunt proprie illa quae sunt *in proximum*; et peccata contra temperantiam et fortitudinem sunt proprie *in seipsum* (Ad 1m, et in corp. art.).

Art. V. - *Utrum divisio peccatorum, quae est secundum reatum, diversificet speciem.*

RESP. NEG. - *Scil.*: Differentia venialis et mortalis peccati, vel quaecumque alia differentia quae sumitur penes reatum (seu poenam), non potest esse differentia constituens diversitatem speciei.

R. EST: quia poena *per accidens* se habet ad peccatum ex parte peccantis; est enim praeter intentionem peccantis; imo contra voluntatem ejus (Ad 3m). Id autem quod est *per accidens* nunquam constituit speciem.

NOTANDA: 1. Ex parte iustitiae judicantis diversas poenas infliguntur diversis peccatis; unde differentia reatus peccatorum potest consequi diversitatem specificam peccatorum, non autem constituere (In corp. art.).

2. Differentia peccati venialis et mortalis consequitur diversitatem inordinationis quae complet rationem peccati. In mortali peccato inordinatio habetur per abstractionem principii ordinis moralitatis, per aversionem ab ultimo fine, cui anima unitur per charitatem. In veniali autem inordinatio est circa ea quae sunt post principium, i. e., salvo principio; sicut aegritudo est inordinatio in corpore, salvo principio vitae. Unde peccatum mortale quantum est de se, habet lapsum irreparabile, et ideo est aeternaliter puniendus; veniale autem reparabiliter deordinat; quia salvatur principium, sicut ille qui in speculativis non errat circa principia, sed circa conclusiones. Unde veniale dicitur quasi ut non mereatur interminabilem poenam (Passim in corp. art.).

3. Peccatum mortale differt a veniali in infinitum ex parte aversionis, scil. a Deo, non autem ex parte conversionis (ad creaturam) per quam respicit objectum. Unde in eadem specie inveniri potest peccatum mortale et veniale, ut patet (Ad 1m).

Art. VI. – *Utrum peccatum commissionis et omissionis differant specie.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Non differunt specie differentia formali, sed differentia materiali.

R. EST: quia peccata commissionis et omissionis ad idem ordinantur, et ex eodem motivo procedunt; sic, e. g., avarus ad congregandum pecuniam et rapit, et non dat ea quae dare debet. Sed materialiter differunt secundum quod, large loquendo de specie, negatio vel privatio speciem habet. In peccatis enim differentia materialis attenditur secundum naturalem speciem actuum peccati; formalis autem secundum ordinem ad unum finem proprium, quod etiam est objectum proprium.

NOTANDUM: Semper in rebus negatio fundatur super aliqua affirmatione, quae est quodammodo causa ejus (In corp. art.). Unde negatio, etsi proprie non sit in specie, constituitur tamen in specie per reductionem ad aliquam affirmationem quam sequitur (Ad 3m). Unde ommissio et commissio circa idem ad unum reducuntur.

Art. VII. – *Utrum convenienter dividatur peccatum in peccatum cordis, oris, et operis.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) non sicut diversas species completas; sed b) haec tria pertinet ad unam perfectam peccati speciem.

R. PRIMI EST: quia consummatio peccati est in opere, unde peccatum operis habet speciem completam; sed prima inchoatio ejus est quasi fundatio in corde; secundus autem gradus ejus est in ore, secundum quod homo prorumpit facile ad manifestandum conceptum cordis; tertius autem gradus jam est in consummatione operis. Et sic haec tria differunt secundum diversos gradus peccati.

R. SECUNDI EST: quia ab eodem motivo procedunt. Sic iracundus, ex hoc quod appetit vindictam, primo quidem perturbatur in corde; secundo in verba contumeliosa prorumpit; tertio vero procedit usque ad facta injuriosa; et idem patet in luxuria et in quolibet alio peccato.

NOTANDUM: Peccatum cordis et oris, non distinguuntur a peccato operis quando simul cum eo conjunguntur; sed ab invicem distinguuntur prout quodlibet horum per se invenitur (Ad 3m).

Art. VIII. - *Utrum superabundantia et defectus diversificent species peccatorum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ubicumque occurrat diversum motivum inclinans intentionem ad peccandum, ibi est diversa species peccati. Manifestum est autem quod non est idem motivum ad peccandum in peccatis quae sunt secundum superabundantiam, et in peccatis quae sunt secundum defectum; quinimo sunt contraria motiva; sicut motivum in peccato intemperantiae est amor delectationum corporalium, motivum autem in peccato insensibilitatis est odium earum. Unde hujusmodi peccata non solum differunt specie, sed etiam sunt sibi invicem contraria.

NOTANDUM: Duo sunt in peccato: ipse actus, et inordinatio ejus, prout recedit ab ordine rationis et legis divinae. Species peccati attenditur non ex parte inordinationis, quae est praeter intentionem peccantis (art. 1, hujus q.), sed ex parte ipsius actus, secundum quod terminatur ad objectum in quod fertur intentio peccantis (prima pars articuli).

Art. IX. - *Utrum peccata diversificentur specie secundum diversas circumstantias.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Nisi corruptiones diversarum circumstantiarum proveniant a diversis motivis.

R. EST: quia ubi occurrit aliud motivum ad peccandum, ibi est alia peccati species: quia motivum ad peccandum est finis et objectum, sicut patet, e. g., in diversis speciebus gulae, quae sunt: praepropere, laute, nimis, ardentem, studiose. Ubi autem motiva non sunt diversa, nec circumstantiae diversificant speciem (Ad 2m).

QUAESTIO LXXIII

De comparatione peccatorum ad invicem

Deinde considerandum est de comparatione peccatorum ad invicem; et circa hoc quaeruntur decem:

Art. I. – *Utrum omnia peccata sint connexa.*

RESP. NEG. – R. EST: quia per peccatum receditur ab unitate rationis accedendo ad multipliciter bonorum appetibilium secundum intentionem peccantis, a quibus peccata speciem sortiuntur, et quae inter se non sunt connexa, sed interdum sunt etiam contraria. E contra, in virtutibus est accessio a multitudine bonorum ad unitatem rationis per prudentiam.

NOTANDUM: Amor Dei, qui facit civitatem Dei, est congregativus, in quantum affectum hominis a multis ducit in unum; et ideo virtutes quae ex amore Dei causantur, connexionem habent. Sed amor sui, qui facit civitatem Babylonis, ut Aug. dicit, disgregat affectum hominis in diversa, prout scilicet homo se amat appetendo sibi bona temporalia, quae sunt varia et diversa; et ideo vitia et peccata, quae causantur ex amore sui, non sunt connexa (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum omnia peccata sint paria.*

RESP. NEG. – R. EST: quia non omnia peccata aequaliter recedunt a rectitudine rationis, sed

quaedam plus, alia minus. Nec unquam ordo rationis totaliter tollitur; alioquin malum, si sit integrum, destruet seipsum. Et ratio hujus est quia privatio quae est de vitiis et peccatis non est privatio pura et simplex quae consistit quasi in *corruptum esse*, sicut privatio vitae, et quae plus et minus non admittit; sed est privatio aliquid retinens de habitu opposito, quae consistit in *corrumpi*, et ideo admittit plus et minus, sicut aegritudo.

NOTANDUM: (Omnia peccata mortalia important privationem gratiae sanctificantis, quae est vita animae; sed non omnia habent aequalem inordinationem rationis).

Art. III. - *Utrum gravitas peccatorum varietur secundum objecta.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia peccatum est tanto gravius, quanto deordinatio contingit circa aliquod principium quod est prius in ordine rationis. Sicut aegritudo est periculosior, quanto magis ad cor, quod est principium vitae, accedit. Principium autem in ordine rationis habet rationem finis actuum, quae sunt objecta (q. lxxii, art. 3 ad 2m). Et ideo secundum diversitatem objectorum attenditur diversitas gravitatis in peccatis. Imo differentia peccatorum quae attenditur penes objecta, est prima et principalis, quia est quasi consequens speciem; peccata enim habent speciem ex objectis.

Art. IV. - *Utrum gravitas peccatorum defferat secundum dignitatem virtutum quibus opponuntur.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) Secundum quod peccatum opponitur principaliter et directe virtuti secundum ejus objectum; b) non autem secundum oppositionem quae attenditur secundum cohibitionem peccati a virtute.

R. PRIMI EST: quia sicut ex parte objecti attenditur major gravitas peccati, ita etiam major dignitas virtutis; utrumque enim ex objecto speciem sortitur (q. lx, art. 5; et q. lxii, art. 1).

R. SECUNDI EST: quia sic quanto aliqua virtus fuerit major, tanto etiam minora peccata cohibet; sicut abundans justitia cohibet iram, quae est minus peccatum quam homicidium, quod cohibet minor justitia, ut Dominus ipse affirmat (Matth. 5).

Art. VI. – *Utrum peccata carnalia sint minoris culpa quam spiritualia.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Considerata sola differentia spiritualitatis et carnalitatis, caeteris paribus.

PRIMA R. est ex parte subjecti: quia spiritus est converti ad Deum, et ab eo averti. Peccatum carnale plus habet de conversione et adhaesione ad creaturam, quam de aversione a Deo. Peccatum autem spirituale minus habet de conversione et plus de aversione, in qua est ratio culpa.

SECUNDA R. est ex parte ejus in quem peccatur: quia per peccatum carnale peccatur in proprium corpus, quod est minus diligendus secundum ordinem charitatis, quam Deus et proximus, in quos peccatur per peccatum spirituale.

TERTIA R. est ex parte motivi: quia quanto fortius est impulsivum ad peccandum, tanto homo minus peccat; peccata autem carnalia habent impulsivum ipsam concupiscentiam quae est nobis innata.

NOTANDUM: Peccatum carnale majoris infamiae est quam spirituale peccatum, quia peccata carnalia sunt circa delectationes quae sunt communes nobis et brutis, unde quodammodo per ipsa, homo brutalis redditur, ut Greg. dicit (Mor. lib. xxxiii, cap. 2). – (Ad 3m).

Art. VI. – *Utrum gravitas peccatorum attendatur secundum causam peccati.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) Sive causa sit per se et propria, quae in casu est voluntas peccandi; b) sive sit causa extrinseca et remota, si ista inducat voluntatem ad peccandum secundum ipsam naturam voluntatis; c) secus tamen si causa extrinseca inducat voluntatem praeter naturam ipsius, sive ex parte iudicii rationis, sive ex parte motus voluntatis.

R. PRIMI EST: quia, ut patet, voluntas cum sit causa directa peccati, quanto intensior est voluntas peccandi, tanto gravius est peccatum.

R. SECUNDI EST: quia causae extrinsecae et remotae quae ipsam voluntatem inducunt *secundum naturam ipsius*, i. e., secundum finem, quod est objectum voluntatis, augent voluntarium et malitiam; gravius enim peccat cujus voluntas ex intentione peioris finis inclinatur ad peccandum.

R. TERTII EST: quia tales causae extrinsecae, quae voluntatem inclinant praeter naturam et ordinem ejus, faciunt sic quod ipsa non libere se moveat a seipsa, nec secundum iudicium rationis. Sic infirmitas, violentia, metus aut aliquid hujusmodi, sicut etiam ignorantia, quae est ex parte rationis, diminuunt voluntarium; et si actus sit omnino involuntarius, non habet rationem peccati.

Art. VII. – *Utrum circumstantia aggravet peccatum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia, ut Philosophus dicit (Ethic. lib. II, cap. 1): « unumquodque ex eodem natum est augeri, ex quo causatur ». Peccatum autem causatur (etiam) ex defectu alicujus circumstantiae, quam quis observare debet secun-

dum rationis ordinem; puta si aliquis operetur quando non debet, vel ubi non debet. Unde peccatum natum est per circumstantiam aggravari.

NOTANDUM: Tripliciter contingit peccatum aggravari per circumstantiam: *a*) in quantum circumstantia transfert (peccatum) in aliud genus peccati, sicut fornicatio *cum alterius uxoris*, quod transfert peccatum fornicationis in injustitiam. – *b*) in quantum multiplicet rationem peccati sed in eodem genere peccati; sicut si prodigus det cui non debet, et *quando* non debet. – *c*) In quantum augeat deformitatem proveniente ex alia circumstantia; sicut accipere alienum, et *multum* accipere de alieno, quod aggravat peccatum furti.

Art. VIII. – *Utrum gravitas peccati augeatur secundum majus nocumentum.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Secundum quod nocumentum se habet ad praevisionem et intentionem peccantis.

R. EST: quia si nocumentum est praevisum et intentum, tunc *directe* auget gravitatem peccati; quia tunc nocumentum est per se objectum peccati. Si autem est praevisum tantum, et non intentum, tunc auget etiam peccatum sed *indirecte*, quia quamvis sit praeter intentionem peccantis, tamen accidit ex hoc quod voluntas ita fortiter est inclinata ad peccatum faciendum, quod faciat damnum, quod simpliciter non vellet facere; sicut si aliquis ut compendiosus vadat ad fornicandum, infert scienter nocumentum in agro per quem transit. Si vero nocumentum nec est praevisum nec intentum, tunc si hoc nocumentum per accidens se habet ad peccatum, non auget peccatum; sed imputantur homini illa mala quae sequuntur ex negligentia; si autem nocumentum hoc sequatur per se ex actu peccati, tunc *directe* peccatum aggravat; quia quaecumque per se consequuntur ad peccatum, pertinent

quodammodo ad ipsam peccati speciem. - Unde nocumentum aggravat peccatum, inquantum facit actum moralem essem agis inordinatum (Ad 2m).

Art. IX. - *Utrum peccatum aggravetur secundum conditionem personae in quam peccatur.*

RESP. AFF. - R. EST: quia persona in quam peccatur est quodammodo objectum peccati. Prima autem gravitas peccati attenditur ex parte objecti (art. 3 hujus quaes.); et tanto quidem attenditur major gravitas in peccato, quanto objectum ejus est principalior finis. Peccatum in personam Deo unitam ratione virtutis vel ratione officii magis in Deum redundat. Peccatum in personam nobis unitam seu naturali conjunctione seu beneficiis magis in nos redundat, et ideo gravius est. Ex parte autem proximi tanto gravius peccatur, quanto peccatum pluries attingit. Unde peccatum in personam publicam, puta regem vel principem, est gravius quam peccatum in personam privatam.

Art. X. - *Utrum magnitudo personae peccantis aggravet peccatum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Illa peccata quae ex deliberatione procedunt; non autem illa quae ab homine virtuoso ex subreptione proveniunt propter infirmitatem humanae naturae.

RR. PRIMI SUNT: a) quia facilius possunt resistere peccato majores, puta qui excedunt in scientia et virtute: unde Dominus dicit (Lc. xii, 47): *Servus sciens voluntatem Domini sui, et non faciens, plagis vapulabit multis;* b) propter ingratitude; secundum illud Sapientiae, VI, 6:

Potentes potenter tormenta patientur; c) propter specialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem personae; d) propter exemplum sive scandalum, quia, ut Greg. dicit (Past. P. I, cap. 2); « in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia gradus peccator honoratur ». Ad plurimum etiam notitiam perveniunt peccata magnorum, et magis homines ea indigne ferunt.

R. SECUNDI EST: quia virtuosus minus negligit talia peccata reprimere quae ex subreptione proveniunt, propter infirmitatem naturae.

QUAESTIO LXXIV

De subjecto peccatorum

Deinde considerandum est de subjecto vitiorum sive peccatorum; et circa hoc quaeruntur decem:

Art. I. – *Utrum voluntas sit subjectum peccati.*

RESP. AFF. – *Scil. :* Peccatum est in voluntate sicut in subjecto.

R. EST: quia voluntas est principium actuum moralium (q. 1, art. 1; et q. xviii, art. 6). Actus autem morales remanent in agente, i. e., non transeunt in exteriorem materiam. In istis enim subjectum actuum est ipsa materia in quam transeunt; illorum vero subjectum est ipsum agens, seu principium eorum. – Non inclinatur tamen voluntas ad malum sub ratione mali, sed quia aliquod malum est apparens bonum, ideo voluntas aliquando appetit aliquod malum; et secundum hoc peccatum est in voluntate (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum sola voluntas sit subjectum peccati.*

RESP. NEG. - R. EST: quia non sola voluntas est principium actus voluntarii: actus enim voluntarii dicuntur non solum illi qui eliciuntur a voluntate, sed etiam illi qui a voluntate imperantur (q. VI, art. 4), per alias facultates, quae comparantur ad rationem quasi liberae, quia agunt quodammodo et aguntur. Membra autem corporis non sunt principia actuum, sed solum organa, et comparantur ad animam moventem sicut servus, qui agitur et non agit (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum in sensualitate possit esse peccatum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Inquantum sensualitas, i. e., appetitus sensitivus (qui dividitur in irascibilem et concupiscibilem) nata est obedire rationi: unde sensualitas in brutis non est subjectum peccati, ut patet.

R. EST: quia inquantum sensualitas obedit rationi potest esse principium actus voluntarii, ut in praecedentibus articulis dictum est (Ad 1m).

NOTANDUM: Homo non potest reprimere omnes motus inordinatos sensualitatis, quia fomes nunquam totaliter tollitur in hac vita: transit enim peccatum originale reatu, et remanet actu. Tamen reprimere possumus *singulos* motus inordinatos, quod sufficit ad hoc ut peccatum vitetur (Ad 2m).

Art. IV. - *Utrum in sensualitate possit esse peccatum mortale.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Peccatum mortale non potest esse in sensualitate, sed solum in ratione.

R. EST: quia peccatum mortale est inordinatio corrumpens principium spiritualis vitae, quod est finis ultimus; ordinare autem ad finem, et,

consequenter, deordinare a fine, non est sensualitatis, sed solum rationis. – Tamen actus sensualitatis concurrere potest ad peccatum mortale (Ad 1m). – Peccatum veniale, quod est in sensualitate, est dispositio ad peccatum mortale, quod est in ratione; sicut bonitas imaginationis est dispositio ad scientiam, i. e., non est neque idem, neque in eodem (Ad 3m).

Art. V. – *Utrum peccatum possit esse in ratione.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Secundum duplicem actum rationis, *a)* in quantum potest errare in cognitione veri, et *b)* in quantum est directiva aliarum virium.

R. PRIMI EST: quia potest habere ignorantiam vel errorem circa id quod potest et debet scire.

R. SECUNDI EST: quia potest imperare inordinatos actus inferiorum virium, vel etiam potest deliberationem non coercere, ubi debet eam coercere.

Art. VI. – *Utrum peccatum morosae delectationis sit in ratione.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ratio non solum est directiva exteriorum actuum, sed etiam interiorum passionum; et circa hoc duplici modo peccare potest: scil. quando imperat illicitas passionem, sicut quando homo ex deliberatione provocat concupiscentiam; et quando non reprimit illicitum passionis motum, sicut cum aliquis, postquam deliberavit quod motus ille est inordinatus, nihilominus circa ipsum immoratur, et ipsum non expellit: et secundum hoc delectatio morosa est in ratione.

NOTANDUM: Delectatio dicitur morosa non ex mora temporis, sed ex eo quod ratio deliberans

circa eam immoratur; nec tamen eam repellit, «tenens et volens libenter, quae statim ut attigerunt animum, respui debuerunt», ut Augustinus dicit (De Trin. 1. xii, cap. 12 circa medium). - (Ad 3m).

Art. VII. - *Utrum peccatum consensus in actum sit in ratione superiori.*

RESP. AFF. - R. EST: quia in actibus humanis ultimo occurrit ipse actus; delectatio autem se habet tanquam praeambululum ad actum. Id autem quod ultimo occurrit pertinet ad iudicium supremum, ut de ipso finalis sententia detur; secus iudicium esset suspensum, cum ad altius iudicium recurrere posset. Consensus autem est iudicium quoddam de eo in quod consentitur. Unde consensus in actum humanum, qui est ultimus in actu humano, est in ratione superiori, ad quam pertinet secundum rationes aeternas iudicare, per quod iudicium finaliter terminatur. De delectatione autem ad peccatum iudicat ratio inferior seu practica; quamvis etiam de delectatione superior ratio iudicare possit.

NOTANDA: 1. Consentire est actus appetitivae virtutis non absolute, sed consequens ad actum rationis deliberantis et iudicantis (q. xv, art. 3). In hoc enim terminatur consensus, quia voluntas tendit in id quod est jam ratione iudicatum. Unde consensus potest attribui et voluntati et rationi. (Magis proprie tamen et formalius voluntati quam rationi, ut dictum est q. xv, art. 1). - (Ad 1m).

2. Consensus in delectationem aliquando pertinet ad inferiorem rationem tantum. (Et tunc peccatum non est, seu consensus in actum peccati non est plenus ac perfectus, unde nec damnabilis vel mortalis). Si vero etiam consideratis rationibus aeternis, homo in eodem consensu perseveret, jam talis consensus ad superiorem rationem pertinebit, (et tunc consensus est ultimus, et peccatum est mortale). - (Ad 3m).

3. Ratio superior dicitur consentire, sive cogitat de lege aeterna, sive non cogitat. Cum enim cogitat de lege Dei, actu eam contemnit; cum vero non cogitat, eam negligit per modum omissionis cujusdam. Unde omnibus modis consensus plenus in actum peccati procedit ex superiori ratione (Ad 2m).

Art. VIII. – *Utrum consensus in delectationem sit peccatum mortale*

RESP. AFF. – *Scil* : a) consensus in delectationem actus fornicationis cogitatae est peccatum mortale; b) non autem consensus in delectationem cogitationis rei impurae.

R. PRIMI EST: quia consensus in talem delectationem contingit ex hoc quod affectio inclinata est in talem actum. Quod autem aliquis ex deliberatione eligat, quod affectus suus conformetur his quae secundum se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale.

R. SECUNDI EST: quia delectatio in cogitationem ipsam sequitur ex affectu in ipsam cogitationem; quod secundum se non est peccatum aliquod, puta cum quis delectatur de cogitatione circa fornicationem ad disputandum vel ad praedicandum; aliquando est peccatum veniale tantum, puta cum quis inutiliter de istis rebus cogitet.

NOTANDUM: Hoc quod dicitur de delectatione in rem turpem, dicitur etiam de delectatione in omnia alia. Sic, consensus in delectationem quae procedit ex complacentia actus homicidii cogitati, est peccatum mortale (Ad 5m).

Art. IX. – *Utrum in superiori ratione possit esse peccatum veniale, secundum quod est directiva inferiorum virium.*

RESP. AFF. – R. EST: quia inordinatio actus virium inferiorum in quem ratio superior consen-

tit, non semper contrariatur rationibus aeternis; non enim semper est cum aversione a fine ultimo, et in isto casu ratio superior peccat tantum venialiter.

Art. X. – *Utrum in ratione superiori possit esse peccatum veniale secundum seipsam; i. e. secundum quod inspicit rationes aeternas.*

RESP. AFF. – *Scil. :* Secundum actum superioris rationis, qui est simplex intuitus, non autem secundum alium actum, qui est deliberatio.

R. EST: quia peccatum quod est contra rationes aeternas (i. e. veritates fidei), etsi sit peccatum mortale ex genere suo, potest tamen esse veniale propter imperfectionem actus subiti, quod fit secundum simplicem intuitum; sicut cum quis resurrectionem mortuorum subito apprehendit ut impossibilem secundum naturam, et simul apprehendendo renititur, ante quam tempus habeat deliberandi, quod hoc est nobis traditum ut credendum secundum legem divinam. Si vero post hanc deliberationem motus infidelitatis maneat, est peccatum mortale. – In his autem quae pertinent ad inferiores vires, ratio superior per consensum semper peccat mortaliter in his quae sunt peccata mortalia ex suo genere.

QUAESTIO LXXV

De causis peccatorum in genere *

Deinde considerandum est de causis peccatorum; et primo in generali, secundo in speciali. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum peccatum habeat causam.*

NOTA: Agitur hic de causa efficienti, nam de causa materiali peccati jam tractatum est (P. I.,

*Vide nostram « Divisionem Schematicam ». – Tab. XV.

q. xlix, art. 1), scilicet bonum quod est subjectum mali; et probatum est peccatum nullam haberi causam formalem et finalem (q. lxxi et seqq.), inquantum est inordinatio.

RESP. AFF. – Peccatum, quod est actus humanus inordinatus, ex parte actus habet causam per se, quae est ipsa voluntas; inordinatio actus autem est per acc., sed reducitur ad voluntatem; quod est enim per acc. reducitur ad id quod est per se.

R. EST: quia voluntas carens directione regulae rationis et legis divinae, intendens aliquod bonum commutabile (in quo peccatum consistit) causat actum peccati per se, per se enim *privat* actui bonum moralem; sed causat inordinationem per accidens, quia praeter intentionem ipsam causat. – Defectus autem ordinis in ipso actu peccati provenit ex defectu directionis in voluntate; et sic ipsa inordinatio reducitur ad voluntatem.

Unde causa peccati per se est ipsa voluntas inquantum est sine adhibitione regulae rationis vel legis divinae (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum peccatum habeat causam interiorem.*

RESP. AFF. – *Scil.*: duplex causa peccati interior potest assignari: una proxima ex parte rationis et voluntatis; alia vero remota ex parte imaginationis vel appetitus sensitivi.

R. EST: quia causa immediata humani actus est ratio et voluntas, secundum quod homo est liber arbitrio; ex apprehensione vero sensus, appetitus sensitivus in aliquod inclinatur, quae quidem inclinatio trahit voluntatem et rationem, sicut infra patebit (lxxvii, art. 1). – Si autem ratio cessat a consideratione regulae debitae, jam peccatum habetur, quamvis non sit completum. (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum peccatum habeat causam exteriorem.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Aliquid exterius potest esse aliqua causa *movens* ad peccatum, non tamen sufficienter ad peccandum inducens; sed causa sufficienter complens peccatum est sola voluntas.

R. EST: quia nihil exterius potest esse causa peccati, nisi vel inquantum movet rationem, sicut homo vel daemon persuadens peccatum, vel inquantum movet sensitivum appetitum, per aliqua sensibilia exteriora. Sed neque persuasio humana vel diabolica, neque res sensibilis exterius proposita movent ex necessitate, sive rationem, sive appetitum, nisi forte aliquo modo dispositum per vehementiam motus passionis tollens usum rationis, sed tunc non adest peccatum.

Art. IV. - *Utrum peccatum sit causa peccati.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Inquantum peccatum est actus; et sic secundum quatuor causas. Non autem inquantum est inordinatio quaedam.

R. EST: quia inordinatio habet rationem mali; sed actus habet aliquid bonum saltem apparens pro fine. Unde peccatum, ex parte actus potest esse causa effectiva alterius peccati, sive per se, sive per accidens; per accidens sicut removens prohibens, per peccatum enim amittitur gratia, etc. Per se autem per unum actum homo disponitur ad alium consimilem. Ut causa materialis (non *ex qua*, sed) *circa quam* unum peccatum est causa alterius, inquantum praeparat ei materiam, sicut avaritia praeparat materiam litigio. Ut causa finalis potest unum peccatum causam esse alterius, inquantum propter finem unius peccati aliquis committit aliud peccatum, sicut

injustitiam propter ambitionem. Et quia finis dat formam in moralibus, sequitur quod unum peccatum sit etiam causa formalis alterius, sicut in casu citato, injustitia est causa materialis, ambitio vero formalis.

QUAESTIO LXXVI

De causis peccati in speciali

Deinde considerandum de causis peccati in speciali; et primo de causis interioribus peccati; secundo de exterioribus; tertio de peccatis, quae sunt causa aliorum peccatorum. Prima autem consideratio secundum praemissa erit tripartita; nam primo agetur de ignorantia, quae est causa peccati ex parte rationis; secundo de infirmitate, seu passione, quae est causa peccati ex parte appetitus sensitivi; tertio de malitia, quae est causa peccati ex parte voluntatis. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum ignorantia possit esse causa peccati.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Potest esse causa peccati *per accidens*, non autem per se, nec quaecumque ignorantia.

R. EST: quia ignorantia, quae est privatio scientiae perficientis rationem, se habet ad rationem prohibentem peccatum tanquam *removens prohibens*; tollit enim scientiam prohibentem actum peccati, sive sit ignorantia universalis principii, sicut e. g., principii homicidium est prohibitum, sive singularis circumstantia per quam principium ipsum applicatur, e. g., quod talis res est homo. Et talis ignorantia est causa peccati per accidens. Si autem peccatum fit non propter ignorantiam removens scientiam, sed propter dispositionem voluntatis, tunc, ut patet, ignorantia non est causa peccati, sed se habet tantummodo ut con-

comitans ad actum. In hoc casu homo non peccat propter ignorantiam, sed potius « peccat ignorans », ut Philosophus dicit (Ethic. lib. III, cap. 1).

NOTANDUM: Ignorantia concomitans non est causa peccati; ignorantia antecedens est causa peccati materialiter; ignorantia vero consequens est causa peccati formaliter.

Art. II. - *Utrum ignorantia sit peccatum.*

RESP. AFF. - *Scil.* · Ignorantia vincibilis est peccatum, si sit eorum quae aliquis scire tenetur, non autem si sit eorum quae quis scire non tenetur. Ignorantia autem invincibilis non est peccatum.

R. EST: quia quicumque negligit habere vel facere id quod tenetur habere vel facere, peccat peccato omissionis. Homini autem imputatur ad negligentiam si nesciat ea quae scire tenetur, sive communiter, scil. ea quae sunt fidei, et universalis juris praecepta, sive singulariter, seu ea quae ad proprium statum vel officium spectant. - Ignorantia autem invincibilis est illa quae studio superari non potest.

Art. III. - *Utrum ignorantia excuset ex toto a peccato.*

RESP. NEG. - *Scil.* : a) neque ignorantia antecedens, b) neque ignorantia consequens *indirecta*, excusat ex toto a peccato.

R. PRIMI EST: quia res ignorata potest esse cum aliquo actu de quo est cognitio peccati; sicut si quis nesciens quod aliquis sit pater, percutit eum ut homo, quod non faceret si sciret ipsum esse patrem. Unde si percutit, non est excusatus a peccato.

R. SECUNDI EST: quia ignorantia consequens *indirecta*, etsi habeatur propter laborem, vel

propter alias occupationes, cum sit cum aliqua negligentia circa ea quae quis tenetur scire, non excusat omnino a peccato.

NOTANDUM: Ignorantia consequens directa est ignorantia *affectata*, quae magis augmentat peccatum, quia magis augmentat voluntarium. Ignorantia concomitans non est causa peccati, neque excusat a peccato, quia non facit involuntarium (quoad peccatum), sed « non volentem », in quantum quid « peccat ignorans ».

Art. IV. – *Utrum ignorantia diminuat peccatum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Non omnis ignorantia.

R. EST: quia quaedam ignorantia diminuit voluntarium. Unde ignorantia quae totaliter tollit voluntarium, non diminuit, sed totaliter excusat a peccato. Ignorantia concomitans, neque diminuit neque auget; quia non est causa peccati. Ignorantia consequens indirecta, seu per accidens voluntaria diminuit voluntarium; quia est ibi minor contemptus; ignorantia affectata auget voluntarium, ut patet.

QUAESTIO LXXVII

De causa peccati ex parte appetitus sensitivi

Deinde considerandum est de causa peccati ex parte appetitus sensitivi, utrum passio animae sit causa peccati; et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum voluntas moveatur a passione appetitus sensitivi.*

RESP. AFF. – *Scil.* : indirecte.

PRIMA R. EST: secundum quamdam abstractionem: quia cum omnes potentiae animae in una essentia animae radiceantur, necesse est quod

quando una potentia intenditur in suo actu, altera in suo actu remittatur, vel etiam totaliter in suo actu impediatur. Secundum hunc modum igitur, per quamdam distractionem, quando motus appetitus sensitivi fortificatur secundum quamcumquae passionem necesse est quod remittatur vel totaliter impediatur motus proprius appetitus rationalis, qui est voluntas.

SECUNDA R. EST: ex parte objecti voluntatis; quia propter vehementem et inordinatam apprehensionem imaginationis et iudicium aestimativae, impeditur apprehensio et iudicium rationis, quod nata est sequi voluntas. Apprehensio autem imaginationis et iudicium aestimativae sequuntur passionem appetitus sensitivi. Et sic indirecte passio appetitus sensitivi movere potest voluntatem.

Art. II. - *Utrum ratio possit superari a passione contra suam scientiam.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ille qui est in passione constitutus non considerat in particulari id quod scit in habitu et in universali. Passio autem talem considerationem tripliciter impedit: primo, per quamdam *distractionem*, ut dictum est (art. praec.); secundo, per *contrarietatem*, quia plerumque passio inclinatur ad contrarium huius quod scientia in universali vel in habitu habet; tertio, per quamdam *immutationem corporalem*, ex qua ratio quodammodo ligatur, ne libere in actum exeat. - Et per hunc modum passio trahit rationem ad iudicium in particulari contra scientiam quam habet in universali vel etiam in habitu circa particularia.

NOTANDUM: Cum voluntas sit boni vel apparentis boni, NUNQUAM voluntas in malum movetur, nisi di quod non est bonum, aliquo modo rationi bonum

appareat; et propter hoc voluntas NUNQUAM in malum tenderet, nisi cum aliqua ignorantia, vel errore rationis. Unde dicitur Prov. xiv, 22: *Errant qui operantur malum.* (In corp. Art.). – Hoc ipsum autem quod rationi videatur in particulari aliquid bonum, quod non est bonum, contingit ex aliqua passione (Ad 2m), quae aliam scientiam suggerit, et sub ea ratio concludit (Ad 4m); sicut apparet in syllogismo incontinentis. Hic enim quatuor propositiones habentur, duas particulares et duas universales, quarum una est rationis, puta nullam fornicationem esse committendam; alia est passionis, puta delectationem esse sectandam. Passio igitur ligat rationem, ne assumat et concludat sub prima; unde ea durante assumit et concludit sub secunda, ut Philosophus dicit, in Ethic. lib. vii, cap. 3 (Ad 4m).

Art. III. – *Utrum peccatum quod est ex passione debeat dici ex infirmitate.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Per similitudinem ad infirmitatem corporis.

R. EST: quia sicut aliquod membrum corporis dicitur esse infirmum, quando non potest perficere operationem suam, sicut oculus, quando non potest clare videre; ita infirmitas animae dicitur, quando impeditur anima in propria operatione propter inordinationem partium ipsius; quae inordinatio habetur, quando partes animae non subduntur rationi, quae est regitiva partium animae. Quando igitur haec inordinatio partium animae ex passione provenit, peccatum, si sequatur, ex infirmitate dicitur. – Sed quia peccatum semper est actus animae, hoc peccatum magis est referendum ad infirmitatem animae, quam ad infirmitatem corporis; dicitur tamen *infirmitas carnis* inquantum ex conditione carnis passiones animae insurgunt in nobis (Ad 2m).

NOTANDUM: In potestate quidem voluntatis est assentire vel non assentire his in quae passio

inclinat, et pro tanto dicitur noster appetitus sub nobis esse; sed tamen iste assensus vel dissensus voluntatis impeditur per passionem modo praedicto. Et sic est interpretandum illud quod dicitur Genes. iv, 7: *Subter te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius* (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum amor sui sit principium omnis peccati.*

RESP. AFF. - R. EST: quia quod aliquis *inordinate* appetat aliquod bonum temporale, in quo propria et per se causa peccati accipienda est, scil. ex parte conversionis ad bonum commutabile, procedit ex hoc quod aliquis se ipsum amat *inordinate*. Hoc est enim amare aliquem, quod velle ei bonum. - Inordinatus autem amor sui, ad contemptum Dei perducit (Ad 1m).

Art. V. - *Utrum convenienter ponantur causae peccatorum concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia inordinatus appetitus boni, qui est causa omnis peccati, duplex habet objectum secundum passiones: unum absolutum, secundum quod est objectum concupiscibilis; aliud sub ratione ardui, prout est objectum irascibilis. Concupiscentia autem duplex est: una *naturalis*, quae est eorum quibus natura sustentatur, sive quantum ad conservationem individui, sicut cibus et potus, et alia hujusmodi; sive ad conservationem speciei, sicut in venereis; et horum inordinatus appetitus dicitur *concupiscentia carnis*; alia concupiscentia est *animalis*, quae est circa delectabilia secundum apprehensionem imaginationis; et inordinatus appetitus circa haec vocatur *concupiscentia oculorum*, prout sensus visus se extendit ad omnes interiores apprehensiones. Appetitus autem inordinatus boni ardui

pertinet ad *superbiam vitae*; nam superbia est appetitus inordinatus excellentiae, quod est quid arduum. Et sic patet quod ad ista tria reduci possunt omnes passiones, quae sunt causa peccati. Unde convenienter ponuntur ut causae omnium peccatorum.

NOTANDUM: Cupiditas secundum quod importat universaliter appetitum cujuslibet boni, sic continet sub se etiam superbiam. De cupiditate autem, secundum quod est speciale vitium, quod avaritia nominatur, dicetur infra (q. lxxxiv, art. 1). – (Ad 1m).

Art. VI. – *Utrum peccatum allevietur propter passionem.*

RESP. AFF. – *Scil.*: Passio antecedens; passio autem consequens magis auget peccatum.

R. PRIMI EST: quia, propter impulsum, passio antecedens dimiuit voluntarium.

R. SECUNDI EST: quia passio consequens demonstrat intensionem voluntatis ad actum; unde est signum magnitudinis voluntatis ad peccatum.

NOTANDA: 1. Dicitur *antecedens* secundum quod passio appetitus sensitivi trahit vel inclinat rationem vel voluntatem. *Consequenter* autem secundum quod motus superiorum virium, si sint vehementes, redundant in inferiores (In corp. art.).

2. Bona passio consequens iudicium rationis augmentat meritum; si autem praecedat, ut scilicet homo magis ex passione quam ex iudicio rationis moveatur ad bene agendum, talis passio diminuit bonitatem et laudem actus. (Ad 2m).

Art. VII. – *Utrum passio totaliter excuset a peccato.*

RESP. NEG. – *Scil.*: nisi actus reddatur totaliter involuntarius.

R. EST: quia quandoque passio non est tanta quod intercipiat usum rationis; et tunc ratio po-

test passionem excludere divertendo ad alias cogitationes, vel impedire ne suum consequatur effectum; quia membra non applicantur operi nisi per consensum rationis, ut supra dictum est (q. xvii, art. 9). – Si autem passio est tanta, quod totaliter aufert usum rationis, sicut patet in his qui propter amorem vel iram insaniunt, tunc distinguendum est: si talis passio a principio fuerit voluntaria, imputatur actus ad peccatum, quia est voluntarius in sua causa. Si vero causa nullo modo fuerit voluntaria, et actus omnino redditur involuntarius, tunc totaliter a peccato excusatur.

NOTANDUM: *Voluntarium* potest esse vel *secundum se*, sicut quando voluntas directe in ipsum fertur, i. e. in effectum; vel *secundum suam causam*, quando voluntas fertur in causam, et non in effectum. – Aliud est voluntarium directe, vel indirecte. *Directe* est *id* in quod voluntas fertur: *indirecte* autem *illud* quod voluntas potuit prohibere, sed non prohibet (In corp. art.). Hinc est quod voluntarium secundum se et secundum suam causam respicit *motum ipsius voluntatis*; voluntarium autem directum vel indirectum respicit *objectum* in quod voluntas fertur.

Art. VIII. – *Utrum peccatum quod est ex passione, possit esse mortale.*

RESP. AFF. – *Scil.*: Si ratio deliberans possit occurrere, et non occurrat.

R. EST: quia quod aliquis procedit ad actum peccati ex passione, vel ad consensum deliberatum, hoc *non fit subito*: unde ratio deliberans potest hic occurrere; potest enim excludere, vel saltem impedire passionem ut dictum est (art. praec.); unde, si non occurrat, est peccatum mortale. Unde peccatum quod est ex passione *potest* esse mortale, quamvis quantum ad originem motum sit ex infirmitate (In corp. art. et ad 1m).

QUAESTIO LXXVIII

De causa peccati quae est malitia

Deinde considerandum est de causa peccati quae est ex parte voluntatis, quae dicitur malitia; et circa hoc quaeruntur quatuor;

Art. I. – *Utrum aliquis possit ex certa malitia seu industria peccare.*

RESP. AFF. – *Scil.*: Quando ex inordinatione ipsius voluntatis peccat.

R. EST: quia potest homo minus bonum magis amare; sicut quando aliquod bonum temporale, puta divitias vel voluptates, plus amat, quam ordinem rationis vel legis divinae. Ex quo sequitur quod velit dispendium pati in aliquo spiritualium bonorum, ut potiatur aliquo temporali bono; quod quidem ex electione facit. Et hoc dicitur ex certa malitia vel industria peccare, quasi scilicet malum eligens.

Art. II. – *Utrum quicumque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia.*

RESP. AFF. – *Scil.*: Quandocumque aliquis *utilitur* habito vitioso, necesse est quod ex certa malitia peccet.

R. EST: quia unicuique habenti habitum est per se diligibile id quod est ei conveniens secundum proprium habitum. Hoc autem quod est alicui conveniens secundum habitum vitiosum, est id quod excludit bonum spirituale: ex quo sequitur quod homo eligat malum spirituale, ut adipiscatur bonum quod est secundum habitum conveniens. Et hoc est ex certa malitia peccare.

NOTANDUM: Actus qui procedunt ex habitibus, sunt similes secundum speciem actibus ex quibus

habitus generantur; differunt tamen ab eis sicut perfectum ab imperfecto; et talis est differentia peccati quod committitur ex certa malitia, ad peccatum quod committitur ex aliqua passione (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum ille qui peccat ex certa malitia peccet ex habitu.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Peccatum quod est ex certa malitia semper praesupponit in homine aliquam inordinationem, quae tamen non semper est habitus.

R. EST: quia tunc solum ex certa malitia aliquis peccat, quando ipsa voluntas ex seipsa movetur ad malum. Quod fit, aut per hoc quod homo habeat aliquam dispositionem corruptam inclinantem ad malum, sive sit habitus acquisitus ex mala consuetudine, sive aliqua aegritudinalis habitudo ex parte corporis; aut per hoc quod ipsa voluntas per se tendat in aliquod malum non precise ut malum, quia hoc est impossibile, sed per rationem alicujus prohibentis: puta per remotionem spei vitae aeternae, vel per remotionem timoris gehennae, unde sequitur quod ex certa malitia quasi absque freno quis peccet.

NOTANDUM: Non statim ad hoc aliquis labitur quod ex certa malitia peccet; sed praesupponitur aliquid, quod tamen non semper est habitus, semper tamen est aliqua inordinatio (Ad 2m).

Art. IV. - *Utrum ille qui peccat ex certa malitia, gravius peccet quam qui ex passione.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Triplici ratione.

R. PRIMA EST: quia in peccato ex certa malitia, motus peccati est magis proprius voluntati, quae ex seipsa in malum movetur, quam quando ex passione peccatur.

R. SECUNDA EST: quia qui ex malitia peccat, diuturnius peccat. Passio enim cito transit; sed

habitus, quo quis ex malitia peccat, est qualitas permanens.

R. TERTIA EST: quia ille qui peccat ex certa malitia est male dispositus *quantum ad ipsum finem*, qui est principium in operabilibus; et sic ejus defectus est periculosior, quam ejus qui ex passione peccat, cujus propositum tendit in bonum finem, licet propositum interrumpatur ad horam propter passionem. Semper autem defectus principii est pessimus.

NOTANDUM: Ille qui peccat ex passione, peccat quidem eligens, non tamen ex electione; quia electio *non est in eo primum peccati principium*; sed inducitur ex passione ad eligendum id quod extra passionem existens non eligeret. Sed ille qui peccat ex certa malitia, secundum se eligit malum, ut dictum est, et ideo electio, quae est in ipso, *est principium peccati*; et propter hoc dicitur ex electione peccare (Ad 3m).

QUAESTIO LXXIX

De causis exterioribus peccati

Deinde considerandum est de causis exterioribus peccati; et primo ex parte Dei; secundo ex parte diaboli; tertio ex parte hominis. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum Deus sit causa peccati.*

RESP. NEG. – *Scil.*: Neque directe neque indirecte.

R. PRIMI EST: quia omne peccatum est per recessum ab ordine qui est in Deum sicut in finem. Deus autem omnia inclinatur et convertit in seipsum sicut in ultimum finem: unde impossibile est quod sit sibi vel aliis causa discedendi ab ordine, qui est in ipsum. Unde non potest directe esse causa peccati.

R. SECUNDI EST: quia quod Deus aliquibus non praebet auxilium ad evitandum peccata

(quod si praeberet, non peccarent), hoc totum facit secundum ordinem suae sapientiae et iustitiae, cum ipse sit sapientia et iustitia: unde si auxilium non praestat, justificatus est Deus certissime per suam sapientiam et iustitiam, secundum quam non tenetur auxilium praestare. Et sic neque indirecte est Deus causa peccati.

NOTANDA: 1. Aliquis est causa peccati sui vel alterius *directe* quando inclinat voluntatem suam vel alterius ad peccandum. *Indirecte*, quando potest et debet retrahere aliquos a peccato, et non retrahit.

2. Effectus causae mediae procedens ab ea, secundum quod subditur ordini causae primae, reducitur in causam primam; sed si procedat a causa media, *secundum quod exit ordinem causae primae*, non reducitur in causam primam; sicut si minister faciat aliquid contra mandatum domini, hoc non reducitur in dominum sicut in causam. Et similiter peccatum quod liberum arbitrium committit contra praeceptum Dei, non reducitur in Deum sicut in causam (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum actus peccati sit a Deo.*

RESP. AFF. – *Scil.*: Inquantum actus peccati est ens et actus, non autem inquantum habet inordinationem seu defectum.

R. PRIMI EST: quia omne ens, quocumque modo sit, oportet quod derivetur a primo ente; omne autem ens actu reducitur in primum actum, scilicet Deum, sicut in causam, qui est per suam essentiam actus. Nihil enim agit nisi secundum quod est actu. Et sic Deus est causa omnis actionis inquantum est actio.

R. SECUNDI EST: quia defectus est ex causa creata, scil. libero arbitrio, inquantum deficit ab ordine primi agentis, scil. Dei; non enim subditur ei cui debet subdi, licet hoc ipse (peccator) non intendat principaliter (Ad 2m). Unde defectus iste non reducitur in Deum sicut in causam, sed

in liberum arbitrium. Sicut defectus ambulationis non reducitur ad vim motivam animae, sed ad defectus tibiae, cum sit curva.

Art. III. – *Utrum Deus sit causa excaecationis et indurationis.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) Non quantum ad motum animi inhaerentis malo, et aversi a divino lumine, quod fit per malitiam; sed b) quantum ad subtractionem gratiae, ex qua sequitur quod mens divinitus non illuminetur ad recte videndum, et cor hominis non emolliatur ad recte vivendum.

R. PRIMI EST: quia hoc est peccatum, et Deus non est causa peccati, neque directe neque indirecte, ut dictum est (art. 1 hujus quaes.).

R. SECUNDI EST: quia, cum Deus agat voluntarie et per ordinem suae sapientiae, iudicio proprio lumen gratiae non immittit illis in quibus obstaculum invenit. Unde causa subtractionis gratiae est non solum ille qui ponit obstaculum gratiae, sed etiam Deus qui suo iudicio gratiam non apponit. Et per hunc modum Deus est causa excaecationis, quia non illuminat intellectum; et obdurationis cordis, quia non emollit affectum per ignem suae charitatis.

NOTANDUM: Causa meritoria excaecationis est malitia, sicut causa poenae est culpa; et hoc modo diabolus dicitur excaecare, in quantum inducit ad culpam (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum excaecatio et obduratio semper ordinentur ad salutem ejus qui excaecatur et obduratur.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) Excaecatio ex sui natura ordinatur ad damnationem; b) ex divina autem misericordia seu providentia excaecatio ad tempus ordinatur ad salutem.

R. PRIMI EST: quia peccatum per se ordinatur ad damnationem; excaecatio autem est praeam-

bulum ad peccatum: unde ponitur etiam effectus reprobationis.

R. SECUNDI EST: quia illa sola excaecatio quae est ad tempus ordinatur medicinaliter ad salutem eorum qui excaecantur. Et haec misericordia non omnibus impenditur excaecatis, sed praedestinati solum, de quibus dicitur, Rom. viii: *omnia cooperantur in bonum.*

NOTANDA: 1. Omnia mala quae Deus permittit fieri, ordinantur ad aliquod bonum; non tamen semper in bonum ejus in quo est malum, sed quandoque ad bonum alterius, vel etiam totius universi; sicut culpa tyrannorum ordinat in bonum martyrum, et poenam damnatorum ordinat ad gloriam justitiae suae (Ad 1m). Et secundum hoc Deus dicitur delectari, non autem in perditione hominum (Ad 2m).

2. Hoc quod Deus aliquorum excaecationem ordinat in eorum salutem, misericordiae est; quod autem excaecatio aliorum ordinetur ad eorum damnationem, justitiae est; quod autem misericordiam quibusdam impendit, et non omnibus, non facit personarum acceptationem in Deo, sicut in primo dictum est (q. xxiii art. 5, ad 3m). - Hoc enim esset contra justitiae rationem, si praedestinationis effectus ex debito redderetur, et non daretur ex gratia; vel esset contra sapientiae rationem si effectus praedestinationis non esset ad bonitatem Dei multipliciter manifestandam sicut oportet.

QUAESTIO LXXX

De causa peccati ex parte diaboli

Deinde considerandum est de causa peccati ex parte diaboli; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum diabolus sit homini directe causa peccati.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Diabolus non est causa peccati directa et sufficiens, sed solum per modum suadentis vel proponentis appetibile.

R. EST: quia directe est causa alicujus actus illud quod proprium principium illius actus movet ad agendum. Proprium autem principium actus peccati, non est nisi voluntas: omne enim peccatum est voluntarium. Voluntas autem interius a nemine inclinatur nisi a Deo et a se ipsa. A Deo autem non inclinatur ad peccatum; quia Deus non est causa peccati. Ergo directe et sufficienter voluntas interius solum a seipsa inclinari potest ad peccatum. - Ex parte objecti vero voluntas ex necessitate movetur solum a fine ultimo; non autem a creaturis. Ab istis autem movetur *a*) ab objecto proposito, sicut dicimus quod cibus excitat desiderium hominis ad comedendum; *b*) ab illo qui proponit objectum; *c*) ab illo qui persuadet objectum propositum habere rationem boni: et sic homo et diabolus possunt movere voluntatem, non modo sufficienter et directe, sed per modum persuadentis vel proponentis appetibile, quibus voluntas resistere potest.

Art. II. - *Utrum diabolus possit inducere ad peccandum interius instigando.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Per obtenebrationem intellectus, quae provenit ex phantasia et appetitu sensitivo.

R. EST: quia, ut dictum est (P. I., q. cx, art. 3), natura corporalis spirituali naturaliter obedit ad motum localem. Unde et diabolus omnia illa causare potest quae ex motu locali corporum inferiorum provenire possent, nisi virtute divina reprimatur. Phantasiam autem movet diabolus per imaginationes; appetitum vero sensitivum cooperando secundum quemdam determinatum motum cordis et spirituum.

NOTANDUM: Daemones non possunt novam formam imprimere in organa corporea sensuum;

possunt tamen formas in organis sensibilibus conservatas aliquo modo transmutare, ut secundum eas aliquae apparitiones fiant (In corp. art., et in De malo, q. xvi, art. 1, ad 1m).

Art. III. - *Utrum diabolus possit necessitatem inferre ad peccandum.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Nisi refrenetur a Deo, potest diabolus aliquem inducere ad faciendum *aliquem actum* (materialiter) qui de genere suo peccatum est; non autem potest inducere necessitatem peccandi (formaliter).

R. EST: quia potest diabolus, usum rationis, per quem homo ad peccandum resistit, totaliter impedire, movendo imaginationem et appetitum sensitivum, sicut in arreptitiis patet. Sed tunc, ratione sic ligata, quidquid homo agat, non imputatur ei ad peccatum. Si autem ratio non sit totaliter ligata, ex ea parte qua est libera, potest resistere peccato. Et sic nullo modo potest diabolus necessitatem inducere homini ad peccandum.

Art. IV. - *Utrum omnia peccata hominum sint ex suggestione diaboli.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Directe diabolus non est causa omnium peccatorum hominum; sed occasionaliter et indirecte, in quantum induxit primum hominem ad peccandum.

R. PRIMI EST: quia, ut Origenes dicit (Periar. lib. iii, c. 2), etiamsi diabolus non esset, homines haberent appetitum ciborum, et venereorum, et similium; qui posset esse inordinatus, nisi ratione ordinaretur, quod subjacet libero arbitrio.

R. SECUNDI EST: quia ex peccato primi hominis intantum vitiata est humana natura, ut omnes ad peccandum proclives simus.

QUAESTIO LXXXI

**De causa peccati ex parte hominis; et
primo de peccato originali quantum
ad traductionem**

Deinde considerandum est de causa peccati ex parte hominis. Cum autem homo sit causa peccati alteri homini exterius suggerendo, sicut et diabolus, habet quemdam specialem modum causandi peccatum in alterum per originem. Unde de peccato originali dicendum est; et circa hoc tria consideranda occurrunt: primo de ejus traductione; secundo de ejus essentia; tertio de ejus subjecto. Circa primum quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum primum peccatum primi parentis traducatur per originem in posteros.*

RESP. AFF. – *Scil.*: Non voluntate hominis ex Adam generati, sed voluntate ipsius primi parentis.

R. EST: quia, ratione culpae necesse est peccatum esse in voluntate. Peccatum autem non est in voluntate hominis ex Adam derivantis, et sic non imputatur ei ad culpam, nisi aliquo modo omnes homines possint ratione speciei *ut unus homo* considerari in ipso Adam, in cujus voluntate peccatum fuit, et qui movet motione generationis omnes homines qui ex ejus origine derivantur, qua motione per quam naturam humanam cum ejus infectione traducitur, scil. per traductionem seminis, omnis qui nascitur fit consors culpae primi parentis.

NOTANDA: 1. Secundum fidem catholicam tenendum est, quod primum peccatum primi hominis originaliter transit in posteros. In isto articulo investigatur *qualiter* peccatum primi parentis originaliter possit imposteris transire.

2. Ex Adam derivati sunt homines tanquam multa membra unius corporis. Sicut igitur actus unius membri corporis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animae, quae primo movet membrum; ita peccatum in isto homine, non est voluntarium voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, ratione speciei; sicut peccatum actuale quod per membrum aliquod committitur, non est peccatum illius membri, nisi in quantum illud membrum est aliquid ipsius hominis. Et sicut peccatum actuale vocatur peccatum humanum, ita peccatum originale, quod ratione speciei humanae incurritur, vocatur *peccatum naturae*, secundum illud Ephes. II, 3: *Eramus natura filii irae*. (In corp. art. passim).

Art. II. – *Utrum etiam alia peccata primi parentis vel proximorum parentum traducantur in posteros.*

RESP. NEG. – R. EST: quia alia peccata primi parentis vel proximorum parentum sunt pure personalia; homo autem non generat sibi idem secundum individuum, sed in specie. Peccatum autem originale, quamvis fuisset etiam peccatum Adam personale, fuit tamen peccatum totius generis humani ratione speciei, quia iustitia originalis, quae solum per peccatum originale primi parentis amissa fuit, erat quoddam donum gratiae toti humanae naturae in primo parente divinitus collatum.

NOTANDA: 1. (Sicut prohibitio Dei de albero in medio paradisi posito non manducare facta fuit Adam pro omnibus, ita transgressio divini praecepti ab omnibus nobis quodammodo facta est; non autem alia peccata quae ratione sui ipsius poterat Adam committere).

2. Quaedam qualitates naturae, praesertim si natura est fortis, traducuntur a parentibus in filios, sicut velocitas corporis, bonitas ingenii, et alia huiusmodi pertinentia ad dispositionem naturae; sed haec non sunt pure personalia (In corp. art.).

Art. III. - *Utrum peccatum primi parentis transeat per originem in omnes homines.*

RESP. AFF. - *Scil.*: Secundum fidem catholicam firmiter est tenendum quod omnes homines praeter solum Christum, ex Adam derivati peccatum originale ex Adam contrahunt; alioquin non omnes indigerent redemptione, quae est per Christum; quod est erroneum.

R. EST: quia, ut dictum est supra (art. 1 hujus quaes.), culpa originalis traducitur ad omnes illos qui moventur ab Adam motione generationis; sicut peccatum actuale traducitur ad membra corporis a voluntate motione membrorum.

NOTANDA: 1. Secundum S. Thomam, ex necessitate argumenti ab ipso hic proposito, peccatum originale *debebat* traduci etiam in Beatam Verginam; sed, ut Ecclesia postea definivit (an. 1854), B. Virgo fuit specialissimo et unico privilegio, ex praevisis meritis Christi redemptoris, a Deo exempta. (Hanc quaestionem S. Doctor ex professo tangit in P. III, q. xxvii).

2. Cum mors sit poena peccati, omnes mori oportet, saltem per modicum tempus ante resurrectionem; vel etsi non moriantur tempore adventus Christi, erit tamen in eis reatus mortis, sed poena auferatur a Deo, qui etiam peccatorum actualium poena condonare potest (Ad 1m).

3. Peccatum originale per baptismum aufertur reatu, inquantum anima recuperat gratiam quantum ad mentem; remanet tamen peccatum originale actu quantum ad fomitem (ut effectus peccati), qui est inordinatio partium inferiorum animae et ipsius corporis (scil. appetitus sensitivi, in quo fundantur passiones), secundum quod homo generat, et non secundum mentem; et ideo baptizati traducunt peccatum originale, inquantum retinent adhuc aliquid de vetustate primi peccati (Ad 2m). (Quantum autem ad *culpam*, peccatum omnium fuit in praevaricatione voluntatis primi parentis, ut dictum est in art. primo hujus quaes.).

4. Sicut peccatum Adae traducitur in omnes qui ab Adam corporaliter generantur, ita gratia Christi traducitur in omnes qui ab eo spiritualiter,

generantur per fidem et baptismum; et non solum ad removendum culpam primi parentis, sed etiam ad removendum peccata actualia, et ad introducendum in gloriam (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum si aliquis ex humana carne formaretur miraculose, contraheret originale peccatum.*

RESP. NEG. - **R. EST:** quia, secundum quod diximus in articulis praecedentibus, illi soli contrahunt peccatum originale, qui ab Adam descendunt per virtutem activam in generatione originaliter ab Adam derivatam, quod est secundum seminalem rationem ab eo descendere. Unde si aliquis formaretur virtute divina ex carne humana, manifestum est quod vis activa non derivaretur ab Adam. - (Peccatum originale non contrahimus nisi in quantum sumus filii Adae; sumus autem filii Adae per generationem tantum).

NOTANDUM: Ille qui formaretur ex carne humana (non autem generatione), fuisset in Adam secundum corpulentiam substantiam, sed non secundum seminalem rationem; et ideo non contraheret originale peccatum (Ad 3m).

Art. V. - *Utrum si Adam non peccasset, Eva peccante, filii originale peccatum contraherent.*

RESP. NEG. - **R. EST:** quia, ut dictum est, peccatum originale a primo parente traducitur, in quantum ipse movet ad generationem natorum, unde si materialiter tantum ex carne humana aliquis generaretur, non contraheret peccatum originale. Mater autem non nisi materiam ministrat in generatione prolis; principium activum a solo patre est. Unde peccatum non contrahitur a matre, sed a patre. Unde si Adam non peccasset, peccante Eva, filii non contraherent peccatum originale. - Consequenter neque perdiderent justitiam originalem, neque immortalitatem, quod erat effectus ipsius justitiae (Ad 2m).

QUAESTIO LXXXII

**De originali peccato quantum ad suam
essentiam**

Deinde considerandum est de peccato originali quantum ad suam essentiam; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum originale peccatum sit habitus.*

RESP. AFF. - *Scil.* : Non est habitus operativus, sed quidditativus, sicut aegritudo (q. L, art. 1).

R. EST: quia peccatum originale est quaedam inordinata dispositio proveniens ex dissolutione illius harmoniae in qua consistebat ratio originalis iustitiae. Unde peccatum originale non est pura privatio, sed quidam habitus corruptus, sicut aegritudo (Ad 1m). Et haec inordinata dispositio in humana natura existens, habet rationem culpaе, inquantum ex primo parente derivatur (qu. praec., art. 1). - (Ad 2m).

NOTANDUM: Quamvis peccatum originale non sit habitus operativus, tamen ex ipso aliqua inclinatio in actum inordinatum sequitur *indirecte*, scil. per remotionem prohibentis, i. e., originalis iustitiae; sicut ex aegritudine indirecte sequitur inclinatio ad motus corporales inordinatos (Ad 3m). - Nec est habitus infusus, sed tractus; nec acquisitus nisi primi parentis (ibid.).

Art. II. - *Utrum in uno homine sint multa originalia peccata.*

RESP. NEG. - PRIMA R. est ex parte causae peccati originalis: quia ut dictum est (qu. praec. art. 2), solum primum peccatum primi parentis traducitur.

SECUNDA R. est ex ipsa essentia peccati originalis, seu ratione speciei ipsius peccati: quia causa corruptae dispositionis, quae originale peccatum dicitur, una est tantum, scil. privatio ori-

ginalis justitiae, per quam sublata est subjectio humanae mentis ad Deum. Unde peccatum originale est unum specie. In uno homine est unum numero et specie, in diversis est unum specie et proportione (respectu ad primum principium, ad Adam), diversum autem numero.

NOTANDA: 1. Quoad verba in Psalmo *Miserere*, quod in plurali ponuntur: et in *peccatis* concepit me mater mea, haec locutio est secundum morem divinae Scripturae, quo frequenter ponitur pluralis numerus pro singulari, sicut in Matth. ii, 20: *Defuncti sunt qui quaerebant animam pueri*; vel quia in peccato originali etiam peccata actualia virtualiter continentur; etc. (Ad 1m).

2. Peccatum originale non inclinatur ad diversa contraria per se, sed per accidens; i. e. non secundum propriam formam, secundum quam ad unum inclinatur, sed per remotionem prohibentis: sicut soluta harmonia corporis mixti, elementa tendunt in loca contraria; ita, soluta harmonia originalis justitiae, diversae animae potentiae in diversa feruntur (Ad 2m); per justitiam enim originalem omnes potentiae animae continebantur in unum (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum originale peccatum sit concupiscentia.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Peccatum originale materialiter consideratum est concupiscentia, prout est communis inordinatio partium animae inferiorum; formaliter autem sumptum peccatum originale est privatio originalis justitiae.

R. EST: quia forma peccati sumitur ex sua causa, ex qua habet speciem; quia unumquodque habet speciem a sua forma. Causa autem peccati originalis est prevaricatio voluntatis primi parentis, in quantum avertendo se a Deo, privationem originalis justitiae causabat, per quam voluntas subdita erat Deo. Formaliter ergo peccatum originale est defectus originalis justitiae. - Bona vero commutabilia ad quae inordinate vo-

luntas se convertit, sunt objectum concupiscentiae communiter dictae, in qua peccatum originale materialiter consistit.

NOTANDUM: In homine quaedam concupiscentia est naturalis, alia autem contra naturam. Intantum concupiscere est homini naturale, inquantum est secundum rationis ordinem. Concupiscentia autem quae transcendit limites rationis, inest homini contra naturam; et talis est concupiscentia originalis peccati (Ad 1m).

Art. IV. - *Utrum peccatum originale sit aequaliter in omnibus.*

RESP. AFF. - *Scil. :* Quantum ad defectum originalis iustitiae non recipit magis et minus; similiter, quantum ad relationem hujus defectus (in nobis) ad peccatum primi parentis, a quo per vitiatam originem deducitur, et ex quo peccatum originale (in nobis) recipit rationem culpae.

R. PRIMI EST: quia per peccatum originale totum donum originalis iustitiae est sublatum.

R. SECUNDI EST: quia relationes non recipiunt magis et minus.

Unde peccatum originale, quoad illud quod est in eo formale, non potest esse magis in uno quam in alio. Quod igitur unus homo sit pronior ad concupiscendum quam alius, non est ratione peccati originalis, sed accidit hoc ex diversa dispositione potentiarum animae, secundum quod fortiores sunt in uno quam in alio, propter diversas corporis complexiones (Ad 1m).

NOTANDUM: Libido quae transmittit peccatum originale in prolem, non est libido actualis; quia dato quod virtute divina concederetur alicui quod nullam inordinatam libidinem in actu generationis sentiret, adhuc transmitteret in prolem originale peccatum. Sed libido illa est intelligenda *habitualiter*, secundum quod appetitus sensitivus non continetur sub ratione, soluto vinculo originalis iustitiae; et talis libido in omnibus est aequalis (Ad 3m).

QUAESTIO LXXXIII

De subjecto originalis peccati

Deinde considerandum est de subiecto originalis peccati, et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum originale peccatum sit magis in carne quam in anima.*

RESP.: - Sicut in subjecto peccatum originale nullo modo potest esse in carne, sed solum in anima.

R. EST: quia sola anima est subjectum culpae, caro autem de se non habet quod sit subjectum culpae; unde quidquid pervenit de corruptione primi hominis ad animam, habet rationem culpae; quod autem pervenit ad carnem, non habet rationem culpae, sed poenae.

NOTANDA: 1. Peccatum originale omnium hominum fuit in ipso Adam sicut in prima causa principali, secundum illud Apostoli: *In quo omnes peccaverunt* (Rom. v, 12). In semine autem corporali est peccatum originale sicut in causa instrumentali, eo quod per virtutem activam seminis traducitur peccatum originale in prolem simul cum natura humana. Sed sicut in subjecto est solum in anima (In corp. art.).

2. Anima hujus hominis non fuit secundum seminalem rationem in Adam peccante sicut in principio effectivo, sed sicut in principio dispositivo; eo quod semen corporale, quod ex Adam traducitur, sua virtute non efficit animam rationalem, sed ad eam disponit (Ad 3m). - Macula autem animae causatur, non ex parte Dei, qui animam creat, sed ex parte carnis cui infunditur (Ad 4m). - Deus autem creat animam, etiam sciendo ipsam infici ex unione cum corpore, quia secundum suam sapientiam non praetermittit universalem ordinem rerum, qui est tali corpori talem animam infundere,

ut vitetur singularis infectio hujus animae. Melius est enim sic esse quam non esse, praesertim cum possit per gratiam damnationem evadere (Ad 5m).

Art. II. – *Utrum peccatum originale sit per prius in essentia animae quam in potentiis.*

RESP. – Prius est in essentia animae, quam in potentiis.

R. EST: quia peccatum originale causatur per originem hominis. Unde illud animae quod primo attingitur ab origine hominis, est primum subjectum originalis peccati. Anima autem ab origine attingitur ut forma corporis, quia est terminus generationis. Forma autem convenit animae secundum essentiam propriam.

NOTANDUM: Justitia originalis pertinebat primordialiter ad essentiam animae; erat enim donum divinitus datum *humanae naturae*, quam per prius respicit essentia animae quam potentiae. Potentiae enim magis videntur pertinere ad personam, inquantum sunt principia personalium actuum. Unde sunt propria subjecta peccatorum actualium, quae sunt peccata personalia (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum peccatum originale per prius inficiat voluntatem quam alias potentias.*

RESP. AFF. – R. EST: quia peccatum originale respicit potentias animae in ordine ad actum. Oportet ergo quod illam per prius respiciat (potentiam), quae primam inclinationem habet ad actum, i. e. ad peccandum. Et haec est voluntas (q. lxxiv art. 1 et 2).

NOTANDUM: Quantum ad subjectum peccatum originale per prius respicit essentiam animae, ut diximus (art. praec.).

Art. IV. – *Utrum praefatae potentiae sint magis infectae quam aliae.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Omnes animae partes sunt corruptae per peccatum originale; sed specialiter

sunt corruptae hae tres: vis generativa, vis concupiscibilis, et sensus tactus.

R. EST: quia hae tres specialiter concurrunt ad generationem; unde per eas corruptio peccati originalis specialiter traducitur. Corruptio autem, in quantum traducitur, dicitur *infectio*.

NOTANDUM: Peccatum originale ex ea parte qua inclinatur in peccata actualia, praecipue pertinet ad voluntatem (art. praec.). Sed ex ea parte qua traducitur in prolem pertinet propinque ad potentias praedictas, ad voluntatem autem remote (Ad 1m).

QUAESTIO LXXXIV

De causa peccati secundum quod unum peccatum alterius peccati causa est

Deinde considerandum est de causa peccati, secundum quod unum peccatum est causa alterius; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum cupiditas sit radix omnium peccatorum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Secundum sensum verborum Sancti Pauli: « Cum velint divites fieri, incidunt in tentationes et laqueum diaboli; eo quod radix omnium malorum est cupiditas », cupiditas, quae est radix omnium malorum, est cupiditas *divitiarum*, i. e. secundum hanc speciem; non vero cupiditas cujuscumque boni, seu generice; nec inclinatio quaedam naturae corruptae ad bona temporalia inordinate appetenda.

R. EST: quia Apostolus non de quacumque cupiditate hic loquitur (I Tim. ult. 10), sed de ista solum divitiarum; et ratio hujus est, quia per divitias homo acquirit facultatem perpetrandi

quodcumque peccatum, et adhibendi desiderium cujuscumque peccati, secundum illud Eccle. x, 19: *Pecuniae obediunt omnia.*

NOTANDUM: Avaritia dicitur radix omnium maiorum, non quia interdum aliquod aliud malum sit radix ejus; sed quia ex ipsa frequentius alia mala oriuntur ratione praedicta (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum superbia sit initium omnis peccati.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Superbia, ut speciale peccatum, secundum illud Ecli. x, 15: *Initium omnis peccati est superbia. Sedes ducum superborum destruxit Deus.*

R. EST: quia, sic sumpta, superbia est inordinatus appetitus propriae excellentiae. Talis autem appetitus, in actu voluntario, est secundum ordinem intentionis, qui habet rationem principii et finis, et est in omnibus bonis temporalibus acquirendis; per illa enim homo quamdam perfectionem singularem et excellentiam habet. Et secundum hoc, appetitus propriae excellentiae ponitur *initium* omnis peccati. Vel etiam, quia superbia respicit peccatum ex parte aversionis (a Deo), ex qua incipit ratio mali. Avaritia autem respicit peccatum ex parte boni commutabilis, per quam peccatum nutritur et fovetur; unde cupiditas dicitur *radix*, et est secundum ordinem executionis.

NOTANDUM: Superbia considerari potest sub duplici alio aspectu: *a)* ut peccatum generale, secundum quod superbia importat quemdam actualement contemptum Dei, quantum ad hunc effectum qui est non subdi ejus praecepto; *b)* secundum quod importat quamdam inclinationem ad hujusmodi contemptum ex corruptione naturae. Sub utroque aspectu potest etiam superbia initium omnis peccati dici (In corp. art.).

Art. III. – *Utrum praeter superbiam et avaritiam sint alia peccata specialia quae dici debeant capitalia*

RESP. AFF. – *Scil.*: Sumendo verbum *capitale* metaphorice prout significat principium vel directivum aliorum, et quidem non simpliciter sed denominative.

R. EST: quia sunt quaedam alia vitia ex quibus alia vitia oriuntur secundum originem causae finalis, quae est formalis origo; sed habent rationem originis, non simpliciter et universaliter, sicut avaritia, quae dicitur radix, et superbia, quae dicitur initium omnis peccati; sed propinquitatis respectu plurium peccatorum (In corp. art. et ad 1m).

Art. IV. – *Utrum convenienter dicantur septem vitia capitalia.*

RESP. AFF. – *Scil.*: a) Non secundum conditionem seu dispositionem peccantis; sed b) secundum habitudinem naturalem ipsorum finium vitiorum, ad invicem prout habent quasdam primarias rationes movendi appetitum.

R. PRIMI EST: quia peccator, qui maxime afficitur ad unum finem ex quo ut plurimum in alia peccata procedit, infinitas potest dispositiones habere; et sic iste modus originis sub arte cadere non potest.

R. SECUNDI EST: quia secundum rationes primarias quibus appetitus movetur, habentur vitia principalia ex quibus alia procedere et dirigi possunt. Has autem rationes primarias recipit appetitus secundum septem aspectus quas habet cum suo objecto, quod est bonum. Bonum autem movet appetitum vel directe et per se, et secundum

hoc quadrupliciter: *a*) in quantum bonum (quod *felicitem dicit*) appetitur sub ratione perfecti; i. e. excellentiae et claritatis; quod inordinate prosequitur *superbia* et *inanis gloria*; *b*) in quantum appetitur ut sufficiens; quod inordinate prosequitur *avaritia*; *c*) sub ratione delectationis, sive ratione personae sive ratione speciei; quod inordinate prosequitur *gula* et *luxuria*; – vel bonum movet appetitum indirecte, et quasi per aliud, quod accidit quando aliquis bonum fugiat propter aliquod malum conjunctum; et hoc contingit dupliciter: *a*) respectu boni proprii, et sic est *acedia*, quae tristatur de bono spirituali propter laborem corporalem adjunctum; *b*) respectu boni alieni, et hoc si sit sine insurrectione, pertinet ad *invidiam*, quae tristatur de bono alieno, in quantum est impeditivum propriae excellentiae; aut est cum quadam insurrectione ad vindictam, et sic est *ira*.

NOTANDA: 1. Non oportet quod haec principalia vitia principalibus virtutibus opponantur; quia non est eadem ratio originis in virtutibus et in vitiis. Nam virtutes causantur per ordinem appetitus ad rationem, vel etiam ad bonum incommutabile, quod est Deus, vitia autem oriuntur ex appetitu boni commutabilis (Ad 1m).

2. Inter passiones tristitia et delectatio connumerantur in vitiis capitalibus ut principalissimae, ad quas aliae passiones aliquomodo ordinantur (Ad 2m). Ira vero, licet non sit principalis passio, consideratur tamen ut vitium capitale, quia habet specialem rationem appetitivi motus, prout aliquis impugnat bonum alterius *sub ratione honesti*, i. e. iusti vindicativi, et secundum hoc distinguitur ab aliis vitiis capitalibus (Ad 3m).

3. Quamvis ex ignorantia multa peccata proveniunt, possunt tamen haec peccata ad acediam reduci; quia ad acediam pertinet negligentia; ignorantia autem, quae est causa peccatorum, ex culpabili negligentia provenit (Ad 5m).

QUAESTIO LXXXV

De effectibus peccati

Deinde considerandum est de effectibus peccati; et primo quidem *de corruptione boni naturae*; secundo *de macula animae*; tertio *de reatu poenae*. Circa primum quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum peccatum diminuat bonum naturae.*

RESP. AFF. - *Scil.*: Quantum ad inclinationem naturalem ad virtutem.

R. EST: quia ex hoc quod aliquid inclinatur ad unum contrarium, diminuitur inclinatio ejus ad aliud. Unde cum peccatum sit contrarium virtuti, ex hoc ipso quod homo peccat, diminuitur bonum naturae, quod est inclinatio ad virtutem.

NOTANDA: 1. Bonum humanae naturae dicitur tripliciter: a) ipsa principia naturae, ex quibus ipsa natura constituitur, et proprietates ex his causatae, sicut potentiae animae, et alia hujusmodi, et hoc bonum nec tollitur nec diminuitur per peccatum; b) inclinatio ad virtutem, de qua jam actum est; c) donum originalis justitiae, quod fuit in primo homine collatum toti humanae naturae, et hoc bonum totaliter est ablatum per peccatum primi parentis (In corp. art.).

2. Natura secundum se non variatur propter variationem voluntariae actionis; sed ipsa inclinatio variatur ex illa parte qua ordinatur ad terminum (Ad 2m).

3. Peccatum diminuit bonum naturae quantum ad potentias animae non effective, sed formaliter; quia accidens non agit effective in subjectum, agit tamen formaliter in ipsum, eo modo loquendi quo dicitur quod albedo facit album. Et sic causatur inordinatio in potentiis animae non quidem ita

quod peccatum agit in ipsas sicut in proprium subjectum, sed secundum quod objectum (peccati) agit in potentiam aliquam, et una potentia agit in aliam, et deordinat ipsam; in actibus enim animae aliquid est activum et aliquid passivum (Ad 4m).

Art. II. – *Utrum totum bonum humanae naturae possit auferri per peccatum.*

RESP. NEG. – R. EST: quia diminutio inclinationis ad virtutem (de qua agitur), non importat diminutionem capacitatis naturae seu radiceis, ut dictum est in art. praec.; immo radix talis inclinationis semper remanet, quia ratio eo ipso quod est, semper tendit ad virtutem: sed bonum naturae diminuitur etiam in infinitum ex parte termini, inquantum per peccatum ponitur impedimentum pertingendi ad finem seu terminum; in infinitum enim possint impedimenta apponi; non potest tamen bonum naturae totaliter consumi, quia semper remanet radix inclinationis ad bonum.

NOTANDUM: Etiam in damnatis manet inclinatio naturalis ad virtutem; alioquin non esset in eis remorsus conscientiae. Sed quod non reducat in actum, contingit quia deest gratia secundum divinam justitiam; sicut etiam in caeco remanet aptitudo ad videndum in ipsa radice naturae, sed non reducitur in actum, quia deest causa quae reducere possit, formando organum, quod requiritur ad videndum (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum convenienter ponantur vulnera naturae ex peccato consequentia, infirmitas, ignorantia, malitia et concupiscentia.*

RESP. AFF. – R. EST: quia per subtractionem justitiae originalis, vires animae quodammodo remanent destitutae ordine proprio, quo naturaliter ordinantur ad virtutem; qua destitutio vul-

neratio naturae dicitur. Quatuor autem sunt potentiae animae quae ad virtutem ordinantur (q. lxxiv): ratio, in qua est prudentia; voluntas, in qua est justitia; irascibilis, in qua est fortitudo; et concupiscibilis, in qua est temperantia. Ratio destituitur suo ordine ad verum, per vulnus *ignorantiae*; voluntas suo ordine ad bonum, per vulnus *malitiae*; irascibilis suo ordine ad arduum, per *infirmiorem*; et concupiscibilis destituitur suo ordine ad delectabile moderatum ratione, per vulnus *concupiscentiae*. Haec igitur sunt quatuor vulnera toti humanae naturae inflictata ex peccato primi parentis. Crescunt autem haec vulnera proportionaliter per peccata actualia; ita ut ratio *hebetetur* in agendis, voluntas *induratur* ad bonum, *major difficultas* bene agendi accrescit, et concupiscentia magis *exardescit*.

NOTANDUM: Malitia sumitur hic non pro peccato, sed pro quadam *pronitate voluntatis ad malum*, secundum illud Genes. viii, 21: *Proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua* (Ad 2m). – Concupiscentia intantum est naturalis homini, in quantum subditur rationi: quod autem excedat limites rationis, hoc est homini contra naturam (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum privatio modi, speciei et ordinis sit effectus peccati.*

RESP. AFF. – *Scil.*: Prout privatio boni est effectus peccati, vel etiam ipsum peccatum.

R. EST: quia species, modus et ordo consequuntur unumquodque bonum creatum. Species enim constituitur per formam; forma est secundum mensuram, seu modum, et est ad aliud ordinata. Bonum autem quadruplex: a) secundum substantiam; et hoc non privatur nec diminuitur (art. 1 hujus quaes.); b) secundum naturalem inclinationis ad virtutem, et in hoc species, modus, et

ordo boni diminuuntur per peccatum, non autem tolluntur totaliter, ut dictum est (L. c.); c) bonum gratiae, quod totaliter tollitur per peccatum mortale, et consequenter ejus species, modus et ordo; d) est etiam quoddam bonum, quod est ipse actus ordinatus, quod etiam habet suum modum, speciem et ordinem; *et hujus privatio est essentialiter ipsum peccatum.*

Art. V. – *Utrum mors et alii corporales defectus sint effectus peccati.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Peccatum originale non est causa per se talium defectuum, sed est causa per accidens sicut removens prohibens.

R. PRIMI EST: quia mors et alii defectus sunt praeter intentionem peccantis.

R. SECUNDI EST: quia per peccatum primi parentis, sublata originali justitia, per quam non solum inferiores animae vires continebantur sub ratione absque omni deordinatione, sed totum corpus continebatur sub anima absque omni defectu (I P., q. xcvii, art. 1), sicut vulnerata est humana natura quantum ad animam per deordinationem potentiarum (art. praec), ita etiam est effecta corruptibilis per deordinationem ipsius corporis.

NOTANDA: 1. Mors et alii defectus non solum sunt effectus peccati, sed etiam sunt poenae ipsius; nam subtractio originalis justitiae habet rationem poenae, sicut etiam subtractio gratiae; et tales defectus sunt ordinati secundum justitiam Dei punientis (In fine art.).

2. Ab eodem removentur et culpa tum originalis tum actualis peccati, et defectus peccati; sed utrumque fit secundum ordinem divinae sapientiae congruo tempore. Oportet enim quod ad immortalitatem et impassibilitatem gloriae, quae in

Christo inchoata est, et per Christum nobis acquisita, perveniamus prius passionibus ejus. Unde oportet quod ad tempus ejus passibilitas in nostris corporibus remaneat ad impassibilitatem gloriae promerendam conformiter Christo (Ad 2m).

Art. VI. – *Utrum mors et alii defectus sint naturales homini.*

RESP. NEG. – *Scil. :* Mors aliique defectus corporales sunt contra naturam particularem; sed sunt secundum naturam universalem, et quidem non ex parte formae, sed ex parte materiae.

R. PRIMI EST: quia virtus activa et conservativa propria alicujus naturae particularis intendit esse et conservationem ejus cujus est, ut ex ipsa natura rerum patet.

R. SECUNDI EST: quia natura universalis, quae est virtus activa in aliquo universali principio naturae, intendit bonum et conservationem universi, ad quod exigitur alternatio generationis et corruptionis in rebus, et secundum hoc, corruptiones et defectus rerum sunt naturales, non quidem secundum inclinationem formae, quae est principium essendi et perfectionis, et quae intendit perpetuum esse quantum potest, sed secundum inclinationem materiae, quae proportionaliter attribuitur tali formae secundum distributionem universalis agentis. Et secundum hoc corruptibilitas hominis est naturalis ex inclinatione materiae seu corporis. – Sed Deus, cui subjacet omnis natura, in ipsa institutione hominis supplevit defectum naturae; et dono justitiae originalis dedit corpori incorruptibilitatem quamdam (I. P., q. xcvi, art. 1). Et secundum hoc dicitur quod *Deus mortem non fecit*, et quod mors est poena peccati.

QUAESTIO LXXXVI

De macula peccati

Deinde considerandum est de macula peccati; et circa hoc queruntur duo:

Art. I. – *Utrum peccatum causet aliquam maculam in anima.*

RESP. AFF. – *Scil.*: Per similitudinem ad maculam corporis.

R. EST: quia sicut corpus maculatur per hoc quod perdit suum nitorem ex contactu alterius corporis; ita anima hominis per peccatum, adhaerendo per amorem aliquibus rebus contra lumen rationis, et divinae legis, perdit duplicem nitorem luminis naturalis rationis, et luminis divinae gratiae. Et sic per peccatum maculatur.

NOTANDA: 1. Anima non inquinatur ex rebus inferioribus virtute earum, quasi agentibus eis in animam; sed magis e converso anima sua actione se inquinat, inordinate eis inhaerendo contra lumen rationis et divinae legis (Ad 1m). Amor enim quo voluntas rei inordinate amatae inhaeret, conglutinat ipsam animam, ut dicitur (Oseae ix, 10): *Facti sunt abominabiles, sicut ea quae dilexerunt* (Ad 2m). – Intellectus autem non maculatur, quia actio intellectus perficitur secundum quod res intelligibiles sunt in intellectu *per modum ipsius intellectus*, et ideo intellectus ex eis non inficitur, sed magis perficitur (Ad 2m).

2. Macula non est aliquid positive in anima, nec significat privationem solam, sed significat privationem quamdam nitoris animae in ordine ad suam causam, quae est peccatum; et ideo diversa peccata diversas maculas inducunt: et est simile de umbra, quae est privatio luminis ex objecto alicujus corporis, et secundum diversitatem corporum objectorum diversificantur umbrae (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum macula maneat in anima post actum peccati.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Usque dum anima redeat ad lumen rationis et ad lumen divinum, quod fit per gratiam.

R. EST: quia macula importat quemdam defectum nitoris propter recessum a lumine rationis vel divinae legis. Et ideo quamdiu homo manet extra hujusmodi lumen, manet in eo macula peccati. Sicut ille qui currit, non statim redit ad suum principium moto cessante, sed oportet quod appropinquet rediens per motum contrarium.

QUAESTIO LXXXVII

De reatu poenae

Deinde considerandum est de reatu poenae; et primo de ipso reatu; secundo de mortali et veniali peccato, quae distinguuntur secundum reatum. Et circa primum quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum reatus poenae sit effectus peccati.*

RESP. AFF. - *Scil.:* debitum poenae (quod est reatus) est effectus peccati, non autem poena ipsa, nisi dispositive.

R. EST: quia cum peccatum sit actus quidam inordinatus, quicumque peccat contra aliquem ordinem agit. Quodcumque autem in aliquo ordine contra ipsum ordinem insurgit, incurrit debitum ut ab ipso ordine seu principe ipsius ordinis deprimatur, quae depressio poena est. Quaecumque enim continentur sub aliquo ordine, sunt quodammodo unum in ordine ad principium ordinis; et ut in naturalibus videmus, unum contrarium vehementius agit altero contrario superveniente.

NOTANDA: 1 Secundum tres ordines quibus subditur humana voluntas, triplici poenae potest homo puniri: una est remorsus conscientiae, secundum ordinem rationis; altera est ab homine, secundum legem humanam; et tertia est a Deo, prout homo subditur universali ordini divini regiminis (In corp. art.).

2. Ipsa poena non est effectus peccati directe, sed solum dispositive. Peccatum autem facit hominem esse reum poenae: unde puniri non est malum, sed fieri poena dignum est malum (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum peccatum possit esse poena peccati.*

RESP. AFF. - *Scil.*: a) peccatum per se, secundum suam naturam, nullo modo potest esse poena peccati; sed b) solum per accidens.

R. PRIMI EST: quia peccatum, secundum quod in se est, est actus voluntarius; poena autem de se habet ut sit contra voluntatem.

R. SECUNDI EST TRIPLEX: a) quia per peccatum subtrahitur auxilium gratiae; et ideo peccatum quod ex hoc sequitur, poena peccati dicitur; b) ex parte substantiae actus; quia actus peccati inducit afflictionem, sive actus sit interior, ut patet in ira et in invidia, sive sit exterior, ut cum aliqui propter peccatum gravi labore opprimuntur; c) ex parte effectus, ut sint infamia, paupertas, morbi, etc. ex quibus alia peccata sequi possunt.

NOTANDUM: Peccatum, inquantum est poena, a Deo ordinatur ad emendationem peccatoris, vel ad bonum virtutis aliorum, qui videntes aliquos ruere de peccato in peccatum, magis reformidant peccatores (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum aliquod peccatum inducat reatum aeternae poenae.*

RESP. AFF. - *Scil.*: Quaecumque peccata averunt a Deo, charitatem auferentia, quantum est de se, inducunt reatum aeternae poenae.

R. EST: quia talia peccata corrumpunt principium ordinis quo voluntas hominis subditur Deo; i. e., corrumpunt ultimum finem, cui homo inhaeret per charitatem. Omnis autem defectus quo subtrahitur principium, est, quantum est de se, irreparabilis. Sicut si corrumpatur principium visivum, non potest fieri visionis reparatio, nisi sola virtute divina. Manente autem causa, manet et effectus. Unde manente inordinatio per peccatum, manet et poena; quae tamen inordinatio reparari potest virtute divina.

NOTANDUM: Ex hoc quod peccatum est temporale, non sequitur quod poena peccati mortalis non debet esse aeterna; quia est actus auferens vitam supernaturalem ab anima; mors autem, quantum de se est, perpetua est. Non igitur quia peccatum in brevissimo momento committitur, ideo poena debeat adaequari et brevissima esse. Nec hoc verificatur in iustitia humana, quae quaedam delicta poena perpetua carceris seu exilii, vel etiam mortis punit. Peccator autem suum finem ultimum in peccato constituit, et sic voluntatem habet in aeternum peccandi; sicut Gregorius dicit (Dial. lib. iv, cap. 44): «iniqui voluissent sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere». (Ad 1m).

Art. IV. - Utrum peccato debeat poena infinita secundum quantitatem.

RESP. NEG. - Scil.: a) ex parte conversionis ad creaturam peccato non debetur poena infinita; b) sed ex parte aversionis a Deo.

R. PRIMI EST DUPLEX: a) quia ipsum bonum commutabile est finitum; b) quia ipsa conversio est finita, non enim possunt actus creaturae esse infinici. Unde huic inordinationi conversionis respondet *poena sensus*, quae est finita.

R. SECUNDI EST: quia incommutabile bonum, quod per peccatum avertitur, est infinitum, scil. ipse Deus; et huic inordinationi respondet *poena damni*, quae est infinita.

Art. V. – *Utrum omne peccatum inducat reatum poenae aeternae.*

RESP. NEG. – R. EST: quia illa peccata reatum poenae aeternae inducunt quae irreparabiliter ordini divinae justitiae repugnant, ut dictum est (art. 3 hujus quaes.). Sunt autem quaedam peccata, quae inordinationem quam important, non est contraria ad ultimum finem, sed est circa ea quae sunt ad finem, inquantum plus vel minus debite eis intenditur, salvato tamen ordine ad ultimum finem. Et haec sunt peccata quibus tantum poena temporalis debetur.

NOTANDUM: Peccato veniali, si cum mortali peccato in aliquo damnato inveniatur, cum in inferno nulla potest esse remissio, poena aeterna debetur per accidens. Aeternitas enim poenae non respondet quantitati culpae, sed irremissibilitati ipsius (Ad 3m).

Art. VI. – *Utrum reatus poenae remaneat post peccatum.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) sive post actum peccati; b) sive post remissionem maculae.

R. PRIMI EST: quia actus peccati facit hominem reum poenae, inquantum transgreditur ordinem divinae justitiae, ad quem non redit nisi per quamdam recompensationem poenae, quae ad aequalitatem justitiae reducit, ut scilicet qui plus voluntati suae indulsit quam debuit, contra mandatum Dei agens, secundum ordinem divinae justitiae aliquid contra illud quod vellet, spontaneus vel invitatus patiat. Quod etiam in injuriis hominibus factis observetur.

R. SECUNDI EST: quia macula culpae non tollitur nisi voluntas hominis ordinem divinae justitiae acceptet, ut scilicet vel ipse sibi poenam spontaneus assumat in recompensationem culpae

praeteritae, vel etiam a Deo illatam patienter sustineat; utroque tamen modo poena rationem satisfactionis habet. Unde remota macula culpae per gratiam, potest quidem remanere reatus, non poenae quidem simpliciter, sed satisfactoriae. In primo casu simpliciter poena est.

NOTANDUM: Requiritur poena (satisfactoria), remota macula, ad sanationem aliarum virium animae (praeter voluntatem, quae jam sanata est per remotionem maculae), quae per peccatum precedens deordinatae fuerunt, ut scilicet per contraria curentur. Requiritur etiam ad restituendum aequalitatem iustitiae, et ad amovendum scandalum aliorum, ut aedificentur in poena qui sunt scandalizati culpa, ut patet ex exemplo de David (Ad 3m).

Art. VII. - *Utrum omnis poena sit propter aliquam culpam.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia cum poena simpliciter dicta, tum poena satisfactoria semper est propter aliquam culpam. Poena simpliciter dicta, cum non sit voluntaria, semper habet relationem ad culpam propriam, sive ad actualem sive ad originalem, et hoc quidem vel *principaliter* per destitutionem iustitiae originalis, vel *consequenter*, quantum ad omnes poenalitates, quae ex defectu naturae hominibus contingunt. - Poena autem satisfactoria, est, vel propter propriam culpam, vel etiam propter culpam aliorum; contingit enim eos qui differunt in reatu poenae, esse unum secundum voluntatem unionis amoris.

NOTANDUM: Quaedam autem poenae seu detrimenta quae ordinata sunt, non ad restitutionem iustitiae ordinis, sed ad profectum hominis, non sunt simpliciter poenae, sed medicinae; sed reducuntur ad culpam sicut ad causam remotam et indirectam; quia hoc ipsum quod oportet humanae naturae medicinae poenales adhibere, est ex

corruptione naturae, quae est poena originalis peccati (In corp. art.), sicut fuit in caeco nato (Jn. ix, 3). – De Christo autem patet, quod ipse poenas sustinuit, non pro suis, sed pro nostris peccatis (Ad 3m).

Art. VIII. – *Utrum aliquis puniatur pro peccato alterius.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) Quantum ad poenam simpliciter dictam non punitur aliquis pro peccato alterius; sed b) punitur poena satisfactoria, et c) medicinali.

R. PRIMI EST: quia poena, inquantum rationem poenae habet, sequitur actum peccati, quod est aliquid personale; unde unusquisque solum poena simpliciter dicta punitur pro peccato suo.

R. SECUNDI EST: quia poena satisfactoria est voluntaria, et sic potest aliquis pro peccato alterius poenam portare, inquantum quodammodo sunt unum, ut dictum est (art. praec.).

R. TERTII EST: quia tales poenae, quae sunt detrimenta corporalium rerum, vel etiam ipsius corporis, ordinata sunt ad salutem animae, ut supra dictum est (art. praec.); unde nihil prohibet talibus poenis aliquem puniri pro peccato alterius, vel a Deo vel ab homine, utpote filios pro patribus, et subditos pro dominis, inquantum sunt res quaedam eorum; quae poenae si patienter sustineantur, bonum animae important.

NOTANDA: 1. Poenae spirituales nunquam sunt medicinales (pro aliis), quia bonum animae non ordinatur ad aliud melius bonum. Unde in bonis animae nullus patitur detrimentum sine culpa propria, et sic unus non punitur pro alio (In corp. art.).

2. Dicitur peccata patrum in filiis puniri (Ex. xx, 5), quia filii in peccatis parentum nutriti proniores sunt ad peccandum tum propter consuetudinem,

tum etiam propter exemplum patrum, quasi auctoritatem eorum sequentes; sunt etiam majori poena digni, si poenas patrum videntes, correcti non sunt. Ideo autem additur (l. c.): *In tertiam et quartam generationem*, quia tantum consueverunt homines vivere, ut tertiam et quartam generationem videant (Ad 1m).

QUAESTIO LXXXVIII

De peccato veniali per comparisonem ad mortale

Deinde quia peccatum veniale et mortale distinguuntur secundum reatum, considerandum est de eis; et primo considerandum est de veniali per comparisonem ad mortale; secundo de veniali secundum se. Circa primum quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum veniale peccatum convenienter dividatur contra mortale.*

RESP. AFF. - *scil.*: Accipiendo mortale metaphorice ad mortem corporalem.

R. EST: quia si proprie accipiatur tunc non opponitur veniali, non sunt enim in eodem genere infirmitates et mors proprie dictae. Sed metaphorice accepto, peccatum mortale habet oppositionem cum veniali; quia opponuntur sicut irreparabile et reparabile. Peccata venialia sunt reparabilia quia habent inordinationem circa ea quae sunt ad finem, conservato ordine ad ultimum finem; mortalia autem sunt irreparabilia, quia important destitutionem finis ultimi, in ordine ad quem vita animae consistit. Talis autem destitutio reparari non potest nisi virtute divina, ut supra dictum est (q. lxxii, art. 5); i. e. non per aliquod principium intrinsecum.

NOTANDUM: Divisio peccati in veniale et mortale non est divisio (univoca) generis in species, sed est divisio analogi in ea de quibus praedicatur secun-

dum prius et posterius. Peccatum autem veniale dicitur peccatum secundum rationem imperfectam et in ordine ad peccatum mortale; sicut accidens dicitur ens in ordine ad substantiam. Peccatum veniale enim non est contra legem, quia venialiter peccans non facit quod lex prohibet, nec praetermittit id ad quod lex per praeceptum obligat; sed facit praeter legem, quia non observat modum rationis, quem lex intendit (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum peccatum mortale et veniale differant genere.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Aliquod est peccatum mortale ex genere, et aliquod est peccatum veniale ex genere, ex determinatione objecti.

R. EST: quia cum voluntas fertur in aliquid quod secundum se repugnat charitati, per quam homo ordinatur in ultimum finem, illud peccatum ex suo objecto habet quod sit mortale, unde est mortale ex genere; sive sit contra dilectionem Dei, sicut blasphemia, perjurium, et hujusmodi; sive contra dilectionem proximi, sicut homicidium, adulterium et similia; unde hujusmodi sunt peccata mortalia ex suo genere. Quandoque vero voluntas peccantis fertur in id quod in se continet quamdam inordinationem, non tamen contrariatur dilectioni Dei et proximi, sicut verbum otiosum, risus superfluus, et alia hujusmodi; et talia sunt peccata venialia ex suo genere, ut dictum est (q. lxxvii, art. 5).

NOTANDUM: Quia actus morales recipiunt rationem boni et mali non solum ex objecto, sed etiam ex aliqua dispositione agentis (q. lxxvii, art. 6), contingit quandoque id quod est peccatum veniale ex genere, ratione sui objecti, fit mortale ex parte agentis, vel quia in eo constituit finem ultimum, vel quia ordinat ipsum ad aliquid quod est peccatum mortale ex genere, puta cum aliquis ordinat verbum otiosum ad adulterium comittendum. Similiter etiam ex parte agentis contingit quod aliquod peccatum quod ex suo genere est

mortale, fit veniale, propter hoc scilicet quod actus est imperfectus, id est non deliberatus ratione, ut supra dictum est (q. lxxiv, art. 10) de subitis motibus infidelitatis (In corp. art.). - Unde tria sunt genera peccatorum venialium: venialia *ex genere suo*, i. e. ratione objecti; venialia *ex levitate materiae*, quae tamen potest esse materia gravis, et talia dicuntur venialia *ex causa*; et venialia *ex imperfectione actus*.

Art. III. - *Utrum peccatum veniale sit dispositio ad mortale.*

RESP. AFF. - *Scil.*: Non ut causa directa, nisi per quamdam consequentiam; sed ut causa indirecta, removens prohibens.

R. PRIMI EST: quia causa directa disponit ad actum similem secundum speciem. Unde peccatum veniale ex genere, non potest directe, primo et per se, disponere ad mortale ex genere suo, cum differant specie. - Potest tamen disponere per quamdam consequentiam ad mortale, scil. ex parte agentis, inquantum, augmentata dispositione vel habitu per actus peccatorum venialium, potest libido peccandi intantum crescere, quod ille qui peccat, finem suum in peccato veniali constituet. Et sic multoties peccando venialiter, disponetur ad peccatum mortale.

R. SECUNDI EST: quia ille qui peccat venialiter, praetermittit aliquem ordinem; et ex hoc quod consuescit voluntatem suam in minoribus debito ordini non subicere, disponitur ad hoc quod etiam voluntatem suam non subiciat ordini ultimi finis. Et hoc modo, removendo prohibens, potest peccatum ex genere veniale, disponere ad peccatum mortale ex genere.

Art. IV. - *Utrum peccatum veniale possit fieri mortale.*

RESP. NEG. - *Scil.*: a) Idem actus numero qui est primo peccatum veniale, non potest postea

esse mortale; *b)* multa peccata venialia nunquam constituunt integraliter peccatum mortale.

R. PRIMI EST: quia peccatum principaliter consistit in actu voluntatis, sicut et quilibet actus moralis. Unde non dicitur unus actus moraliter si voluntas mutetur, quamvis etiam actio secundum naturam suam sit continua; si autem voluntas non mutetur, non potest esse quod de veniali fiat mortale.

R. SECUNDI EST: *a)* ex parte durationis poenae: quia peccatum mortale habet reatum poenae aeternae, veniale autem poenae temporalis; *b)* ex parte poenae damni: quia peccatum mortale meretur carentiam visionis divinae, cui nulla alia poena comparari potest; *c)* ex parte poenae sensus: quia peccatum mortale sequitur vermis conscientiae, non autem peccatum veniale. *

Quod autem veniale ex genere suo fiat mortale vel quod multa venialia disponant ad mortale, jam dictum est (art. 2 hujus quaes.).

NOTANDUM: Comparatio inter peccatum veniale et inter mortale, quae fit per illam inter morbum curabilem et morbum incurabilem, hic non valet; quia peccatum veniale est actus transiens, qui resumitur non potest (Ad 3m).

Art. V. - *Utrum circumstantia possit facere de veniali mortale.*

RESP. NEG. - *Scil. :* *a)* Circumstantia non potest de veniali facere mortale, manens circumstantia; sed *b)* solum tunc quando transfert in aliam speciem, et fit quodammodo differentia specifica moralis actus.

R. PRIMI EST: quia circumstantia, ut talis, non potest mutare id quod est secundum suam

* R. tamen formalis est quod multitudo venialium non facit differentiam specificam moralis actus, ut S. D. dicit in seg. art.

speciem. Peccatum autem veniale, ut sic, importat deordinationem circa ea quae sunt ad finem; mortale autem circa ipsum finem.

R. SECUNDI EST: quia tunc circumstantia amittit rationem circumstantiae, et constituit novam speciem moralis actus; sicut cum aliquis accedit ad non suam, circumstantia importat deformitatem actus oppositam castitati; et si accedat ad non suam sed alterius, additur deformitas opposita iustitiae; et sic circumstantia novam speciem peccati constituit.

NOTANDUM: Diuturnitas non est circumstantia trahens in aliam speciem; similiter nec frequentia vel assiduitas, nisi forte per accidens ex aliquo supervenienti. Non enim aliquid acquirit novam speciem ex hoc quod multiplicatur vel protelatur, nisi forte in actu protelato vel multiplicato superveniat aliquid quod variet speciem, puta inobedientia, vel contemptus, vel alia hujusmodi (Ad 1m).

Art. VI. - *Utrum peccatum mortale possit fieri veniale.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Peccatum mortale non fit veniale per hoc quod additur ei aliqua deformitas pertinens ad genus peccati venialis; sed potest fieri veniale ex imperfectione deliberationis, sicut in subito actu morali.

R. PRIMI EST: quia quod est perfectum non potest fieri imperfectum per additionem. Peccatum autem mortale in genere peccati est perfectum, veniale autem imperfectum (art. 1 hujus q. ad 1m). Immo magis aggravatur peccatum mortale propter deformitatem adjunctam, sicut si ille qui fornicatur addat verbum otiosum.

R. SECUNDI EST: quia moralis actus habet speciem a ratione deliberata; unde per subtractionem deliberationis solvitur species peccati mortalis.

QUAESTIO LXXXIX

De peccato veniali secundum se

Deinde considerandum est de peccato veniali secundum se; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum peccatum veniale causet maculam in anima.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Peccatum veniale non impedit nitorem animae habitualem, seu interiorius; sed impedit nitorem actualem, qui est quasi fulgor exterior virtutum.

R. EST: quia peccatum veniale non excludit neque diminuit habitum charitatis et aliarum virtutum, sed solum impedit eorum actum. Unde improprie dicitur peccatum veniale causare maculam, cum macula sit aliquid permanens et habituale; veniale autem, ut sic, est quid transiens. Multa tamen venialia possunt *dispositive* inducere ad mortale et consequenter ad maculam (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum convenienter peccata venialia per lignum, foenum et stipulam designentur.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) per ista non designentur peccata mortalia; sed b) convenienter designentur peccata venialia.

R. PRIMI EST: quia Apostolus dicit (I. Cor. III, 12) quod *ille qui aedificat lignum, foenum et stipulam, salvus erit quasi per ignem*. Qui autem peccat mortaliter salvum fieri non potest.

R. SECUNDI EST: quia sicut ista (lignum, foenum et stipulam) congregantur in domo, et non pertinent ad substantiam aedificii, et possunt comburi aedificio remanente: ita etiam peccata

venialia multiplicentur in homine, manente spiritali aedificio, et pro istis patitur ignem vel temporalis tribulationis in hac vita, vel purgatorii post hanc vitam; et tamen salutem consequitur aeternam.

NOTANDA: 1. Sicut Philosophus dicit (De caelo, lib. i, text. 2): «omnia tribus includuntur, scil. principio, medio et fine», et secundum hoc omnes gradus venialium peccatorum ad tria reducuntur, scil. ad *lignum* quod diutius manet in igne; ad *stipulam* quae citissime expeditur; ad *foenum*, quod medio modo se habet: secundum enim quod peccata venialia sunt majoris vel minoris adhaerentiae vel gravitatis, citius vel tardius per ignem purgantur (Ad 4m).

2. Illi qui sunt abstracti a cura temporalium rerum, etsi aliquando venialiter peccent, tamen levia peccata venialia committunt, et frequentissime per fervorem charitatis purgantur; unde tales non superaedificant venialia, quia in eis modicum manet. Sed peccata venialia ipsorum qui circa terrena occupantur, diutius manent; quia non ita frequenter recurrere possunt ad hujusmodi peccata venialia delenda per charitatis fervorem (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum homo in statu innocentiae potuerit peccare venialiter.*

NOTA: Sensus articuli non est quasi id quod in nobis est veniale, esset homini in statu innocentiae existenti mortale, propter dignitatem ipsius status; nam dignitas personae, ut sic, non transfert actum humanum in aliam speciem. Sed sensus est, utrum in statu innocentiae homo potuerit peccare venialiter antequam amitteret integritatem illius status per peccatum mortale.

RESP. NEG. – R. EST: quia peccatum veniale in nobis contingit vel propter imperfectionem actus, sicut subiti motus in genere peccatorum mortalium, vel propter inordinationem circa ea quae sunt ad finem, servato debito ordine ad finem, ut saepe diximus. Subitus motus vel est sensualitatis vel rationis: primus contingit ex

hoc quod sensualitas non perfecte subditur rationi; secundus vero ex hoc quod executio actus rationis non perfecte subditur deliberationi, quae est ex altiori bono (q. lxxiv, art. 10). Inordinatio autem circa ea quae sunt ad finem fit ex eo quod ea quae sunt ad finem non infallibiliter ordinantur sub fine, qui in appetibilibus rationem principii habet. Tales autem motus subiti et inordinatio actus non fuerunt possibles in statu innocentiae; quia in illo statu erat infallibilis ordinis firmitas (I P., q. xcvi, art. 1), et semper inferius contineretur sub superiori, quamdiu summum hominis contineretur sub Deo. – Si homo in statu innocentiae potuisset peccare venialiter, potuisset etiam per peccatum veniale integritatem ipsius status corrumpere; hoc autem solum peccatum mortale facere potuit et fecit (Ad 3m).

NOTANDUM: Elatio quae praecessit in animo primi hominis, fuit primum hominis peccatum mortale; dicitur enim (Apud S. Aug. – Super Gen. ad litt., l. XI, c. 5) praecessisse dejectionem ejus in exteriorem actum peccati. Elationem subsequuta est cupiditas experiendi in viro et dubitatio in muliere. Mulier autem in quamdam aliam elationem prorupit ex hoc solo quod, cum mentionem praecepti a serpente audivit, quasi nollet sub praecepto contineri (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum angelus bonus vel malus possit peccare venialiter.*

RESP. NEG. – R. EST: quia ea quae sunt ad finem, circa quae potest peccatum veniale fieri, intellectus angelicus considerat in ipso fine, quod est principium. Non est enim intellectus angeli discursivus (I P., q. lviii, art. 3). Unde ex natura sua habent angeli quod non possit in eis esse deordinatio circa ea quae sunt ad finem, nisi simul sit deordinatio circa finem ipsum, quod est per peccatum mortale. Sic angelus bonus non movetur ad ea quae sunt ad finem, nisi secundum

debitum finem, per charitatem; mali autem angeli non movetur nisi in ordine ad finem superbiae ipsorum, et sic in omnibus peccant mortaliter.

Art. V. – *Utrum primi motus sensualitatis in infidelibus sint peccata mortalia.*

RESP. NEG. – *Scil. :* Si in eis non consentiant.

PRIMA R. EST: quia eadem natura sensualitatis est in infidelibus et fidelibus: sensualitas autem ipsa non est subjectum peccati mortalis (q. lxxiv, art. 4). Unde non potest esse quod solus motus sensualitatis in infidelibus sit peccatum mortale.

SECUNDA R. EST: quia nunquam dignitas personae diminuit peccatum, sed magis auget; unde multo majus est peccatum in fidei quam in infideli.

NOTANDUM: Sanctus Doctor movet hanc quaestionem contra quosdam, qui, male interpretantes verba Sancti Pauli (Rom. viii, 1), scil. *nihil est damnationis his qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant*, concludebant primos motus sensualitatis in infidelibus esse peccata mortalia, non autem in illis qui sunt in Christo Jesu. Sed Apostolus loquitur hic de damnatione debita peccato originali, quae aufertur per gratiam. Unde motus sensualitatis in fidelibus non est amplius signum damnationis; sed est *signum* damnationis in infidelibus usque dum non baptizantur (Ad 1m).

Art. VI. – *Utrum peccatum veniale possit esse in aliquo cum solo originali.*

RESP. NEG. – *Scil. :* Impossibile est quod peccatum veniale sit in aliquo cum originali peccato absque mortali.

R. EST: quia cum aliquis, in peccato originali existens, inciperet habere usum rationis, debet de se ipso deliberare; et si quidem se ipsum ordinauerit ad debitum finem, consequeretur per

gratiam remissionem originalis peccati; et sic peccatum veniale non esset amplius possibile cum originali peccato; si vero non ordinet seipsum ad debitum finem, peccaret mortaliter, non faciens quod in se est, et sic peccatum veniale quod postea committerit non esset solum cum peccato originali, sed esset cum peccato mortali.

NOTANDUM: Ab aliis peccatis mortalibus potest puer incipiens habere usum rationis per aliquod tempus abstinere; sed a peccato omissionis praedictae non liberatur, nisi, quam cito potest, se convertat ad Deum. Primum enim quod occurrit homini discretionem habenti, est quod de ipso cogitet, ad quem alia ordinet sicut ad finem. Finis enim est prior in intentione. Et ideo hoc est tempus pro quo obligatur ex Dei praecepto affirmativo, quo Dominus dicit: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* (Zach. 1, 3).

DE LEGIBUS

Consequenter considerandum est de principiis exterioribus actuum. Principium autem exterius *ad malum* inclinans est diabolus, de cujus tentatione in primo (in Prima Parte) dictum est (q. xci, art. 2 et 3). Principium autem exterius movens *ad bonum* est Deus, qui et nos instruit per legem, et juvat per gratiam. – Unde primo de lege, secundo de gratia dicendum est. – Circa legem autem primo oportet considerare de ipsa lege in communi; secundo de partibus ejus. – Circa legem in communi tria occurrunt considerare: primo quidem de essentia ejus; secundo de differentia legum; tertio de effectibus legis. – Circa primum quaeruntur quatuor:

QUAESTIO XC

De essentia legis

Art. I. – *Utrum lex sit aliquid rationis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia lex, quae a ligando dicitur, est quaedam regula et mensura, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab

agendo retrahitur. Regula autem et mensura humanorum actuum est ratio (qu. lxvi, art. 1). Ergo lex est aliquid rationis, et quidem rationis practicae (Ad 2m).

NOTANDUM: Quoad illa verba Apostoli (Rom. vii, 23): *Video aliam legem in membris meis*, etc., considerandum est quod, cum lex sit regula quaedam et mensura, dupliciter dicitur esse in aliquo: uno modo sicut in mensurante et regulante, et quia hoc est proprium rationis (cujus est ordinare ad finem), ideo per hunc modum lex est in ratione sola. Alio modo sicut in regulato et mensurato; et sic lex est in omnibus quae inclinantur in aliquid ex aliqua lege; ita quod quaelibet inclinatio proveniens ex aliqua lege potest dici lex non essentialiter, sed quasi participative. Et hoc modo inclinatio ipsa membrorum ad concupiscendum *lex membrorum* vocatur.

Art. II. - *Utrum lex ordinetur semper ad bonum commune.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Cum ratione objecti, quod est finis ultimus, seu beatitudo, tum ratione communitatis.

R. PRIMI EST: quia primum principium rationis practicae, ad quam lex pertinet, est finis ultimus, seu beatitudo. Unde lex maxime respicere debet ordinem qui est in beatitudine.

R. SECUNDI EST: quia sicut pars debet ordinari ad totum, sicut imperfectum ad perfectum, ita homo, qui est pars communitatis perfectae, debet ad ipsam communitatem ordinari, communitate causae finalis (Ad 2m) seu ratione boni, seu felicitatis communis, quod fit per legem. Unde lex maxime dicitur secundum ordinem ad bonum commune; et quodcumque aliud praeceptum de particulari opere non habet rationem legis, nisi secundum ordinem ad bonum commune (In fine art.).

NOTANDUM: Ratio etiam ordinat ad bonum privatum, sed, sicut nihil constat firmiter secundum rationem speculativam, nisi per resolutionem ad prima principia indemonstrabilia; ita firmiter nihil constat per rationem practicam nisi per ordinationem ad ultimum finem, qui est bonum commune. Quod autem hoc modo ratione constat, legis rationem habet (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum ratio cujuslibet sit factiva legis.*

RESP. NEG. – R. EST: quia ordinare ad bonum commune, cujus primo et principaliter est lex, est vel totius communitatis, vel alicujus qui totius communitatis curam habet; in omnibus enim ordinare in finem est ejus, cujus est proprius ille finis. – Unde ille qui gubernat aliquam communitatem, quae non est perfectam, i. e., quae est ad aliam perfectam communitatem ordinata, potest quidem facere aliqua praecepta vel statuta, non tamen quae proprie habeant rationem legis (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum promulgatio sit de ratione legis.*

RESP. AFF. – *Scil. :* Ut lex virtutem obligandi, quod est proprium legis, obtineat.

R. EST: quia lex virtutem obligandi, quod est proprium legis, obtinere nequit, nisi in notitiam eorum deducatur, qui ab ipsa lege regulari et mensurari debent. Hoc autem fit per applicationem legis, seu per ejus promulgationem.

NOTANDA: 1. Promulgatio legis naturae est ex hoc ipso quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam (Ad 1m).

2. Illi coram quibus lex non promulgatur, obligantur ad legem observandam, inquantum in eorum notitiam devenit per alios, vel devenire potest promulgatione facta (Ad 2m).

Ex quatuor articulis praedictis potest colligi definitio legis: « Quaedam rationis ordinatio ad bonum commune, et ab eo qui curam communitatis habet, promulgata ». (In fine art.).

QUAESTIO XCI

De legum diversitate

Deinde considerandum est de diversitate legum; et circa hoc quaerentur sex:

Art. I. - *Utrum sit aliqua lex aeterna.*

RESP. AFF. - *Scil.*: Ratio gubernativa totius universi in mente divina existens.

R. EST: quia mundus regitur divina providentia. Oportet ergo in Deo esse rationem gubernationis omnium rerum; haec ratio autem in Deo existens sicut in principe universitatis rationem legis habet; et quia in mente Dei est, oportet eam aeternam dicere.

NOTANDA: Quantum ad promulgationem legis aeternae, considerandum est, quod promulgatio fit ex verbo et scripto; et utroque modo lex aeterna habet promulgationem ex parte Dei promulgantis; quia et Verbum divinum est aeternum, et scriptura libri vitae est aeterna. Sed ex parte creaturae audientis aut inspicientis non potest esse promulgatio aeterna (Ad 2m).

2. Lex aeterna (in Deo existens) non ordinatur ad alium finem, quia finis divinae gubernationis est ipse Deus; nec ejus lex est aliud ab ipso (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum sit in nobis aliqua lex naturalis.*

RESP. AFF. - *Scil.*: Participatio legis aeternae secundum quam bonum et malum discernimus.

R. EST: quia omnia quae divinae providentiae subduntur, a lege aeterna regulantur et mensurantur. Ergo lex aeterna est in omnibus sicut in regulato et mensurato per quamdam participationem, in quantum scilicet ex impressione ejus habent (creaturae) inclinationes in proprios actus et fines.

Homo autem excellentiori modo providentiae subjacet, inquantum est sibi et aliis providens, et sic speciali modo in ipso lex aeterna participatur; talis autem participatio legis aeternae in rationali creatura *lex naturalis* dicitur, secundum illud Psalmistae (IV, 6): *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*; quasi lumen rationis naturalis, quo discernimus quid sit bonum et quid sit malum, quod pertinet ad naturalem legem, nihil aliud sit quam impressio divini luminis in nobis. – Unde prima directio actuum nostrorum ad finem fit per legem naturalem (Ad 2m).

NOTANDUM: Etiam animalia irrationalia participant rationem aeternam suo modo, sicut et rationalis creatura. Sed quia rationalis creatura participat eam intellectualiter et rationaliter, ideo participatio legis aeternae in creatura rationali proprie lex vocatur; nam *lex* est aliquid rationis, ut dictum est (qu. praec., art. 1); in creatura autem irrationali non participatur rationaliter; unde non potest dici *lex* nisi per similitudinem (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum sit aliqua lex humana.*

RESP. AFF. – R. EST: quia, sicut ex principiis indemonstrabilibus naturaliter cognitis producuntur conclusiones diversarum scientiarum, quarum cognitio non est nobis naturaliter indita; ita ex quibusdam principiis communibus et indemonstrabilibus, ratio humana procedit ad aliqua magis particulariter disponenda: quae particulares dispositiones adinventae secundum rationem humanam dicuntur *leges humanae*, observatis aliis conditionibus quae pertinent ad rationem legis.

NOTANDUM: Lex humana definiri potest: Ordinatio rationis humanae legi naturali conveniens, ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet promulgata.

Art. IV. - *Utrum fuerit necessarium esse aliquam legem divinam.*

RESP. AFF. - *Scil.* : Praeter naturalem et humanam legem, divina quaedam lex necessaria fuit, per quam homo in supernaturalem suum finem, qui est aeterna beatitudo, ordinaretur, atque infallibiliter dirigeretur.

PRIMA R. EST: quia finis ad quem homo ordinatur, qui est beatitudo aeterna, excedit proportionem naturalis facultatae humanae (q. v, art. 5).

SECUNDA R. EST: quia, ut homo absque dubitatione scire possit quid ei sit agendum et quid vitandum, necessarium fuit ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitus datam, de qua constat quod non potest errare.

TERTIA R. EST: quia de his potest homo legem facere, de quibus potest judicare. De interioribus actibus autem, qui latent, homo judicare nequit; et tamen ad perfectionem virtutis requiritur quod etiam in actibus interioribus homo rectus existat. Unde lex humana non potuit cohibere et ordinare sufficienter interiores actus, sed necessarium fuit quod ad hoc superveniret lex divina.

QUARTA R. EST: quia lex humana non potest omnia quae male fiunt, punire, vel prohibere, ut non impediretur utilitas boni. Ut ergo nullum malum improhibitum et impunitum remaneat, necessarium fuit supervenire legem divinam, per quam omnia peccata prohibentur.

NOTANDUM: Per naturalem legem participatur lex aeterna secundum proportionem capacitatis humanae naturae. Sed oportet ut altiori modo dirigatur homo in ultimum finem supernaturalem. Et ideo superadditur lex divinitus data, per quam ex aeterna participatur altiori modo (Ad 1m).

Art. V. – *Utrum lex divina sit una tantum.*

RESP. NEG. – *Scil.* : Non distinctione specie, sed ratione perfecti et imperfecti ejusdem speciei.

R. EST: quia lex divina distinguitur inter veterem, et novam, sicut homo in puerum et virum (Gal. III). Lex nova autem dicitur perfectior veteri secundum tria: Primo, ratione finis seu boni communis; quia lex veteris ordinabatur immediate ad bonum sensibile et terrenum, sicut patet ex promissione terrae Chananaeorum; lex autem novi testamenti immediate ordinatur ad bonum spirituale et caeleste, ut ex exordio praedicationis Christi patet: *Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum caelorum* (Mt. IV, 17). – Secundo, ratione directionis actuum humanorum secundum justitiae ordinem: quia lex veteris non ita ordinabat interiores actus, sicut nova, ut ex verbis Christi patet: « *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum* » (Mt. V, 20); unde lex vetus cohibet manum (i. e. inhibet cum poena), lex nova autem animum. – Tertio, ratione inductionis ad observantiam mandatorum: quia lex veteris erat timoris poenarum, nova autem est amoris, qui in cordibus nostris infunditur per gratiam Christi, quae in lege nova confertur, sed in lege veteri figurabatur. – Lex enim perfecte non potuit dari omnibus, nisi post Christi adventum, non enim est idem auxilium gratiae ante et post Christi adventum (Ad 2m).

Art. VI. – *Utrum sit aliqua lex fomitis.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Secundum illud Apostoli (Rom. VII, 23): *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae*, quae non dicitur lex nisi participative et indirecte, seu ut lex poenalis.

R. EST: quia fomes seu impetus sensualitatis, qui est in homine, est in ipso per hoc, quod per justitiam divinam homo destitutus est dignitate originalis justitiae et vigore rationis; quod habet rationem legis participative indirecte seu poenalis.

NOTANDA: 1. Lex est essentialiter in regulante et mensurante, participative in regulato et mensurato; et hoc dupliciter: directe, prout legislator per legem movet directe ad aliquem finem subiectum legi; vel indirecte, inquantum legislator destituit aliquem sibi subditum aliqua dignitate, ex quo sequitur quod subditus transeat in alium ordinem, et quasi in aliam legem, scil. quasi in legem poenalem, et sic est de lege fomitis (in corp. art.). - In brutis autem talis impetus sensualitatis non est contra rationem, (qua sunt destituti); unde non habet rationem legis poenalis, neque indirecte participatur lex in illis, sed in illis lex habet rationem simpliciter, illo tamen modo quo in talibus lex dici potest (i. e. per similitudinem) - (In corp. art.).

2. Si consideretur inclinatio sensualitatis, prout est in aliis animalibus, sic ordinatur ad bonum commune, i. e., ad conservationem naturae in specie vel in individuo; et hoc est etiam in homine, prout sensualitas subditur rationi; sed fomes dicitur, secundum quod exit rationis ordinem (Ad 3m).

QUAESTIO XCII

De effectibus legis

Deinde considerandum est de effectibus legis; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum effectus legis sit facere homines bonos.*

RESP. AFF. - R. EST: quia proprium virtutis est inducere subjectos ad propriam ipsorum virtutem; nam virtus cujuslibet subjecti est ut bene subjiciatur principanti, ut Philosophus dicit

(Polit. lib. 1, cap. ult). Cum igitur virtus sit quae facit bonum habentem, sequitur quod effectus legis sit bonus facere eos quibus datur; et hoc fit vel simpliciter, quando scil. intentio legislatoris fertur in id quod est bonum simpliciter seu verum bonum, ut ordinatum ad bonum commune et regulatum secundum divinam justitiam; vel secundum quid, si intentio legislatoris non est bonum simpliciter, sed bonum sibi utile vel delectabile, vel etiam repugnans justitiae divinae: quod facit subjectum bonum in aliquo ordine tantum, scil. in ordine ad tale regimen, sicut dicitur aliquis bonus latro.

NOTANDA: 1. Bonitas cujuslibet partis consideratur in proportionem ad suum totum; unde et Augustinus dicit (Confess. lib. III, cap. 8 paulo a principio), quod « turpis est omnis pars quae suo toti non congruit ». Cum igitur quilibet homo sit pars civitatis, impossibile est quod aliquis homo sit bonus, nisi sit bene proportionatus bono communi, nec totum potest bene existere nisi ex partibus sibi proportionatis. Unde impossibile est quod bonum commune civitatis bene se habeat, nisi cives sint virtuosus, ad minus illi quibus convenit principari. Sufficit autem quantum ad bonum communitatis quod alii intantum sint virtuosus, quod principum mandatis obediant (Ad 3m).

2. Lex tyrannica, cum non sit secundum rationem, non est simpliciter lex, sed magis est quaedam perversitas legis; et tamen in quantum habet aliquid de ratione legis, intendit ad hoc quod cives sint boni: habet autem de ratione legis quod subditi obediant; quod est eos esse bonos, non quidem simpliciter, sed in ordine ad tale regimen (Ad 4m).

Tali autem legi non est parendum, ut dicendum est infra (q. xcvi, art. 4).

Art. II. – *Utrum legis actus convenienter assignentur.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Praecipere, prohibere, permittere et punire.

R. EST: quia lex ad hoc datur ut dirigat actus humanos. Sunt autem tres differentiae actuum humanorum (q. xviii, art. 5 et 8): quidam sunt boni ex genere, qui sunt actus virtutum; et respectu horum ponitur legis actus *praecipere* vel *imperare*. Quidam vero sunt actus mali ex genere, sicut actus vitiosi; et respectu horum lex habet *prohibere*. Quidam vero ex genere suo sunt actus indifferentes; et respectu horum lex habet *permittere*; et possunt etiam indifferentes dici omnes illi actus qui sunt vel parum boni, vel parum mali. Id autem per quod inducit lex ad hoc quod sibi obediatur, est timor poenae; et quantum ad hoc ponitur legis effectus *punire*.

QUAESTIO XCIII

De lege aeterna

Deinde considerandum est de singulis; et primo de lege aeterna; secundo de lege naturali; tertio de lege humana; quarto de lege veteri; quinto de lege nova, quae est lex Evangelii. – De sexta autem lege, quae est lex fomitis, sufficiat quod dictum est (qu. lxxxii. lxxxiii et lxxxiiii), cum de peccato originali ageretur. – Circa primum quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum lex aeterna sit summa ratio in Deo existens.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ratio gubernantis actus subditorum obtinet rationem legis (qu. xc). Deus autem est gubernator omnium actuum et motionum quae inveniuntur in singulis creaturis (P. I., qu. ciii, art. 5). Unde ratio divinae sapientiae moventis omnia ad debitum finem obtinet rationem legis. Et secundum hoc lex aeterna nihil aliud est quam «ratio divinae sapientiae, secundum quod est directiva omnium actuum et motionum».

NOTANDA: 1. Ut patet ex dictis (in art.), lex aeterna non dicitur personaliter in divinis, sed essentialiter; appropriatur tamen Filio propter convenientiam quam habet ratio ad verbum (mentis). (Ad 2m).

2. Haec summa ratio in Deo existens, quae est lex aeterna, est ipsa veritas. Nam, intellectus divinus non mensuratur a rebus, sicut est intellectus humanus, sed est mensura rerum; et unaquaeque res intantum habet de veritate, inquantum imitatur intellectum divinum (I. P., qu. xvi, art. 1). Et ideo intellectus divinus est verum secundum se; unde ratio ejus est ipsa veritas (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum lex aeterna sit omnibus nota.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Lex aeterna omnibus est nota aliquiditer.

R. EST: quia aliquiditer omnes cognoscunt veritatem; omnis autem cognitio veritatis est quaedam irradiatio et participatio legis aeternae, quae est veritas incommutabilis; nemo vero cognoscit legem aeternam in seipsa, nisi solus Deus, et beati, qui Deum vident per essentiam.

Art. III. – *Utrum omnis lex a lege aeterna derivetur.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Omnes rationes gubernationis quae sunt in inferioribus gubernantibus a lege aeterna deriventur.

R. EST: quia in omnibus moventibus ordinatis oportet quod virtus secundi moventis derivetur a virtute moventis primi: non enim movens secundum movet nisi inquantum movetur a primo. Leges autem, inquantum participant de ratione recta, sunt tanquam moventia ordinata ad unum finem, scil. bonum commune, qui ad finem ultimum ordinari debet secundum rectam rationem.

Art. IV. - *Utrum necessaria et aeterna subjiciantur legi aeternae.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Legi aeternae subduntur omnia quae sunt in rebus a Deo creatis, sive sint contingentia, sive sint necessaria; ea vero quae pertinent ad naturam vel essentiam divinam, legi aeternae non subduntur.

R. EST: quia quum lex aeterna sit ratio divinae gubernationis, ea omnia quae divinae gubernationi subduntur, subjiciuntur etiam legi aeternae, et haec sunt omnia quae sunt in rebus a Deo creatis, sive sint contingentia, sive necessaria; illa autem quae divinae gubernationi non subduntur, neque legi aeternae subjiciuntur, et haec sunt illa quae pertinent ad naturam vel essentiam divinam, quae sunt realiter ipsa lex aeterna.

NOTANDUM: Voluntas Dei dicitur *rationabilis*, et ideo subjecta rationi divinae, non inquantum est ipsa voluntas, quia sic voluntas Dei est ipsa essentia ejus; sed inquantum ad ea quae Deus vult circa creaturas, quia haec Deus vult secundum divinam sapientiam; alioquin ratione sui ipsius magis est dicenda ipsa ratio (Ad 1m).

Art. V. - *Utrum naturalia contingentia subsint legi aeternae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sicut homo imprimit denuntiando quoddam interius principium actuum homini sibi subjecto, ita etiam Deus imprimit toti naturae principia priorum actuum; per quem modum Deus dicitur praecipere toti naturae, secundum illud Psalm. cxlviii, 6: *Praeceptum posuit, et non praeteribit.*

NOTANDA: 1. Quantumcumque irrationalia homini subjiciantur, tamen eis imponere legem homo non potest; quia non agunt seipsas, sicut nec membris corporis proprii legem imponere potest, quae, quamvis ad imperium rationis moventur

non tamen participant ratione, non enim habent apprehensionem ordinatam ad rationem (In corp. art. et ad 2m).

2. Impressio activi principii intrinseci quantum ad res naturales sic se habet, sicut se habet promulgatio legis quantum ad homines; quia per legis promulgationem imprimitur hominibus quoddam directivum principium humanorum actuum (Ad 1m).

Art. VI. – *Utrum omnes res humanae subiciantur legi aeternae.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Cum in quantum omnes homines cognoscunt aliquam legem aeternam, tum in quantum secundum eam agunt vel patiuntur; aliter tamen in bonis, aliter in malis.

R. EST: quia, ut dictum est (art. 2 hujus quaes.), omnis creatura rationalis aliquo modo notionem legis aeternae habet, et iterum unicuique rationali creaturae inest naturalis inclinatio ad id quod est consonum legi aeternae. – Tamen in malis cum cognitio (practica) legis aeternae, tum inclinatio ad virtutem depravata est per vitium; in bonis vero uterque perfectior invenitur: supra cognitionem naturalem enim superadditur eis cognitio fidei et sapientiae, supra naturalem inclinationem autem superadditur eis interius motivum gratiae et virtutis. Sic igitur *boni* perfecte subsunt legi aeternae, tanquam semper secundum eam agentes; *mali* autem subsunt quidem legi aeternae, sed imperfecte, prout imperfecte eam cognoscunt et imperfecte inclinantur ad bonum, peccatum enim non tollit totum bonum naturae (qu. lxxxv, art. 2). Sed quantum deficit ex parte actionis, suppletur *ex parte passionis*; prout scilicet intantum patiuntur quod lex aeterna dicat de eis, in quantum deficiunt facere quod legi aeternae convenit.

NOTANDA: 1. Quoad illa verba Apostoli (Galat. v. 18): *Si Spiritu Dei ducemini, non estis sub lege*, notandum est quod tales non sunt sub lege non eo sensu quasi nolentes obligationem legis, sicut mali; sed eo sensu quod ita voluntarie et per amorem secundum legem vivent, ut lex eis vim quasi ligandi non habet. Vel alio modo intelligi potest, quod scil. qui Spiritu Dei aguntur, non cadunt sub lege, quia ipse Spiritus non est sub lege, sicut Apostolus dicit (II Cor. III, 17): *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*.

2. Idem est per quod aliquid conservatur in fine, et per quod movetur ad finem; sicut corpus grave gravitate quiescit in loco inferiori, per quam etiam ad locum ipsum movetur. Et sic dicendum est quod sicut secundum legem aeternam aliqui merentur beatitudinem vel miseriam; ita per eandem legem in beatitudine vel miseria conservantur. Et secundum hoc beati et damnati, subsunt legi aeternae (Ad 3m).

QUAESTIO XCIV

De lege naturali

Deinde considerandum est de lege naturali; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum lex naturalis sit habitus.*

RESP. NEG. - *Scil.* : Lex naturalis non est habitus proprie et essentialiter, sed improprie secundum id quod habitu tenetur.

R. PRIMI EST: quia non est idem id quod quis agit, et id quo quis agit. Cum igitur habitus sit id quo quis agit, lex autem naturalis sit aliquid per rationem constitutum (sicut propositio est quoddam opus rationis), non potest esse quod lex aliqua sit habitus proprie et essentialiter.

R. SECUNDI EST: quia praecepta legis naturalis quandoque considerantur in actu a ratione, quandoque autem sunt in ea habitualiter tantum; et

secundum hunc modum potest dici quod lex naturalis sit habitus, sicut fides dicitur id quod fide tenetur.

NOTANDUM: Synderesis est habitus continens praecepta legis naturalis, quae sunt prima principia operum humanorum, et secundum hoc dicitur lex intellectus nostri; sed dicitur lex improprie, inquantum virtute continet legem seu praecepta legis naturalis. Synderesis autem, ut dictum est (I. P., qu. lxxix, art. 12), est habitus nos inclinans ad assentiendum principiis practicis. (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum lex naturalis contineat plura praecepta, vel unum tantum.*

RESP.: Lex naturalis non continet unum tantum praeceptum, sed plura, quae tamen in uno fundantur, scil.: Bonum est faciendum et prosequendum, malum autem vitandum.

R. EST: quia sicut ens est primum quod cadit in apprehensione simpliciter, ita *bonum est* primum quod cadit in apprehensione practicae rationis, quae ordinatur ad opus. Lex autem est dictamen rationis practicae. Primum ergo dictamen rationis practicae fundatur supra rationem boni, quae est: *Bonum est quod omnia appetunt*. Unde primum praeceptum legis est: Bonum est faciendum et prosequendum, et malum vitandum; et super hoc fundantur omnia alia praecepta legis naturae, secundum illa omnia ad quae homo habet naturalem inclinationem, et quae ratio apprehendit ut bona, et per consequens ut opere prosequenda, et contraria eorum ut mala et vitanda. – Secundum igitur ordinem inclinationum naturalium est ordo praeceptorum legis naturae. Prima est inclinatio ad bonum naturae, in qua homo communicat cum omnibus substantiis, scil. quantum ad conservationem sui esse secundum suam naturam; et secundum hanc inclinationem

pertinent ad legem naturalem ea per quae vita hominis conservatur, et contrarium impeditur. Secunda est inclinatio ad aliqua magis specialia secundum naturam, in qua homo communicat cum caeteris animalibus, et haec sunt ea omnia quae natura omnia animalia docuit, ut est comixtio maris et feminae, aeducatio filiorum, et similia. Tertia inclinatio est ad bonum secundum naturam rationis, quae est homini propria, sicut est naturalis inclinatio ad hoc quod homo veritatem de Deo cognoscat, et quod in societate vivat; et secundum hoc ad legem naturalem pertinent ea quae ad hujusmodi inclinationem spectant, utpote quod homo ignorantiam vitet, quod alios non offendat, cum quibus debet conversari, et caetera hujusmodi. - Et sic multa sunt praecepta legis naturae in seipsis, quae tamen communicant in una radice (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum omnes actus virtutum sint de lege naturae.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) inquantum sunt actus virtuosi; b) non autem secundum seipsos, prout scil. in propriis speciebus considerantur.

R. PRIMI EST: quia cum unumquodque naturaliter ad operationem sibi convenientem secundum suam formam inclinatur, et anima rationalis sit propria forma hominis, naturalis inclinatio inest cuilibet homini ad hoc quod agat secundum rationem; et hoc est agere secundum virtutem.

R. SECUNDI EST: quia multa fiunt secundum virtutem ad quae natura non primo inclinatur; sed per rationis inquisitionem ea homines adinvenerunt quasi utilia ad bene vivendum; sicut sunt jejunia, mortificatio carnis, perpetua castitas, etc.

NOTANDUM: Omnia peccata, inquantum sunt actus contra rationem, sunt etiam contra naturam; quaedam tamen peccata specialia dicuntur contra naturam, inquantum homo communem naturam habet cum animalibus, sicut peccata contra comixtionem maris et feminae, concubitus masculorum, et alia hujusmodi (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum lex naturae sit una apud omnes.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Quantum ad prima principia communia lex naturalis est eadem apud omnes et secundum rectitudinem et secundum notitiam; quantum autem ad conclusiones principiorum communium rationis practicae (de qua est lex), non est eadem apud omnes, sed in pluribus tantum, et secundum rectitudinem, et secundum notitiam.

R. EST: quia quantum ad communia principia (cum rationis speculativae tum practicae) eadem est veritas seu rectitudo apud omnes et aequaliter nota; quantum vero ad conclusiones proprias (seu quoad particularia) rationis practicae, quidam deficiunt propter impedimenta quantum ad rectitudinem, et etiam quantum ad notitiam propter depravatam rationem ex passione, seu ex mala consuetudine, seu ex mala habitudine naturae; sicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum, cum tamen sit expresse contra legem naturae.

Art. V. – *Utrum lex naturae mutari possit.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Lex naturae mutari non potest *per subtractionem*, quantum ad prima principia; quantum vero ad secunda praecepta, quae diximus esse quasi quasdam proprias conclusiones propinquas primis principiis, sic lex naturalis non immutatur, quin ut in pluribus sit rectum semper quod lex naturalis habet; potest

tamen mutari (in praxi) et in aliquo particulari et in paucioribus propter aliquas speciales causas impediētes observantiam talium praeceptorum.

R.: patet ex dictis in articulo praecedenti.

NOTANDA: 1. Per additionem lex naturae mutari potest, sicut de facto mutata est: multa enim supra legem naturalem superaddita sunt ad humanam vitam utilia tam per legem divinam, quam etiam per leges humanas (In corp. art.).

2. Quoad mandatum Dei ad Abraham de uccisione Isaac, et alia similia, notandum est quod Deus est dominus omnium, et quidquid a Deo mandatur, hoc est debitum, et in rebus naturalibus quidquid a Deo fit, est naturale quodammodo, ut dictum est (I. P.; qu. cv, art. 6 ad 1m).

3. Quantum ad verba Isidori (Etymol. lib. v., cap. 4): « communis omnium possessio et una libertas est de juri naturali », dicendum est, quod aliquid dicitur esse de jure naturali dupliciter: uno modo quia ad hoc natura inclinatur, sicut non esse injuriam alteri faciendam; alio modo quia natura non inducit contrarium, sicut possemus dicere quod esse nudum est de jure naturali, quia natura non dedit ei vestitum, sed ars adinvenit. Et hoc modo « communis omnium possessio et una libertas » dicitur esse de jure naturali, quia scilicet distinctio possessionum et servitus non sunt inductae a natura, sed per hominum rationem ad utilitatem humanae vitae; et sic etiam in hoc lex naturae non est mutata nisi per additionem (Ad 3m).

Art. VI. - *Utrum lex naturae possit a corde hominis aboleri.*

RESP. NEG. - *Scil. :* a) Quantum ad principia communia, quae sunt omnibus naturaliter nota, lex naturalis nullomodo potest a cordibus hominum deleri in universali (speculative); deletur tamen in particulari operabili; b) quantum vero ad praecepta secundaria, quae sunt quasi conclusiones propinquae principiis, potest lex naturali deleri de cordibus hominum.

R. PRIMI EST: quia in applicatione communium principiorum ad particularia, ratio impediri potest propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem, ut supra dictum est (qu. lxxvii, art. 2).

R. SECUNDI EST: quia etiam in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias; secunda praecepta autem se habent quasi conclusiones primorum principiorum. Deleri autem possunt haec secundaria praecepta vel propter malas persuasiones, vel etiam propter pravas consuetudines et habitus corruptos, sicut apud quosdam populos habitum est.

QUAESTIO XCV

De lege humana secundum se

Deinde considerandum est de lege humana; et primo quidem de ipsa lege secundum se; secundo de potestate ejus; tertio de ejus mutabilitate. — Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. — *Utrum fuerit utile aliquas leges poni ab hominibus.*

RESP. AFF. — R. EST: quia aptitudo ad virtutem, quae homini naturaliter inest, ad perfectionem advenire non potest, nisi per aliquam disciplinam, sicut nec in quibusdam necessariis in cibo et vestitu, nisi per aliquam industriam. Ad hanc autem disciplinam non de facili invenitur homo sibi sufficiens, praesertim si est ad vitia pronus.

Art. II. — *Utrum omnis lex humanitus posita a lege naturali derivetur.*

RESP. AFF. — R. EST: quia lex humanitus posita intantum habet de virtute legis, inquantum est

secundum regulam rationis. Prima autem regula rationis est lex naturalis (qu. praec., art. 2). Unde omnis lex humanitas posita, in quantum habet de ratione legis, in quantum a lege naturae derivatur.

NOTANDUM: Quaedam leges humanae derivantur a principiis communibus legis naturae *per modum conclusionum*; sicut hoc quod est *non esse occidendum*, ut conclusio quaedam derivari potest ab eo quod est *nulli esse faciendum malum*. Quaedam vero *per modum determinationis*; sicut lex naturae habet quod ille qui peccat puniatur; sed quod tali poena vel tali puniatur, hoc est quaedam determinatio legis naturae (In corp. art.).

Art. III. - *Utrum Isidorus convenienter qualitatem legis positivae describat.*

RESP. AFF. - *Scil.* : Lex positiva « erit lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum consuetudinem patriae, loco temporisque conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi utilitate civium scripta ». (Ethymol. lib. v, cap. 21).

R. EST: quia lex humana debet proportionari fini ad quam ordinatur, et regulari secundum regulam et mensuram superiorem, scil. secundum legem divinam et secundum legem naturalem. Unde tria ponit ipse Isidorus in conditione legis; scilicet quod *religioni congruat*, in quantum est proportionata legi divinae; quod *disciplinae conveniat*, in quantum est proportionata legi naturae; et quod *saluti proficiat*, in quantum est proportionata fini, i. e., utilitati humanae. Ad haec tria autem omnes qualitates enumerate reducuntur.

Art. IV. – *Utrum Isidorus convenienter ponat divisionem humanarum legum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Lex humana a) ut derivatur a lege naturae, dividitur in *jus gentium* et *jus civile*; b) ut ordinatur ad bonum commune, dividitur secundum varietatem ministrorum: in legem *militum*, *principum* et *sacerdotum*; c) vel secundum varietatem regiminum; d) vel eorum de quibus fertur secundum nomina illorum qui legem instituerunt.

R. EST: quia ponit divisionem secundum id quod in ratione legis continetur, quod est per se dividere. Est enim *primo* de ratione legis humanae quod sit derivata a lege naturae, et secundum hoc dividitur jus positivum in jus gentium et jus civile, secundum duos modos quibus aliquid derivatur a lege naturae, scil. ut conclusiones ex principiis, ut justae emptiones, venditiones et alia hujusmodi sine quibus homines ad invicem convenire non possunt; et per modum particularis determinationis, prout quaelibet civitas aliquid sibi accomode determinat. – *Secundo* est de ratione legis humanae quod ordinetur ad bonum commune civitatis; et secundum hoc dividi potest secundum diversitatem eorum qui specialiter dant operam ad bonum communem; sicut sacerdotes pro populo ad Deum orantes; principes populum gubernantes; et milites pro salute populi pugnantes. – *Tertio* est de ratione legis humanae ut instituat a gubernante communitatem civitatis, et secundum hoc distinguuntur leges humanae secundum diversa regimina civitatum; prout regimen est ab uno (regnum), vel est principatus optimorum vel optimatum (aristocratia), vel est principatus paucorum divitum et potentum (oligarchia), vel est regimen populi (democratia), vel est regimen ex istis commixtum

(quod est optimum). De regimine autem tyrannico, cum sit omnino corruptum, non sumitur aliqua lex, quae est dictamen rationis practicae. – *Quarto* vero de ratione legis humanae est quod sit directiva humanorum actuum; et secundum hoc leges distinguuntur secundum diversa de quibus leges feruntur, quae interdum ab auctoribus nominantur, sicut distinguitur *Lex Julia de adulteriis*, *Lex Cornelia de Sicariis*, et sic de aliis, non propter auctores, sed propter res de quibus sunt.

QUAESTIO XCVI

De potestate legis humanae

Deinde considerandum est de potestate legis humanae; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum lex humana debeat poni in communi magis quam in particulari.*

RESP. AFF. – Lex humana debeat poni magis in communi quam in particulari.

R. EST: quia finis legis est bonum commune, necesse est enim quod unumquodque quod est propter finem, sit fini proportionatum. Oportet igitur quod lex ad multa respiciat et secundum personas, et secundum negotia, et secundum tempora, ex quibus bonum commune constituitur.

Art. II. – *Utrum ad legem humanam pertineat omnia vitia cohibere.*

RESP. NEG. – R. EST: quia lex humana ponitur multitudini hominum, in qua major pars est hominum non perfectorum virtute. Lex enim debet esse « possibilis, et secundum naturam, et secundum consuetudinem patriae » (qq. praec.

art. 3). Et ideo lege humana non prohibentur omnia vitia, a quibus virtuosus abstinere, sed solum graviora, a quibus possibile est majorem partem multitudinis abstinere, et praecipue quae sunt in nocumentum aliorum, sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset; sicut prohibentur lege humana homicidia, furta, et hujusmodi.

NOTANDUM: Lex humana intendit homines inducere ad virtutem, non subito, sed gradatim; et ideo non statim multitudini imperfectorum imponit ea quae sunt jam virtuosorum, ut scilicet ab omnibus malis abstineant; alioquin imperfecti hujusmodi praecepta ferre non valentes in deteriora mala prorumperent, sicut dicitur Prov. xxx, 33: *Qui nimis emungit, elicit sanguinem*; et Mt. ix, quod *si vinum novum*, i. e., praecepta perfectae vitae, *mittatur in utres veteres*, i. e., in homines imperfectos, *utres rumpuntur, et vinum effunditur*, i. e., praecepta contemnuntur, et homines ex contemptu ad pejora mala prorumpunt (Ad 2m).

Mala autem quae lex humana permittit, per providentiam divinam vindicantur (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum lex humana praecipiat actus omnium virtutum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia lex ordinatur ad bonum commune (qu. xc, art. 2); et ideo nulla virtus est de cujus actibus lex praecipere non possit: non est enim aliqua virtus cujus actus non sint ordinabiles ad bonum commune, vel mediate, vel immediate (Ad 3m); salvis tamen quae diximus in art. praec.

Art. IV. – *Utrum lex humana imponat homini necessitatem in foro conscientiae.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Si juste imponatur, non autem si injuste imponatur, nisi ad evitandum scandala vel majora detrimenta.

R. EST: quia lex justa a lege aeterna derivatur, consequenter obligat in foro conscientiae, secundum illud Prov. viii, 15: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt*; vel secundum illud S. Pauli, Rom. xiii, 1: *Omnis potestas (humana) est a Deo; et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*.

NOTANDUM: Leges dicuntur juste: a) *ex fine*, quando scil. ordinantur ad bonum commune; b) *ex auctore*, quando lex lata non excedit potestatem ferentis; c) *ex forma*, quando secundum aequalitatem proportionis imponuntur subditis onera in ordine ad bonum commune: homo enim est pars societatis, et hoc ipsum quod est, et quod habet, est societatis: unde et natura aliquod detrimentum infert parti ut salvet totum. - Leges autem injustae sunt si praedictis contrariantur. - Tamen propter scandalum vitandum, vel turbationem, homo debet (ex lege naturali) suo juri cedere, secundum Mt. v, 41: *Qui angariaverit te mille passus, vade cum eo alia duo; et qui abstulerit tibi tunicam, da ei et pallium*. - Legibus vero tyrannorum, quae contra legem divinam sunt, nullo modo licet obedire: *Obedire enim oportet Deo magis quam hominibus* (Act. iv). - (In corp. art.).

Art. V. - *Utrum omnes subjiciantur legi.*

RESP. AFF. - *Scil.* : a) In quantum lex est regula morum, omnes subjiciuntur legi, sicut subjiciuntur potestati; b) in quantum vero habet vim coactivam, soli mali subjiciuntur legi, boni autem non sunt sub lege.

R. PRIMI EST: quia omnes qui subjiciuntur potestati, subjiciuntur legi, quae ab illo qui potestatem habet fertur. Unde illo modo quo aliquis non subjicitur potestati, nec legi subjicitur. Hoc autem contingit dupliciter: a) *simpliciter*, in quantum aliquis absolutus est a subjectione potestatis, sicut cives alicujus civitatis non subjicitur potestati principis alterius civitatis; b) *secundum*

aliquid, inquantum aliquis subicitur potestati superiori; quantum ad hoc enim non subicitur superiori minoris potestatis.

R. SECUNDI EST: quia quod est coactum est contrarium voluntati; voluntas autem bonorum consonat legi, a qua malorum voluntas discordat; unde secundum hoc, boni non sunt sub legi, sed solum mali. Dicit enim Apostolus (Rom. II, 15): *Justis non est lex posita, quia ipsi sibi sunt lex, dum ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis* (Ad 1m).

NOTANDA: 1. Quantum ad illos qui Spiritu Sancto moventur, ipsi non subduntur legi quantum ad ea quae repugnant ductioni Spiritus Sancti; sed tamen hoc ipsum est de ductu Spiritus Sancti quod homines spirituales legibus humanis subdantur, secundum illud, I Pet. II, 13: *Subjecti estote omni humanae creaturae propter Deum.* (Ad 2m).

2. Quantum ad principem, non subditur vi coactivae legis; quia nullus proprie cogitur a seipso. Subduntur (principes) tamen, quantum ad Dei iudicium, vi directivae legis, ut patet ex verbis Christi, qui improperat illos *qui dicunt, et non faciunt* (Mt. xiii). - (Ad 3m.).

Art. VI. – *Utrum ei qui subditur legi, liceat praeter verba legis agere.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Quando bonum commune hoc exigit:

R. EST: quia lex ordinatur ad communem hominum salutem. In aliquibus casibus autem maxime nocivum est legem observare. Unde si emergat casus in quo observatio talis legis sit damnosa communi saluti, non est observanda; scil. si periculum subitum est, quod non patitur tantam moram ut ad superiorem recurri possit; quia necessitas non subditur legi.

QUAESTIO XCVII

De mutatione legum

Deinde considerandum est de mutatione legum; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum lex humana debeat mutari aliquo modo.*

RESP. AFF. - *Scil. : a) Cum ex parte rationis, b) tum ex parte hominum.*

R. PRIMI EST: quia humanae rationis naturale esse videtur ut gradatim, ab imperfecto ad perfectum perveniat, ut patet ex institutionibus hominum.

R. SECUNDI EST: quia conditiones hominum, quorum actus lege regulantur, mutantur; secundum enim diversas conditiones diversa expediunt.

NOTANDUM: Lex naturalis non mutatur, quod habet ex immobilitate et perfectione divinae rationis instituentis naturam. Ratio humana vero mutabilis est et imperfecta; et ideo ejus lex mutabilis. Item, lex naturalis continet quaedam universalia praecepta, quae semper manent; lex vero posita ab homine continet praecepta quaedam particularia secundum diversos casus qui emergunt (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum lex humana semper sit mutanda, quando occurrit aliquid melius.*

RESP. NEG. - R. EST: quia quando lex mutatur, etiam ad melius, diminuitur vis constrictiva legis; ad observantiam enim legum plurimum valet consuetudo. Unde ut dicitur a jurisperito Ulpiano (Lib. I, tit. 4, De constit. princip.): « In rebus novis constituendis evidens debet esse utilitas, ut recedatur ab eo jure quod diu aequum visum est ».

Art. III. – *Utrum consuetudo possit obtinere vim legis.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia mens et voluntas legislatoris manifestatur non solum verbo, sed etiam facto; hoc enim unusquisque eligere videtur ut bonum, quod opere implet, praesertim per actus multiplicatos; inquantum scil. per exteriores actus multiplicatos interior voluntatis motus, et rationis conceptus efficacissime declaratur. Hi autem actus reiterati consuetudinem efficiunt. Unde, secundum hoc, consuetudo et habet vim legis, et legem abolet, et est legum interpretatrix. – **Ex hoc etiam patet, quod nulla consuetudo vim legis obtinere potest contra legem divinam vel legem naturalem, quae a voluntate humana non dependunt (Ad 1m).** – Similiter, si adhuc maneat ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum rectores multitudinis possint in legibus humanis dispensare.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia dispensare nihil aliud est proprie quam commensurare aliquid commune ad singulos; sicut patet in gubernatore familiae, qui dispensator dicitur, inquantum unicuique de familia cum pondere et mensura distribuit et operationes, et necessaria ad vitam. Sic igitur et in quacumque multitudine ex eo dicitur aliquid dispensare, quia ordinat qualiter aliquod commune praeceptum sit a singulis adimplendum vel non, propter bonum commune. Hoc autem spectat rectoribus, non autem singulis, ut patet, nisi forte propter evidens et subitum periculum (qu. xcvi, art. 6).

NOTANDA: 1. Si absque ratione, sed pro sola voluntate, rector licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens; infidelis qui-

dem si non habet intentionem ad bonum commune; imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret; propter quod dicit Dominus: *Quis putas, est fidelis dispensator et prudens, quem constituit dominus super familiam suam.* (Lc. xii, 42). - (In fine art.).

2. In dispensatione non est acceptatio personarum, si non servantur aequalia in personis inaequalibus. Unde quando conditio alicujus personae requirit rationabiliter ut in ea aliquid specialiter observetur, non est personarum acceptio, si ei aliqua specialis gratia fit (Ad 2m).

QUAESTIO XCVIII

De lege veteri

Consequenter considerandum est de lege veteri; et primo de ipsa lege; secundo de praeceptis ejus. - Circa primum quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum lex vetus fuerit bona.*

RESP. AFF. - *Scil.*: sed imperfecta.

R. EST: quia lex vetus rationi rectae consonabat; nam, concupiscentiam reprimebat, et omnia peccata prohibebat: unde dicit Apostolus (Rom. vii, 16): *Consentio legi quoniam bona est.* Lex autem divina perfecta est si hominem totaliter faciat idoneum ad participationem felicitatis aeternae. Talis autem non erat lex vetus; gratiam Dei, quae est vita aeterna (Rom. vi, 23), conferre non potuit. Unde dicitur (Jn. I, 17): *Lex per Moysen data est; gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Et Apostolus (Hebr. vii, 19): *Nihil ad perfectum adduxit lex.*

NOTANDUM: Quoad illud quod dicitur legem (Vetere) occidisse (Rom. vii, 8, et v, 20), notandum est, quod lex sic dicitur (post adventum Christi), non quidem effective, sed occasionaliter ex sua imperfectione, inquantum scil. gratiam non conferebat, per

quam homines implere possent quod mandabat, vel vitare quod vetabat. Et sic occasio non erat data, sed sumpta ab hominibus. Unde et Apostolus ibidem dicit: *Occasione accepta peccatum per mandatum seduxit me, et per illud occidit*. Ex hac etiam ratione dicitur (l. c.) quod *lex subintravit, ut abundaret delictum*; ut ly ut teneatur consecutive, non autem casualiter, inquantum scil. homines accipientes occasionem a lege abundantius peccaverunt; tum quia gravius fuit peccatum post legis prohibitionem; tum etiam quia concupiscentia crevit; magis enim concupiscimus quod nobis prohibetur (Ad 2m). Deus autem legem dedit non ut occasionem praestaret hominibus peccandi, sed in praeparatione ad Legem Novam (art. sequenti). – Tamen Lex perfecta erat pro illo tempore (Cfr. Art. seq., ad 1m).

Art. II. – *Utrum lex vetus fuerit a Deo.*

RESP. AFF. – *Scil.*: A Deo, et non a Diabolo, sicut Manichaei dicebant.

R. EST: quia lex vetus fuit data a Patre Domini nostri Jesu Christi, ut testimonium Christo praeberet; ut ipse Jesus dixit: *Oportet impleri omnia quae scripta sunt in lege, et in Psalmis et in Prophetis de me* (Lc. ult. 44); et: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scipsit* (Jn. v, 46); – et ut retraheret homines a cultu idololatriae, et sic eos concluderet sub cultu unius Dei, a quo salvandum erat humanum genus per Christum, ut Apostolus dicit (Gal. iii, 23). Haec autem Satan facere non poterat; quia *Si Satanus Satanam ejicit, divisum est regnum ejus* (Mt. xii, 26).

NOTANDUM: Illud fidei, quod *Deus vult omnes homines salvos fieri* (I Tim. II, 4), etiam in lege veteri verificatur. Nam, quamvis lex vetus non sufficeret ad salvandum homines; tamen aderat aliud auxilium a Deo hominibus simul cum lege, per quod salvari poterant, scil. fides Mediatoris per quam justificati sunt antiqui patres, sicut etiam nos justificamur (Ad 4m).

Art. III. - *Utrum lex vetus data fuerit per angelos.*

RESP. AFF. - PRIMA R. est generalis: quia, ut Dionysius dicit (De cael. hier. cap. 4 ante med.): « divina debent deferri ad homines mediantibus angelis ».

SECUNDA R. EST specialis: quia lex vetus non erat perfecta, sed disponebat ad salutem perfectam generis humani, quae futura erat per Christum. Sic conveniens erat legem veterem hominibus a Deo dari per ministros seu angelos; novam autem immediate per ipsum Deum hominem factum. In omnibus enim potestatibus et artibus ordinatis, ille qui est superior, principalem et perfectum actum operatur per seipsum; ea vero quae disponunt ad perfectionem ultimam, operatur per suos ministros. Et ex hoc eminentiam novae legis ad veterem manifesta est, ut Apostolus dicit (Heb. I, 5).

NOTANDUM: Quantum ad verba Exodi (xxiii, 2): *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet amicus ad amicum*, notandum est, cum Sancto Augustino (Super Gen. ad litt. lib. xii, cap. 27, paulo post princ.), quod his verbis subditur: *Ostende mihi gloriam tuam*. « Sentiebat ergo quod videbat et quod non videbat desiderabat ». Non ergo videbat Moysen ipsam Dei essentiam, et ita non immediate a Deo instruebatur. Quod ergo dicitur quod *loquebatur ei facie ad faciem*, secundum opinionem populi loquitur Scriptura, qui putabat Moysen *ore ad os loqui* cum Deo, cum per subjectam creaturam, id est, per angelum et nubem, ei loqueretur et appareret; vel per visionem faciei intelligitur quaedam eminens contemplatio et familiaris, infra essentiae divinae visionem (Ad 2m). - Nota: S. Doctor in I. P., qu. XII, art. 11, ad 2m, admittit cum S. Augustino Moysen et Paulum Deum vidisse per essentiam, sed ibi interpretatur alius textus, scil. Numerorum, XII, 18. Eadem verba tamen, scil. *Ore ad os loqui*, diversimode in Prima Parte (l. c.) et hic, in nostro art., a S. Doctore interpretantur.

Art. IV. – *Utrum lex vetus dari debuerit soli populo judaeorum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : a) non quia populus Judaeorum in cultu unius Dei remansit; declinavit enim multoties ad idololatriam etiam post legem latam; sed *Ut compleret verbum suum Dominus, quod sub juramento pollicitus est patribus Abraham, Isaac et Jacob* (Deut. ix, 6), in quantum ex isto populo Christus nasciturus erat. Quare *hunc* populum elegit Deus, noli velle judicare, si non vis errare.

Art. V. – *Utrum omnes homines obligarentur servare legem veterem.*

RESP. NEG. – *Scil.* : Quantum ad ea quae sunt de lege naturali, omnes obligantur; quantum vero ad ea quae superaddita sunt legi naturali, solum populus Judaeorum obligabatur.

R. EST: quia lex vetus soli populo Judaeorum data est (art. praec.), ut per ipsam praerogativam sanctitatis obtineret propter reverentiam Christi, qui ex illo populo nasciturus erat; unde ad quaedam specialia obligabatur populus ille ad quae alii populi non obligabantur.

Art. VI. – *Utrum lex vetus convenienter data fuerit tempore Moysi.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Cum propter duros et superbos, tum propter bonos.

R. PRIMI EST: quia conveniens erat illo tempore Moysi quod per impositionem legis populus cognosceret tum suam ignorantiam, per quam ad idololatriam et turpissima vitia prolapsus est, tum suam impotentiam, dum implere non poterat legem, quam cognoscebat. Per praesumptionem enim scientiae et potentiae homo durus et superbus efficitur.

R. SECUNDI EST: quia tunc maxime populo necessarium fuit auxilium Dei per legem dari, quando lex naturalis obscurari incipiebat propter exuberantiam peccatorum. – Et sic, inter legem naturae et legem gratiae oportet legem veterem dari.

NOTANDUM: Statim post peccatum primi hominis non competeat legem veterem dari: tum quia nondum homo recognoscebat se indigere, de sua ratione confusus; tum quia adhuc dictam legis naturae nondum erat obtenebratum per consuetudinem peccandi (Ad 1m).

QUAESTIO XCIX

De praeceptis veteris legis

Deinde considerandum est de praeceptis veteris legis; et primo de distinctione ipsorum; secundo de singulis generibus distinctis. – Circa primum quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum in lege veteri contineatur solum unum praeceptum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : In ordine ad finem.

R. EST: quia omnia praecepta legis veteris habent ordinem ad *unum* finem, qui est charitas, ut Apostolus dicit (I Tim. 1.): *finis praecepti charitas est*, quae est dilectio Dei et proximi, in quibus *omnis lex et prophetae* pendent (Mt. xxii, 40). – Sed secundum diversitatem eorum quae sunt ad finem illum in lege ordinata, multa sunt praecepta legis veteris.

Art. II. – *Utrum lex vetus contineat praecepta moralia.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Quaedam praecepta moralia, non omnia, e. g., *Non occides; Non furtum facies* (Exod. xx), et hoc rationabiliter.

R. EST: quia lex vetus data est ut constituat ami-

citiam hominis ad Deum. Ratio autem amicitiae (quae est ratio amoris) est similitudo, secundum illud: *Omne animal diligit simile sibi* (Eccli. xiii, 19). Deus autem est optimus. Unde oportuit praecepta legis veteris etiam de actibus virtutum dari, ut homo efficeretur bonus, et Deo similis.

NOTANDUM: Ratio hominis circa praecepta moralia quantum ad ipsa communissima praecepta legis naturae non poterat errare in universali; sed tamen propter consuetudinem peccandi obscurabatur in particularibus agendis. Circa alia vero praecepta moralia quae sunt quasi conclusiones deductae ex communibus principiis legis naturae, multorum ratio oberrabat, ita ut quaedam quae sunt secundum se mala, ratio multorum licita iudicaret. Unde oportuit contra utrumque defectum homini subveniri per auctoritatem legis divinae (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum lex vetus contineat praecepta caeremonialia praeter moralia.*

RESP. AFF. - R. EST: quia homo ordinatur in Deum non solum per interiores actus, qui sunt credere, sperare et amare, sed etiam per quaedam exteriora opera, quibus homo divinam servitutum proficitur; et ista opera dicuntur ad cultum Dei pertinere; qui quidem cultus caeremonia vocatur, quasi *munia*, i. e., dona *Cereris*, quae dicebatur Dea frugum. - Alii tamen originem hujus nominis *caeremoniae* aliter explicant.

NOTANDUM: Sicut Dionysius dicit (De cael. hier. cap. 4): « Divina hominibus manifestari non possunt nisi sub aliquibus similitudinibus sensibilibus ». Ipsae autem similitudines magis movent animum, quando non solum verbo exprimuntur, sed etiam sensui offeruntur (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum praeter praecepta moralia et caeremonialia, sint etiam praecepta judicialia.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ad legem divinam pertinet homines ordinare non solum ad Deum,

sed etiam ad invicem, in ordine ad Deum. - Hoc autem quantum ad communia praecepta nota ab omnibus, fit a lege naturae, sed determinantur per legem positivam, sive divinam sive humanam. Secundum hoc igitur, dantur tria praecepta legis veteris: scil. *moralia*, quae sunt de dictamine legis naturae; *caeremonialia*, quae sunt determinationes cultus divini; et *judicialia*, quae sunt determinationes justitiae inter homines observandae.

Art. V. - *Utrum aliqua praecepta contineantur in lege veteri, praeter moralia, judicialia et caeremonialia.*

RESP. NEG. - R. EST: quia omnia legis praecepta continentur sub moralibus, caeremonialibus et judicialibus; alia vero non habent rationem praeceptorum, sed ordinantur ad praeceptorum observationem. Haec autem sunt quibus homo ad impletionem praeceptorum legis inducitur; quae habent vel rationem Dei praecipientis, et hujusmodi dicuntur *testimonia*, vel rationem premii vel poenae, quae dicuntur *justificationes*.

Art. VI. - *Utrum lex vetus debuerit inducere ad observantiam praeceptorum per temporales promissiones et comminationes.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sicut in scientiis speculativis conveniens est quod media proponantur auditoribus secundum eorum condiciones, ita et in legibus ferendis. Lex autem vetus proponabatur populo adhuc imperfecto in comparatione ad perfectionem, quae erat futura per Christum (Gal. III). Imperfectorum autem est quod temporalia desiderent, in ordine tamen ad Deum. Unde conveniens erat populum Judeorum ad

Deum manuduci etiam per temporales promissiones et comminationes, quae erant in affectu ipsorum.

NOTANDUM: *Perfeclorum* est temporalia contemnere, et spiritualibus inhaerere. *Imperfeclorum* autem est etiam bona temporalia desiderare, in ordine tamen ad Deum. *Perversorum* vero, temporalia ita desiderare, ut in ipsis finem ultimum, spretis spiritualibus, constituere (In fine art.). – Unde cupiditas haec perversorum, charitatis venenum est (Ad 1m).

QUAESTIO C

De praeceptis moralibus veteris legis

Deinde considerandum est de singulis generibus praeceptorum veteris legis, et primo de praeceptis moralibus; secundo de caeremonialibus; tertio de judicialibus. – Circa primum quaeruntur duodecim:

Art. I. – *Utrum omnia praecepta moralia pertineant ad legem naturae.*

RESP. AFF. – Sed diversimode.

R. EST: quia omnes humani mores dicunt ordinem ad rationem; omne autem rationis humanae iudicium a naturali ratione derivatur. Sicut enim omne iudicium rationis speculativae procedit a naturali cognitione primorum principiorum; ita etiam omne iudicium rationis practicae procedit ex quibusdam principiis naturaliter cognitis (qu. xciv, art. 2 et 4). – Tamen quaedam praecepta sunt quae statim per se ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat esse facienda vel non facienda; sicut: *Honora patrem et matrem*, et hujusmodi sunt *absolute* de lege naturae. Quaedam vere sunt quae subtiliori consideratione rationis a sapientibus iudicantur esse observanda; et ista

sunt de lege naturae, sed tamen *indigent disciplina*, qua minores a sapientibus instruuntur, sicut illud: *Coram cano capite consurge, et honora personam senis*, et alia hujusmodi. Quaedam vero sunt ad quae judicanda ratio humana indiget instructione divina, per quam erudimur de divinis; sicut est illud: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem; non assumes nomen Dei tui in vanum*.

Art. II. – *Utrum praecepta moralia legis sint de omnibus actibus virtutum.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia lex divina ordinat homines ad Deum. Et ideo lex divina praecepta proponit de omnibus illis per quae homines bene ordinentur ad communicationem cum Deo. Homo autem Deo conjungitur ratione, sive mente, in qua est Dei imago; et ideo lex divina praecepta proponit de omnibus illis per quae ratio hominis bene ordinata est. Hoc autem contingit per actus omnium virtutum; quorum aliqui, sine quibus ordo virtutis, qui est ordo rationis, observari non potest, cadunt sub obligatione praecepti; alii vero, quae pertinent ad bene esse virtutis perfectae, cadunt sub admonitione consilii.

Art. III. – *Utrum omnia praecepta moralia veteris legis reducantur ad decem praecepta decalogi.*

R. AFF. – *Omnia, scil. a)* illa praecepta quae sunt prima et communia principia omnibus nota naturaliter; *b)* illa quae statim ex istis principiis communibus modica consideratione cognosci possunt; et *c)* illa quae solum per diligentem inquisitionem sapientium inveniuntur.

R. EST: quia secunda praecepta (*b*) sunt ipsa praecepta Decalogi, quae modica consideratione ab omnibus cognosci possunt; prima autem et

communiam (a) includuntur in ipsis, sicut principia in conclusionibus proximis; ex istis enim secunda praecepta (Decalogi) facillime deducuntur; tertia autem (c) continentur etiam in praeceptis Decalogi, sed sicut conclusiones in principiis; deducuntur enim studio ex praeceptis Decalogi.

Art. IV. – *Utrum praecepta decalogi convenienter distiguantur.*

RESP. AFF. – *Scil.*: Melius distinguuntur secundum S. Augustinum quam secundum Hesychium et Origenem.

R. EST: quia Hesychius (Comm. in Levit., Lib. vii, cap. 26) excludit praeceptum de observatione sabbati, dicens quod hoc praeceptum non est observandum secundum litteram secundum omne tempus; et praeceptum *Ego sum Dominus Deus tuus*, et *Non habebis deos alienos*, tanquam duo praecepta distincta ponit. Origenes autem ponit *Non habebis deos alienos*, et: *Non facias sculptile*, ut duo praecepta separata, dum non sunt nisi unum et idem. Unde dum Hesychius et Origenes quatuor praecepta ad Deum pertinentia ponunt, Augustinus ponit tria. Similiter, quantum ad praecepta quae pertinent ad proximum, Augustinus ponit septem, alii autem sex. Separat enim Augustinus praeceptum de non concupiscendo rem alienam, ab illo de non concupiscendo uxorem alienam; quod alii ut unum considerant.

Art. V. – *Utrum praecepta decalogi convenienter enumerentur.*

RESP. AFF. – R. EST: quia bene ordinant hominem ad quamdam communitatem seu rempublicam sub Deo (ut sub Duce). Tria enim priora praecepta ordinant ad Deum: secundum *fidelitatem* (*Non habes deos alienos*), secundum *reveren-*

tiam (*Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*), et secundum *famulatum* per sanctificationem Sabbati in memoriam Dei beneficiorum seu creationis rerum. Haec enim tria requiruntur ut quis bene se habeat ad eum qui praestitit communitati. - Septem autem alia praecepta ordinantur ut homines bene se habeant ad invicem et ad rempublicam. Primo quidem *specialiter*, quantum ad illos quibus homo est debitor, et secundum hoc habetur praeceptum *Honora patrem et matrem*; deinde *generaliter* ad omnes alios homines, ut nulli nocumentum inferatur: scilicet a) neque opere, sive in personam propriam proximi (*Non occides*), sive in personam proximi adnexam (*Non maechaberis*), sive in rem suam (*Non furtum facies*); b) neque ore, et secundum hoc habetur praeceptum *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*; c) neque corde, et secundum hoc adjungitur *Non concupisces*. Unde convenienter enumerantur praecepta Decalogi, quae ad omorem Dei et proximi ordinantur.

Art. VI. - *Utrum convenienter ordinentur decem praecepta decalogi.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ordinantur secundum ordinem gravitatis peccatorum. Primo quidem, graviora sunt peccata in Deum quam in proximum. Inter haec, gravissimum et maxime rationi repugnans est peccatum contra ipsum Deum, inquantum est principium et finis humanae vitae et societatis, et circa hoc sunt verba primi praecepti: *Ego sum Dominus Deus tuus*. Alia autem peccata in Deum sunt illa, quae circa ea sunt per quae ad Deum ordinamur; et haec per alia praecepta, secundum gravitatem peccatorum, prohibentur; scil. contra infidelitatem, irreverentiam et deficientiam obsequi, ut in art. praec. notatum est. - Contra proximum autem graviora sunt

peccata illa quae contra parentes committuntur, quam contra alios. Unde primo ponitur praeceptum de honore patri et matri praestando, deinde alia praecepta circa proximum secundum gravitatem peccatorum. Inter haec autem primum locum habent peccata quae *opere* committuntur, postea illa quae *ore*, et in fine quae solo *corde*, ut dictum est (art. praec.). Unde debito et convenienti ordine decem decalogi praecepta disposita sunt.

Art. VII. – *Utrum praecepta decalogi convenienter tradantur.*

RESP. AFF. – R. EST: quia in praeceptis divinae legis maxima sapientia continetur; unde dicitur (Deut. iv, 6): *Haec est vestra sapientia et intellectus coram populis.* Sapientis autem est omnia debito modo et ordine disponere.

Art. VIII. – *Utrum praecepta decalogi sint dispensabilia.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Quantum ad rationem justitiae quam continent, sunt omnino indispensabilia.

R. EST: quia continent ipsam intentionem legislatoris, scil. Dei. Nam, potest legislator dispensare in praeceptis quibus determinantur modi speciales attingendi intentionem legislatoris; quia hoc redundat in bonum commune; non tamen potest dispensare in illis in quibus est sua intentio, quae est ad bonum commune, et ad servandum ordinem justitiae, quin negaret seipsum; puta si Deus dispensaret ut aliquis non ordinate se habeat ad Deum, vel ut non subdatur ordini justitiae. – Sic igitur praecepta ipsa decalogi, quantum ad rationem justitiae quam continent, immutabilia sunt; sed quantum ad

aliquam determinationem per applicationem ad singulares actus (ut scil. hoc vel illud sit homicidium, furtum vel adulterium, an non), hoc quidem est mutabile quandoque sola auctoritate divina, in his scilicet quae a solo Deo sunt instituta, sicut in matrimonio et in aliis hujusmodi; quandoque etiam auctoritate humana, sicut in his quae sunt commissa hominum jurisdictioni (sicut cum iudex damnat aliquem ad poenam capitalem); quantum enim ad hoc homines gerunt vicem Dei, non autem quantum ad omnia (Ad 3m). In his omnibus tamen servatur semper ordo iustitiae.

Art. IX. – *Utrum modus virtutis cadat sub praecepto legis.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) Modus virtutis quo aliquis firmiter et immobiliter se habeat et operetur non cadit sub praecepto neque legis divinae, neque legis humanae; b) modus virtutis in interioribus actibus, non cadit sub lege humana, sed tantum sub lege divina; c) quantum autem ad exteriores actus, quos quis sciens operetur, modus virtutis cadit sub praecepto et legis divinae et legis humanae.

R. EST: quia illud proprie cadit sub praecepto legis, pro quo poena legis infligitur, vel infligi potest; nam praeceptum legis si vim coactivam non habet, neque rationem propriam praecepti habet. Coactio autem legis est per metum poenae. Quantum ad modum virtutis in primo notatum a) non cadit sub praecepto, habitus enim non cadit sub praecepto, sed solum actus; sicut neque a Deo neque ab homine punitur tanquam praecepti transgressor, qui debitum honorem parentibus impendit, quamvis non habeat habitum pietatis. Secundus modus cadit sub praecepto legis divinae tantum, quia solus Deus iudicare potest de inte-

rioribus actibus hominis. Tertius autem modus cadit etiam sub praecepto legis humanae, quia etiam homo de exterioribus judicare potest. Non enim poena legis infligitur nisi pro illis de quibus legislator habet judicare; quia ex iudicio lex punit.

NOTANDUM: Operari sine tristitia opus virtutis cadit sub praecepto legis divinae; quia quicumque cum tristitia operatur, non volens operatur. Sed delectabiliter operari, sive cum laetitia vel hilaritate, quodammodo cadit sub praecepto; scilicet secundum quod sequitur delectatio ex dilectione Dei et proximi, quae cadit sub praecepto, cum amor sit causa delectationis; et quodammodo non, secundum quod delectatio consequitur habitum (Ad 3m).

Art. X. *Utrum modus charitatis cadat sub praecepto divinae legis.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) ipse actus charitatis cadit sub praecepto; sed b) quod aliae virtutes habeant modum charitatis, hoc non cadit sub praecepto, nisi in quantum omnia referri debent in Deum.

R. PRIMI EST: quia datur speciale praeceptum de dilectione Dei et proximi: *Diliges Dominum Deum tuum*, et: *Diliges proximum tuum*. Qui autem charitatem non habent possunt et debent se disponere ut eam habeant.

R. SECUNDI EST: quia intentio finis est quidam modus formalis actus ordinati ad finem (qu. xii, art. 4). Unde sufficit una intentio ut actus humanus sit completus. Sic ergo, qui honorat patrem, licet non habeat charitatem, non efficitur transgressor praecepti de honorando parentes. – Tenemur tamen hoc praeceptum ex charitate observare, in quantum omnia referri debent in Deum, secundum hoc praeceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Sed cum ista praecepta sint affirmativa non obligantia ad *semper*, possunt pro diversis temporibus obligare (Ad 2m).

Art. XI. – *Utrum convenienter distinguantur alia moralia praecepta legis praeter decalogum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia praeter praecepta decalogi, quae ratio statim cum modica consideratione approbat, ut dictum est (art. 1 et 3 hujus quaes.), convenienter superaddita sunt alia praecepta moralia a sapientibus inventa, quae decalogum magis explicant, et talia praecepta tradita sunt a Deo per Moysen et Aaron. Sic primo praecepto superadditur (Deut. xviii, 10): *Non inveniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam suam, ducens per ignem. . . nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem.* Et similia caeteris praeceptis. – Praeter ista, alia praecepta moralia dantur secundum quosdam particulares circumstantias, ut est praeceptum fortitudinis in bello gerendo (Deut. xx, 3), et alia hujusmodi (Ad 3m).

Art. XII. – *Utrum praecepta moralia veteris legis justificarent.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Praecepta moralia veteris legis non proprie justificabant, sed improprie.

R. EST: quia non infundebant habitum justitiae; non enim causabant gratiam. Sed justificabant improprie, inquantum homines disponebant ad gratiam Christi justificantem, quam etiam significabant. Nam, ut dicit Augustinus (Contra Faustum, lib. xxii, cap. 24): « etiam vita illius populi prophetica erat, et Christi significativa ».

NOTANDUM: Quantum ad executionem operum, sic omnia praecepta veteris legis: moralia, caeremonialia et judicialia, justificabant proprie inquantum continebant illud quod est secundum se justum; et sic in eis vivens, homo non incurrebat poenam mortis (In corp. art. et ad 2m).

QUAESTIO CI

De praeceptis caeremonialibus secundum se

Consequenter considerandum est de praeceptis caeremonialibus; et primo de ipsis secundum se; secundum de causa eorum; tertio de duratione ipsorum. – Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum ratio praeceptorum caeremonialium n hoc consistat quod pertinent ad cultum Dei.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia, ut dictum est supra (qu. xcix, art. 4), caeremonialia praecepta determinant praecepta moralia in ordine ad Deum, (sicut judicialia determinant praecepta moralia in ordine ad proximum). Homo autem ordinatur ad Deum per debitum cultum; et ideo ratio caeremonialium in hoc consistit, quod ordinant (mediate seu preparative, sicut sunt vestimenta sacerdotum, etc.) vel pertinent (immediate) ad cultum Dei, sicut ipsa sacrificia.

Art. II. – *Utrum praecepta caeremonialia sint figuralia.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia, sicut corpus ordinatur in Deum per animam, ita cultus exterior, qui in caeremoniis consistit, ordinatur ad cultum interiorem, qui fit per intellectum et voluntatem. Cultus exterior autem ad cultum interiorem ordinari non potest, nisi sub aliquibus sensibilibus figuris, sicut convenit naturae hominis. – Interior autem cultus ex cognitione veritatis dependet; et ideo, cum in veteri lege neque ipsa divina veritas in se ipsa manifesta erat, neque etiam adhuc propalata erat via ad hoc perveniendi (Heb. x, 1), ideo oportebat exteriorem cultum

non solum esse figurativum futurae veritatis manifestandae in patria (sicut adhuc est in nova lege), sed etiam esse figurativum Christi, qui est via ducens ad illam patriae veritatem.

Art. III. – *Utrum debuerint esse multa caeremonialia praecepta.*

RESP. AFF. – *Scil.*: sive propter malos, sive propter bonos.

R. EST: quia mali multipliciter idololatriae deserviebant; oportebat igitur multa institui ad singula reprimenda, et multa talibus (hominibus) imponi, ut quasi oneratis ex his quae ad cultum Dei impenderent, non vacaret idololatriae deservire. – Quantum ad bonos autem multiplicatio caeremonialium praeceptorum necessaria fuit, tum quia per hoc diversimode mens eorum referebatur in Deum, et magis assidue; tum etiam quia mysterium Christi, quod per hujusmodi caeremonialia figurabatur, multiplices utilitates attulit mundo; et multa circa ipsum consideranda erant, quae oportuit per diversa caeremonialia figurari.

Art. IV. – *Utrum caeremoniae veteris legis convenienter dividantur in sacrificia, sacramenta, sacra et observantias.*

RESP. AFF. – R. EST: quia in cultu quatuor sunt: *scil.* ipse cultus, colentes (sive ipsi ministri sive populus) et instrumenta colendi. Ad cultum proprie pertinent *sacrificia*; *sacramenta* autem ad ministros et populum; *observantiae* vero erant quibus populus judaeorum ab aliis populis distinguebatur, puta in cibo, etc.; et *sacra* erant instrumenta cultus, sicut tabernacula, vasa, et alia hujusmodi. – Haec omnia aliquo modo Christum praefigurabant (Ad 2m).

QUAESTIO CII

De caeremonialium praeceptorum causis

Deinde considerandum est de causis caeremonialium praeceptorum; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum caeremonialia praecepta habeant causam.*

RESP. AFF. – *Scil. :* Necessè est quod praecepta caeremonialia sint ordinata ad aliquem finem, ex quo eorum rationabiles causae assignari possunt.

R. EST: quia, cum Deus sit ipsa sapientia, quae a Deo sunt, ordinata sunt. Quae autem ordinata sunt, ad debitum finem ordinantur, et ea quae sunt ad finem proportionantur fini. Praecepta autem caeremonialia a Deo sunt, et ad finem ordinantur, qui est cultus Dei.

Art. II. – *Utrum praecepta caeremonialia habeant causam litteralem, vel figuralem tantum.*

RESP.: Praecepta caeremonialia habent causam non tantum figuralem, sed etiam litteralem.

R. EST: quia praecepta caeremonialia ordinantur non solum ad figurandum Christum, sed etiam ad ipsum cultum, qui erat pro tempore illo observandus.

NOTANDUM: Praecepta caeremonialia in quantum figurabant Christum et Ecclesiam pertinent ad *allegoriam*; in quantum figurabant mores populi pertinent ad *moralitatem*; in quantum figurabant statum futurae gloriae, pertinent ad *anagogiam*. (In fine art.).

Art. III. – *Utrum possit assignari conveniens ratio caeremoniarum quae ad sacrificia pertinent.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Sive ex parte causae litteralis, sive ex parte causae figurativae seu mysticae.

R. PRIMI EST: quia per sacrificia repraesentabatur ordinatio mentis in Deum, ad quam excitabatur sacrificium offerens; secundum quod ho-

mo ex rebus suis, quasi in recognitionem quod haberet ea a Deo, in honorem Dei ea offerebat, juxta illum David (I Par. xxix, 14): *Tua sunt omnia, et quae de manu tua accepimus, dedimu sibi.*

R. SECUNDI EST: quia inter omnia dona quae Deus humano generi jam per peccatum lapso dedit, praecipuum est quod dedit Filium suum (Jn. iii, 16); propter quod omnia alia sacrificia offerebantur in veteri lege, ut hoc unum singulare et praecipuum sacrificium figuraretur, tanquam perfectum per imperfecta.

NOTA: Ad significationes singularum oblationum et particularium sacrificiorum vide, si vis, responsa ad objectiones hujus articuli, quae sunt quatuordecim.

Art. IV. - *Utrum assignari possit certa ratio caeremoniarum quae ad sacra pertinent.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Oportuit ut aliqua specialia tempora, et speciale tabernaculum, et speciales ministri, ad cultum Dei ordinarentur.

R. EST: quia per hoc animi hominum ad majorem Dei reverentiam adducentur.

Nota: De singulis istis agit S. D. in responsionibus, quae sunt decem.

Art. V. - *Utrum sacramentorum veteris legis conveniens causa esse possit.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sacramenta veteris legis, cum illa quae ad populum, tum illa quae ad ministros pertinebant, habebant rationabiles et litterales causas secundum quod ordinabantur ad cultum Dei pro tempore illo, et figurales secundum quod ordinabantur ad figurandum Christum.

NOTANDUM: Sacramenta veteris legis proprie erant illa quae adhibebantur Dei cultoribus ad quamdam consecrationem, per quam scilicet deputabantur quodammodo ad cultum Dei. Tria autem sacramenta pertinebant ad populum, et tria ad ministros. Ad populum autem pertinebant: *Circumcisio*, per quam habebant institutio in statu

colendi Deum, sine qua nullus admittebatur ad aliquid legalium; *esus paschalis convivii*; et quaedam *purificationes* exteriores et expiationes a peccatis. Ad ministros pertinebant: *consecratio*; *oblatio victimarum*; et *esus panum propositionis*, et aliorum quae erant sacerdotibus deputata (In corp. art.).

NOTA: Ad rationes particulares istorum sacramentorum quod attinet, vide, si vis, responsa ad objectiones, quae sunt decem.

Art. VI. – *Utrum fuerit aliqua rationabilis causa observantiarum caeremonialium.*

RESP. AFF. – *Scil.*: Dupliciter assignantur rationes observantiarum caeremonialium: secundum congruentiam ad divinum cultum; et secundum quod figurant aliquid circa christianorum vitam.

R. PRIMI EST: quia populus Judaeorum, et praesertim sacerdotes, erant specialiter deputati ad cultum divinum.

R. SECUNDI EST: quia cultus legis figurabat mysterium Christi. Unde omnia eorum gesta figurabant ea quae ad Christum pertinent, secundum illud I. Cor. x, 11: *Omnia in figura contingebat illis.*

NOTA: Ad explicationem principaliorum caeremonialium, vide, si vis, responsa ad objectiones, quae sunt undecim.

QUAESTIO CIII

De duratione praeceptorum caeremonialium

Deinde considerandum est de duratione caeremonialium praeceptorum: et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum caeremonia legis fuerint ante legem.*

RESP. NEG. – *Scil.*: Ante legem fuerunt quaedam caeremoniae, non tamen caeremoniae legis,

R. EST: quia quicumque colit Deum, oportet quod per aliqua determinata eum colat, quae ad exteriorem cultum pertinent. Unde sicut inter homines communiter erant aliqua judicialia, non tamen ex auctoritate legis divinae instituta, sed ratione hominum ordinata; ita etiam erant quaedam caeremoniae, non quidem ex auctoritate alicujus legis determinatae, sed solum secundum voluntatem et devotionem hominum Deum colentium. – Item, quia etiam ante legem fuerunt quidam viri praecipui prophetico spiritu pollentes, credendum est quod ex instinctu divino, quasi ex quadam privata lege, inducerentur ad aliquem certum modum colendi Deum, secundum illud I Cor. x, 11: *Omnia in figura contingebant illis.*

NOTANDUM: Sacramentum circumcisionis praecepto divino fuit statutum ante legem; unde non potest dici sacramentum legis, quasi in lege institutum, sed solum quasi in lege observatum (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum caeremoniae veteris legis habuerint virtutem justificandi tempore legis.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Caeremoniae veteris legis non habebant *in se* virtutem justificandi ab immunditia culpae seu mentis; sed tantum ab immunditia carnis.

R. PRIMI EST: quia expiatio a peccatis nunquam fieri potuit nisi per Christum, *qui tollit peccata mundi* (Jn I, 29). Caeremoniae autem veteris legis non poterant in se continere realiter virtutem profluentem a Christo incarnato et passo, sicut continet sacramenta novae legis, et ideo non poterant a peccato mundare, sicut Apostolus dicit (Hebr. x, 4): *Impossibile est sanguine taurorum aut hircorum auferri peccata.* – Tamen justificabant ex fide in Christum futurum et ex devotione offerentium. Poterat enim mens fidelium tempore legis per

fidem Christo incarnato et passo conjungi; cujus fidei quaedam protestatio erat hujusmodi caeremoniarum observatio inquantum erant figura Christi.

R. SECUNDI EST: quia hujusmodi caeremoniae erant quaedam remedia adhibita ex ordinatione legis ad tollendas immunditias ex statuto legis inductas.

Art. III. – *Utrum caeremoniae veteris legis cesserint in adventu Christi.*

RESP. AFF. – R. EST: quia exterior cultus proportionari debet interiori cultui, qui consistit in fide, spe et charitate. Sicut igitur cultus exterior novae legis cessat in patria ubi cum bona caelestia tum ea per quae in bona caelestia introducimus sunt praesentia; ita in adventu Christi, cessare debebant caeremoniae illae veteris legis quae ea, per quae in novam legem, praeparabant et figurabant. Illa autem quae significant *bona caelestia* in veteri lege, remanent etiam in nova lege, inquantum bona caelestia etiam in nova lege sunt futura.

NOTANDUM: Ante passionem Christi, Christo praedicante et miracula faciente, currebant simul lex et evangelium; quia jam mysterium Christi erat inchoatum, sed nondum consummatum (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum post passionem Christi legalia possint servari sine peccato mortali.*

RESP. NEG. – R. EST: quia in protestatione fidei interioris, quod fit per exteriorem cultum, si aliquid falsum homo protestatur, peccat mortaliter. Sicut igitur peccaret mortaliter qui nunc suam fidem protestando diceret Christum nasciturum, quod antiqui pie et veraciter dicebant; ita etiam peccaret mortaliter, si quis nunc caeremonias observaret quae antiqui pie et fideliter observabant.

NOTANDA: 1. A passione Christi usque ad divulgationem Evangelii legalia quidem fuerunt mortua, quia neque vim aliquam habebant, neque aliquis ea observare tenebatur; non tamen fuerunt mortifera, quia illi qui conversi erant ad Christum ex Judaeis, poterant illa legalia licite observare, dummodo non sic ponerent spem in eis quod ea reputarent sibi necessaria ad salutem, quasi sine legalibus fides Christi justificare non posset. Et hoc permissum erat Judaeis, quia Spiritus Sanctus noluit ut statim inhiberetur observatio legalium eis, sicut inhibebatur his qui ex gentilibus convertentur (Ad 1m).

2. Quantum ad reprehensionem Petri a Paulo notandum est, quod Paulus non simulatorie, sed vere Petrum reprehendit, quia vere Petrus peccavit. Non autem peccavit Petrus in hoc quod ad tempus legalia observabat, quia hoc sibi licebat tanquam ex Judaeis converso; sed peccabat in hoc quod circa legalium observantiam nimiam diligentiam adhibebat, ne scandalizaret Judaeos, ita quod ex hoc sequeretur gentilium scandalum (Ad 2m).

QUAESTIO CIV

De praeceptis judicialibus

Consequenter considerandum est de praeceptis judicialibus; et primo considerandum est de ipsis in communi; secundo de rationibus eorum. — Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. — *Utrum ratio praeceptorum judicialium consistat in hoc quod sunt ordinantia ad proximum.*

RESP. AFF. — R. EST: quia praecepta judicialia sunt determinationes quaedam praeceptorum moralium a Deo sive immediate sive mediate factae, per quae homines ordinantur ad invicem. Haec autem praecepta judicialia non habent vim obligandi ex ipso rationis dictamine, sicut ipsa praecepta moralia habent; sed ex institutione, sive divina sive humana.

NOTANDUM: Praecepta judicialia non solum sunt illa quae pertinent ad lites judiciorum, sed etiam quaecumque pertinent ad ordinationem hominum ad invicem, quae subest ordinationi principis tanquam supremi judicis (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum praecepta judicialia aliquid figurent.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Non primo et per se, sicut praecepta caeremonialia figurabant; sed ex consequenti.

R. EST: quia praecepta judicialia non erant principaliter instituta ad aliquid figurandum, sicut erant praecepta caeremonialia (qu. CII); sed principaliter ad hoc erant, ut ordinarent statum illius populi Judaeorum secundum justitiam et aequitatem. Ex consequenti tamen aliquid figurabant, inquantum scilicet totus status illius populi, qui per hujusmodi praecepta disponebatur, figuralis erat, secundum illud I. Cor. x, 11: *Omnia in figura contingebat illis.*

NOTANDUM: Populus Judaeorum ad hoc electus erat a Deo quod ex eo Christus nasceretur; et ideo oportuit totum illius populi statum esse propheticum et figuralem, ut Augustinus dicit (Contra Faustum, lib. xxii, cap. 21, in princ.). (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum praecepta judicialia veteris legis perpetuam obligationem habeant.*

RESP. NEG. – *Scil.* : Sunt evacuata per adventum Christi; tamen eorum observatio, quamvis sit mortua, non est mortifera.

R. EST: quia praecepta judicialia sunt instituta ad disponendum statum illius populi, qui ordinabatur ad Christum; et ideo mutato statu illius populi, Christo jam veniente, judicialia praecepta obligationem amiserunt; lex enim fuit paedagogus ducens ad Christum (Gal. iii). – Quia tamen hujusmodi praecepta judicialia non ordinantur

ad figurandum, sed ad aliquid faciendum, ipsa eorum observatio absolute non praejudicat fidei veritati (sicut observatio caeremoniarum faciebat, ut dictum est). Unde si quis princeps ordinaret in regno suo illa judicialia observari, non peccaret; nisi forte hoc faceret, ac si vi veteris legis ipsa obligarent; quod esset mortiferum.

Art. IV. – *Utrum praecepta judicialia possint habere aliquam certam divisionem.*

RESP. AFF. – R. EST: quia lex est quasi quaedam ars humanae vitae instituendae vel ordinandae; sicut igitur in unaquaque arte est certa distinctio regularum artis, ita oportet in qualibet lege esse certam distinctionem praeceptorum; aliter enim ipsa confusio utilitatem legis auferret. – Haec autem distinctio in praeceptis judicialibus quadruplex est, prout ordo in aliquo populo inveniri potest: scilicet, *a)* ordo principum populi ad subditos; *b)* ordo subditorum ad invicem; *c)* ordo eorum qui sunt de populo, ad extraneos; *d)* ordo ad domesticos, sicut patris ad filium, uxoris ad virum, et domini ad servum. Et secundum haec distingui possunt praecepta judicialia veteris legis. – De istis singulis agitur in quaestione sequenti.

QUAESTIO CV

De ratione judicialium praeceptorum

Deinde considerandum est de ratione judicialium praeceptorum; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum convenienter lex vetus de principibus ordinaverit.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ordinatio principum quam lex instituit fuit commixta ex regno, ari-

stocratia et democratia; quae commixtio est optima ordinatio. Nam, per hanc ordinationem duo includuntur, quae attendenda sunt ad bonum civitatis seu gentis: scilicet primo: ut omnes aliquam partem habeant in principatu; per hoc enim conservatur pax populi, et omnes talem ordinationem amant et custodiunt, ut dicitur (Polit. lib. ii, cap. 1); secundo ut species regiminis sit secundum Dei ordinationem, scil. ut unus praeficitur omnibus secundum virtutem; et sub ipso sint aliqui alii principantes secundum virtutem. Talis autem fuit ordinatio principum legis veteris. Nam, Moyses et ejus successores gubernabant populum. De tribubus autem eligebantur *viri sapientes et nobiles*, qui constituebantur principes (Deut. i, 15); et tales a populo eligebantur (Deut. i, 13).

NOTANDUM: Populus ille Judaeorum sub speciali cura Dei regebatur, ut dicitur (Deut. vii, 6): *Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris*. Et ideo institutionem summi principis Dominus sibi reservavit (Num. xxvii, 16) – (Ad 1m). Tamen a principio non instituit eis Dominus regem cum plena potestate, sed tantum ut judicem et gubernatorem in eorum custodiam; et sic fecit Deus, quia propter magnam potestatem quae regi conceditur, de facile regnum degenerat in tyrannidem, nisi sit perfecta virtus ejus cui talis potestas conceditur. Talis autem perfecta virtus non de facili inveniebatur apud Judaeos, qui *erant crudeles, et ad avaritiam proni* (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum convenienter fuerint tradita praecepta judicialia quantum ad popularium convictum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia communicatio hominum ad invicem, quae est necessaria ad bonum popularium convictum, est duplex, et haec fuit per judicialia praecepta tradita. Nempe, una est quae fit auctoritate principum; quia oportet

quod judicia inter homines exercentur et poenae malefactoribus inferantur auctoritate principum; et sic lex ordinabat, ut patet Deut. xvi, 18: *Judices et magistros constitues in omnibus portis ejus, ut judicent populum justo judicio*; et alia similia. Alia est quae fit propria voluntate privatarum personarum, quibus subduntur res possessae, ut eas vendant, emant, dent, et aliis hujusmodi modis; et circa hoc etiam lex vetus sufficienter ordinabat, secundum quod Philosophus dicit (Polit. lib. ii, cap. 3), ut scilicet *a*) possessiones sint distinctae divisae (Num. xxxiii, 53); *b*) ut usus sit partim communis (Deut. xxii, 1); et *c*) partim per voluntatem possessorum communicetur (Deut. xiv, 28). – De singulis autem istis, vide, si vis, responsa ad objectiones, quae sunt duodecim.

Art. III. – *Utrum judicialia praecepta sint convenienter tradita quantum ad extraneos.*

RESP. AFF. – R. EST: quia dupliciter potest esse conversatio hominum cum extraneis: uno modo pacifice, alio modo hostiliter; et quantum ad utrumque modum ordinandum lex convenientia praecepta continebat. Judaeis autem tripliciter offerebatur occasio ut cum extraneis pacifice communicarent: *a*) ut cum peregrinis; *b*) ut cum advenis; et de istis lex praecepta misericordiae posuit: Exod. xxii, 21: *Advenam non contristabis*; et Exod. xxiii, 9: *Peregrino molestus non eris*; – *c*) ut cum illis qui totaliter in eorum consortium et ritum admitti volebant; et cum istis lex diversimode statuit secundum diversitatem extraneorum. Sic Aegyptii et filii Esau (Idumaei), fratris Jacobi, quasi Judaeis propinqui, in eorum consortium recipiebantur in tertia generatione. Ammonites vero et Moabitae, ut Judaeis hostiles, nunquam in eorum consortium admittebantur.

Amalecitrae autem quasi hostiles perpetui a Judaeis considerabantur (Exod. xvii, 16). – Similiter, quantum ad hostes posuit lex: a) hostibus bellum juste inire; b) impedimenta proelii remove, remittendo quosdam ad domum, qui possent impedimenta praestare; c) bellum susceptum cum firma Dei fiducia fortiter exequi; d) victoria moderatim uti, parcendo mulieribus et parvulis, et etiam ligna fructifera regionis non incidendo.

NOTANDA: 1. Accipere usuras ab alienis non erat secundum intentionem legis, sed ex quadam permissione, propter pronitatem Judaeorum ad avaritiam, et ut magis pacifice se haberent ad extraneos, a quibus lucrabantur (Ad 3m).

2. Circa civitates hostium quaedam distinctio adhibebatur. Quaedam enim erant remotae, non de numero illarum urbium quae eis erant re-promissae; et in talibus urbibus expugnatis occidebantur masculi, qui pugnaverant contra populum Dei; mulieribus autem et infantibus parcebatur. Sed in civitatibus vicinis, quae eis erant re-promissae, omnes mandabantur interfici propter iniquitates eorum priores; ad quas puniendas Dominus populum Israel quasi divinae justitiae executorem mittebat; dicitur enim Deut. ix, 5: *Quia illae egerunt impie, introeunte te, deletae sunt. Ligna autem fructifera mandabantur reservari propter utilitatem ipsius populi, cujus ditioni civitas et ejus territorium erat subjiciendum* (Ad 4m).

Art. IV. – *Utrum convenienter lex vetus praecepta ediderit circa domesticas personas.*

RESP. AFF. – R. EST: quia lex vetus convenienter praecepta tradidit quantum ad communionem domesticarum personarum ad invicem, secundum quotidianos actus, qui ordinantur ad necessitatem vitae, tum ratione individui, tum ratione speciei; i. e. quantum ad relationem domini ad servum, viri ad uxorem, et patris ad filium. – Quantum ad servos lex instituit: a) ut modeste tractarentur; b) ut non affligerentur immoderatis

laboribus; unde Dominus mandavit *ut in die sabbati requiesceret servus, et ancilla tua, sicut et tu* (Deut. v, 14); *c*) mutilatoribus servorum imposuit ut dimitterent eos liberos (Exod. xxi); *d*) ut septimo anno, servi, qui erant ex populo Judaeorum, liberi egrederentur cum omnibus quae apportaverant, etiam vestimentis (Exod. xxi). – Circa uxores lex statuit: *a*) ut uxorem ducerent suae tribus (Num. ult.); *b*) ut aliquis in uxorem duceret illam fratris defuncti sine liberis (Deut. xxv); *c*) ut non ducerent in conjugium personas alienas, propter periculum seductionis, et propinquas propter reverentiam naturalem quae eis debetur; *d*) statuit punire maritos qui suas uxores infamarent (Deut. xxii; xxiv); *e*) cum aliquis nuper uxorem acceperit, nihil ei publicae necessitatis injungatur, ut libere possit laetari cum uxore sua (Deut. xxiv). – Circa filios duo statuit: *a*) ut pater eis disciplinam adhiberet, instruendo eos in fide (Exod. xii, 26); *b*) ut etiam instruerent eos in moribus (Deut. xxi, 2).

QUAESTIO CVI

De lege evangelica, seu de lege nova, secundum se

Consequenter considerandum est de lege evangelii, quae dicitur lex nova: et primo de ipsa secundum se; secundo de ipsa per comparisonem ad legem veterem; tertio de his quae in lege nova continentur. – Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum lex nova sit lex scripta.*

RESP. NEG. – *Scil.:* principaliter lex nova est lex indita (in cordibus fidelium); secundario autem est lex scripta.

R. EST: quia id quod est potissimum in lege Novi Testamenti, et in quo tota virtus ejus consistit, est gratia Spiritus Sancti, quae datur per fidem Christi. Et ideo principaliter lex nova est ipsa gratia Spiritus Sancti, quae datur Christi fidelibus (Rom. iii, 27; viii, 2). – Habet tamen lex nova quaedam sicut dispositiva ad gratiam Spiritus Sancti, et ad usum hujus gratiae pertinentia, quae sunt quasi secundaria in lege nova.

NOTANDUM: Dupliciter est aliquid inditum homini: uno modo quasi pertinens ad naturam humanam, et sic lex naturalis est lex indita homini; alio modo est aliquid inditum homini, quasi naturae superadditum per gratiae donum; et hoc modo lex nova est indita homini, non solum indicans quid sit faciendum, sed etiam adjuvans ad implendum (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum lex nova justificet.*

RESP. AFF. – *Scil.:* secundum id quod in ea est principale; non autem secundum id quod in ea est secundarium.

R. EST: quia principale in lege nova est gratia Spiritus Sancti, quae justificat. Secundarium autem in lege nova sunt documenta fidei et praecepta, et haec non justificant, ut Apostolus dicit (II Cor. iii, 6): *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Unde etiam littera Evangelii occideret, nisi adesset interius gratia fidei sanans.

Art. III. – *Utrum lex nova debuerit dari a principio mundi.*

RESP. NEG. – R. PRIMA EST: quia lex nova, sicut dictum est (art. 1, hujus quaes.), principaliter est gratia Spiritus Sancti, quae abundanter dari non debuit, antequam impedimentum peccati ab humano genere tolleretur, consummata redemptione per Christum: sicut dicitur (Jn. vii,

39): *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.*

SECUNDA R. EST: quia ad aliquid perfectum (sicut lex nova est) non statim adducitur, sed quodam temporali successionis ordine; sicut aliquis prius fit puer, et postmodum vir (Gal. iii, 24).

TERTIA R. EST: quia oportuit quod homo in peccatum cadendo, cognosceret suam infirmitatem, et se gratia indigere (Rom. v, 20).

Art. IV. – *Utrum lex nova sit duratura usque ad finem mundi.*

RESP. AFF. – R. EST: quia status mundi variari potest aut secundum diversitatem legis; et secundum hoc, status mundi non variatur, quia non potest esse aliquis perfectior status praesentis vitae quam status novae legis, quae est ultimo fini propinquissima: ad hunc enim finem immediate introducit; – aut (variatur status mundi, i. e. hominum), secundum quod homines diversimode se habent ad eandem legem. Et sic, status novae legis diversificatur secundum diversa loca, et tempora, et personas, in quantum gratia Spiritus Sancti perfectius vel minus perfecte ab aliquibus habetur. – Non est tamen expectandum quod sit aliquis status futurus in quo perfectius gratia Spiritus Sancti habeatur, quam hactenus habita fuerit, et maxime ab Apostolis, qui *primitias Spiritus acceperunt* (Rom. viii).

NOTANDUM: Quantum ad praedicationem Evangelii in universo mundo habendam ante finem mundi, notandum est quod, talis praedicatio potest intelligi dupliciter: uno modo quantum ad *divulgationem notitiae Christi*; et sic praedicatum fuit Evangelium in universo orbe, etiam tempore Apostolorum. Et secundum hoc quod additur: *Et tunc erit consummatio*, hoc intelligitur de de-

structione Jerusalem (Mt. XXIV, 14). Alio modo potest intelligi praedicatio Evangelii in universo orbe *cum pleno effectu*, ita scilicet quod in qualibet gente fundetur Ecclesia; et ita, sicut dicit Augustinus (Epist. ad Hesych., circa medium): «Nondum est praedicatum Evangelium in universo orbe»; sed hoc facto, veniet consummatio mundi (Ad 4m).

QUAESTIO CVII

De comparatione legis novae ad veterem

Deinde considerandum est comparatione legis novae ad legem veterem; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum lex nova sit alia a lege veteri.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non ut omnino seu specificè diversa a lege veteri; sed secundum quod ad finem propinquius ordinat quam lex vetus.

R. PRIMI EST: quia finis utriusque legis est idem, scilicet ut homines subdantur Deo.

R. SECUNDI EST: quia lex vetus est quasi pædagogus puerorum, ut Apostolus dicit (Gal. iii): lex autem nova est lex perfectionis, quia est lex charitatis, de qua Apostolus dicit quod est *vinculum perfectionis* (Coloss. iii).

Art. II. – *Utrum lex nova legem veterem impleat.*

RESP. AFF. – R. EST: quia omne perfectum adimplet id quod imperfecto deest. Lex autem nova in duobus adimplet ea quae desunt legi veteri: Primo, ratione *finis*; quia lex vetus non proprie justificabat; sed figurabat tantum justificationem (qu. xcii, art. 2): lex autem nova justificat per virtutem passionis Christi (Rom. viii, 3); – Secundo, quantum ad *praecepta*; praecepta veteris legis adimplevit Christus: a) *opere*: quia voluit circumcidi, et alia legis observare, secun-

dum illud (Galat. iv, 4): *Factum sub lege; - b) doctrina*; primo quidem, verum intellectum legis exprimendo, sicut patet de actibus interioribus circa adulterium et homicidium; secundo, de modo observandi legem circa aliqua, e. g. de non jurejurando, nisi causa necessitatis; tertio, superaddendo quaedam perfectionis consilia, ut patet Mt. xix, 21, ubi dicenti se observasse praecepta veteris legis dicit: *Unum tibi deest: si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quae habes, etc.*

NOTANDUM: Unde lex nova non evacuat observantiam veteris legis, nisi quantum ad caeremonialia, ut supra dictum est (qu. ciii, art. 3 et 4). Quantum autem ad uxorem non dimittendam, nisi tantum causa fornicationis, observandum est quod Dominus voluit per hoc quod non facile uxor dimittatur, sed, ut interposita mora, «in dissidium animus praeceps libelli conscriptione refractus assisteret», ut Augustinus dicit (Contra Faustum, lib. xix, cap. 26). Idem dicendum est de prohibitione juramenti et de prohibitione talionis: taxavit enim modum vindictae lex, ut non procederetur ad immoderatam vindictam; a qua Dominus perfectius removet eum quem monuit omnino a vindicta abstinere. Circa odium inimicorum removet falsum Pharisaeorum intellectum, nos monens ut persona odio non haberetur, sed culpa. Similiter, circa discretionem ciborum, quae caeremonialis erat, Dominus non mandavit ut nunc non observaretur; sed ostendit quod nulli cibi secundum suam naturam erant immundi, sed solum secundum figuram, ut dictum est (qu. cii, art. 6 ad 1m). - (Ad 1m et ad 2m).

Art. III. - *Utrum lex nova in lege veteri contineatur.*

RESP. AFF. - Scil. : lex nova in lege veteri continetur non in actu, sicut locatum in loco; sed sicut effectus in causa seu completum in incompleto, sicut arbor in semine.

R. EST: quia lex nova comparatur ad legem veterem sicut perfectum ad imperfectum, sicut fructus ad spicam (Mc. iv). - Omnia enim quae

credenda traduntur in novo Testamento explicite et aperte, traduntur credenda in veteri Testamento, sed implicite et sub figura; et secundum hoc etiam quantum ad credenda lex nova continetur in veteri (Ad 1m). – Sic, quantum ad substantiam, omnia praecepta novi Testamenti continentur in veteri (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum lex nova sit gravior quam vetus.*

RESP. NEG. – *Scil.*: ex parte exteriorum operum lex nova non est gravior quam lex vetus; sed quantum ad opera virtutum in interioribus actibus lex nova est gravior lege veteri.

R. PRIMI EST: quia ad plures actus exteriores obligabat lex vetus in multiplicibus caeremoniis, quam lex nova, quae praeter praecepta legis naturae, paucissima superaddidit in doctrina Christi et Apostolorum; licet aliqua sint postmodum superaddita ex institutione sanctorum Patrum.

R. SECUNDI EST: quia in nova lege prohibentur interiores motus animi, qui expresse in veteri lege non prohibebantur in omnibus, etsi in aliquibus prohiberentur, in quibus tamen prohibendis poena non apponebatur. Hoc autem est difficillimum non habenti virtutem.

QUAESTIO CVIII

De his quae continentur in lege nova

Deinde considerandum est de his quae continentur in lege nova; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum lex nova aliquos exteriores actus debeat praecipere, vel prohibere.*

RESP. AFF. – R. EST: quia gratia Spiritus Sancti, quae principalitas est legis novae, manifestari oportet in fide per dilectionem operante. – Duplīciter autem exteriora opera se habent ad gratiam

(quae ad nos derivatur ex Christi humanitate): uno modo sicut inducentia ad gratiam, et talia sunt opera sacramentorum; alio modo sicut effectus ex instinctu gratiae producti; et talia sunt quae vel connexionem necessariam habent cum fide et gratia, sive si praecipuntur, sive si prohibentur, sicut confessio fidei vel ejus negatio; vel quae talem connexionem necessariam non habent.

NOTANDUM: Sicut Philosophus dicit (Metaph. lib. i, cap. 2): « Liber est qui sui est causa ». Quia igitur gratia Spiritus Sancti est sicut interior habitus nobis infusus, inclinans nos ad recte operandum, facit nos *libere* operari ea quae conveniunt gratiae, et vitare ea quae gratiae repugnant. Sic igitur lex nova dicitur *lex libertatis* dupliciter. Uno modo, quia non arctat nos ad facienda vel vitanda aliqua, nisi quae de se sunt vel necessaria, vel repugnantia salutis, quae cadunt sub praecepto seu prohibitione legis. Secundo, quia hujusmodi praecepta vel prohibitiones facit nos libere implere, inquantum ex interiori instinctu gratiae ea implemus. Et propter haec duo lex nova dicitur *lex perfectae libertatis* (Jacobi i, 25). – (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum lex nova sufficienter exteriores actus ordinaverit.*

RESP. AFF. – R. EST: quia lex nova praecipit ea per quae in gratiam Dei introducimur, scilicet susceptionem sacramentorum, et ea quae pertinent ad rectum gratiae usum ex necessitate, scilicet praecepta moralia. Alia vero quae non sunt ex necessitate usus charitatis, relinquuntur humano arbitrio, sive ea quae pertinent ad singulos, sive ea quae pertinent ad praelatos temporales vel spirituales ad utilitatem communitatis.

Art. III. – *Utrum lex nova hominem circa interiores actus sufficienter ordinaverit.*

RESP. AFF. – R. EST: quia, teste B. Augustino, vel unicus sermo quem Dominus in monte proposuit, totam christianae vitae informationem

continet, et interiores hominus motus perfecte ordinat, sive quantum ad seipsum, sive quantum ad proximum, in ordine ad finem ultimum.

NOTANDUM: Quantum ad particularia Dei praecepta de interioribus animi motibus circa vindictam, odium inimicorum, et temporalia bona, videntur responsa ad objectiones, quae sunt sex.

Art. IV. – *Utrum convenienter in lege nova consilia quaedam determinata sint proposita.*

RESP. AFF. – R. EST: quia lex nova est lex libertatis; unde in nova lege consilia traduntur tanquam superaddita praeceptis, non autem in lege veteri, quae erat lex severitatis. – Consilia autem evangelica sunt per quae potest homo *melius et expeditius* finem ultimum consequi, bona hujus mundi totaliter abdicando. Scilicet: divitias, per voluntariam paupertatem; delicias carnis, per castitatem perpetuam; et honores seu superbiam vitae, per obedientiae servitutem. In quibus etiam tribus omnis religio, quae statum perfectionis profitetur, fundatur. In statu enim perfectionis consilia haec observantur *simpliciter*; si vero in aliquibus casibus particularibus tantum observentur, tunc observatio consiliorum non est simpliciter, sed *secundum quid*, sicut quando aliquis non sequitur suam voluntatem in aliquo facto, quod licite posset facere; vel si offensam remittat, cujus juste posset exigere vindictam.

NOTANDUM: Quantum ad dilectionem inimicorum et similia de quibus Dominus loquitur (Mt. vi et Lc. vi), si referantur ad praeparationem animi, sunt de necessitate salutis; ut scilicet homo sit paratus benefacere inimicis, et alia hujusmodi facere, cum necessitas hoc requirat; et ideo inter praecepta ponuntur. Sed ut aliquis inimicis hoc exhibeat prompte in actu, ubi specialis necessitas non occurrit, pertinet ad consilia particularia (Ad 4m).

DE EXTERIORI PRINCIPIO HUMANORUM ACTUUM, SEU DE GRATIA DEI *

Consequenter considerandum est de exteriori principio humanorum actuum, scilicet de Deo, prout ab ipso per gratiam adjuvamus ad recte agendum; et primo considerandum est de gratia Dei; secundo de causis ejus; tertio de ejus effectibus. Prima autem consideratio est tripartita; nam primo considerabitur de necessitate gratiae; secundo de ipsa gratia quantum ad ejus essentiam; tertio de ejus divisione. – Circa primum quaeruntur decem.

QUAESTIO CIX

De necessitate gratiae

Art. I. – *Utrum homo sine gratia aliquod verum cognoscere possit.*

RESP. AFF. – *Scil.* : ea in quorum notitiam per sensibilia potest devenire; ea autem quae lumen naturalem superant cognoscere non potest, nisi fortiori lumine perficiatur, sicut lumine fidei vel prophetiae, quod *lumen gratiae* dicitur, in quantum est naturae superadditum.

R. EST: quia unaquaeque forma indita rebus creatis a Deo habet efficaciam respectu actus aliqujus determinati, in quem potest secundum suam proprietatem; ultra autem non potest nisi per aliquam formam superadditam; sicut aqua non potest calefacere, nisi calefacta ab igne. – Sic igitur actio intellectus et cujuscumque entis creati dependet a Deo quantum ad duo: uno modo in quantum ab eo ipso habet perfectionem, sive formam, per quam agit; alio modo in quantum ab ipso movetur ad agendum.

* Vide nostram « Divisionem Schematicam », Tab. XVII.

Art. II. – *Utrum homo possit velle et facere bonum absque gratia.*

RESP. NEG. – *Scil.* : a) absque gratia Dei homo, sive in statu naturae integrae, sive (a fortiori) in statu naturae corruptae, non potest velle et facere bonum supernaturale; b) in statu naturae integrae potuit, absque gratia velle et facere totum bonum suae naturae proportionatum; c) in statu naturae corruptae autem non potest homo totum hujusmodi bonum suae naturae proportionatum adimplere per sua naturalia absque auxilio gratiae; tamen adimplere potest, absque gratia, non autem absque auxilio Dei naturali, aliquod bonum particulare, sicut aedificare domos, plantare vineas, et alia hujusmodi.

R. PRIMI ET SECUNDI jam data est in articulo praecedenti.

R. TERTII EST: quia in statu naturae corruptae, ut ex ipsis terminis patet, sic se habet homo, sicut infirmus, qui potest quidem per seipsum aliquem motum habere, non tamen perfecte potest moveri motu hominis sani; nisi sanetur auxilio medicinae. Non enim est natura hominis per peccatum totaliter corrupta, ut toto bono naturae privetur. Unde in statu naturae corruptae homo indiget gratia ut sanetur, et ulterius ut bonum supernaturalis virtutis operetur, quod est meritorium.

NOTANDA : 1. Homo est dominus suorum actuum, et volendi, et non volendi, propter deliberationem rationis, quae potest flecti ad unam partem vel ad aliam. Sed quod deliberet, vel non deliberet, etsi hujusmodi etiam sit dominus, oportet quod hoc sit per deliberationem praecedentem; et cum hoc non procedat in infinitum, oportet quod finaliter deveniat ut ad hoc quod liberum arbitrium hominis moveatur ab aliquo exteriori principio, quod est supra mentem humanam, scilicet a Deo, ut etiam Philosophus probat in cap.

de bona Fortuna (Mor. Eudem., lib. vii, cap. 18). Unde mens hominis etiam sani non ita habet dominium sui actus quin indigeat moveri a Deo; et multo magis liberum arbitrium hominis infirmi post peccatum, per quod impeditur a bono per corruptionem naturae (Ad 1m).

2. Magis est natura humana corrupta per peccatum quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum homo possit diligere Deum super omnia ex solis naturalibus sine gratia.*

RESP. AFF. – *a*) in statu naturae integrae non indigebat homo dono gratiae superadditae naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis; sed *b*) in statu naturae corruptae indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiae naturam sanantis.

R. PRIMI EST: quia Deum diligere super omnia est quiddam connaturale homini; immo etiam cuilibet creaturae. Unaquaeque enim res particularis, ex eo quod naturaliter appetit et amat id secundum quod apta nata est esse, naturali appetitu seu amore amat bonum suum proprium propter bonum commune totius universi, quod est Deus. Unde homo in statu naturae integrae dilectionem sui ipsius referebat ad amorem Dei sicut ad finem, et similiter dilectionem omnium aliarum rerum; et ita Deum diligebat plus quam seipsum et super omnia.

R. SECUNDI EST: quia voluntas rationalis propter corruptionem naturae sequitur bonum privatam, nisi sanetur per gratiam Dei.

NOTANDUM: Haec est differentia inter amorem charitatis et amorem naturalem: charitas diligit Deum super omnia eminentius quam natura. Natura enim diligit Deum super omnia, prout est principium et finis naturalis boni; charitas autem, secundum quod est objectum beatitudinis, et secundum quod homo habet quamdam societatem

spiritualem cum Deo. Addit etiam charitas super naturalem dilectionem Dei promptitudinem quamdam et delectationem, sicut habitus quilibet virtutis addit super actum bonum qui fit ex sola naturali ratione hominis virtutis habitum non habentis (Ad 1m).

Art. IV. - *Utrum homo sine gratia per sua naturalia legis praecepta implere possit.*

RESP. NEG. - *Scil.:* a) quantum ad *substantiam operum*, homo, in statu naturae integrae, potuit, sine gratia superaddita, adimplere omnia legis mandata, non autem in statu naturae corruptae, sine gratia sanante; b) quantum autem ad *modum agendi*, i. e., ut opera ex charitate fiant, homo neque in statu naturae integrae, neque (a fortiori) in statu naturae corruptae, potest adimplere mandata legis absque gratia.

R. PRIMI EST: quia alioquin homo in statu naturae integrae non potuisset non peccare. In statu autem naturae corruptae homo, absque gratia, faciliter peccat, immo jam est in peccato.

R. SECUNDI EST: quia charitas ex ipsa gratia dependet, ut videndum est infra (quaes. seq.).

Art. V. - *Utrum homo possit mereri vitam aeternam sine gratia.*

RESP. NEG. - R. EST: quia vita aeterna non est finis homini connaturalis, sed est finis excedens proportionem naturae humanae (qu. v, art. 5); unde ad vitam aeternam merendam non sufficit virtus homini naturalis, sed exigitur altior virtus, quae est virtus gratiae, secundum illud Apostoli (Rom. vi, 28): *Gratia Dei, vita aeterna.*

NOTANDUM: Super illud Rom. vi: *Gratia Dei, vita aeterna*, dicit Glossa (Ord. Augustini, lib. iii, De gratia et lib. arbitrio, cap. 8): « Certum est vitam aeternam bonis operibus reddi; sed ipsa opera quibus redditur, ad Dei gratiam pertinent » (Ad 2m).

Art. VI. – *Utrum homo possit seipsum ad gratiam praeparare per seipsum absque exteriori auxilio gratiae.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) ut homo se praeparet ad gratiam non requirit aliud habituale donum superadditum in anima; sed b): oportet praesupponi aliquid auxilium gratuitum Dei interius animam moventis, sive inspirantis bonum propositum.

R. PRIMI EST: quia si aliud habituale donum requiretur, procederetur in infinitum.

R. SECUNDI EST: quia cum ordo finium sit secundum ordinem agentium sive moventium, necesse est quod ad ultimum finem convertatur homo per motionem primi moventis. Sic igitur cum Deus sit primum movens simpliciter, ex ejus motione est quod omnia in ipsum convertantur secundum communem intentionem boni, per quam unumquodque intendit assimilari Deo secundum suum modum. Unde Dionysius dicit quod «Deus convertit omnia ad se ipsum». Sed homines justos convertit ad seipsum sicut ad specialem finem, quem intendunt, et cui cupiunt adhaerere sicut bono proprio, secundum illud Ps. lxxii, v. 27: *Mihi adhaerere Deo bonum est*; et ideo quod homo convertatur ad Deum, hoc non potest esse sine Deo ipsum convertente. Ad Deum autem converti, idem est ac se ad gratiam praeparare. – Unde hominis est animum ad gratiam praeparare, quia hoc facit per liberum arbitrium; sed tamen hoc non facit sine auxilio Dei moventis, et ad se attrahentis (Ad 4m).

Art. VII. – *Utrum homo possit resurgere a peccato sine auxilio gratiae.*

RESP. NEG. – R. EST: quia resurgere a peccato est reparari hominem ad ea quae peccando ami-

sit. Triplex autem detrimentum incurrit homo mortaliter peccando, scilicet maculam, corruptionem naturalis boni, et reatum poenae; et haec tria homo reparare non potest sine auxilio gratiae. Macula enim est privatio decoris gratiae ex deformitate peccati proveniens; talis autem decor non potest reparari, nisi Deo denuo illustrante. Similiter ordo naturae reparari non potest, ut scilicet voluntas hominis Deo subjiciatur, nisi Deo voluntatem hominis ad se trahente (art. praec.). Et reatus poenae aeternae remitti non potest nisi a Deo, in quem est offensa commissa, et qui est hominum iudex.

NOTANDUM: Quantum ad verba Apostoli (Ephes. v, 14): *Exurge a mortuis, et illuminabit te Christus*, et similia, non est intelligendum quod tota exurrectio a peccato praecedat illuminationem gratiae; sed quia cum homo per liberum arbitrium a Deo motum suregere conatur a peccato, recipit lumen gratiae justificantis (Ad 1m).

Art. VIII. – *Utrum homo sine gratia possit non peccare.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) secundum statum naturae integrae etiam sine gratia habituali poterat homo non peccare nec mortaliter nec venialiter; b) in statu naturae corruptae indiget homo gratia habituali sanante naturam ad hoc quod omnino a peccato absteineat.

R. PRIMI EST: quia peccare nihil aliud est quam recedere ab eo quod est secundum naturam; quod vitare homo poterat in statu naturae integrae; non tamen hoc poterat sine auxilio Dei in bono conservantis, quo subtracto, etiam ipsa natura in nihilum decideret.

R. SECUNDI EST: quia in statu naturae corruptae ratio hominis non est totaliter Deo subjecta, nec cor hominis firmatum est in Deo; consequen-

ter multae inordinationes in ipsis actibus rationis et in motibus voluntatis contingunt, praecipue in repentinis, nisi cito homo per gratiam ad debitum ordinem reparetur.

NOTANDUM: In praesenti vita sanatio fit secundum mentem; sed appetitus carnalis nondum totaliter reparatur. Unde Apostolus (Rom. vii, 25) in persona hominis reparati dicit: *Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* In quo quidem statu potest homo abstinere ab omni peccato mortali, quod in ratione consistit; non autem potest homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis, cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest, et ex hoc habent rationem peccati et voluntarii; non autem omnes, quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit; et etiam quia ratio non semper potest esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos (In corp. art.), nisi per gratiam. Et tamen, quia ex ejus defectu est quod homo se ad gratiam habendam non praeparet, propter hoc a peccato non excusatur, quod sine gratia peccatum vitare non potest (Ad 1m).

Art. IX. - *Utrum ille qui jam consecutus est gratiam, per seipsum possit operari bonum, et vitare peccatum absque auxilio gratiae.*

RESP. NEG. - *Scil.:* homo jam in gratia constitutus, ad operandum bonum et vitandum peccatum, a) non indiget aliquo alio habitu infuso; b) sed indiget alio auxilio quo a Deo moveatur.

R. PRIMI EST: quia si alio habitu infuso indigeret, procederetur in infinitum. Unde non est necessaria alio gratia habitualis.

R. SECUNDI EST duplex: a) generalis: quia, ut supra dictum est (art. 1 hujus quaes.) nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis divinae. - b) Specialis: quia licet natura humana per gratiam sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea

corruptio et infectio quantum ad carnem, per quam *servit legi peccati* (Rom. vii, 25). Remanet etiam quaedam ignorantiae obscuritas in intellectu, secundum quam, *quid oremus, sicut oportet, nescimus* (Rom. viii, 26). Et ideo necesse est nobis ut a Deo dirigamur et protegatur, qui omnia novit et omnia potest, ut non inducamur in tentationem.

NOTANDUM: Ex eo quod post acceptam gratiam homo adhuc indiget divino auxilio, non potest concludi quod gratia sit in vanum data, vel quod sit imperfecta; quia etiam in statu gloriae, quando gratia erit omnino perfecta, homo divino auxilio indigebit. Hic autem aliquantulum gratia imperfecta est, in quantum hominem non totaliter sanat, ut dictum est in corp. art. (Ad 1m).

Art. X. – *Utrum homo in gratia constitutus indigeat auxilio gratiae ad perseverandum.*

RESP. AFF. – *Scil.*: secundum quod perseverantia est continuatio quaedam boni usque ad finem vitae.

R. EST: quia ad talem continuationem boni usque ad finem vitae, homo indiget divino auxilio ipsum dirigente et protegente contra tentationum impulsus, sicut ex art. praeced. apparet. Et ideo postquam aliquis est justificatus per gratiam, necesse habet a Deo petere praedictum perseverantiae donum, ut scil. custodiatur a malo usque ad finem vitae. Multis enim datur gratia quibus non datur perseverare in gratia.

NOTANDUM: Facilius homo per gratiae donum perseverare poterat in statu innocentiae, in quo nulla erat rebellio carnis ad spiritum, quam nunc possumus, quando reparatio gratiae Christi, etsi sit inchoata quantum ad mentem, nondum tamen est consummata quantum ad carnem; quod erit in patria, ubi homo non solum perseverare poterit, sed etiam peccare non poterit (Ad 3m).

QUAESTIO CX

De gratia Dei quantum ad ejus essentiam

Deinde considerandum est de gratia Dei quantum ad ejus essentiam; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum gratia ponat aliquid in anima.*

RESP. AFF. - R. EST: quia gratia Dei, ut ipsum nomen indicat, dilectionem Dei specialem ad hominem significat. Quaelibet autem Dei dilectio erga creaturam, aliquod bonum in creaturam infundit (I. P., qu. xx). Unde sicut per dilectionem communem, qua Deus *diligit omnia quae sunt* (Sap. ii), esse naturalem rebus creatis largitur; ita per dilectionem specialem, bonum speciale in hominem infunditur, per quod Deus creaturam rationalem trahit supra conditionem naturae ad participationem ipsius Dei. Hoc autem bonum supernaturale in homine a Deo proveniens dicitur gratia; qua homo Deo gratus efficitur.

Art. II. - *Utrum gratia sit qualitas animae.*

RESP. AFF. - *Scil.:* in quantum quod gratia est aliquod habituale donum a Deo animae infusum.

R. EST: quia Deus non minus providet his quos diligit ad supernaturale bonum habendum, quam creaturis, quas diligit ad bonum naturale habendum. Creaturis autem naturalibus sic providet, ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas et virtutes quasdam, quae sunt principia actuum, ut secundum seipsas inclinentur ad hujusmodi motus; et sic motus quibus a Deo moventur, fiunt creaturis connaturales et faciles, secundum illud Sap. viii, 1: *Et disponit omnia suaviter*. Multo igitur magis, illis quos movet ad consequendum bonum supernaturale aeternum, infundit aliquas formas,

seu qualitates supernaturales, secundum quas suaviter et prompte ab ipso moveantur ad bonum aeternum consequendum; et sic donum gratiae qualitas quaedam est.

NOTANDA: 1. – Gratia est vita animae per modum causae efficientis (art. praec., ad 2m); secundum autem quod gratia est qualitas, dicitur agere in animam non per modum causae efficientis, sed per modum causae formalis, sicut albedo facit album, et iustitia justum (Ad 1m). Et sic gratia est forma accidentalis ipsius animae (Ad 2m).

2. Gratia dicitur creari, ex eo quod homines secundum ipsam creantur, id est in novo esse constituuntur ex nihilo, id est, non ex meritis, secundum illud Ephes. 10: *Creati in Cristo Jesu in operibus bonis.*

Art. III. – *Utrum gratia sit idem quod virtus.*

RESP. NEG. – R. EST: quia virtus est dispositio secundum naturam; est enim « dispositio perfecti » (Phys. lib. iii, text. 17). Virtus ergo uniuscujusque rei dicitur in ordine ad aliquam naturam praeesistentem, quando scilicet unumquodque sic est dispositum secundum quod congruit suae naturae. Sicut igitur virtutes acquisitae sunt dispositiones quibus homo convenienter disponitur ad naturam, qua homo est; ita virtutes infusae, quae ad altiorem finem disponunt, oportet quod disponant etiam in ordine ad aliquam altiorem naturam, hoc est, in ordine ad naturam divinam participatam, quae dicitur *lumen gratiae*, secundum quod dicitur II Petr. i, 4: *Maxima et pretiosa vobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.* Sicut igitur lumen naturale rationis est aliquid praeter virtutes acquisitas, quae dicuntur in ordine ad ipsum lumen naturale; ita etiam ipsum lumen gratiae, quod est participatio divinae naturae, est aliquid praeter virtutes infusas, quae a lumine illo derivantur, et ad illud lumen ordinantur.

NOTANDUM: Gratia reducitur ad primam speciem qualitatis (quae est habitus et dispositio); nec tamen est idem quod virtus, sed habitudo quaedam, quae praesupponitur virtutibus infusis, sicut earum principium et radix (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum gratia sit in essentia animae sicut in subjecto, an in aliqua potentiis.*

RESP: Est in essentia animae.

R. EST: quia omnis perfectio potentiae animae habet rationem virtutis (art. i, qu. lv, lvi). Gratia autem non est virtus (art. praec.). Unde relinquitur quod gratia, sicut est prius virtute, ita habeat subjectum prius potentiis animae, ita scilicet quod sit in essentia animae. – Sicut enim per potentiam intellectivam homo participat cognitionem divinam per virtutem fidei, et secundum potentiam voluntatis amorem divinum per virtutem charitatis; ita etiam per naturam animae participat secundum quamdam similitudinem naturam divinam per quamdam regenerationem, sive recreationem.

NOTANDUM: Sicut ab essentia animae effluunt ejus potentiae quae sunt operum principia; ita etiam ab ipsa gratia effluunt virtutes in potentias animae, per quas potentiae moventur ad actus (Ad 1m). Unde gratia est principium meritorii operis mediantibus virtutibus, sicut essentia animae est principium operum vitae mediantibus potentiis (Ad 2m).

QUAESTIO CXI

De divisione gratiae

Deinde considerandum est de divisione gratiae; et circa hoc quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum gratia convenienter dividatur per gratiam gratum facientem, et gratiam gratis datam*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia gratia est per quam homo in Deum ordinatur. Hoc autem duplici

modo fit: uno modo est per hoc quod homo per gratiam seipsum immediate ad Deum ordinat: et hoc fit per *gratiam gratum facientem*, quia haec gratia facit hominem Deo gratum; - alio modo per hoc quod homo alios ad Deum ducat, praeter seipsum; et hoc fit per *gratiam gratis datam*, quae ad utilitatem aliorum quibusdam a Deo datur (I Cor. xii, 7). Secundum hoc igitur convenienter gratia dividitur in gratum facientem et gratis datam.

Art. II. - *Utrum gratia convenienter dividatur per operantem et cooperantem.*

RESP. AFF. - *Scil.*: cum gratia actualis, tum habitualis.

R. EST: quia si gratia accipiatur pro gratuita Dei motione (gratia actualis), qua Deus movet nos ad bonum meritorium, convenienter dividitur gratia per *operantem* et *cooperantem*, secundum quod mens nostra non est movens, sed a Deo mota, praesertim cum voluntas incipit bonum velle, quae prius malum volebat; vel secundum quod mens nostra et movet et movetur; et sic operatio non solum Deo attribuitur, sed etiam animae. Si vero accipiatur gratia pro habituali dono, habet etiam duplicem effectum (sicut cujuslibet alterius formae: quorum primus est esse, secundus est operatio), scil.: animam sanat vel justificat, sive gratam Deo facit, et sic gratia dicitur *operans*; et est principium operis meritorii, quod ex libero arbitrio procedit, et sic est *cooperans*.

NOTANDUM: Deus non sine nobis nos justificat; quia per motum liberi arbitrii, dum justificamur, Dei justitiae consentimus. Ille tamen motus non est causa gratiae, sed effectus; unde tota operatio pertinet ad gratiam (Ad 2m). - Homo enim per

gratiam operantem adjuvatur a Deo, ut bonum velit; et praesupposito jam fine, consequens est ut gratia nobis cooperetur (Ad 3m). - Gratia tamen operans et cooperans est eadem gratia; sed distinguitur secundum diversos effectus, ut diximus (Ad 4m).

Art. III. - *Utrum gratia convenienter dividatur in praevenientem et subsequentem.*

RESP. AFF. - *Scil.:* qualitercumque gratia accipiatur (sive actualis, sive habitualis).

R. EST: quia sunt (quinque) effectus gratiae in nobis, quorum unus vocatur praeveniens respectu alterius qui subsequitur. Isti autem effectus gratiae sic in nobis ordinantur: primus est, ut anima sanetur: secundus, ut bonum velit; tertius, ut bonum quod vult, efficaciter operetur; quartus, ut in bono perseveret; et quintus, ut ad gloriam perveniat.

NOTANDUM: Gratia, per hoc quod est praeveniens et subsequens, non diversificatur secundum essentiam, sed solum secundum effectus; sicut et de operante et cooperante dictum est: quia etiam secundum quod gratia subsequens ad gloriam pertinet, non est alia numero a gratia praeveniente, per quam nunc justificamur. Sicut enim charitas viae non evacuatur, sed perficitur in patria; ita etiam et de lumine gratiae est dicendum, quia neutrum in sui ratione imperfectionem importat (Ad 2m).

Art. IV. - *Utrum gratia gratis data convenienter ab Apostolo dividatur.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Sic: gratia sermonis sapientiae, scientiae et fidei; gratia sanitatum, virtutum, prophetiae et discretionis spirituum; gratia generum linguarum et interpretationis sermonum.

R. EST: quia gratia gratis data ordinatur ad hoc quod homo, exterius docendo vel persuaden-

do, alteri cooperetur, ut reducatur in Deum. Ad hoc autem tria requiruntur (ex parte docentis vel persuadentis): primo quidem quod homo sit sortitus plenitudinem cognitionis divinorum, ut ex hoc instruere alios possit; et ad hoc datur *fides*, qua quis specialiter et firmiter credat ea quae alios docere desiderat; *sapientia*, quae est cognitio divinorum, et *scientia*, quae est cognitio humanarum, in ordine ad Deum; secundo, ut possit confirmare vel probare ea, quae dicit; et ad hoc ordinatur *gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia et discretio spirituum*; quae a Deo solum fieri possunt, et ideo veritatem Dei certissime comprobant; tertio, ut ea quae concipit, possit convenienter auditoribus proferre; et ad hoc ordinatur *gratia generum linguarum, et gratia interpretationis sermonum*.

NOTANDUM: Sapientia et scientia computantur inter gratias gratis datas (non ut dona Spiritus Sancti, sed) secundum quod important quamdam abundantiam scientiae et sapientiae, ut homo possit non solum in seipso recte sapere de divinis, sed etiam alios instruere et contradicentes vincere (Ad 1m).

Art. V. – *Utrum gratia gratis data sit dignior quam gratia gratum faciens.*

RESP. NEG. – *Scil.:* multo excellentior est gratia gratum faciens.

R. EST. – quia gratia gratum faciens ordinat hominem immediate ad conjunctionem ultimi finis; gratiae autem gratis datae ordinant hominem ad quaedam praeparatoria finis ultimi, sicut per prophetiam et miracula, et alia huiusmodi homines inducuntur ad hoc quod ultimo fini conjungantur. Finis autem semper est potio his quae sunt ad finem.

QUAESTIO CXII

De causa gratiae

Deinde considerandum est de causa gratiae; et circa hoc quaeruntur quinque:

Art. I. - *Utrum solus Deus sit causa gratiae.*

RESP. AFF. - *Scil.* : Causa efficiens.

R EST: quia donum gratiae excedit omnem facultatem naturae creatae, cum nihil aliud sit quam quaedam participatio divinae naturae, quae excedit omnem aliam naturam.

NOTANDUM: Humanitas Christi non causat gratiam propria virtute, sed virtute divinitatis adjunctae, ex qua actiones humanitatis Christi sunt salutares (Ad 1m). - In sacramentis autem novae legis, quae derivantur a Christo, causatur gratia instrumentaliter quidem per ipsa sacramenta, sed principaliter per virtutem Spiritus Sancti in sacramentis operantis (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum requiratur aliqua praeparatio et dispositio ad gratiam ex parte hominis.*

RESP AFF - *Scil* : a) non prout gratia est auxilium Dei moventis animam ad bonum (gratia actualis); sed b) prout est donum Dei habituale (gratia habitualis).

R PRIMI EST: quia sic quaecumque praeparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei moventis animam ad bonum. Et secundum hoc, ipse bonum motus liberi arbitrii, quo quis praeparatur ad donum gratiae suscipiendum, est actus liberi arbitrii a Deo principaliter movente.

R. SECUNDI EST: quia nulla forma potest esse nisi in materia disposita.

NOTANDA: 1. Praeparatio hominis ad gratiam habendam duplex est: quaedam est simul cum ipsa infusione gratiae; et talis operatio est quidem meritoria, sed non gratiae, quae jam habetur, sed gloriae, quae nondum habetur. Alia est praeparatio gratiae *imperfecta*, quae aliquando praecedit donum gratiae gratum facientis. Sed ista non sufficit ad meritum, nondum homine per gratiam iustificato; quia nullum meritum potest esse nisi ex gratia, ut infra dicitur (qu. cxiv, art. 2) (Ad 1m).

2. Agens infinitae virtutis non exigit materiam vel dispositionem materiae, quasi praesuppositam ex alterius causae actione; sed tamen oportet quod secundum conditionem rei causandae in ipsa re causet et materiam et dispositionem debitam ad formam; et similiter ad hoc quod Deus gratiam infundat animae, nulla praeparatio exigitur quam ipse non faciat (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum necessario detur gratia se praeparanti ad gratiam, vel facienti quod in se est.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Quantumcumque aliquis faciat quod in se est, et ad gratiam se praeparet, non ex necessitate datur ei gratia.

R. EST: quia praeparare se ad gratiam ex parte liberi arbitrii nullam necessitatem ad consecutionem gratiae importat, cum gratiae donum omnem praeparationem virtutis humanae excedat; ex parte autem Dei moventis, praeparatio ad gratiam consequatur suum effectum vel non secundum intentionem Dei, quae deficere non potest; et secundum hoc necessario consequitur gratia, si Deus eam intendit, non necessitate coactionis, sed infallibilitatis. – Homo enim in manu Dei est, sicut lutum in manu figuli (Jerem. xviii, 6). Non enim lutum accipit formam de manu figuli ex necessitate, quantumcumque ad formam sit praeparatum (arg. in sed Contra). Et hoc etiam in rebus naturalibus apparet, in quibus dispositio materiae non ex necessitate consequi-

tur formam, nisi per virtutem agentis, qui dispositionem causat (Ad 3m). Secundum hanc doctrinam igitur, est intelligendum dictum illud: « Facienti quod in se est, Deus gratiam non denegat ».

Art. IV. - *Utrum gratia sit major in uno quam in alio.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) non ex parte finis seu objecti; sed b) ex parte subjecti ratione inhaerentiae.

R. PRIMI EST: quia objectum gratiae unum est: conjungere hominem summo bono, quod est Deus. Et sic, ex hac parte, gratia non est nobilior in uno quam in alio.

R. SECUNDI EST: quia qui magis ad gratiam, sub motione Dei, se praeparat, plenior gratiam recipit. Unde prima ratio hujus diversitatis est Deus, qui dona sua diversimode dispensat, ut ex diversis gradibus pulchritudinis et perfectionis Ecclesia consurgat; *ad consummationem sanctorum in aedificationem corporis Christi* (Ephes. iv, 12).

Art. V. - *Utrum homo possit scire se habere gratiam.*

RESP. NEG. - *Scil. :* a) per seipsum (i. e. sine revelatione ex parte Dei) homo non potest scire *certitudinaliter* se habere gratiam; b) potest tamen hoc scire *conjecturaliter* per aliqua signa.

R. PRIMI EST: quia nullus scire potest se habere scientiam alicujus conclusionis, si principium ignoret. Principium autem gratiae et objectum ejus est ipse Deus, qui propter sui excellentiam est nobis ignotus, secundum illud Job xxxvi, 26: *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram.* Unde *nemo scit utrum sit dignus odio vel amore* (Eccl. ix, 1).

R. SECUNDI EST: quia aliquis potest percipere se delectari in Deo et contemnere res mundanas, et cognoscere se conscius sibi non esse alicujus peccati mortalis. Ista tamen cognitio imperfecta est; unde dicit Apostolus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum* (II. Cor. iv, 3); quia, ut dicitur Psalm. xviii, 13, *delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo.*

NOTANDA: 1. Quicumque habet scientiam, vel fidem, certus est se habere. Non est autem similis ratio de gratia et charitate, et aliis hujusmodi, quae perficiunt vim appetitivam: certitudo enim pertinet ad perfectionem intellectus (Ad 2m).

2. Aliquis potest scire se gratiam non habere; sed non potest scire se gratiam habere; quia peccatum habet pro principio et pro objecto bonum commutabile, quod nobis est notum. Objectum autem vel finis gratiae est nobis ignotum propter sui luminis immensitatem, secundum illud I. Tim. ult., vers. 16: *Lucem habitat inaccessibilem* (Ad 3m).

QUAESTIO CXIII

De effectibus gratiae

Deinde considerandum est de effectibus gratiae; et primo de justificatione impii, quae est effectus gratiae operantis; secundo de merito, quod est effectus gratiae cooperantis. – Circa primum quaeruntur decem:

Art. I. – *Utrum justificatio impii sit remissio peccatorum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia justificatio impii importat transmutationem quamdam de statu injustitiae ad statum justitiae, secundum rationem motus in homine, qui est de contrario in

contrarium. Nam, justitia hic sumitur, non ut virtus quaedam dandi alteri homini quod suum est, sive particulariter (justitia particularis), sive communiter (justitia legalis); sed sumitur prout importat rectitudinem quamdam ordinis in ipsa interiori dispositione hominis, prout scilicet supremum hominis subditur Deo, et interiores vires animae subduntur supremae, scilicet rationi. Haec autem justitia in homine potest fieri dupliciter: uno quidem modo per modum simplicis generationis, qui est ex privatione ad formam, sicut fuit in Adam (justitia originalis); alio modo, secundum rationem motus de contrario in contrarium, sicut dictum est; et hoc proprie importat justificatio impii; quae sic dicitur ex parte termini *ad quem*.

Art. II. - *Utrum in remissionem culpae quae est justificatio impii, requiratur gratiae infusio.*

RESP. AFF. - R. EST: quia effectus divinae dilectionis in nobis, qui per peccatum tollitur, est gratia, qua homo fit dignus vita aeterna, a qua peccatum mortale excludit. Unde non posset intelligi remissio culpae, si non adesset infusio gratiae.

NOTANDA: 1. Dilectio Dei, quantum ex parte actus divini, est aeterna et immutabilis; sed quantum ad effectus quem in nobis imprimit, quandoque interrumpitur, prout scilicet ab ipso quandoque deficimus, et quandoque iterum recuperamus. (In corp. art.).

2. Sicut dilectio Dei non solum consistit in actu voluntatis divinae, sed etiam importat quemdam gratiae effectum (qu. cx, art. 1); ita etiam et hoc quod est Deum non imputare peccatum homini, importat quemdam effectum in ipso cui peccatum non imputatur; quod enim alicui non imputetur peccatum a Deo, ex divina dilectione procedit (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum ad justificationem impii, requiratur motus liberi arbitrii.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Deus movet omnia secundum modum uniuscujusque. Unde et hominem ad justitiam movet secundum conditionem naturae humanae. Homo autem secundum propriam naturam habet quod sit liberi arbitrii. Unde in eo qui habet usum liberi arbitrii non fit motio a Deo ad justitiam absque motu liberi arbitrii; sed ita infundit donum gratiae justificantis, quod etiam simul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiae acceptandum in his qui sunt hujus motionis capaces.

NOTANDUM: Pueri autem non sunt capaces liberi arbitrii; et ideo moventur a Deo ad justitiam per solam informationem animae ipsorum. Hoc autem non fit sine sacramento: quia sicut peccatum originale, a quo justificantur, non propria voluntate ad eos pervenit, sed per carnalem originem: ita etiam per spiritualem regenerationem a Christo in eos gratia derivatur. Et eadem ratio est de furiosis et amentibus, qui nunquam usum liberi arbitrii habuerunt. Sed si quis aliquando habuit usum liberi arbitrii, et postmodum eo careret vel per infirmitatem vel per somnum, non consequitur gratiam justificantem per baptismum exterius adhibitum, aut per aliquod aliud sacramentum, nisi prius habuerit sacramentum in proposito; quod sine usu liberi arbitrii non contingit (Ad 1m).

Art. IV. – *Utrum ad justificationem impii requiratur motus fidei.*

RESP. AFF. – *Scil.* : quantum ad hoc quod homo credat Deum esse justificatorem hominum per mysterium Christi.

R. EST: quia Deus movet animam hominis convertendo eam ad seipsum. Prima autem conversio in Deum fit per fidem, secundum illud Hebr. xi, 6: *Accedentem ad Deum oportet credere*

quia est. - Tamen motus fidei non est perfectus, nisi sit charitate informatus; unde simul in justificatione impii cum motu fidei est etiam motus charitatis (Ad 1m).

Art V. - *Utrum ad justificationem impii requiratur motus liberi arbitrii in peccatum.*

RESP. AFF. - *Scil. :* requiritur detestatio peccati.

R. EST: quia justificatio impii, ut dictum est (art. 1, hujus qu.), est quidam motus quo humana mens movetur a Deo a statu peccati in statum justitiae. Recessus autem et accessus in motu liberi arbitrii accipitur secundum detestationem et desiderium. In justificatione impii ergo, duplex est motus liberi arbitrii: unus quo per desiderium tendat in Dei justitiam, et alius, quo detestetur peccatum.

Art. VI. - *Utrum remissio peccatorum debeat numerari inter ea quae requiruntur ad justificationem impii.*

RESP. AFF. - R. EST: quia remissio peccatorum se habet tanquam consummatio in motu justificationis impii. Sicut enim in quolibet motu, quo aliquid ab aliquo movetur, tria requiruntur; ita etiam in hoc justificationis motu; scilicet motio ipsius moventis, quae hic fit per infusionem gratiae; motus mobilis, qui hic fit per motum liberi arbitrii, qui est per recessum, et accessum (art. praec.); et consummatio motus, sive perventio ad finem, quae hic fit per remissionem peccatorum; in hoc enim justificatio consummatur.

NOTANDUM: Infusio gratiae et remissio culpa, secundum substantiam actus, sunt idem; quia eodem actu Deus et largitur gratiam et remittit culpam. Sed ex parte objectorum, differunt se-

cundum differentiam culpae, quae tollitur, et gratiae, quae infunditur; sicut etiam in naturalibus generatio et corruptio differunt, quamvis generatio unius sit corruptio alterius (Ad 2m).

Art. VII. - *Utrum justificatio impii fiat in instanti, vel successive.*

RESP.: Fit in instanti. *Scil.*: quantum ad infusionem gratiae; quantum vero ad dispositionem (ad gratiam) quandoque fit subito, quandoque vero paulatim et successive.

R. EST: quia gratiae infusio, per quam justificatio impii fit, fit in instanti. Deus enim, cujus virtus infinita est, ad hoc quod gratiam infundat animae, non requirit aliquam dispositionem; nisi quam ipse facit (quaes. cxii, art. 2); et hoc sicut ipse vult facit, sive subito, sicut in Paulo et in multis aliis, sive paulatim sicut ordinarie facit (quaes. cxii, art. 2, ad 2m).

NOTANDA: 1. Motus liberi arbitrii, qui concurrat ad justificationem impii, est consensus ad detestandum peccatum, et ad accedendum ad Deum; qui quidem consensus subito fit, motus enim liberi arbitrii, qui est velle, non est successivus, sed instantaneus (Ad 4m). - Contingit autem quandoque quod praecedit aliqua deliberatio, quae non est de substantia justificationis, sed via in justificationem; sicut motus localis est via ad illuminationem, et alteratio ad generationem (Ad 1m).

2. Ad objectionem (5m) quod esset idem instans in quo fit infusio gratiae et remissio culpae (quod est impossibile; sequeretur enim quod opposita simul inessent eidem), notandum est quod non datur ultimum instans, in quo culpa inest, sed *ultimum tempus* (quia hic mensura est secundum tempus continuum); sed datur primum instans, in quo gratia inest, quia mensura hujus instantis est tempus discretum, sicut competit illis quae supra tempus sunt (I. P., quaes. x, art. 4); in toto autem tempore praecedenti inerat culpa (Ad 5m).

Art. VIII. - *Utrum gratiae infusio sit prima ordine naturae inter ea quae requiruntur ad justificationem impii.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Praedicta quatuor quae requiruntur ad justificationem impii, tempore quidem sunt simul, quia justificatio impii non est successiva, ut dictum est (art. praec.); sed ordine naturae unum eorum est prius altero; et inter ea naturali ordine primum est gratiae infusio; secundum motus liberi arbitrii in Deum; tertium est motus liberi arbitrii in peccatum; quartum vero est remissio culpae.

R. EST: quia in quolibet motu naturaliter primum est motio ipsius moventis, quae hic est gratiae infusio; secundum est dispositio materiae, sive motus ipsius mobilis, et hic est motus liberi arbitrii in Deum, et consequenter detestatio peccati; ultimum est finis vel terminus motus ad quem terminatur motio moventis; et hoc est remissio culpae, ad quam tota ista transmutatio ordinatur sicut ad finem.

NOTANDUM: Ex parte Dei moventis considerata, infusio gratiae prius est ordine naturae, quam remissio culpae; quia agens per formam, quae in eo praeeexistit, agit ad removendum contrarium; sicut sol per suam lucem agit ad removendum tenebras; considerata tamen ex parte mobilis, seu liberi arbitrii, sic prius est remissio culpae quam infusio gratiae; sicut ex parte aeris illuminandi prius est purgari a tenebris quam consequi lumen, licet utrumque sit simul (Ad 1m).

Art. IX. - *Utrum justificatio impii sit maximum opus Dei.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) *ex parte magnitudinis ejus quod fit* majus opus est justificatio impii, quam opus creationis; b) *ex parte modi agendi*, opus creationis est majus; c) *secundum quanti-*

tatem absolutam, donum gloriae est majus dono gratiae justificantis impium; *d) secundum quantitatem proportionis*, donum gratiae justificantis impium, majus est quam donum gloriae beatificantis justum.

R. PRIMI EST: quia justificati impii terminantur ad bonum aeternum divinae participationis; creatio autem caeli et terrae terminatur ad bonum naturae mutabilis.

R. SECUNDI EST: quia ratione modi agendi maximum opus est quod ex nihilo aliquid fiat.

R. TERTII EST: quia sic glorificatio justorum est majus opus quam justificatio impii, quae ad ipsam glorificationem ordinatur.

R. QUARTI EST: quia plus excedit donum gratiae dignitatem impii, qui erat dignus poena, quam donum gloriae dignitatem justii, qui ex hoc ipso quod est justificatus, est dignus gloriae.

Art. X. - *Utrum justificatio impii sit opus miraculosum.*

RESP. NEG. - *Scil. : a)* ut quid mirum, justificatio impii (sicut et opus creationis) miraculosum dici potest; *b)* quantum autem ad formam inductam, justificatio impii non est opus miraculosum; *c)* inquantum ad hoc quod in operibus miraculosis invenitur aliquid praeter solitum et consuetum ordinem causandi effectum, sic opus justificationis impii ordinarie non est miraculosum, sed aliquando est miraculosum.

R. PRIMI EST: quia justificatio impii, cum a solo Deo fieri possit, causam occultam habet, et sic aliquid simpliciter *mirum est*.

R. SECUNDI EST: quia forma (justificationis) inducta non est supra naturalem potentiam animae; est enim anima naturaliter *capax* justifica-

tionis seu gratiae, ad imaginem enim Dei est creata.

R. TERTII EST: quia communis et consuetus cursus justificationis est, ut Deo movente interiorius animam, homo convertatur ad Deum, primo quidem conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectam deveniat; quia «charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici», sicut Augustinus dicit (Tract. 5 in Epis. Joan., ante med.). Quandoque vero tam vehementer Deus animam movet, ut statim quamdam perfectionem justitiae assequatur; sicut fuit in conversione Pauli, adhibita etiam exterius miraculosa prostratione: et ideo conversio Pauli tanquam miraculosa in Ecclesia commemoratur (In fine art.).

QUAESTIO CXIV

De merito, quod est effectus gratiae cooperantis

Deinde considerandum est de merito, quod est effectus gratiae cooperantis; et circa hoc quaeruntur decem:

Art. I. - *Utrum homo possit aliquid mereri a Deo.*

RESP. AFF. - *Scil.*: Non secundum justitiam simpliciter sumptam, sed secundum justitiam secundum quid, inquantum salvatur ratio justitiae; et hoc quidem secundum mensuram ab ipso Deo praeordinatam.

R. EST: quia justitia simpliciter sumpta est justitia inter eos quorum est simpliciter aequalitas. Inter Deum et hominem autem est maxima inaequalitas (in infinitum enim distant), et totum quod est hominis bonum, est a Deo. Unde non potest hominis ad Deum esse justitia secundum absolutam aequalitatem, sed secundum propor-

tionem quamdam, inquantum scilicet modus et mensura humanae virtutis est a Deo. Et ideo meritum hominis apud Deum esse non potest nisi secundum praesuppositionem divinae ordinationis; ita ut id homo consequatur a Deo per suam operationem, quasi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operandi deputavit, sicut etiam in naturalibus est manifestum: hoc autem in homine rationem meriti habet, quia ad hoc agendum homo seipsum movet per liberum arbitrium; quod non est in aliis creaturis.

NOTANDA: 1. Quod hic justitia seu meritum *secundum quid* dicitur, non est intelligendum meritum *de congruo*, sed est meritum *de condigno* (non absolute, seu ex rigorositate justitiae; sed latius sumptum, seu ex condignitate), quia praesupposita Dei ordinatione, ut dictum est, veram rationem habet justitiae.

2. Ex bonis nostris Deus non quaerit utilitatem, sed gloriam, i. e. manifestationem suae bonitatis; et ideo meremur aliquid a Deo, non quasi ex nostris operibus aliquid ei accrescat, sed inquantum propter ejus gloriam operamur (Ad 2m).

3. Ex hoc quod actio nostra non habet rationem meriti nisi ex praesuppositione divinae ordinationis, non sequitur quod Deus efficiatur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, inquantum debitum est ut sua ordinatio impleatur (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum aliquis sine gratia possit mereri vitam aeternam.*

RESP. NEG. - *Scil.*: sive in statu naturae integrae (qualis fuit in Adam ante peccatum); sive (a fortiori) in statu naturae corruptae.

R. PRIMI EST: quia vita aeterna est quoddam bonum excedens proportionem naturae creatae, quia etiam excedit cognitionem et desiderium ejus (I. Cor. ii, 9). Et inde est quod nulla natura creata est sufficiens principium actus meritorii vitae aeternae, nisi superaddatur aliquod supernaturale donum, quod *gratia* dicitur.

R. SECUNDI EST: quia (praeter rationem datam in *primo*), adest impedimentum peccati. *Stipendia enim peccati mors* (Rom. vi, 23).

Art. III. – *Utrum homo in gratia constitutus posset mereri vitam aeternam ex condigno.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) Non secundum substantiam operis, et secundum quod opus procedit ex libero arbitrio; sed b) secundum quod opus meritorium procedit ex gratia Spiritus Sancti.

R. PRIMI EST: quia sic non potest ibi esse condignitas, propter maximam inaequalitatem; unde dicit Apostolus (Rom. viii, 18): *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis.* Sed est ibi congruitas propter quamdam aequalitatem proportionis. Videtur enim congruum ut homini operandi secundum suam virtutem Deus recompenset secundum excellentiam suae virtutis.

R. SECUNDI EST: quia sic valor meriti attenditur secundum virtutem Spiritus Sancti moventis nos in vitam aeternam. – Attenditur etiam pretium operis secundum dignitatem gratiae, per quam homo consors factus divinae naturae adoptatur in filium Dei, cui debetur haereditas ex ipso jure adoptionis (Rom. viii, 17).

NOTANDUM: Gratia Spiritus Sancti, quam in praesenti habemus, etsi non sit aequalis gloriae in actu, est tamen aequalis in virtute, sicut semen arboris, in quo est virtus ad totam arborem (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum gratia sit principium meriti principalius per charitatem quam per alias virtutes.*

RESP. AFF. – *Scil. :* cum ex parte divinae ordinationis, ut dictum est supra, tum ex parte liberi arbitrii.

R. EST: quia motus humanae mentis ad fruitionem divini boni, in quo vita aeterna consistit, est proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundum quod aliae virtutes imperantur a charitate. – Item, quia id quod ex amore facimus, maxime voluntarie facimus.

NOTANDUM: Laboriositas et difficultas operis, si in ipso opere est, ad augmentum meriti pertinet; et sic charitas non diminit laborem, imo facit aggredi opera maxima; « magna enim operatur, si est », ut dicit Gregorius (Hom. 30 in Evang. parum a principio); si vero ex defectu voluntatis ipsius operantis provenit, talis labor diminit meritum (Ad 2m). – Actus autem patientiae, fortitudinis, aliarumque virtutum, meritorii non sunt, nisi ex charitate proveniant, secundum illud I. Corinth. xiii, 3: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (Ad 3m).

Art. V. – Utrum homo possit sibi mereri primam gratiam.

RESP. NEG. – *Scil. :* homo non potest sibi mereri primam gratiam, a) sive si donum gratiae consideretur sub ratione gratuiti, sive b) si consideretur secundum naturam ipsius rei quae donatur.

R. PRIMI EST: quia, ut Scriptura dicit (Rom. ii, 9): *si autem gratia, jam non ex operibus.*

R. SECUNDI EST: quia gratia excedit proportionem naturae. Item, quia ante gratiam, in statu peccati, homo habet impedimentum promerendi gratiam, scilicet ipsum peccatum.

NOTANDA: 1. Initium fidei est in nobis a Deo, ut veritas fidei docet; unde jam ipse actus fidei consequitur primam gratiam; et ita non potest esse meritorius primae gratiae (Ad 1m).

2. Deus non dat gratiam nisi dignis; non tamen ita quod prius digni fuerint, sed quia ipse per gratiam eos facit dignos, qui solus *potest facere mundum de immundo conceptum semine* (Ad 2m).

Art. VI. - *Utrum homo possit alteri mereri primam gratiam.*

RESP. NEG. - *Scil. :* a) De condigno nullus potest alteri mereri primam gratiam, nisi solus Christus; b) de congruo tamen potest aliquis (in gratia existens) alteri primam gratiam mereri.

R. PRIMI EST: quia aliquis ex condigno meretur ex vi motionis divinae. Solus autem Christus a Deo per gratiam movetur ut alios in vitam aeternam adduceret, inquantum est caput Ecclesiae et auctor salutis humanae (Heb. ii, 10).

R. SECUNDI EST: quia ex hoc quod homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est secundum amicitiae proportionem ut Deus impleat hominis voluntatem in salvationis alterius, licet quandoque possit habere impedimentum ex parte illius cujus aliquis sanctus justificationem desiderat. - Impetratio enim orationis innititur misericordiae; meritum autem condigni innititur justitiae; et ideo multo orando impetrat homo ex divina misericordia, quae tamen non meretur secundum justitiam (Ad 2m).

Art. VII. - *Utrum homo possit sibi mereri reparationem post lapsum.*

RESP. NEG. - *Scil. :* neque de condigno, neque de congruo.

R. PRIMI EST: quia ratio hujus meriti (de condigno) dependet ex motione divinae gratiae; quae quidem motio interrumpitur per sequens peccatum.

R. SECUNDI EST: quia si meritum congrui, quo quis alteri primam gratiam meretur, impeditur

ne consequatur effectum propter impedimentum peccati in eo cui quis meretur; multo magis impeditur talis meriti efficacia per impedimentum quod est et in eo qui meretur, et in eo cui meretur: hic enim utrumque in unam personam concurrat impedimentum.

NOTANDA: 1. Oratio qua quis petit reparationem post lapsum non innititur justitiae per modum meriti, sed solum misericordiae (Ad 1m).

2. Quidam dixerunt quod nullus meretur absolute vitam aeternam nisi per actum finalis gratiae, sed solum sub conditione, si perseverat. Sed hoc irrationabiliter dicitur: quia quandoque actus ultimae gratiae non est magis meritorium, sed minus quam actus praecedentes, propter aegritudinis oppressionem. Unde dicendum quod quilibet actus charitatis meretur absolute vitam aeternam; sed per peccatum sequens ponitur impedimentum praecedenti merito, ut non sortiatur effectum; sicut etiam causae naturales deficiunt a suis effectibus propter superveniens impedimentum (Ad 3m).

Art. VIII. - *Utrum homo possit mereri augmentum gratiae vel charitatis.*

RESP. AFF. - *Scil.*: de condigno.

R. EST: quia illud cadit sub merito condigni, ad quod motio gratiae se extendit. Gratia autem et charitas se extendit ad augmentum suipsius; in hoc enim est progressus gratiae et charitatis; terminus autem est vita aeterna, secundum illud Prov. iv, 18: *Iustorum semita quasi lux splens, procedit et crescit usque ad perfectum diem, qui est dies gloriae.*

NOTANDUM: Quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiae, sicut et gratiae consummationem, quae est vita aeterna. Sed sicut vita aeterna non statim redditur, sed suo tempore; ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum scilicet aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratiae augmentum (Ad 3m).

Art. IX. – *Utrum homo possit perseverantiam mereri.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) perseverantia gloriae cadit sub merito; sed b) perseverantia viae non cadit sub merito.

(Agitur de merito condigni).

R. PRIMI EST: quia perseverantia gloriae in hoc consistit quod *liberum arbitrium*, Deo mevente, *determinatur* ad bonum per gratiam consummatam sicut ad terminus, et hoc cadit sub merito.

R. SECUNDI EST: quia perseverantia viae est in hoc quod *Deus* hominem *inclinat* ad bonum usque ad finem, et hoc non cadit sub merito, quia Deus hic comparatur ad motum perseverantiae sicut principium ipsius motus. Principium autem meriti non cadit sub merito. – Tamen donum perseverantiae aliquis petendo a Deo impetrat vel sibi vel alii, quamvis sub merito non cadat (Ad 1m); quia oratio innitur misericordiae.

Art. X. – *Utrum temporalia bona cadant sub merito.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) Bona temporalia secundum se considerata non cadunt sub merito, nisi *secundum quid*; b) ut vero utilia ad opera virtutum in ordine ad vitam aeternam, cadunt sub merito *simpliciter*.

R. PRIMI EST: quia bona temporalia secundum se considerata non ordinantur ad vitam aeternam; habent tamen rationem mercedis, habitu respectu ad motionem divinam, qua voluntates hominum moventur ad haec (bona temporalia) prosequenda; licet interdum in his non habeant homines rectam intentionem.

R. SECUNDI EST: quia secundum hoc bona temporalia sunt inter illa quibus homo adjuvatur ad perveniendum in beatitudinem post primam gratiam, sicut est augmentum gratiae.

NOTANDUM: Omnia aequè eveniunt bonis et malis quantum ad ipsam substantiam bonorum vel malorum temporalium, sed non quantum ad finem; quia boni per hujusmodi manuducuntur ad beatitudinem, non autem mali (Ad 4m). Justis enim qui per hujusmodi mala juvantur, non sunt poenae, sed magis medicinae (Ad 3m). Et tantum dat Deus viris justis de bonis temporalibus, et similiter de malis, quantum eis expedit ad perveniendum ad vitam aeternam (In medio art.).

ET HAEC DE MORALIBUS IN COMMUNI
DICTA SUFFICIUNT.

D. O. M.

I N D E X

Ad Lectorem Pag. vii

PRIMA PARS

DE DOCTRINA SACRA

Quaestio I. – (Praeliminaris) » 1

DE DEO UNO

Quaestio II. – De Deo. an Deus sit	»	4
Quaestio III. – De Dei simplicitate	»	6
Quaestio IV. – De Dei Perfectione	»	9
Quaestio V. – De bono in communi	»	10
Quaestio VI. – De bonitate Dei	»	12
Quaestio VII. – De infinitate Dei	»	13
Quaestio VIII. – De existentia Dei in rebus	»	15
Quaestio IX. – De Dei immutabilitate	»	16
Quaestio X. – De Dei aeternitate	»	17
Quaestio XI. – De unitate Dei	»	19
Quaestio XII. – Quomodo Deus a nobis cognoscatur	»	20
Quaestio XIII. – De nominibus Dei	»	23
Quaestio XIV. – De scientia Dei	»	28
Quaestio XV. – De ideis	»	33
Quaestio XVI. – De veritate	»	34
Quaestio XVII. – De falsitate	»	36
Quaestio XVIII. – De vita Dei	»	38
Quaestio XIX. – De voluntate Dei	»	39
Quaestio XX. – De amore Dei	»	42
Quaestio XXI. – De justitia et misericordia Dei	»	43
Quaestio XXII. – De providentia Dei	»	44
Quaestio XXIII. – De praedestinatione	»	46
Quaestio XXIV. – De Libro Vitae	»	49
Quaestio XXV. – De divina potentia	»	50
Quaestio XXVI. – De divina beatitudine.	»	52

DE TRINITATE

Quaestio XXVII. – De processione divinarum personarum	»	53
Quaestio XXVIII. – De relationibus divinis	»	55

DE PERSONIS DIVINIS

Quaestio XXIX. — De nomine « Persona »	Pag.	57
Quaestio XXX. — De Pluralitate Personarum	»	59
Quaestio XXXI. — De his quae ad unitatem vel pluralitatem pertinent in divinis	»	61
Quaestio XXXII. — De divinarum Personarum cognitione	»	62
Quaestio XXXIII. — De persona Patris	»	64
Quaestio XXXIV. — De persona Filii (de Verbo)	»	65
Quaestio XXXV. — De imagine	»	66
Quaestio XXXVI. — De persona Spiritus Sancti	»	67
Quaestio XXXVII. — De nomine Spiritus Sancti, quod est amor	»	69
Quaestio XXXVIII. — De nomine Spiritus Sancti, quod est « donum »	»	70
Quaestio XXXIX. — De Personis ad essentiam relatis	»	70
Quaestio XL. — De Personis in comparatione ad relationes sive proprietates	»	73
Quaestio XLI. — De Personis in comparatione ad actus notionales	»	75
Quaestio XLII. — De aequalitate et similitudine divinarum Personarum ad invicem	»	77
Quaestio XLIII. — De missione divinarum Personarum	»	79

DE PROCESSIONE CREATURARUM A DEO

Quaestio XLIV. — De prima causa entium	»	81
Quaestio XLV. — De modo emanationis rerum a principio	»	83
Quaestio XLVI. — De principio durationis rerum creatorum	»	86
Quaestio XLVII. — De distinctione rerum in communi	»	87

DE RERUM DISTINCTIONE IN SPECIALI

Quaestio XLVIII. — De malo	»	88
Quaestio XLIX. — De causa mali	»	91

DE ANGELIS

Quaestio L. — De substantia angelorum absolute	»	93
Quaestio LI. — De comparatione angelorum ad corpora	»	95
Quaestio LII. — De comparatione angelorum ad loca	»	96
Quaestio LIII. — De motu locali angelorum	»	97
Quaestio LIV. — De cognitione angelorum	»	99
Quaestio LV. — De medio cognitionis angelicae	»	101

Quaestio LVI. – De cognitione angelorum ex parte rerum immaterialium	Pag. 102
Quaestio LVII. – De angelorum cognitione respectu rerum materialium	» 103
Quaestio LVIII. – De modo cognitionis angelicae	» 105
Quaestio LIX. – De voluntate angelorum	» 108
Quaestio LX. – De amore seu dilectione angelorum	» 110
Quaestio LXI. – De productione angelorum in esse	» 111
Quaestio LXII. – De perfectione angelorum in esse gratiae et gloriae	» 112
Quaestio LXIII. – De angelorum malitia quoad culpam	» 115
Quaestio LXIV. – De poena daemonum	» 119

DE CREATURA PURE CORPORALI

Quaestio LXV. – De opere creationis creaturae corporalis	» 121
Quaestio LXVI. – De ordine creationis ad distinctionem	» 123
Quaestio LXVII. – De opere distinctionis secundum se	» 125
Quaestio LXVIII. – De opere secundae diei	» 127
Quaestio LXIX. – De opere tertiae diei	» 130
Quaestio LXX. – De opere ornatus quantum ad quartam diem	» 131
Quaestio LXXI. – De opere quintae diei	» 133
Quaestio LXXII. – De opere sextae diei	» 134
Quaestio LXXIII. – De iis quae pertinent ad septimum diem	» 134
Quaestio LXXIV. – De omnibus septem diebus in communi	» 136

DE CREATURIS COMPOSITIS EX CORPORE ET SPIRITU SEU DE HOMINE

Quaestio LXXV. – De anima humana secundum se	» 138
Quaestio LXXVI. – De unione animae ad corpus	» 141
Quaestio LXXVII. – De his quae pertinent ad potentias animae in generali	» 144

DE POTENTIIS ANIMAE IN SPECIALI

Quaestio LXXVIII. – De his quae sunt praeambula ad intellectum	» 148
Quaestio LXXIX. – De potentiis intellectivis	» 151
Quaestio LXXX. – De potentiis appetitivis in communi	» 156

Quaestio LXXXI. – De sensualitate	Pag. 157
Quaestio LXXXII. – De voluntate	» 158
Quaestio LXXXIII. – De libero arbitrio	» 160

DE OPERATIONIBUS ANIMAE

Quaestio LXXXIV. – Quomodo anima corpori conjuncta intelligat corporalia quae sunt infra seipsam	» 162
Quaestio LXXXV. – De modo et ordine intelligendi	» 165
Quaestio LXXXVI. – Quid intellectus noster in rebus materialibus cognoscat	» 169
Quaestio LXXXVII. – Quomodo anima intellectiva seipsam, et ea quae sunt in ipsa, cognoscat	» 170
Quaestio LXXXVIII. – Quomodo anima humana cognoscat ea quae supra se sunt	» 172
Quaestio LXXXIX. – De cognitione animae separatae	» 173

DE PRIMA PRODUCTIONE HOMINIS

Quaestio XC. – De productione hominis quantum ad animam	» 177
Quaestio XCI. – De productione corporis primi hominis	» 178
Quaestio XCII. – De productione mulieris	» 179
Quaestio XCIII. – De fine sive termino productionis hominis	» 180

DE STATU ET CONDITIONE PRIMI HOMINIS

Quaestio XCIV. – De statu et conditione primi hominis quantum ad intellectum	184
Quaestio XCV. – De his quae attinent ad voluntatem primi hominis, gratia scilicet et justitia	» 186
Quaestio XCVI. – De dominio quod homini in statu innocentiae competeat	» 188
Quaestio XCVII. – De his quae pertinent ad statum primi hominis quantum ad conservationem individui	» 190
Quaestio XCVIII. – De pertinentibus ad conservationem speciei	» 192
Quaestio XCIX. – De conditione prolis generandae quantum ad corpus	» 193
Quaestio C. – De conditione prolis generandae quantum ad iustitiam	» 194
Quaestio CI. – De conditione prolis generandae quantum ad scientiam	» 195
Quaestio CII. – De loco hominis, qui est Paradisus	» 195

Quaestio CIII. – De gubernatione rerum in communi	Pag. 196
Quaestio CIV. – De effectibus divinae gubernationis in speciali	» 199
Quaestio CV. – De mutatione creaturarum a Deo . . .	» 201
Quaestio CVI. – De illuminatione angelorum	» 205
Quaestio CVII. – De locutione angelorum	» 207
Quaestio CVIII. – De ordinatione angelorum secundum hierarchias et ordines.	» 209
Quaestio CIX. – De ordinatione malorum angelorum	» 212
Quaestio CX. – De praesidentia angelorum super creaturam corporalem	» 214

DE ACTIONE ANGELORUM IN HOMINES

Quaestio CXI. – De immutatione hominum per Angelos	» 216
Quaestio CXII. – De missione angelorum	» 218
Quaestio CXIII. – De custodia bonorum angelorum	» 219
Quaestio CXIV. – De impugnatione daemonum . . .	» 222
Quaestio CXV. – De actione corporalis creaturae .	» 224
Quaestio CXVI. – De fato	» 227
Quaestio CXVII. – De his quae pertinent ad actionem hominis	» 228
Quaestio CXVIII. – De traductione hominis ex homine, quantum ad animam	» 230
Quaestio CXIX. – De propagatione hominis quantum ad corpus	» 233

PRIMA SECUNDAE

Quaestio I. – De ultimo fine hominis in communi . .	» 237
Quaestio II. – De his in quibus hominis beatitudo consistit	» 241
Quaestio III. – Quid sit beatitudo	» 245
Quaestio IV. – De his quae ad beatitudinem exiguntur	» 249
Quaestio V. – De adeptione beatitudinis	» 252

DE ACTIBUS HUMANIS

Quaestio VI. – De voluntario et involuntario . . .	» 257
Quaestio VII. – De circumstantiis humanorum actuum	» 261

DE ACTIBUS VOLUNTATIS IN SPECIALI

Quaestio VIII. – De his quorum voluntas sit	» 263
Quaestio IX. – De motivo voluntatis	» 265
Quaestio X. – De modo quo voluntas movetur . . .	» 268

Quaestio XI. – De fruitione, quae est actus voluntatis	Pag. 270
Quaestio XII. – De intentione	» 272
Quaestio XIII. – De electione eorum quae sunt ad finem	» 273
Quaestio XIV. – De consilio, quod electionem praecedit	» 275
Quaestio XV. – De consensu, qui est actus voluntatis, respectu eorum quae sunt ad finem	» 278
Quaestio XVI. – De usu, qui est actus voluntatis, in comparatione eorum quae sunt ad finem	» 279
Quaestio XVII. – De actibus imperatis a voluntate	» 281

DE BONITATE ET MALITIA HUMANORUM ACTUUM

Quaestio XVIII. – De bonitate et malitia humanorum actuum in generali	» 285
Quaestio XIX. – De bonitate et malitia actus interioris voluntatis	» 290
Quaestio XX. – De bonitate et malitia exteriorum actuum humanorum	» 294
Quaestio XXI. – De his quae consequuntur actus humanos ratione bonitatis vel malitiae	» 297

DE PASSIONIBUS ANIMAE

Quaestio XXII. – De subiecto passionum animae . .	» 299
Quaestio XXIII. – De differentia passionum ab invicem	» 300
Quaestio XXIV. – De bono et malo in animae passionibus	» 303
Quaestio XXV. – De ordine passionum ad invicem .	» 306

DE PASSIONIBUS ANIMAE IN SPECIALI

Quaestio XXVI. – De amore	» 308
Quaestio XXVII. – De causa amoris	» 310
Quaestio XXVIII. – De effectibus amoris	» 312
Quaestio XXIX. – De odio	» 315
Quaestio XXX. – De concupiscentia	» 318
Quaestio XXXI. – De delectatione secundum se .	» 320
Quaestio XXXII. – De causa delectationis . . .	» 324
Quaestio XXXIII. – De effectibus delectationis .	» 328
Quaestio XXXIV. – De bonitate et malitia delectationum	» 330
Quaestio XXXV. – De dolore et tristitia secundum se	» 332
Quaestio XXXVI. – De causis tristitiae seu doloris	» 338
Quaestio XXXVII. – De effectibus doloris seu tristitiae	» 339
Quaestio XXXVIII. – De remediis tristitiae seu doloris	» 342

Quaestio XXXIX. – De bonitate et malitia tristitiae, seu doloris	Pag. 344
---	----------

DE PASSIONIBUS IRASCIBILIS

Quaestio XL. – De spe et desperatione	» 345
---	-------

DE TIMORE

Quaestio XLI. – De timore secundum se	» 350
Quaestio XLII. – De objecto timoris	» 352
Quaestio XLIII. – De causa timoris	» 354
Quaestio XLIV. – De effectibus timoris	» 355
Quaestio XLV. – De audacia	» 358

DE IRA

Quaestio XLVI. – De ira secundum se	» 360
Quaestio XLVII. – De causa effectiva irae, et de ra- mediis ejus	» 364
Quaestio XLVIII. – De effectibus irae	» 366

DE HABITIBUS

Quaestio XLIX. – De habitibus in generali, quoad eo- rum substantiam	» 369
Quaestio L. – De subjecto habituum	» 372
Quaestio LI. – De causa habituum quantum ad ge- nerationem ipsorum	» 376
Quaestio LII. – De augmento habituum	» 380
Quaestio LIII. – De corruptione et diminutione ha- bituum	» 382
Quaestio LIV. – De distinctione habituum	» 383

DE VIRTUTIBUS

Quaestio LV. – De virtutibus quantum ad earum es- sentiam	» 386
Quaestio LVI. – De subjecto virtutis	» 388
Quaestio LVII. – De distinctione virtutum intellec- tualium	» 392
Quaestio LVIII. – De distinctione virtutum mora- lium ab intellectualibus	» 397
Quaestio LIX. – De distinctione virtutum moralium secundum relationem ad passiones	» 400
Questio LX. – De distinctione virtutum moralium ab invicem	» 402
Quaestio LXI. – De virtutibus cardinalibus	» 406

Quaestio LXII. – De virtutibus theologicis	Pag. 410
Quaestio LXIII. – De causa virtutum	» 412
Quaestio LXIV. – De medio virtutum	» 415
Quaestio LXXV. – De connexionione virtutum	» 418
Quaestio LXXVI. – De aequalitate virtutum	» 422
Quaestio LXXVII. – De duratione virtutum post hanc vitam	» 426
Quaestio LXXVIII. – De donis Spiritus Sancti	» 430
Quaestio LXXIX. – De beatitudinibus	» 436
Quaestio LXXX. – De fructibus Spiritus Sancti	» 440

DE VITIIS ET PECCATIS

Quaestio LXXXI. – De vitiis et peccatis secundum se	» 444
Quaestio LXXXII. – De distinctione peccatorum.	» 448
Quaestio LXXXIII. – De comparatione peccatorum ad invicem	» 454
Quaestio LXXXIV. – De subiecto peccatorum	» 460
Quaestio LXXXV. – De causis peccatorum in genere	» 465
Quaestio LXXXVI. – De causis peccati in speciali	» 468
Quaestio LXXXVII. – De causa peccati ex parte appetitus sensitivi	» 470
Quaestio LXXXVIII. – De causis peccati quae est malitia	» 476
Quaestio LXXXIX. – De causis exterioribus peccati	» 478
Quaestio LXXX. – De causa peccati ex parte diaboli	» 481
Quaestio LXXXI. – De causa peccati ex parte hominis; et primo de peccato originali in quantum ad traditionem	» 484
Quaestio LXXXII. – De originali peccato quantum ad suam essentiam	» 488
Quaestio LXXXIII. – De subiecto originalis peccati	» 491
Quaestio LXXXIV. – De causa peccati secundum quod unum peccatum alterius peccati causa est	» 493
Quaestio LXXXV. – De effectibus peccati	» 497
Quaestio LXXXVI. – De macula peccati	» 502
Quaestio LXXXVII. – De reatu poenae	» 503
Quaestio LXXXVIII. – De peccato veniali per comparisonem ad mortale	» 509
Quaestio LXXXIX. – De peccato veniali secundum se	» 514

DE LEGIBUS

Quaestio XC. – De essentia legis	» 518
Quaestio XCI. – De legum diversitate	» 521
Quaestio XCII. – De effectibus legis	» 525

Quaestio XCIIL. – De lege aeterna	Pag. 527
Quaestio XCIV. – De lege naturali	» 531
Quaestio XCV. – De lege humana secundum se	» 536
Quaestio XCVI. – De potestate legis humanae	» 539
Quaestio XCVII. – De mutatione legum	» 543
Quaestio XCVIII. – De lege veteri	» 545
Quaestio XCIX. – De praeceptis veteris legis	» 549
Quaestio C. – De praeceptis moralibus veteris legis	» 552
Quaestio CI. – De praeceptis caeremonialibus secundum se	» 560
Quaestio CII. – De caeremonialium praeceptorum causis	» 562
Quaestio CIII. – De duratione praeceptorum caeremonialium	» 564
Quaestio CIV. – De praeceptis judicialibus	» 567
Quaestio CV. – De ratione judicialium praeceptorum	» 569
Quaestio CVI. – De lege evangelica, seu de lege nova, secundum se	» 573
Quaestio CVII. – De comparatione legis novae ad veterem	» 576
Quaestio CVIII. – De his quae continentur in lege nova	» 578

**DE EXTERIORI PRINCIPIO HUMANORUM ACTUUM
SEU DE GRATIA DEI**

Quaestio CIX. – De necessitate gratiae	» 581
Quaestio CX. – De gratia Dei quantum ad ejus essentiam	» 589
Quaestio CXI. – De divisione gratiae	» 591
Quaestio CXII. – De causa gratiae	» 595
Quaestio CXIII. – De effectibus gratiae	» 598
Quaestio CXIV. – De merito, quod est effectus gratiae cooperantis	» 605
Index	» 613

P. Fr. GERARDUS M. PARIS, O. P.

S. Theologiae Magister

SYNOPSIS
TOTIUS SUMMAE THEOLOGICAE
S. THOMAE

SEU

DIVISIO QUAESTIONUM

TOTIUS SUMMAE THEOLOGICAE ANGELICI DOCTORIS

CUM

RESPONSIONIBUS RATIONIBUSQUE FUNDAMENTALIBUS

AD UNIVERSOS ET SINGULOS ARTICULOS

SECUNDA SECUNDAE

NEAPOLI (ITALIA)

M. D'AURIA - S. SEDIS APOSTOLICAE TYPOGRAPHUS

1950

Nos infrascripti attente perlegimus opus P. Fr. GERARDI M. PARIS O. P., S. Th. Bacc., cui titulus « *Synopsis totius Summae Theologicae S. Thomae seu Divisio Quaestionum totius Summae Theologicae Angelici Doctoris cum Responionibus Rationibusque Fundamentalibus ad universos singulosque Articulos* », Vol. II, in quo pars secunda-secundae continetur; et dignum judicamus hoc opus ut typis mandetur utpote utilissimum ad majorem D. THOMAE doctrinae divulgationem.

Datum Melitae, die 5 Octobris 1946.

FR. THOMAS ZAMMIT, O. P., S. Th. Mag.
FR. VINCENZIUS JOS. BONELLO, O. P., S. Th. Lect.

Et Nos nostram licentiam damus ut imprimatur

Datum Melitae, in Nostro Conventu S. Mariae de Crypta,
die 2 Oct. 1946.

FR. JOSEPHUS M. XUEREB O. P..
Vic. Prov.

Neapoli, ex Curia Archiepiscopalis
die II Martii 1950

Nihil obstat

ALOYSIUS RINALDI, Can. Theol.
Censor delegatus

Imprimatur

✠ JOSEPH M. DE NICOLA
Ep. Tit. Pergamen, *Vic. Gen.*

RATIONES FORMALES SEU FUNDAMENTALES ARTICULORUM

SECUNDA SECUNDAE

(Totalitas Quaestionum, 189. - Totalitas Articulorum, 920)

PROLOGUS

Post communem considerationem de virtutibus et vitiis, et aliis ad materiam moralem pertinentibus, necesse est considerare singula in speciali. Sermones enim morales universales minus sunt utiles, eo quod actiones in particularibus sunt. Potest autem aliquid in speciali considerari circa moralia dupliciter: uno modo ex parte materiae ipsius moralis, puta cum consideratur de hac virtute vel hoc vitio; alio modo quantum ad speciales status hominum, puta cum consideratur de subditis et praelatis, de activis et contemplativis, vel quibuscumque aliis differentiis hominum. Primo ergo considerabimus specialiter de his quae pertinent ad omnes hominum status; secundo vero specialiter de his quae pertinent ad determinatos status. – Est autem considerandum circa primum, quod si seorsum determinaremus de virtutibus, donis, vitiis et praeceptis, oporteret idem multoties dicere. Qui enim sufficienter vult tractare de hoc praecepto: *Non maechaberis*, necesse habet inquirere de adulterio, quod est quoddam peccatum, cujus etiam cognitio dependet ex cognitione oppositae virtutis. Erit ergo compendiosior et expeditior considerationis via, si simul sub eodem tractatu consideratio procedat de virtute et dono sibi correspondente, et vitiis oppositis et praeceptis affirmativis, vel negativis. Erit autem hic considerationis modus conveniens ipsis vitiis secundum

propriam speciem. Ostensum est enim supra (I-II, qu. xviii, lxxii et lxxiii) quod vitia et peccata diversificantur specie secundum materiam vel objectum, non autem secundum alias differentias peccatorum, puta cordis, oris et operis; vel secundum infirmitatem, ignorantiam et malitiam, et alias hujusmodi differentias. Est autem eadem materia circa quam et virtus recte operatur, et vitia opposita a rectitudine recedunt. Sic ergo, tota materia morali ad considerationem virtutum reducta, omnes virtutes sunt ulterius reducendae ad septem; quarum tres sunt theologicae, de quibus primo est agendum; aliae vero quatuor sunt cardinales, de quibus posterius agetur. Virtutum autem intellectualium una quidem est prudentia, quae inter cardinales virtutes continetur et numeratur. Ars vero non pertinet ad scientiam moralem, quae circa agibilia versatur, cum ars sit *recta ratio factibilium*, ut supra dictum est (I-II, qu. lvii, art. 3 et 4). Aliae vero tres intellectuales virtutes, scilicet sapientia, intellectus et scientia, communicant etiam in nomine cum donis quibusdam Spiritus Sancti. Unde simul etiam de eis considerabitur in consideratione donorum virtutibus correspondentium. Aliae vero virtutes morales omnes aequaliter reducuntur ad virtutes cardinales, ut ex supra dictis patet (I-II, qu. lxi, art. 3). Unde in consideratione alicujus virtutis cardinalis considerabuntur etiam omnes virtutes ad eam qualitercumque pertinentes, et vitia opposita. Et sic nihil moralium erit praetermissum. *

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS DE FIDE

Circa virtutes igitur theologicas primo erit considerandum de fide; secundo de spe; tertio de charitate. — Circa fidem vero quadruplex consideratio occurrit: prima quidem de ipsa fide; secunda de donis intellectus et scientiae ipsi correspondentibus; tertia de vitiis oppositis; quarta de praeceptis ad

* Ad Divisionem Quaestionum quod attinet, vide nostram « Divisionem schematicam totius summae », Tab. XVIII et sequentibus. (Apud « Marietti » Romae, vel Taurini).

hanc virtutem pertinentibus. - Circa fidem vero primo erit considerandum de ejus objecto; secundo de ejus actu; tertio de ipso habitu fidei. Circa primum quaeruntur decem:

QUAESTIO I

De objecto fidei

Art. I. - *Utrum objectum fidei sit veritas prima.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) veritas prima est objectum formale fidei, et b) aliquomodo est etiam ejus objectum materiale.

R. PRIMI EST: quia objectum formale alicujus rei est id *per quod* objectum cognoscitur, quod est ratio formalis objecti. Fides autem de qua loquimur non assentit alicui, nisi quia est a Deo revelatum; unde innititur ipsi veritati divinae, quae est prima veritas, tanquam medio, per quod objectum fidei cognoscitur.

R. SECUNDI EST: quia alia praeter Deum quibus fides assentit non cadunt sub assensu fidei, nisi secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum, inquantum per ipsa homo adjuvatur ad tendendum in divinam fruitionem.

NOTANDUM: Objectum *formale quod* fidei, ut ajunt theologi, seu id quod per se et ratione sua a fide attingitur, est prima veritas in essendo, aut Deus ipse quatenus rationem naturalem excedit. Objectum *formale quo*, seu id quo mediante, objectum *formale quod* attingitur, est prima veritas in dicendo, aut veracitas divina, quod est credendum revelans.

Art. II. - *Utrum objectum fidei sit aliquid complexum per modum enuntiabilis.*

RESP. AFF. - *Scil. :* ex parte credentis objectum fidei est aliquid complexum per modum enuntiabilis; ex parte vero rei creditae est incomplexum.

R. EST: quia modus proprius humani intellectus est ut veritatem cognoscat componendo et dividendo: unde simplicia cognoscuntur per quamdam complexionem; ex parte autem ipsius rei, objectum fidei est incomplexum, prout scil. ad mentem divinam pertinens.

Art. III. - *Utrum fidei possit subesse falsum.*

RESP. NEG. - R. EST: quia ratio formalis objecti fidei est veritas prima (art. 1); unde nihil potest cadere sub fide, nisi in quantum stat sub veritate prima, sub qua nullum falsum stare potest, sicut nec malum sub bonitate, nec *non ens* sub ente.

NOTANDUM: Quantum ad hoc non est similis ratio de spe et charitate. Fides enim perficit intellectum, spes autem et charitas appetitivam partem. Cum autem verum sit bonum intellectus, omnes virtutes quae perficiunt intellectum excludunt totaliter falsum. Verum autem non est bonum appetitivae virtutis. Tamen neque spes (theologica), ut sic, subesse potest falsum. Innititur enim auxilio divino gratiae, in qua si perseveraverit, omnino et infallibiliter vitam aeternam consequetur. Similiter de charitate; quia ad charitatem pertinet diligere, in quocumque fuerit; unde non refert ad charitatem utrum in isto sit Deus, qui propter Deum diligitur (Ad 1m).

Art. IV. - *Utrum objectum fidei possit esse aliquid visum.*

RESP. NEG. - *Scil. :* objectum fidei non potest esse visum neque secundum intellectum, neque secundum sensum.

R. EST: quia illa videri dicuntur quae per seipsa movent intellectum nostrum vel sensum ad sui cognitionem. Per fidem autem intellectus alicui assensit non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quamdam electionem voluntarie declinans in unam partem magis quam in aliam sine formidine errandi. Si enim assentit cum formidine errandi, non esset fides, sed opinio.

NOTANDA: 1. Quantum ad verba Domini: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*, notandum est quod Thomas aliud vidit, et aliud credidit: hominem vidit, et Deum ipsum credens confessus est, cum dixit: *Dominus meus et Deus meus* (Jn. xx, 29). – (Ad 1m).

2. Ea quae subsunt fidei dupliciter considerari possunt: uno modo in speciali; et sic non possunt esse simul visa et credita; alio modo in generali, scilicet sub communi ratione *credibilis*; et sic sunt visa ab eo qui credit. Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi (Ad 2m).

3. Lumen fidei facit videre ea quae creduntur. Sicut enim per alios habitus virtutum homo videt illud quod est sibi conveniens secundum habitum illum; ita etiam per habitum fidei inclinatur mens hominis ad assentiendum his quae conveniunt rectae fidei, et non aliis (Ad 3m).

Art. V. – *Utrum ea quae sunt fidei possint esse scita.*

RESP. NEG. – *Scil.*: ea quae sunt fidei de eodem secundum idem non possunt esse scita.

R. EST: quia quaecumque sunt scita (per demonstrationem scientificam), sunt aliquo modo visa. Omnis enim scientia habetur per aliqua principia per se nota, et per consequens visa. Fides autem est de non visis (art. praec.). – Nihil prohibet tamen quod id quod est visum vel scitum ab uno, sit creditum ab alio. Id tamen quod communiter omnibus proponitur ut credendum est communiter non scitum, et ista sunt quae simpliciter fidei subsunt.

NOTANDUM: Rationes quae inducuntur a sanctis ad probandum ea quae sunt fidei, non sunt demonstrativae, sed persuasiones quaedam manifestantes non esse impossibile quod in fide proponitur; vel procedunt ex principiis fidei, scilicet ex auctoritatibus sacrae Scripturae, et ex his probant aliquid apud fideles, sicut etiam ex principiis naturaliter notis probatur aliquid apud omnes. Unde etiam theologia scientia est (P. I., quaes. I, art. 2). – (Ad 2m).

Art. VI. – *Utrum credibilia sint per certos articulos distinguenda.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Quantum ad formale quoad nos, et in quantum per articulos credibilia fidei christianae in quasdam partes dividuntur, habentes aliquam coaptationem ad invicem, ut ex greco ἄρθρον nomen in latino *articulus* videtur derivatum.

R. EST: quia ubi occurrit aliquid speciali ratione non visum, ibi est specialis articulus; sic distinguitur articulus resurrectionis Christi ab articulo passionis ejus; ubi autem multa secundum eandem rationem sunt cognita vel non cognita, ibi non sunt articuli distinguendi; sicut quod Dominus sit passus, mortuus et sepultus, unam et eandem difficultatem habent, et propter hoc omnia haec pertinent ad unum articulum. Sic tamen quantum ad rationem formalem articulorum quoad nos, quae est ut sit non visum; ex parte vero ipsius rei creditae, ratio formalis omnium credibilium una est, scilicet veritas prima, ut dictum est in art. primo hujus quaestionis (Ad 2m).

NOTANDUM: Fides principaliter est de his quae videnda speramus in patria, secundum illud Hebr. II, vers. 1: *Fides est substantia sperandarum rerum*, ideo per se ad fidem pertinent illa quae directe nos ordinant ad vitam aeternam; sicut sunt tres personae omnipotentis Dei, mysterium incarnationis Christi, et alia hujusmodi; et secundum ista distinguuntur articuli fidei. Quaedam vero, proponuntur in sacra Scriptura ut credenda, non quasi principaliter intenta, sed ad praedictorum manifestationem; sicut quod Abraham habuit duos filios, quod ad tactum ossium Elisei suscitatus est mortuus, et alia hujusmodi, quae narrantur in sacra Scriptura in ordine ad manifestationem divinae majestatis, vel incarnationis Christi; et secundum talia non oportet articulos distinguere (Ad 1m).

Art. VII. - *Utrum articuli fidei secundum successionem temporum creverint.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) quantum ad substantiam articulorum fidei non est factum eorum augmentum per temporum successionem; b) sed quantum ad explicationem.

R. PRIMI EST: quia quaecumque posteriores crediderunt, contenebantur in fide praecedentium patrum, licet implicite.

R. SECUNDI EST: quia quaedam explicite cognita sunt a posterioribus, quae a prioribus non cognoscebantur explicite; unde Apostolus (Gal. III) comparat statum veteris Testamenti pueritiae (Ad 2m).

NOTANDA: 1. - Omnes articuli fidei continentur implicite in his primis duobus, scilicet ut credatur Deum esse, et providentiam habere circa hominum salutem (Hebr. xi, 6); sicut quae per rationem naturalem habentur, in principiis per se notis continentur, quae ad hoc unum reducuntur sicut ad primum: « Impossibile est simul affirmare et negare », ut patet per Philosophum. (In corp. art.).

2. Ultima consummatio gratiae facta est per Christum; unde et tempus ejus dicitur *tempus plenitudinis* (Ad Gal. IV). Et ideo illi qui fuerunt propinquiore Christo vel ante, sicut Joannes Baptista, vel post, sicut apostoli, plenius mysteria fidei cognoverunt (Ad 4m).

Art. VIII. - *Utrum articuli fidei convenienter enumerentur.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia illa per se pertinent ad fidem quorum visione in vita aeterna perfruemur, et per quae ducimur ad vitam aeternam. Duo autem nobis videnda proponuntur, scilicet occultum Divinitatis, cujus visio nos beatos facit; et mysteriorum humanitatis Christi, per quam in gloriam filiorum Dei accessum habemus (Rom.

V). Secundum haec duo autem articuli fidei convenienter enumerantur. Septem articuli sunt circa majestatem Divinitatis, et septem circa Christi humanitatem. – Ad Divinitatem pertinent: a) unitas divinitatis (primus articulus); b) Trinitas personarum (tres articuli); c) opera Divinitatis propria, scil. creationis, sanctificationis hominum et esse gloriae per resurrectionem carnis et vitam aeternam (tres articuli). Circa humanitatem Christi sunt: articulus primus: incarnatio sive conceptio Christi; secundus: ejus natiuitas ex Virgine; tertius: ejus passio, mors et sepultura; quartus: ejus descensus ad inferos; quintus: ejus resurrectio; sextus: ejus ascensio; et septimus: adventus ejus ad iudicium.

Art. IX. – *Utrum convenienter articuli fidei in symbolo ponantur.*

RESP. AFF. – R. EST: quia credere non potest aliquis, nisi ei veritas quam credat, proponatur. Et veritates fidei convenienter in unum colliguntur (hoc enim significat nomen Symbolum, a graeco *σμβάλλειν*, colligere), ut facilius possint omnibus proponi, ne aliquis per ignorantiam fidei a veritate deficeret.

NOTANDA: 1. Plura quae Ecclesia edidit symbola in nullo alio differunt, nisi quod in uno plenius explicantur quae in alio continentur implicite, secundum quod exigebat haereticorum instantia (Ad 2m).

2. In missa publice cantatur symbolum Patrum (Nicaenum), et non illud Apostolorum, quia illud declarativum est hujus, et etiam fuit conditum fide jam manifesta, et Ecclesia pacem habente. Symbolum autem Apostolorum, quod tempore persecutionis editum fuit, fide nondum publicata, occulte dicitur in Prima et in Completorio, quasi contra tenebras errorum praeteritorum et futurorum (Ad 6m).

Art. X. – *Utrum ad Summum Pontificem pertinet fidei symbolum ordinare.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ad illius auctoritatem pertinet editio symboli ad cuius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, secundum verba Christi ad Petrum, quem summum pontificem constituit: *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (Lc. XXII, 32).

NOTANDA: 1. Ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio symboli, sicut et omnia alia quae pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare synodum generalem, et alia hujusmodi (In fine art.).

2. Quantum ad symbolum S. Athanasii observandum est, quod ipse sanctus non composuit manifestationem fidei per modum symboli; sed magis per modum cujusdam doctrinae, ut ex ipso modo loquendi apparet. Sed quia integram fidei veritatem ejus doctrina breviter continebat, auctoritate summi pontificis est recepta, ut quasi regula fidei habeatur (Ad 3m).

QUAESTIO II

De actu fidei

Deinde considerandum est de actu fidei: et primo de actu interiori; secundo de actu exteriori. – Circa primum quaeruntur decem:

Art. I. – *Utrum credere sit cum assensione cogitare.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) credere est cum assensu cogitare, non ut cogitatio ad vim spectat cogitativam aut aestimativam (I. P., q. lxxviii, a. 4), seu b) ut communiter pro qualicumque actuali intellectus consideratione sumitur; sed c) ut importat intellectus considerationem cum aliqua inquisitione et voluntatis consensu.

R. PRIMI EST: quia cogitare non sumitur hic prout est actus cogitativae virtutis, sed prout pertinet ad intellectum.

R. SECUNDI EST: quia cogitare sic sumptum (ut communiter) non dicit totam rationem ejus quod est credere; nam per hunc modum etiam qui considerat ea quae scit, vel intelligit, cum assensione cogitat.

R. TERTII EST: quia secundum hunc modum intelligitur tota ratio hujus actus qui est credere, prout distinguitur ab omnibus actibus intellectus, qui sunt circa verum et falsum; nam credere habet firmam adhaesionem ad unam partem, in quo convenit credens cum sciente et intelligente; et tamen ejus cognitio non est perfecta per manifestam visionem; in quo convenit cum dubitante, suspicante et opinante; et sic proprium est credentis ut cum assensu cogitet.

NOTANDA: 1. Fides non habet inquisitionem rationis naturalis demonstrantis id quod creditur: habet tamen inquisitionem quamdam eorum per quae inducitur homo ad credendum, puta quia sunt dicta a Deo, et miraculis confirmata (Ad 1m).

2. Intellectus credentis determinatur ad unum, non per rationem, sed per voluntatem; et ideo assensus hic accipitur pro actu intellectus, secundum quod a voluntate determinatur ad unum (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum convenienter distinguantur actus fidei per hoc quod est credere Deo, credere Deum, et credere in Deum.*

RESP. AFF. - *Scil.* : ex parte objecti in ordine ad intellectum.

R. EST: quia actus cujuslibet potentiae et habitus accipitur secundum ordinem potentiae vel habitus ad suum objectum. Objectum autem fidei prout pertinet materialiter ad intellectum, est *credere Deum* (qu. I, art. 1); prout pertinet

ad intellectum formaliter, est *credere Deo*, i. e. propter auctoritatem Dei revelantis (ibid.); prout autem pertinet ad voluntatem, inquantum scilicet rationem finis habet, est *credere in Deum*. - Per ista autem tria non designantur diversi actus fidei, sed unus et idem actus habens diversam relationem ad fidei objectum (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum credere aliquid supra rationem naturalem sit necessarium ad salutem.*

RESP. AFF. - *Scil.* : ad hoc quod homo perveniat ad perfectam visionem beatitudinis, praeexigitur quod credat Deo, tanquam discipulus magistro docenti.

R. EST: quia omnis addiscens oportet quod credat, ad hoc quod ad perfectam scientiam perveniat. Ad visionem autem beatitudinis, ad quam homo per fidem supernaturaliter ordinatur, non potest homo pertingere, nisi per modum addiscentis a Deo doctore, secundum illud Jn. vi, 45: *Omnis qui audit a Patre et didicit, venit ad me.*

NOTANDUM: Ab objectionem quod ad perfectionem nostram sufficiunt illa quæ nobis conveniunt secundum nostram naturam, observandum est quod, quia natura hominis dependet a superiori natura, ad ejus perfectionem non sufficit cognitio naturalis, sed requiritur quaedam supernaturalis, ut dictum est in responsione ad articulum (Ad 1m).

Art. IV. - *Utrum credere ea quæ ratione naturali probari possunt, sit necessarium.*

RESP. AFF. - **PRIMA R. EST:** quia per hoc *cilius* homo ad veritatis divinae cognitionem pervenit.

SECUNDA R. EST: ut cognitio Dei sit *communior*. Multi enim in studio scientiæ proficere non possunt vel propter hæbetudinem ingenii, vel propter alias occupationes et necessitates temporalis vitæ, vel etiam propter torporem addi-

scendi; qui omnino Dei cognitione fraudarentur, nisi proponerentur eis divina per medium fidei.

TERTIA R. EST: propter *certitudinem*. Ratio enim humana in rebus divinis est multum deficiens. – Investigatio enim naturalis rationis non sufficit humano generi ad cognitionem divinorum, etiam quae ratione ostendi possunt (Ad 1m), ut patet ex diversitate opinionum philosophorum.

Art. V. – *Utrum homo teneatur ad credendum aliquid explicite.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Quantum ad ea quae per se sunt objectum fidei, per quod homo efficitur beatus; quantum vero ad ea quae per accidens sunt objectum fidei, sicut quod Abraham habuit duos filios et alia hujusmodi quae in sacra Scriptura continentur, non tenetur homo explicite credere, sed solum implicite, vel in praeparatione animi. Haec tamen tenetur homo etiam explicite credere, quando nobis constat haec in doctrina fidei contineri.

R. EST: quia determinatio virtuosi actus ad proprium et per se objectum virtutis est sub necessitate praecepti, sicut et ipse virtutis actus. Quantum ergo ad prima credibilia, quae sunt articuli fidei, tenetur homo explicite credere, sicut et tenetur habere fidem. Sed determinatio actus virtuosi ad ea quae accidentaliter vel secundario se habent ad proprium et per se virtutis objectum, non cadit sub necessitate praecepti, nisi pro loco et tempore.

Art. VI. – *Utrum omnes aequaliter teneantur ad habendum fidem explicitam.*

RESP. NEG. – R. EST: quia superiores homines, ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorē notitiā de credendis, et magis explicitē credere.

Art. VII. - *Utrum explicite credere mysterium incarnationis Christi sit de necessitate salutis apud omnes.*

RESP. AFF. - *Scil* : Mysterium incarnationis Christi *aliqua* oportuit omni tempore esse creditum apud omnes; diversimode tamen secundum diversitatem temporum et personarum.

R. EST: quia hoc mysterium proprie et per se pertinet ad objectum fidei; nam via hominibus veniendi ad beatitudinem est mysterium incarnationis et passionis Christi secundum illud (Act. iv, 12): *Non est aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

NOTANDA: 1. In responsione dicitur *aliqua*, quia ante statum peccati homo habuit explicitam fidem de Christi incarnatione, secundum quod ordinabatur ad consummationem gloriae, non autem secundum quod ordinabatur ad liberationem a peccato per passionem et resurrectionem, quia homo *non* fuit praescius peccati futuri. - Post peccatum autem fuit explicite creditum mysterium, non solum quantum ad incarnationem, sed etiam quantum ad passionem et resurrectionem, quibus homo a peccato et morte liberatur. - Post tempus autem gratiae revelatae tam majores quam minores tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi, praecipue quantum ad ea quae communiter in Ecclesia solemnizantur et publice proponuntur (passim in art.).

2. Quantum ad fidem gentilium in Christi incarnationem, observandum est, quod multis gentilium facta fuit revelatio de Christo, ut patet ex historia. Si qui tamen salvati fuerunt quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide Mediatoris; quia etsi non habuerunt fidem explicitam habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos, et secundum quod aliquibus veritatem cognoscentibus Spiritus revelasset, secundum illud Job xxxv, 11: *Qui docet nos super jumenta terrae.*

Art. VIII. - *Utrum explicite credere Trinitatem sit de necessitate salutis.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia mysterium incarnationis Christi explicite credi non potest sine fide Trinitatis. Unde eodem modo quo mysterium incarnationis Christi ante Christum fuit explicite creditum a majoribus, implicite autem a minoribus; ita etiam et mysterium Trinitatis. Post tempus tamen gratiae divulgatae tenentur omnes ad explicite credendum mysterium Trinitatis, quod omnes adipiscuntur per invocationem Trinitatis, secundum illud Mt. ult. 19: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

Art. IX. - *Utrum credere sit meritorium.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia ipsum credere est actus intellectus assentientis veritati divinae ex imperio voluntatis a Deo motae per gratiam. (Vide quae diximus de merito: I-II, q. cxiv, art. 3 et 4).

NOTANDA: 1. Fides sine charitate non potest producere actum meritorium; sed charitate superveniente, actus fidei fit meritorius per charitatem; sicut materia disposita non agit nisi per formam supervenientem (Ad 1m).

2. Assensus scientis in rem scitam non est meritorius, quia non subjacet libero arbitrio; sciens enim cogitur ad assentiendum per efficaciam demonstrationis: consideratio tamen rei scitae est meritoria. In fide autem utrumque subiacet libero arbitrio; et ideo quantum ad utrumque actus fidei potest esse meritorius (Ad 2m).

3. Ille qui credit habet sufficiens inductivum ad credendum; inducitur autem auctoritate divinae doctrinae miraculis confirmatae, et, quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis; unde non leviter credit. Tamen non habet sufficiens inductivum ad sciendum; et ideo non tollitur ratio meriti (Ad 3m).

Art. X. - *Utrum ratio inductiva ad ea quae sunt fidei, minuat meritum fidei.*

RESP. NEG. - *Scil.:* a) ratio inductiva praecedens assensui fidei diminuit meritum; b) si vero ratio consequenter se habet ad voluntatem credentis, auget meritum.

R. PRIMI EST: quia credere debet homo ea quae sunt fidei, non propter rationem humanam, sed propter auctoritatem divinam. Sicut igitur in moralibus passio praecedens diminuit laudem virtuosus actus, ita ratio inductiva praecedens diminuit meritum fidei.

R. SECUNDI EST: quia ratio inductiva consequens est signum promptioris voluntatis; sicut et passio consequens in moralibus.

NOTANDUM: Rationes demonstrativae inductae ad ea quae sunt fidei praeambula, non tamen ad articulos, etsi diminuunt rationem fidei, quia faciunt esse apparens id quod proponitur; non tamen diminuunt rationem charitatis, per quam voluntas est prompta ad ea credendum, etiamsi non appaerent, et ideo non diminuitur ratio meriti (Ad 2m).

QUAESTIO III

De exteriori actu fidei

Deinde considerandum est de exteriori fidei actu, qui est confessio (fidei); et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum confessio sit actus fidei.*

RESP. AFF. - R. EST: quia confessio eorum quae sunt fidei, secundum suam speciem ordinatur, sicut ad finem, ad id quod est fidei, et ideo est actus fidei. Actus enim exteriores aliquus virtutis proprie illi sunt qui, secundum suas species, referuntur ad finem ipsius virtutis. - Unde fortitudo, quae removet timorem vel eru-

bescentiam, non est proprie et per se causa confessionis fidei; sed quasi per accidens, ut removens prohibens (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum confessio (fidei) sit necessaria ad salutem.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Confiteri fidem non semper neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco et tempore; quando scilicet per omissionem hujus confessionis substraheatur honor debitus Deo, et etiam utilitas proximi impendenda.

R. EST: quia confessio fidei cadit sub praecepto affirmativo. Praecepta autem affirmativa, etsi semper obligent, non tamen obligant ad semper (I-II, q. lxxi, art. 5 ad 3m, et q. lxxxviii, art. 1 ad 2m).

NOTANDUM: Si turbatio infidelium oriatur de confessione fidei manifesta, *absque aliqua utilitate fidei vel fidelium*, non est laudabile in tali casu fidem publice confiteri; unde Dominus dicit: *Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas vestras spargere ante porcos... ne conversi dirumpant vos* (Mt. vii, 6). – (Ad 3m).

QUAESTIO IV

De ipsa fidei virtute

Deinde considerandum est de ipsa fidei virtute, et primo quidem de ipsa fide; secundo de habentibus fidem; tertio de causa fidei; quarto de effectibus ejus. – Circa primum quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum haec sit compenetens fidei definitio : Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Licet verba haec non ordinentur sub forma definitionis, tamen omnia ex quibus fides definiri potest in praedicta descriptione tanguntur.

R. EST: quia fides cum sit habitus, debet definiri per proprium actum in comparatione ad proprium objectum. Actus autem fidei est credere; qui actus est intellectus determinati ad unum ex imperio voluntatis (q. II, art. 2 et 3). Objectum voluntatis autem est bonum et finis, quod, in isto casu, per illa verba exprimitur: *Substantia rerum sperandarum*, sumpto ly *substantia* pro principio in quo tota res sequens virtute continetur. Objectum autem intellectus, prout est objectum fidei, designatur in hoc quod dicitur *argumentum non apparentium*, in quantum per argumentum inducitur intellectus ad inhaerendum vero; quia scilicet per auctoritatem divinam intellectus credentis convincitur ad essendiendum his quae non videt. – Sic ergo verba Apostoli in formam definitionis reduci possunt: « fides est habitus mentis, quo inchoatur vita aeterna in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus ».

Art. II. – *Utrum fides sit in intellectu sicut in subjecto.*

RESP. AFF. – R. EST: quia credere, cujus objectum est verum est actus intellectus, et quidem immediate. – Sic enim fides, ut pertinens ad duas potentias animae, scil. ad intellectum et voluntatem, ad hoc ut sit perfecta in suo actu, habere debeat in utraque suum habitum. Non enim solum oportet voluntatem esse promptam ad obediendum, sed etiam intellectum esse bene dispositum ad sequendum imperium voluntatis (Ad 2m); sicut perfecte quis secare potest, si et secans habeat artem, et serra sit bene disposita ad secandum.

NOTANDUM: Fides est in intellectu *speculativo* sicut in subjecto, ut manifeste patet ex fidei objecto.

Sed quia veritas prima, quae est fidei objectum, est finis omnium desideriorum et actionum nostrarum, inde est quod per dilectionem operatur, sicut etiam intellectus speculativus extensione fit practicus (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum charitas sit forma fidei.*

RESP. AFF. - R. EST: quia bonum (divinum), ad quod fides ordinatur, est proprium objectum charitatis. Voluntatis autem objectum est finis, a quo actus voluntarii speciem recipiunt. Modus autem actionis respondet proportionabiliter fini. Unde charitas dicitur forma fidei, in quantum per charitatem actus fidei perficitur et formatur.

NOTANDUM: Charitas non est forma fidei intrinseca, sed tantum actum ejus informat. Unde nihil prohibet actum fidei a diversis habitibus informari, sicut a charitate et ab obedientia, sicut actus aliorum habituum, ut diximus (I.-II, q. xviii, art. 6 et 7 et qu. lvi, art. 2). - (Passim in responsionibus).

Art. IV. - *Utrum fides informis possit fieri formata vel e converso.*

RESP. AFF. - R. EST: quia distinctio fidei formatae et informis non est secundum intellectum, idem est enim objectum per se fidei formatae et informis; sed est secundum id quod pertinet ad voluntatem, i. e., secundum charitatem. Et sic patet quod idem est habitus fidei formatae et informis.

NOTANDUM: Cum infirmitas fidei non sit de ratione fidei, sed per accidens se habet ad ipsam, non alia fit formata sed ipsamet fides informis; sicut idem numero qui erat puer, fit vir (Ad 1m). Unde in hoc fides informis non potest comparari ad fidem formatam sicut comparatur aliquid mortuum ad vivum; quia aliud specie est quod est mortuum, et aliud quod est vivum (Ad 2m).

Art. V. – *Utrum fides sit virtus.*

RESP. AFF. – Scil. : fides formata, non autem fides informata, est virtus.

R. EST: quia habitus qui est semper principium boni actus, dici potest virtus humana (I-II, q. iv, art. 3 et 4). Talis autem est fides. Nam, ex ratione ipsius fidei est quod intellectus semper fertur in verum: fidei enim non potest subesse falsum. Ex parte autem charitatis, quae fidem format, habet anima quod infallibiliter voluntas ordinetur in finem bonum. – Ex hoc sequitur quod fides informis non est virtus; quia, etsi habeat perfectionem ex parte intellectus, non tendit tamen ad debitum bonum voluntatis; caret enim charitate.

Art. VI. – *Utrum fides sit una virtus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia objectum formale a quo fides specificatur est unum, nempe veritas prima. Differt tamen fides numero in diversis. – Quantum ad ea autem quae creduntur, fides est etiam una; quia, etsi sint diversa credibilia, tamen omnia reducuntur ad unum, quod omnes credunt.

Art. VII. – *Utrum fides sit prima inter virtutes.*

RESP. AFF. – Scil. : a) per se inter omnes virtutes prima est fides; b) per accidens potest esse aliqua virtus prior fide.

R. PRIMI EST: quia in agibilibus principium est finis; finis ultimus autem (immediatus) est objectum virtutum theologarum, inter quas prima est fides, quae est in intellectu: non enim voluntas, in qua sunt spes et charitas tanquam in subjecto, fertur in aliquid, nisi prout est in intellectu apprehensum.

R. SECUNDI EST: quia aliquae virtutes possunt remove impedimenta credendi, et secundum hoc sunt per accidens fide priores; sicut fortitudo removens timorem, humilitas removens superbiam, et aliae hujusmodi, quamvis non sint verae virtutes, nisi praesupposita fide.

NOTANDA: 1. Alia est ratio principii alia fundamenti. Ad rationem enim fundamenti non solum requiritur quod sit primum, sed etiam quod sit aliis partibus aedificii connexum: et sic est charitas, quae est *vinculum perfectionis* (Col. iii, 14). Unde fides sine charitate fundamentum esse non potest; nec tamen oportet quod charitas sit prior fide (Ad 4m).

2. Actus voluntatis qui praeexigitur ad fidem non est actus voluntatis charitate informatus; sed talis actus (informatus charitate) praesupponit fidem; non enim potest voluntas perfecto amore in Deum tendere, nisi intellectus rectam fidem habeat circa ipsum (Ad 5m).

Art. VIII. - *Utrum fides sit certior scientia et aliis virtutibus intellectualibus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia quantum ad prudentiam et artem, hae sunt circa contingentia; fides autem est circa divina, quibus non contingit aliter se habere. - Quantum vero ad reliquas virtutes intellectuales, quae sunt sapientia, scientia et intellectus, fides est *simpliciter* certior, i. e., ex parte causae, quia fides innititur veritati divinae; dictae autem virtutes innituntur rationi humanae. *Secundum quid* vero, i. e., ex parte subjecti, vel quoad nos, fides est minus certa, quia minus plenius consequitur intellectus ea quae sunt fidei, quam ea quae subsunt tribus praedictis virtutibus: illa enim quae sunt fidei, sunt supra intellectum humanum.

QUAESTIO V

De habentibus fidem

Deinde considerandum est de habentibus fidem; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum angelus aut homo in prima sui conditione habuerit fidem.*

RESP. AFF. - *Scil.:* supposito quod homo et angelus creati sint cum dono gratiae, et non in puris naturalibus.

R. EST: quia cum angelus ante confirmationem, et homo ante peccatum non habuerit illam beatitudinem qua Deus per essentiam videtur, et quod est proprium et per se objectum fidei, manifestum est quod non habuit sic manifestam cognitionem, quod excluderetur ratio fidei.

NOTANDUM: In statu primae conditionis non erat auditus (circa ea quae sunt fidei) ab homine exterius loquente, sed a Deo interius inspirante; sicut et prophetae audiebant, secundum illud Psalmi lxxxiv, 9: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* - (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum in daemonibus sit fides.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia daemones assentiunt veritati divinae propter imperium voluntatis eorum moventis intellectum; quod fit non quidem ex ordine voluntatis ad bonum, sicut in fidelibus, sed quia ex signis et indiciis cogitur intellectus daemoniorum ut assentiat esse credendum illa quae Ecclesia docet, tanquam a Deo ei revelata, puta quod Deus est Trinus, et alia hujusmodi.

NOTANDUM: Fides quae est donum gratiae, inclinat hominem ad credendum secundum aliquem affectum boni, etiamsi sit informis; unde fides quae est in daemonibus, non est donum gratiae, sed magis coguntur ad credendum ex perspicacitate naturalis intellectus (ad 2m).

Art. III. – *Utrum qui discredet unum articulum fidei, possit habere fidem informem de aliis articulis.*

RESP. NEG. – *Scil. :* in haeretico discredente unum articulum fidei non manet fides neque formata neque informis.

R. EST: quia haeticus qui pertinaciter discredet unum articulum fidei, non est paratus sequi in omnibus doctrinam Ecclesiae, nec veritati primae innititur. Omnibus enim articulis fidei inhaeret fides propter unum medium, scilicet propter veritatem primam propositam nobis in Scripturis secundum doctrinam Ecclesiae intelligentis sane (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum fides possit esse major in uno quam in alio.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) non ex parte objecti formalis; sed b) ex parte subjecti.

R. PRIMI EST: quia objectum formale fidei est unum et simplex, scilicet veritas prima, ut dictum est supra (qu. i, art. 1). – Quantum vero ad objectum materiale fidei, sic unus homo potest plura explicite credere quam alius, ut patet.

R. SECUNDI EST: quia aliquis potest magis intense fidem participare quam alius; et sic, ex parte intellectus habet majorem certitudinem et firmitatem, ex parte autem voluntatis, majorem promptitudinem, sive devotionem vel confidentiam.

QUAESTIO VI

De causa fidei

Deinde considerandum est de causa fidei; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum fides sit homini a Deo infusa.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) et quantum ad ea quae proponuntur ut explicite credantur; b) et quantum ad assensum credentis.

R. PRIMI EST: quia ea quae sunt fidei, excedunt rationem humanam, unde non cadunt in cognitione hominis, nisi Deo revelante, sive immediate, sicut illa quae fuerunt revelata apostolis et prophetis; sive mediante a Deo praedicatores mittente, secundum illud Rom. x, 15: *Quomodo praedicabunt, nisi mittuntur?*

R. SECUNDI EST: quia causa exterius inducens ad assensum, sicut miracula vel persuasio hominis, non est sufficiens: videntium enim unum et idem miraculum, et audientium eandem praedicationem quidam credunt, et quidam non credunt. Et ideo oportet ponere aliam causam interiorum, seu principium supernaturale interius movente, per quod homo assentiendo his quae sunt fidei, supra suam naturam elevatur. Et hoc principium est Deus. Non enim potest voluntas ad ea quae supra suam naturam sunt praeparari et elevari, nisi a Deo per gratiam.

Art. II. - *Utrum fides informis sit donum Dei.*

RESP. AFF. - R. EST: quia illud est causa fidei informis, quod est causa fidei simpliciter dictae. Informitas enim fidei non est de ratione speciei ipsius fidei; quia fides est informis propter defectum cujusdam *exterioris formae*, scil. charitatis.

QUAESTIO VII

De effectibus fidei

Deinde considerandum est de effectibus fidei; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum timor sit effectus fidei.*

RESP. AFF. - *Scil.:* cum timor servilis, quo quis timet a Deo puniri; tum timor filialis, quo

quis timet separari a Deo, vel quo quis refugit se Deo comparare, reverendo ipsum.

R. PRIMI EST: quia per fidem fit in nobis quaedam apprehensio de quibusdam malis poenalibus quae secundum divinum iudicium inferentur.

R. SECUNDI EST: quia per fidem hanc existimationem habemus de Deo, quod sit quoddam immensum et altissimum bonum, a quo separari est pessimum, et cui velle aequari est malum.

NOTANDA: 1. Causa timoris servilis est proprie loquendo fides informis; causa vero timoris filialis est fides formata, quae per charitatem facit hominem Deo adhaerere et ei subjici (In fine art.).

2. Ad objectionem quod fides generat spem, quae timorem excludit, observandum est, quod fides generat spem secundum quod facit nobis aestimationem de praemiis, quae Deus retribuit iustis; sed est causa timoris, secundum quod facit aestimationem de poenis quas peccatoribus infligere vult. Sic idem secundum contraria potest esse contrariorum causa, non autem idem secundum idem (Ad 2m).

Art. II. – Utrum purificatio cordis sit effectus fidei.

RESP. AFF. – R. EST: quia primum principium motus quo tendimus in Deum, est fides. *Accedentem enim ad Deum, oportet credere* (Hebr. xi, 6). Per hunc autem motum in Deum liberatur cor hominis ab impuritate sua, quae contingit ex hoc quod temporalibus (quae sunt sibi inferiora) se subicit per amorem. – Primum igitur principium purificationis cordis est fides, qua purificatur impuritas erroris (fides informis), quae si perficiatur per charitatem formatam (fides formata), perfectam purificationem causat.

QUAESTIO VIII

De dono intellectus

Deinde considerandum est de dono intellectus et scientiae, quae respondent virtuti fidei; et circa donum intellectus quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum intellectus sit donum Spiritus Sancti.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia lumen naturalis nostri intellectus est finitae virtutis; unde usque ad determinatum aliquid pertingere potest. Quia ergo homo ordinatur ad beatitudinem supernaturalem indiget ut ulterius penetret ad cognoscendum quaedam quae per lumen naturale cognoscere non valet; et illud lumen supernaturale homini datum recte vocatur donum intellectus, quod ab *intelligere* dicitur, quasi *intus legere*, et quamdam intimam cognitionem importat.

Art. II. - *Utrum donum intellectus possit simul esse cum fide.*

RESP. AFF. - *Scil.:* modo perfecto non possumus intelligere ea quae per se et directe cadunt sub fide, sicut Deum esse trinum et unum, Filium Dei esse incarnatum, et similia; modo tamen imperfecto possumus intelligere etiam ea quae sub fide cadunt.

R. PRIMI EST: quia perfecte intelligere est quando pertingimus ad cognoscendum essentiam rei intellectae, et ipsam veritatem enuntiabilis intellecti, secundum quod in se est. Et secundum hunc modum impossibile est intelligere ea quae directe sub fide cadunt durante statu fidei. (Talis enim cognitio excluderet fidem). Possumus tamen hoc modo (perfecto) intelligere ea quae non directe cadunt sub fide, sed quae ad fidem

sunt ordinata, sicut quod Abraham habuit duos filios, et omnia quae in Scriptura continentur.

R. SECUNDI EST: quia modo imperfecto intelligimus, quando ipsa essentia rei, vel veritas propositionis non cognoscitur quid sit aut quomodo sit; sed tamen cognoscitur quod ea quae exterius apparent, veritati non contrariantur, inquantum scilicet homo intelligit quod propter ea quae exterius apparent, non est recedendum ab his quae sunt fidei; et secundum hoc nihil prohibet, durante statu fidei, intelligere etiam ea quae per se sub fide cadunt.

Art. III. - *Utrum donum intellectus sit speculativum tantum, an etiam practicum.*

RESP.: Est etiam practicum.

R. EST: quia donum intellectus non solum se habet ad ea quae primo et principaliter cadunt sub fide, sed etiam ad omnia quae ad fidem ordinantur; non quidem ut circa ea principaliter versetur, sed inquantum in agendis regulamur rationibus aeternis. - Ad dignitatem enim doni intellectus pertinet, quod intelligibilia aeterna, vel necessaria considerat, non solum secundum quod in se sunt, sed etiam secundum quod sunt regulae quaedam humanorum actuum; quia quanto virtus cognoscitiva ad plura se extendit, tanto nobilior est (Ad 2m).

NOTANDUM: Quia lex aeterna humanam rationem excedit, cognitio humanorum actuum, secundum quod regulatur a lege aeterna, excedit naturalem rationem, et sic indiget (aliquo modo) supernaturali lumine doni Spiritus Sancti (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum donum intellectus insit omnibus habentibus gratiam.*

RESP. AFF. - R. EST: quia in omnibus gratiam habentibus ordinatur voluntas in bonum. Vo-

luntas autem non potest recte ordinari in bonum, nisi praeexistente aliqua cognitione veritatis. Sicut igitur per donum charitatis Spiritus Sanctus ordinat voluntatem hominis, ut directe moveatur in bonum quoddam supernaturale; ita etiam per donum intellectus illustrat mentem hominis, ut cognoscat veritatem quamdam supernaturalem, in quam oportet tendere voluntatem rectam.

NOTANDA: 1. Etiam illi qui hebetudinem patiuntur, circa ea quae sunt de necessitate salutis, sufficienter instruuntur a Spiritu Sancto, secundum illud I. Jn. ii, 27: *Unctio ejus docet vos de omnibus.* (Ad 1m).

2. Donum intellectus nunquam se subtrahit sanctis circa ea quae sunt necessaria ad salutem; sed circa alia interdum se subtrahit, ut non omnia ad liquidum per intellectum penetrare possint, ad hoc quod superbiae materia subtrahatur (Ad 3m).

Art. V. - *Utrum donum intellectus inveniatur etiam in non habentibus gratiam gratum facientem.*

RESP. NEG. - R. EST: quia per donum intellectus homo est bene mobilis a Spiritu Sancto per apprehensionem veritatis circa finem. Talem autem rectam aestimationem de ultimo fine non habet nisi ille qui circa finem non errat, sed ei firmiter inhaeret, tanquam optimo; quod est solum habentis gratiam gratum facientem.

NOTANDA: 1. Distinctio inter inspirationem doni intellectus et lumen propheticum haec est: intelligentia quae necessaria est ad prophetiam, est quaedam illustratio mentis circa ea quae prophetis revelantur; inspiratio doni intellectus est illustratio mentis circa aestimationem rectam de ultimo fine (Ad 2m).

2. Non est similis ratio de intellectu et de fide. Fides importat solum assensum ad ea quae proponuntur; sed intellectus importat quamdam per-

ceptionem veritatis, quae non potest esse circa finem, nisi in eo qui habet gratiam gratum facientem (Ad 3m).

Art. VI. - *Utrum donum intellectus distinguatur ab aliis donis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia donum intellectus pertinet ad vim cognoscitivam, dona autem pietatis, fortitudinis et timoris pertinent ad vim appetitivam. Quantum vero ad alia dona quae ad vim cognoscitivam pertinent, scilicet Sapientia, Scientia et Consilium, considerandum est quod circa ea quae fidei proponuntur credenda, duo requiruntur ex parte nostra; primo quidem ut intellectu *penetrentur* vel *capiantur*; et hoc pertinet ad donum intellectus. Secundo autem oportet ut de eis homo habeat iudicium rectum, ut aestimet his esse inhaerendum, et ab eorum oppositis recedendum. Hoc ergo iudicium quantum ad res divinas, pertinet ad donum sapientiae; quantum vero ad res creatas pertinet ad donum scientiae; quantum vero ad applicationem ad singularia opera, pertinet ad donum consilii.

NOTANDUM: Dona intellectualia sic contrariis opponuntur: Intellectus opponitur hebetudini; Sapientia stultitiae (quae ex hoc dicitur quod perverse iudicat circa communem finem vitae); Scientia opponitur ignorantiae; et consilium praecipitationi (Ad 1m).

Art. VII. - *Utrum dono intellectus respondeat sexta beatitudo, scilicet: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

RESP. AFF. - *Scil. :* cum ex parte meriti (munditiae cordis), tum ex parte praemii (visionis Dei).

R. PRIMI EST: quia munditia cordis (quasi *completiva* respectu visionis divinae) est munditia mentis depuratae a phantasmatibus et erroribus - ut scil. ea quae de Deo proponuntur, non acci;

piantur per modum corporalium phantasmatum, nec secundum haereticas perversitates; et hanc munditiam facit donum intellectus. - (Alia munditia cordis est *dispositiva* ad Dei visionem, quae est depuratio affectus ab inordinatis affectionibus; et haec quidem munditia cordis fit per virtutes et dona quae pertinent ad vim appetitivam).

R. SECUNDI EST: quia Visio Dei, sive perfecta, secundum quod erit in patria; sive imperfecta, secundum quod habetur in via, per quam scilicet cognoscimus de Deo quid non sit, in quantum intelligimus Deum excedere quidquid intellectu comprehenditur, pertinet ad donum intellectus. Prima quidem ad donum intellectus *consummatum*; secunda ad donum intellectus *inchoatum*, pertinet.

Art. VIII. - *Utrum in fructibus fides respondeat dono intellectus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia fides, ut Fructus Spiritus Sancti, non sumitur ut virtus, sed pro quadam *certitudine* fidei, quod habet rationem ultimi et delectabilis; et haec respondet dono intellectus.

NOTANDA: 1. Quia ultimum et delectabile habet rationem finis; et finis est objectum voluntatis, sequitur quod in voluntate sit quodammodo fructus omnium aliorum quae pertinent ad alias potentias. Et sic pro ultimo fructu dono intellectus respondet *gaudium*, quod pertinet ad voluntatem (In corp. et in fine art.).

2. Dono Consilii, quod pertinet solum ad cognitionem practicam, non respondet aliquis fructus proprius; quia fructus non potest esse in cognitione practica, cum talis cognitio non sciatur propter se, sed propter aliud. Cognitio autem speculativa habet fructum in se ipsa, scilicet certitudinem eorum quorum est. - Donis Sapientiae, Intellectus et Scientiae (in quantum ad cognitionem speculativam pertinent) respondet solum unus fructus,

qui est certitudo signata nomine fidei. – Plures fructus autem ponuntur pertinentès ad partem appetitivam; quia ratio finis, qui importatur in nomine fructus, magis pertinet ad vim appetitivam quam ad intellectivam. (Ad 3m).

QUAESTIO IX

De dono scientiae

Deinde considerandum est de dono scientiae; et circa hoc quaeruntur quatuor.

Art. I. – *Utrum scientia sit donum.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia ad hoc quod intellectus humanus perfecte assentiat veritati fidei, duo requiruntur: quorum unum est quod sane capiat ea quae proponuntur, quod pertinet ad donum intellectus (qu. viii, art. 6); aliud autem est ut habeat certum et rectum iudicium de eis, discernendo scil. credenda a non credendis: et ad hoc necessarium est donum scientiae.

NOTANDUM: 1. Scientia quae ponitur donum Spiritus Sancti non est discursiva vel ratiocinativa, sicut scientia humana; sed quodammodo absoluta et simplex, similis scientiae divinae, cuius est participata quaedam similitudo (Ad 1m).

2. Scientia quae ponitur inter gratias gratis datae est illa per quam homo non solum scit quid credi debeat, sed etiam scit fidem manifestare, et alios ad credendum inducere, et contradictores revincere: et haec scientia non datur omnibus, sed quibusdam tantum. Scientia autem quae donum est datur omnibus gratiam habentibus. (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum scientiae donum sit circa res divinas.*

RESP. NEG. – Sed est circa res humanas et creatas.

R. EST: quia quamvis certitudinis iudicium de rebus divinis potest etiam dici scientia secundum

genus, tamen speciali nomen de iudicio per cognitionem de altissimis causis est Sapientia; iudicium vero per cognitionem rerum humanarum vocatur Scientia, quasi communi nomine importante certitudinem iudicii appropriato ad iudicium, quod fit per causas secundas. Et sic nomen scientiae ponitur donum distinctum a dono sapientiae.

NOTANDUM: Licet ea de quibus est fides sint res divinae et aeternae, tamen ipsa fides est quoddam temporale in animo credentis. Et ideo scire quid credendum sit, pertinet ad donum scientiae, tanquam de re creata; scire autem ipsas res creditas secundum seipsas per quamdam unionem ad ipsas, pertinet ad donum sapientiae. Unde donum sapientiae magis respondet charitati, quae unit mentem hominis Deo (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum scientiae donum sit scientia practica.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Donum scientiae primo et principaliter respicit speculationem; secundo vero se extendit etiam ad operationem.

R. EST: quia donum scientiae ordinatur ad certitudinem fidei, quae primo et principaliter consistit in speculatione, in quantum scil. inhaeret primae veritati; sed se extendit etiam ad operationem, secundum illud Galat. v, 6: *Fides per dilectionem operatur*, scil. in ordine ad finem ultimum; sicut diximus de dono intellectus (qu. praec. art. 3).

Art. IV. - *Utrum dono scientiae respondeat tertia Beatitudo, scilicet: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

RESP. AFF. - R. EST: quia per rectum iudicium de creaturis, quod per donum scientiae habetur, innotescit homini damnum, quod ex creaturis ei provenire potest, cum creaturae sint ex quibus

homo occasionaliter a Deo avertitur, constituendo in eis suum finem, secundum illud Sap. xiv, 11: *Creaturae factae sunt in odium... et muscipulam pedibus insipientium.*

NOTANDA: 1. Scientiae, secundum quod in speculatione consistit, non respondet beatitudo aliqua; quia beatitudo hominis non consistit in consideratione creaturarum, sed in contemplatione Dei; sed aliquo modo beatitudo hominis consistit in debito usu creaturarum, et ordinata affectione circa ipsas; et hoc dico quantum ad beatitudinem viae (Ad 3m).

2. Dono scientiae respondet primo luctus de praeteritis erratis, et consequenter consolatio, dum homo per rectum iudicium scientiae creaturas ordinat in bonum divinum. Sic ponitur luctus pro merito, et consolatio consequens pro praemio; quae quidem inchoatur in hac vita, perficitur autem in futura (Ad 1m).

QUAESTIO X

De infidelitate in communi

Consequenter considerandum est de vitiis oppositis; et primo de infidelitate, quae opponitur fidei; secundo de blasphemia, quae opponitur confessioni; tertio de ignorantia et hebetudine, quae opponuntur scientiae et intellectui. Circa primum considerandum est de infidelitate in communi; secundo de haeresi; tertio de apostasia a fide. Circa primum quaeruntur duodecim:

Art. I. – *Utrum infidelitas sit peccatum.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) ut pura negatio, sicut in illis qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis poenae; b) si autem accipitur secundum contrarietatem ad fidem, qua scilicet quis repugnat auditui fidei, est peccatum.

R. PRIMI EST: quia talis ignorantia divinorum consecuta est ex peccato primi parentis.

R. SECUNDI EST: quia in hoc proprie perficitur ratio infidelitatis; et est contra naturam, quia in natura humana est ut mens hominis non repugnet interiori instinctui, et exteriori veritatis praedicationi (Ad 1m).

NOTANDUM: Infidelitas, secundum quod est peccatum, oritur ex superbia; ex qua contingit quod homo intellectum suum non vult subicere regulis fidei et sano intellectui Patrum (Ad 3m)

Art. II. - *Utrum infidelitas sit in intellectu sicut in subjecto.*

RESP. AFF. - *Scil.* : Infidelitas, sicut et fides, est in intellectu sicut in proximo subjecto; in voluntate autem sicut in primo motivo.

R. EST: quia dissentire, qui est proprius actus infidelitatis, est actus intellectus, sed moti a voluntate, sicut et assentire. - Sic ergo causa infidelitatis est in voluntate, ipsa autem infidelitas est in intellectu, a quo elicitur (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum infidelitas sit maximum peccatorum.*

RESP. AFF. - *Scil.* : inter peccata quae contingunt in perversitate morum.

R. EST: quia per infidelitatem homo maxime a Deo elongatur, cum nec veram Dei cognitionem habet; nec potest esse quod quantum ad quid Deum cognoscat. - Secus autem est de peccatis quae opponuntur aliis virtutibus theologiacis, ut infra dicetur (qu. xx, art. 3).

Art. IV. - *Utrum omnis actio infidelis sit peccatum.*

NEG. - R. EST: quia peccatum mortale quod tollet gratiam gratum facientem, non totaliter corrumpit bonum naturae (I-II, qu. 85, art. 1 et 2). - Tamen quandocumque aliquod opus ope-

rantur ex infidelitate, tunc peccant, secundum illud Rom. xiv: *Omne quod non est ex fide, peccatum est*; quod etiam potest intelligi secundum hoc quod vita infidelium non potest esse sine peccato, cum peccata sine fide non tollantur (Ad 1m).

Art. V. - *Utrum sint plures infidelitatis species.*

RESP. AFF. - R. EST: quia secundum comparisonem ad fidem possunt assignari tres species infidelitatis secundum determinatam speciem, scilicet infidelitas paganorum seu gentilium, quae renititur fidei nondum susceptae; infidelitas Judaeorum, quae renititur fidei christianae susceptae in figura tantum; et infidelitas haereticorum, quae renititur fidei christianae susceptae in manifestatione veritatis. - Per comparisonem autem ad errorem in diversis quae ad fidem pertinent non sunt determinatae infidelitatis species; possunt enim errores in infinitum multiplicari.

NOTANDUM: Ratio formalis alicujus peccati potest accipi vel secundum illud bonum a quo receditur, et sic peccatum est unum, nec habet proprie speciem, sed est privatio; et secundum hoc infidelitas est una, quia omnis infidelitas recedit a prima veritate; - vel potest accipi secundum intentionem peccantis; et secundum hoc, id ad quod convertitur peccans est formale objectum peccati; et sic infidelitatis species sunt multae, ex hoc quod infideles diversas falsas sententias sequuntur (Ad 1m).

Art. VI. - *Utrum infidelitas gentilium seu paganorum sit caeteris gravior.*

RESP. NEG. - *Scil.:* a) per comparisonem ad fidem, infidelitas haereticorum est pessima; et illa Judaeorum est gravior illa paganorum seu gentilium; b) per comparisonem autem ad illa quae ad fidem pertinent, gravior est infidelitas paganorum quam Judaeorum, et illa Judaeorum quam haereticorum.

R. PRIMI EST: quia gravius peccat contra fidem qui fidei renititur susceptae in manifestatione veritatis, quam qui renititur fidei susceptae in figura tantum, sicut Judaei; et gravius iste quam ille qui fidei renititur nondum susceptae, sicut sunt pagani.

R. SECUNDI EST: quia ex hac parte, gentiles in pluribus errant quam Judaei, et Judaei quam haeretici; nisi forte sunt haeretici, puta Manichaei, qui circa credibilia plus errant quam ipsi gentiles.

Art. VII. - *Utrum sit cum infidelibus publice disputandum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* cum ex parte disputantis, considerata bona intentione ipsius, tum ex parte audientium, considerata eorum dispositione.

R. PRIMI EST: quia laudabilis est quod quis disputet de fide ad confutandum errores, vel etiam ad exercitium. - E contra, si quis disputet de fide dubitans, et veritatem fidei pro certo non supponens, sed argumentis experiri intendens, procul dubio peccat, tanquam dubius in fide et infidelis.

R. SECUNDI EST: quia si audientes sunt sapientes in fide firmi nullum periculum est disputare de fide. Si autem sunt simplices sollicitati sive pulsati contra fidem ab infidelibus, puta Judaeis vel haeticis, sive paganis, tunc necessarium est publice disputare de fide; per hoc enim simplices in fide firmabuntur, et tolletur infidelibus decipiendi facultas et ipsa taciturnitas eorum qui resistere deberent pervertentibus fidei veritatem, esset erroris confirmatio. - Si vero audientes sunt simplices erroribus infidelium non imbuti, tunc esset periculosum coram eis publice disputare, quorum fides ex hoc est firmior, quia nihil diversum audierunt, ab eo quod c. edent.

NOTANDUM: Quantum ad verba Apostoli (II Tim. ii, 14): *Noli verbis contendere; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium*, dicendum est quod Apostolus non prohibet totaliter disputationem de fide, sed inordinatam, quae magis fit contentione verborum quam firmitate sententiarum (Ad 1m). Unde dicit ad Timotheum (i. 9): *Ut sit potens exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere.* (Ad 3m).

Art. VIII. - Utrum infideles compellendi sint ad fidem.

RESP. AFF. - Scil.: a) infideles qui nunquam susceperunt fidem, sicut gentiles et Judaei, nullo modo sunt compellendi; b) alii vero qui quandoque fidem receperunt et eam profitentur, sicut haeretici, et quicumque apostatae, sunt etiam corporaliter compellendi.

R. PRIMI EST: quia credere voluntatis est. Sunt tamen etiam pagani et Judaei compellendi a fidelibus, si adsit facultas, ut fidem non impediunt. Et propter hoc fideles Christi frequenter contra infideles bellum movent, ne fidem Christi impediunt.

R. SECUNDI EST: quia isti debent compelli ut impleant quod promiserunt, et ut teneant quod semel susceperunt. Sicut enim vovere est voluntatis, reddere autem necessitatis; ita accipere fidem est voluntatis, sed tenere eam acceptam est necessitatis (Ad 3m).

NOTANDA: 1. Ad verba Domini (Mt. xiii): *Sinite utraque (zizania et triticum) crescere usque ad messem, qualiter intelligendum sit, apparet ex hoc quod subditur: Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum.* « Ubi satis ostenditur, sicut Augustinus dicit (Contra Epis. Parmeniani, lib. iii, cap. 2), cum metus iste non subest... non dormiat severitas disciplinae » (Ad 1m).

2. Notanda sunt haec verba S. Aug. (l. c.): « Nul-
lus nostrum vult aliquem haereticum perire. Sed aliter non meruit habere pacem domus David, nisi Absalon filius ejus in bello, quod contra patrem

gerebat, fuisset extinctus. Sic Ecclesia Catholica, si aliquorum perditione caeteros colligit, dolorem materni sanat cordis tantorum liberatione populorum » (Ad 4m).

Art. IX. - *Utrum cum infidelibus possit communicari.*

RESP. NEG. - *Scil.:* a) ratione poenae infligendae propter infidelitatem Ecclesia interdicat fidelibus communicari infidelibus, quia a fide suscepta deviant; sed non interdicat communicari infidelibus, qui nullo modo fidem christianam receperunt; - b) ratione cautelae distinguendum est secundum diversas condiciones personarum, et negotiorum et temporum.

R. PRIMI EST: quia de infidelibus negativis non habet Ecclesia iudicium quoad poenam spiritualem eis infligendam.

R. SECUNDI EST: quia si aliqui fuerint firmi in fide, ita quod ex communione eorum cum infidelibus conversio infidelium magis sperari possit quam fidelium a fide aversio; non sunt prohibendi infidelibus communicare, qui fidem non susceperunt, scil. paganis et Judaeis; et maxime si necessitas urgeat. Si autem sint simplices et infirmi in fide, de quorum subversione probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ab infidelium communione; et praecipue ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel absque necessitate eis communicent.

Art. X. - *Utrum infideles possint habere praelationem, seu dominium supra fideles.*

RESP. NEG. - *Scil.:* si agitur de dominio seu praelatione de novo instituenda; si vero agitur de dominio vel praelatione jam praeexistenti, tunc distinctio fidelium et infidelium secundum se considerata non tollit dominium et praelationem infidelium supra fideles,

R. **PRIMI EST:** quia hoc cederet in scandalum et in periculum fidei; de facili enim illi qui subiunguntur aliorum jurisdictioni, immutari possunt ab eis quibus subsunt, ut sequantur eorum imperium.

R. **SECUNDI EST:** quia jus divinum (ex quo est distinctio fidelium et infidelium, et quod est ex gratia) non tollit jus humanum, quod est ex naturali ratione, et secundum quod dominium et praelatio supradicta sunt introducta. - Potest tamen juste per sententiam et ordinationem Ecclesiae auctoritatem Dei habentis tale jus dominii vel praelationis tolli; quia infideles merito suae infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei.

Art. XI. - *Utrum infidelium ritus sint tollerandi.*

RESP. **AFF.** - *Scil.:* propter aliquod bonum quod ex eis provenit, vel propter aliquod malum quod vitatur.

R. **EST:** quia in hoc Ecclesia imitatur regimen divinum. Deus enim, quamvis sit omnipotens et summe bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in universo quae prohibere posset: ne eis sublatis, majora bona tollerentur, vel etiam pejora mala sequerentur. Unde Augustinus dicit de tollerantia meretricium: «Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus». (De ordine, lib. ii, cap. 4, circa medium).

Art. XII. - *Utrum pueri Judaeorum et aliorum infidelium sint invitibus baptizandi.*

RESP. **NEG.** - R. **EST:** quia hoc Ecclesiae usus nunquam habuit quod Judaeorum filii invitibus parentibus baptizarentur: consuetudo autem Ecclesiae habet maximam auctoritatem, et semper est in omnibus aemulanda. Isti autem filii non sunt baptizandi (invitibus parentibus), primo: prop-

ter periculum fidei; secundo, quia repugnat iustitiae naturali. Filius enim naturaliter est aliquid patris; et secundum hoc, filius antequam usum liberi arbitrii habeat, continetur sub parentum cura, sicut bos et equus. Unde ad parentes pertinet providere filiis de sua salute, praecipue antequam habeant usum rationis.

NOTANDUM: Sicut periculum quod sequitur de praedicatione ommissa, non imminet nisi eis quibus commissum est officium praedicandi; ita parentibus imminet periculum, si propter subtractionem sacramentorum eorum parvuli detrimentum salutis patiantur (Ad 5m).

QUAESTIO XI

De haeresi

Deinde considerandum est de haeresi; circa quam quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum haeresis sit infidelitatis species.*

RESP. AFF. – *Scil.:* haeresis (quae graece ab electione dicitur) est infidelitatis species, pertinet ad eos qui fidem Christi profitentur, sed ejus dogmata corrumpunt.

R. EST: quia haereticus intendit quidem Christo assentire, sed deficit in eligendo ea quibus Christo assentiat; non enim eligit ea quae sunt vere a Christo tradita, sed ea quae sibi propria mens suggerit. Pagani vero et Judaei Christo ipsi non volunt assentire; et hic haeresis habet malam voluntatem circa ipsum finem; et hoc pertinet ad speciem infidelitatis paganorum et Judaeorum. Haeresis vero proprie dicta est circa ea quae sunt ad finem, et sic est actus intellectus, seu ab intellectu elicited.

NOTANDUM: Finis proximus haeresis est adhaerere falsae sententiae propriae, et ex hoc speciem

habet; sed ex fine remoto ostenditur causa ejus, scil. quod oritur ex superbia vel cupiditate (Ad 2 m), vel etiam ex aliqua phantastica illusionem (Ad 3 m).

Art. II. - *Utrum haeresis sit proprie circa ea quae sunt fidei.*

RESP. AFF. - *Scil.* : sive circa ea quae sunt fidei directe et principaliter, sicut articuli fidei; sive circa ea quae sunt fidei indirecte et secundario, sicut ea ex quibus negatis sequitur corruptio articuli.

R. EST: quia cum hic loquamur de haeresi secundum quod importat corruptionem fidei christianae, eo modo potest haeresis esse, sicut et fides.

NOTANDUM: Sicut Augustinus dicit (Epist. 43): « si qui sententiam suam, quamvis falsam, atque perversam, nulla pertinaci animositate defendant, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint; nequaquam sunt inter haereticos deputandi »; quia scil. non habent electionem contradicentem Ecclesiae doctrinae. - Auctoritas autem determinandi ea quae sunt fidei, principaliter in Summo Pontifice residet, ut in Decret. habetur (Ad 3 m).

Art. III. - *Utrum haeretici sint tolerandi.*

RESP. NEG. - *Scil.* : ex parte ipsorum haereticorum, propter peccatum haeresis, non solum merentur ab Ecclesia per excommunicationem separari, sed etiam per mortem a mundo excludi.

R. EST: quia multo gravius est corrumpere fidem, per quam est animae vita, quam falsare pecuniam, per quam temporali vitae subvenitur, quod juste aliquando per mortem punitur.

Ex parte autem Ecclesiae est misericordia ad errantium conversionem; et ideo non statim condemnat, sed *post primam et secundam correptionem*, ut Apostolus docet (Tit. iii, 10); postmodum vero si adhuc pertinax inveniatur, Ecclesia

de ejus conversione non sperans, aliorum saluti providet, eum ab Ecclesia separando per excommunicationis sententiam; et ulterius (si convenienter fieri potest) relinquit eum iudicio saeculari a mundo exterminandum per mortem. Dicit enim Hieronymus (Super illud *modicum fermentum*, etc. Gal. v): « Resecandae sunt putridae carnes, et scabiosa ovis a caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, et pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arius in Alexandria una scintilla fuit; sed quoniam non statim oppressus est, totum orbem ejus flamma populata est ». (In medio et in fine art.).

Art. IV. - *Utrum revertentes ab haeresi sint ab Ecclesia recipiendi.*

RESP. NEG. - *Scil.* : non sunt *omnino* ab Ecclesia recipiendi.

R. EST: quia quantum ad bonum spirituale, quod est objectum proprium charitatis, haeretici ab Ecclesia recipiuntur per poenitentiam, per quam impenditur eis via salutis. Quantum vero ad bonum temporale, quod est objectum secundarium charitatis, non tenemur hoc aliis velle, nisi in ordine ad salutem aeterham et eorum (haeticorum) et aliorum.

NOTANDA: 1. Praxis Ecclesiae quantum ad revertentes ab haeresi haec erat tempore Sancti Doctoris, ut ipse hic dicit: « Ecclesia primo quidem revertentes ab haeresi non solum recipit ad poenitentiam, sed etiam conservat eos in vita, et interdum restituit eos dispensative ad ecclesiasticas dignitates quas prius habebant, si videantur vere conversi; et hoc pro bono pacis frequenter legimus esse factum. Sed quando recepti iterum relabuntur, videtur esse signum inconstantiae eorum circa fidem; et ideo ulterius redeuntes recipiuntur quidem ad poenitentiam, non tamen ut liberentur a sententia mortis ». (In corp. Art.).

2. Quantum ad mandatum Domini ad Petrum ut dimittat patri peccanti *septuagies septies*, i. e. semper, dicendum est quod Dominus loquitur Petro de peccato in eum commissum, quod est semper dimittendum, ut fratri redeunti parcat. Non autem intelligitur de peccato in proximum vel in Deum commissum, quod non est nostri arbitrii dimittere. (Ad 2m).

QUAESTIO XII

De apostasia

Deinde considerandum est de apostasia; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum apostasia pertineat ad infidelitatem.*

RESP. AFF. - *Scil.*: Apostasia perfidiae.

R. EST: quia quadruplex est apostasia, secundum quod contrariatur diversis modis quibus homo Deo conjungitur; scil. apostasia ab ordine sacro; a religione quam quis professus est; illa quae fit per repugnantiam divinis mandatis, et quae invenitur in omni peccato mortali; et illa per quam aliquis a fide discedit, quae simpliciter et absolute ad infidelitatem pertinet: si quis enim a fide discedit, omnino a Deo retrocedere videtur, quia fides est primum fundamentum rerum sperandarum; et haec est apostasia perfidiae.

NOTANDUM: Apostasia non importat determinatam speciem infidelitatis, quia apostasia respicit infidelitatem ut terminum (entitativum) ad quem est motus recedentis a fide, non autem ut terminum motus, secundum quem species formae seu qualitatis attenduntur. Apostasia vero consideratur ut circumstantia aggravans, secundum illud II. Pet. ii, 21: *Melius erit eis veritatem non cognoscere, quam post cognitam retroire.* (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum princeps propter apostasiam a fide amittat dominium in subditos, ita quod ei obedire non teneantur.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Per sententiam Ecclesiae princeps a fide apostata jus dominii amittere potest, sicut etiam quandoque propter alias culpas.

R. EST: quia infidelitatem illorum qui fidem susceperunt, potest sententialiter Ecclesia punire; et convenienter in hoc puniuntur quod subditis fidelibus dominari non possint; hoc enim vergere posset in magnam fidei corruptionem; quia homo apostata pravo corde machinatur malum, et jurgia seminat, intendens homines separare a fide. - Dicitur in responsione *per sententiam Ecclesiae*, quia infidelitas secundum seipsam non repugnat dominio etiam fidelium, ut dictum est (qu. x, art. 10).

QUAESTIO XIII

De peccato blasphemiae in generali

Deinde considerandum est de peccato blasphemiae, quod opponitur confessioni fidei; et primo de blasphemia in generali; secundo de blasphemia quae dicitur peccatum in Spiritum sanctum. - Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum blasphemia opponatur confessioni fidei.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia derogatio excellentiae divinae bonitatis, in quo proprie blasphemia consistit (Dionysius, De Div. Nom., c. i, lect. 2), potest fieri non solum in corde (blasphemia cordis), quod contrariatur fidei inquantum fides per delectionem perficitur; sed etiam exterius per locutionem, in quo est blasphemia oris, quae, ut patet, fidei confessioni opponitur.

NOTANDA: 1. Cum derogatio divinae bonitati possit esse vel secundum intellectum tantum, vel etiam secundum affectum, *perfecta* blasphemia habetur, cum ille qui contra Deum loquitur sic facit non solum secundum falsitatem intellectus, sed etiam secundum pravitatem voluntatis detestantis, et impediens pro posse divinum honorem (Ad 1m).

2. Sicut Deus in sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera quae Deus in sanctis efficit; ita blasphemia quae fit in sanctos, ex consequenti in Deum redundat (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum blasphemia semper sit peccatum mortale.*

RESP. AFF. – R. EST: quia blasphemia secundum genus suum repugnat charitati divinae, quia derogat divinae bonitati (art. 1), quae est objectum charitatis; et ideo blasphemia est peccatum mortale ex suo genere. Id est non potest fieri venialis ex levitate materiae, sed tantum ex intellectus aut consensus defectu (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum peccatum blasphemiae sit maximum peccatum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia blasphemia quae fidei confessioni opponitur, ad infidelitatem pertinet, quae secundum suum genus, maximum peccatum est (qu. x, art. 3), et ipsam aggravat, scilicet per detestationem voluntatis, et adhuc magis si in verba prorumpat.

NOTANDUM: Sicut Glossa dicit super illud Ephes. iv: *Blasphemia tollatur a vobis*, «pejus est blasphemare quam pejerare». Qui enim pejerat, non dicit aut sensit aliquid falsum de Deo, sicut blasphemus; sed Deum adhibet testem falsitatis (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum damnati blasphement.*

RESP. AFF. – R. EST: quia damnati retinent perversam voluntatem aversam a Dei justitia; et talis detestatio divinae justitiae est in eis interior

cordis blasphemia. Et credibile est quod post resurrectionem erit in eis etiam vocalis blasphemia, sicut in sanctis vocalis laus Dei.

QUAESTIO XIV

De blasphemia in Spiritum Sanctum

Deinde considerandum est in speciali de blasphemia in Spiritum sanctum; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum peccatum in Spiritum sanctum sit idem quod peccatum ex certa malitia.*

RESP. AFF. – *Scil.:* non quidem quando peccatum committitur ex inclinatione habitus vitiosi, qui etiam malitia dicitur; sed quando peccatum committitur ex eo quod per contemptum abjicitur et removetur id quod electionem peccati poterat impedire, sicut spes per desperationem, timor per praesumptionem, et quaedam alia, ut infra dicitur (art. seq. et qu. xx et xxi).

R. PRIMI EST: quia malitia secundum quod provenit ex inclinatione habitus, non est speciale peccatum, de quo hic loquimur, sed quaedam generali conditio peccati (Ad 3m).

R. SECUNDI EST: quia haec omnia, quae peccati electionem impediunt, sunt effectus Spiritus sancti in nobis; et ideo sic ex malitia peccare, est peccare in Spiritum sanctum.

Art. II. – *Utrum convenienter assignentur sex species peccati in Spiritum sanctum, scilicet desperatio, praesumptio, impugnatio veritatis agnitae, invidentia fraternae gratiae, impenitentia et obstinatio.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia illa per quae potest homo ab electione peccati impediri, et quae per peccatum in Spiritum sanctum removentur et

contemnentur, sunt: 1) *ex parte divini iudicii*: scil. a) consideratio Dei justitiae cum misericordia, quae removetur per *desperationem*; et b) timor divinae justitiae punientis, qui tollitur per *praesumptionem*; - 2) *ex parte donorum Dei*: a) agnitio veritatis, contra quod ponitur *impugnatio veritatis agnitae*; b) auxilium interioris gratiae contra quod ponitur *invidentia fraternae gratiae*; - 3) *ex parte peccati*: a) consideratio inordinationis et turpitudinis actus peccati, et contra hoc ponitur *impoenitentia*, in quantum scil. importat propositum non poenitendi; b) consideratio parvitas et brevitatis boni quod quis in peccando quaerit, secundum illud Rom. vi, 21: *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis?* Et hoc tollitur per *obstinationem*, quae secundum hoc specie differt ab impenitentia, quia habet rationem formalem diversam (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum peccatum in Spiritum sanctum sit irremissibile.*

RESP. AFF. - *Scil.*: dicitur irremissibile non quod nullo modo remittatur, sed quia, quantum est de se, habet meritum ut non remittatur; et hoc cum quantum ad poenam, tum quantum ad culpam.

R. EST: quia peccatum in Spiritum sanctum, secundum suam naturam, excludit ea per quae fit remissio peccatorum. Per hoc tamen non praeccluditur via remittendi et sanandi omnipotentiae et misericordiae Dei, per quam aliquando tales quasi miraculose spiritualiter sanantur.

NOTANDUM: Qui ex certa malitia peccat non habet aliquam excusationem (sicut ille qui ex ignorantia peccat), unde ejus peccatum diminuitur. Sic qui blasphemabat in Filium hominis, ejus divinitate nondum revelata, poterat habere aliquam

excusationem propter infirmitatem carnis, quam in eo aspiciebat; et sic minorem poenam merebatur. Sed qui in ipsam divinitatem blasphemabat, opera Spiritus sancti, quae Christus faciebat, diabolo attribuens, nullam excusationem habebat, unde ejus poena diminueretur.

Art. IV. – *Utrum homo possit primo peccare in Spiritum sanctum.*

RESP. AFF. – *Scil.:* non praesuppositis aliis peccatis.

R. EST: quia potest aliquis in primo actu contemnere ea per quae homo retrahitur a peccato, quod est *proprie* peccare in Spiritum sanctum; et hoc accedere potest tum propter libertatem arbitrii, tum etiam propter multas dispositiones praecedentes, vel etiam propter aliquod vehemens motivum ad malum, et debilem affectum hominis ad bonum. – Similiter dicendum est si peccatum in Spiritum sanctum accipiatur *ad litteram* pro blasphemia Spiritus sancti, sicut quidam Patres illud accipiunt: talis enim blasphemia semper ex malitiae contemptu procedit.

NOTANDUM: S. Augustinus sumit peccatum in Spiritum sanctum pro impenitentia finali. Sed hoc (i. e. remanere in peccato usque ad mortem) non constituit speciale peccatum, sed quaedam circumstantia; et haec impenitentia praesupponit alia peccata, ut patet. Sed impenitentia prout est habitualis et specialem malitiam constituens, sic potest esse etiam ante peccata, quia potest ille qui nunquam peccavit, habere propositum non poenitendi, si contingeret eum peccare (Ad 3m).

QUAESTIO XV

De caecitate mentis et hebetudine sensus

Deinde considerandum est de vitiis oppositis scientiae et intellectui; et quia de ignorantia quae opponitur scientiae, dictum est supra (I-II, qu. lxxvi) cum de causis peccatorum ageretur, quaerendum est nunc de caecitate mentis et hebetudine sensus, quae opponuntur dono intellectus; et circa hoc quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum caecitas mentis sit peccatum.*

RESP. AFF. – *Scil.*: in quantum mens humana non intendit illo principio intelligibili per quod omnia alia intelligere potest quae intelligere debet

R. EST: quia hoc quod mens non intendat est voluntarium: et hoc, vel directe, quando quis sponte voluntarie se avertit a consideratione talis principii (i. e., legis) secundum illud Psal xxxv, 4: *Noluit intelligere, ut bene ageret*; – vel indirecte, per occupationem mentis circa alia quae magis diligit; quibus ab inspectione hujus principii mens avertitur, secundum illud Psal. lvii, 9: *Supercecidit ignis, scilicet concupiscentiae, et non viderunt solem.* Et utroque modo caecitas mentis est peccatum.

NOTANDUM: Caecitas quae contingit ex naturali defectu non potest videre excusari a peccato (Ad 1m); et illa quae provenit ex substactione gratiae, magis habet rationem poenae quam culpae (Ad 2m).

Art. II. *Utrum hebetudo sensus sit aliud peccatum a caecitate mentis.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia hebetudo sensus circa intelligentiam importat *quamdam* debilitatem mentis circa considerationem spiritualium bonorum; caecitas autem mentis importat om-

nimodam privationem cognitionis ipsorum. Habet autem hebetudo rationem peccati, sicut caecitas mentis, inquantum est voluntaria.

Art. III. – *Utrum caecitas mentis et hebetudo sensus oriantur ex peccatis carnalibus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia per haec vitia carnalia intentio mentis maxime applicatur ad corporalia, et per consequens debilitatur operatio hominis circa intelligibilia; magis autem per luxuriam quam per gulam: et ideo ex luxuria oritur caecitas mentis, quae quasi totaliter spiritualium bonorum cognitionem excludit; ex gula autem oritur hebetudo sensus, quae reddit hominem debilem circa hujusmodi intelligibilia.

NOTANDUM: Quamvis aliqui vitiis carnalibus subditi possint quandoque subtiliter speculari aliqua circa intelligibilia, hoc accidit propter bonitatem ingenii naturalis vel habitus superadditi (Ad 1m).

QUAESTIO XVI

De praeceptis fidei, scientiae et intellectus

Deinde considerandum est de praeceptis pertinentibus ad praedicta; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum in veteri legi debuerint dari praecepta credendi, (seu de fide).*

RESP. NEG. – R. EST: quia in veteri lege non erant secreta fidei populo exponenda; et ideo supposita fide unius Dei, cui populus subjectus erat, nulla alia praecepta sunt in veteri lege data de fide, quae vero Novo Testamento sunt propria. Potuerunt tamen dari praecepta pertinentia ad subjectionem hominis ad Deum per confessionem et doctrinam (Ad 4m).

Art. II. – *Utrum in veteri lege convenienter tradantur praecepta pertinentia ad scientiam et intellectum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ad tria fuerunt convenienter data, scil. ad acceptionem scientiae et intellectus; ad usum ipsorum; et ad conservationem ipsorum. Acceptatio enim praeceptorum fit per disciplinam et per doctrinam. De disciplina traditur praeceptum Deut. vi, 6: *Erunt verba haec quae ego praecipio tibi, in corde tuo*, scil. per disciplinam. Et sequitur: *Et narrabis ea filiis tuis*, quod pertinet ad doctrinam. – Usus vero scientiae vel intellectus est meditatio eorum quae quis scit, vel intelligit; et quantum ad hoc subditur: *Et meditaberis sedens in domo tua*, etc. – Conservatio autem fit per memoriam; et quantum ad hoc subditur: *Et ligabis ea (praecepta) quasi signum in manu tua, eruntque, et movebuntur ante oculos tuos; scribesque ea in limine et ostiis domus tuae.*

DE VIRTUTE SPEI

QUAESTIO XVII

De spe secundum se

Consequenter post fidem considerandum est de spe: et primo de ipsa spe; secundo de dono timoris; tertio de vitiis oppositis; quarto de praeceptis ad hoc pertinentibus. Circa primum occurrit primo consideratio de ipsa spe; secundo de subjecto ejus. – Circa primum quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum spes sit virtus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia actus spei, de qua nunc loquimur, attingit ad Deum, inquantum speramus aliquid ut possibile nobis per divinum

auxilium. Spes ergo, quae facit actum hominis bonum, et debitam regulam attingentem, est virtus, et causatur in nobis pure ex gratia (ad 2m).

Art. II. – *Utrum beatitudo aeterna sit objectum proprium spei.*

RESP. AFF. – R. EST: quia objectum spei debet esse proportionatum auxilio cui ille qui sperat innititur. Hoc autem auxilium est Dei, cujus virtus est infinita, sicut ejus bonitas. Bonum ergo quod a Deo speratur, inquantum spes est virtus theologica (art. 5 hujus qu.), est bonum infinitum tali auxilio et bonitati proportionatum. Hoc autem bonum est fruitio ipsius Dei, in quo beatitudo aeterna consistit. – Objectum autem secundarium spei sunt alia bona quae in ordine ad beatitudinem aeternam a Deo petuntur (Ad 2m)

Art. III. – *Utrum aliquis possit sperare alteri beatitudinem aeternam.*

RESP. NEG. – R. EST: quia spes, cum sit motus seu propensio appetitus ad aliquid bonum arduum directe respicit proprium bonum, non autem quod ad alium pertinet. – Tamen praesupposita unione amoris ad alterum jam aliquis potest sperare et desiderare aliquid alteri, sicut sibi, et sic etiam vitam aeternam.

Art. IV. – *Utrum aliquis possit licite sperare in homine.*

RESP. NEG. – *Scil.* : ut de causa prima efficiente; potest tamen de ipso sperare sicut de agente secundario.

R. EST: quia sicut non licet sperare aliquod bonum praeter beatitudinem, sicut ultimum finem, sed solum sicut id quod est ad finem beatitudinis ordinatum; ita etiam non licet sperare

de aliquo homine, vel de aliqua creatura, sicut de prima causa movente in beatitudinem. Licet autem sperare de aliquo homine vel de aliqua creatura sicut de agente secundario et instrumentali, per quod aliquis adjuvatur ad quaecumque bona consequenda in beatitudinem ordinata. Et hoc modo ad sanctos convertimur, et ab hominibus etiam aliqua petimus.

Art. V. – *Utrum spes sit virtus theologica.*

RESP. AFF. – R. EST: quia habet pro objecto ipsum Deum, in quantum ejus auxilio innititur (causa efficiens) ad consequendum aeternam ipsius fruitionem (causa finalis).

Art. VI. – *Utrum spes sit virtus distincta ab aliis virtutibus theologis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia spes habet suum proprium modum quo Deo inhaeret. Nam, caritas Deo inhaeret propter seipsum, spes et fides propter aliud, scil. fides propter cognitionem veritatis divinae, spes vero propter auxilium divinum, in quantum est in nobis principium perfectae bonitatis.

Art. VII. – *Utrum spes praecedat fidem.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Fides absolute praecedit spem.

R. EST: quia objectum spei, quod est auxilium divinum (causa efficiens), et consecutio vitae aeternae (causa finalis), proponitur nobis per fidem, secundum illud Hebr. xi, 6: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quia inquirentibus se remunerator est.*

NOTANDUM: Spes aliquando dicitur « introitus fidei » ad significandum « introitum ad rem creditam », quia per spem intratur ad videndum id

quod creditur. Vel potest dici quod est introitus fidei, quia per eam homo intrat ad hoc quod stabilietur et perficiatur in fide. (Ad 1m).

Art. VIII. - *Utrum charitas sit prior spei.*

RESP. NEG. - *Scil. :* secundum ordinem generationis, ubi imperfectum est prior perfecto, spes est prior charitate; sed secundum ordinem perfectionis charitas est prior naturaliter.

R. PRIMI EST: quia spes, ut amor concupiscentiae, est introductiva ad charitatem, i. e., ad amorem perfectum; aliquis enim sperans remunerari a Deo accenditur ad amandum Deum, et servandum praecepta ejus.

R. SECUNDI EST: quia adveniente charitate, spes perfectior redditur, quia de amicis maxime speramus. - Sic non omnis spes provenit a charitate, sed solum motus spei formatae, quae scilicet aliquis sperat bonum a Deo ut ab amico (Ad 2m).

QUAESTIO XVIII

De subjecto spei

Deinde considerandum est de subjecto spei; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum spes sit in voluntate sicut in subjecto.*

RESP. AFF. - R. EST: quia actus spei est quidam motus appetitivae partis; ejus enim objectum est bonum. Appetitus autem intellectivus, de quo hic loquimur, est voluntas (I. P., qu. lxxxii, art. 5). - Spes autem quae est in appetitu inferiori (scil. in irascibili) non est virtus, sed passio (I. P., qu. lxxxii, art. 5, ad 1; et I-II, qu. xxii, art. 3 ad 3).

Art. II. - *Utrum spes sit in beatīs.*

RESP. NEG. - R. EST: quia bonum arduum possibile non cadit sub ratione spei, nisi secundum quod est futurum, ideo cum beatitudo jam non sit futura, sed praesens, non potest ibi esse virtus spei.

NOTANDUM: Christus ut comprehensor non potuit habere spem; sed ut viator, quantum ad passibilitatem naturae, potuit gloriam impassibilitatis et immortalitatis sperare; non tamen ita quod haberet virtutem spei, quae non respicit gloriam corporis sicut principale objectum, sed potius fruitionem divinam (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum spes sit in damnatis.*

RESP. NEG. - R. EST: quia damnati non possunt apprehendere beatitudinem ut bonum possibile; nam ad conditionem miseriae damnatorum pertinet ut ipsi sciant quod nullo modo possunt damnationem evadere, et ad beatitudinem pervenire.

NOTANDUM: In purgatorio potest esse spes, quia ibi animae apprehendunt beatitudinem ut futurum possibile (In fine art.).

Art. IV. - *Utrum spes viatorum habeat certitudinem.*

RESP. AFF. - *Scil. :* non essentialiter, sed participative.

R. EST: quia spes certitudinaliter tendit in finem suum, quasi *participans* certitudinem a fide, quae est in vi cognoscitiva.

NOTANDUM: *Certitudo* essentialiter invenitur in vi cognoscitiva; participative autem in omni eo quod a vi cognoscitiva movetur infallibiliter ad finem suum (In corp. art.).

QUAESTIO XIX

De dono timoris

Deinde considerandum est de dono timoris, et circa hoc quaeruntur duodecim:

Art. I. - *Utrum Deus possit timeri.*

RESP. AFF. - *Scil.* : non ut objectum timoris, quod est malum; sed ut illud a quo malum provenire potest, sive ab ipso, sive per comparationem ad ipsum.

R. PRIMI EST: quia Deus est ipsa bonitas.

R. SECUNDI EST: quia a Deo potest nobis imminere malum poenae. *Per comparisonem* autem ad Deum potest nobis malum culpae provenire, si ab eo separemur.

NOTANDUM: Cum bonum dicatur in ordine ad finem, malum autem importat hujus ordinis privationem; illud est *malum simpliciter* quod excludit ordinem a fine ultimo, quod est malum culpae. Malum autem poenae est quidem malum, inquantum privat aliquod particulare bonum; est tamen *bonum simpliciter* inquantum dependet ab ordine finis ultimi, et est malum secundum quid. (In corp. art.).

Art. II. - *Utrum timor convenienter dividatur in filialem, initialem, servilem et mundanum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia timor in ordine morali, seu in ordine ad Deum, de quo nunc loquimur, est secundum quod per ipsum aliquo modo ad Deum convertimur, vel ab eo avertimur. Et secundum hoc est supradicta divisio. Nam, timor malorum quo a Deo avertimur est timor *humanus* seu *mundanus*; timor quo ad Deum convertimur, aut est timor poenae, et dicitur *servilis*, aut timor culpae, qui est *filialis*: filiorum est enim timere offensam patris. Timor autem qui est et propter

poenam et propter culpam, timor *initialis* dicitur, et medius se habet inter utrumque.

NOTANDA: 1. Timor *castus*, qui proprie est uxoris per comparisonem ad virum (arg. 3), est idem quod timor filialis, qui per charitatem Deo nos conjungit secundum illud II. Cor. xi, 2: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* (Ad 2m).

2. Timor *servilis* respicit poenam principaliter, timor autem *initialis* eam respicit secundo (Ad 4m).

Art. III. - *Utrum timor mundanus sit semper malus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia timor mundanus est qui provenit ab amore mundano, tanquam a radice. Timor enim ex amore nascitur; nam, illud timet homo amittere quod amat. Consequenter timor mundanus semper est malus.

NOTANDUM: Naturale est quod homo refugiat proprii corporis detrimentum et damna temporalium rerum; sed quod homo propter ista recedat a justitia, est contra rationem naturalem: et pejus est a justitia recedere quam poenas quascumque pati (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum timor servilis sit bonus.*

RESP. AFF. - *Scil.:* non ex parte servilitatis; sed secundum suam substantiam.

R. PRIMI EST: quia servitus opponitur libertati. Unde servitus non potest ex amore operari. Et timor servilis charitati contrariatur.

R. SECUNDI EST: quia timor servilis, qui poenam timet tanquam principale malum, potest ordinari ad Deum, et non timere poenam ut principale malum, quin species habitus tollatur. Non enim tollitur species habitus per hoc quod ejus objectum vel finis ordinatur ad ulteriorem finem. Et ideo timor servilis secundum suam substantiam bonus est.

NOTANDUM: Amor *mercenarius* dicitur qui Deum diligit propter bona temporalia, quod secundum se charitati contrariatur; et ideo amor mercenarius semper est malus, et specie distinguitur a timore servili (Ad 3m).

Art. V. - *Utrum timor servilis sit idem in substantia cum timore filiali.*

RESP. NEG. - **R. EST:** quia habitus distinguuntur secundum objecta. Objectum autem timoris servilis est malum poenae, timoris filialis est malum culpae. Malum autem culpae specificè distinguitur a malo poenae.

Art. VI. - *Utrum timor servilis remaneat cum charitate.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) timor, in quantum servilis, non manet cum charitate; sed b) substantia timoris servilis cum charitate manere potest.

R. PRIMI EST: timor servilis timet poenam tanquam principale malum propter bonum sui, in quo quis finem suum ultimum ponit; et talis timor poenae contrariatur charitati.

R. SECUNDI EST: quia timor servilis, quamvis non timeat separari a Deo, sicut timor castus et filialis, tamen timet Deum ut nocivum proprii boni, in quo non est necesse, secundum suam substantiam, ut constituat suum finem. Sic ergo timor servilis manere potest cum charitate, sicut et amor sui manere potest cum charitate. - Sed talis timor non dicitur servilis, nisi quando poena formidatur sicut principale malum.

Art. VII. - *Utrum timor sit initium sapientiae.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Timor (Domini) est initium sapientiae non ut principium essentiale ipsius, sed ut principium effectivum seu operativum.

R. PRIMI EST: quia principium essentiale sapientiae, quae est cognitio Dei directiva vitae

humanae secundum rationes divinas, sunt articuli fidei.

R. SECUNDI EST: quia timore incipit homo operari secundum sapientiam: timore quidem servili ut extra disponente ad sapientiam, secundum illud Eccli. I, 27: *Timor Domini expellit peccatum*; timore autem casto vel filiali, ut primo sapientiae effectu, per quem homo Deum reveretur et se ei subjicitur; et sic consequenter in omnibus secundum Deum regulatur, secundum illud Eccli. I, 25: *Radix sapientiae est timere Dominum*; rami enim illius longaevi.

Art. VIII. – *Utrum timor initialis differat secundum substantiam a timore filiali.*

RESP. NEG. – *Scil.*: secundum quod timor initialis accipitur prout competit statui incipientium, in quibus inchoatur quidem timor filialis per inchoationem charitatis.

R. EST: quia timor initialis hoc modo se habet ad filialem sicut charitas imperfecta ad perfectam. Charitas autem perfecta et imperfecta non differunt secundum essentiam, sed solum secundum statum.

NOTANDUM: Timor initialis est medium inter timorem servilem et filialem, non sicut inter ea quae sunt unius generis, non est enim compositus ex utroque; sed sicut imperfectum est medium inter ens perfectum et non ens. Sic enim timor initialis est idem secundum substantiam cum timore filiali, et differt totaliter a timore servili ut talis, licet habeat sibi de timore servili aliquid adjunctum, quia non agit perfecte ex charitate, sed cum admixtione timoris poenae (Ad 2m et ad 3m).

Art. IX. – *Utrum timor sit donum Spiritus sancti.*

RESP. AFF. – *Scil.*: non timor servilis, licet talis timor sit etiam a Spiritu sancto; sed timor filialis sive castus.

R. PRIMI EST: quia timor servilis, potest habere annexam voluntatem peccandi. Dona autem Spiritus sancti non possunt esse cum voluntate peccandi, quia non sunt sine charitate (I-II, qu. lxviii, art. 5).

R. SECUNDI EST: quia per timorem filialem seu castum Deum reveremur, et refugimus nos ipsi subducere; sic per hunc timorem reddimur bene mobiles a Spiritu sancto, secundum habituales dispositiones animae, quae dona Spiritus sancti dicuntur. – Timor filialis igitur quasi primum locum tenet ascendendo inter dona Spiritus sancti.

NOTANDUM: Donum timoris datur nobis contra superbiam. *Initium enim superbiae hominis est apostatare a Deo* (Eccli. x, 14). Et est principium humilitatis; sunt enim dona Spiritus sancti principia virtutum intellectualium et moralium; sed virtutes theologicae sunt principia donorum (I-II, qu. lxviii, art. 4 ad 3m).

Art. X. – *Utrum crescente charitate, diminuatur timor.*

RESP. NEG. – Scil. : a) timor filialis crescit cum charitate, sicut effectus crescit crescente causa; b) timor servilis quantum ad servilitatem, totaliter tollitur charitate adveniente; remanet tamen secundum substantiam timor poenae, et iste timor diminuitur charitate crescente, maxime quantum ad actum.

R. PRIMI EST: quia quanto aliquis magis diligit aliquem, tanto magis timet eum offendere et ab eo separari.

R. SECUNDI EST: quia quanto aliquis magis diligit Deum, tanto minus timet poenam: primo quidem quia minus attendit ad proprium bonum, cui contrariatur poena; secundo quia firmiter inhaerens magis confidit de praemio.

Art. XI. - *Utrum timor remaneat in patria.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) timor servilis, sive timor poenae nullo modo erit in patria; b) timor filialis perficitur sicut et charitas, unde in patria non habebit eundem actum omnino quem habet modo.

R. PRIMI EST: quia talis timor excluditur per securitatem aeternae beatitudinis.

R. SECUNDI EST: quia flexibilitas liberi arbitrii, quae est causa peccati et separationis a Deo, non est possibilis in beatis; unde beati non timent se separari a Deo, sed magis eum reverentur. - Similiter, timor in quantum importat defectum naturalem creaturae, secundum quod in infinitum distat a Deo, remanebit etiam in patria. Et ideo timor non evacuabitur totaliter (Ad 3m).

Art. XII. - *Utrum paupertas spiritus sit beatitudo respondens dono timoris.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia ex hoc quod aliquis Deo se subjicit, desinet quaerere in seipso (per superbiam) vel in aliquo alio (in honoribus et divitiis) magnificari, nisi in Deo. Ad paupertatem enim spiritus pertinet exinanitio inflati et superbi spiritus, et abjectio temporalium rerum, quae fit voluntate propria per instinctum Spiritus sancti.

Sic beatitudo paupertatis directe respondet timori. Beatitudo autem luctus respondet ei ex consequenti, timens enim Deum non delectabitur nisi in Deo (Ad 2m).

NOTANDUM: Quantum ad fructus Spiritus sancti, qui dono timoris conveniunt, isti sunt qui ad moderatum usum vel abstinentiam a rebus temporalibus pertinent, sicut modestia, et continentia, et castitas (Ad 4m).

QUAESTIO XX

De desperatione

Deinde considerandum est de vitiis oppositis, et primo de desperatione, secundo de praesumptione. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum desperatio sit peccatum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia omnis motus appetitivus conformiter se habens intellectui falso, est secundum se malus et peccatum. Desperatio autem se habet conformiter existimationi falsae de Deo, scil. quod Deus peccatori poenitenti veniam deneget, vel quod peccatores ad se non convertat per gratiam justificantem; quod est contra illud Ezech. xviii, 23: *Noli mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.*

Art. II. - *Utrum desperatio sine infidelitate esse possit.*

RESP. AFF. - R. EST: quia aliquis retinendo in universali veram aestimationem fidei, quod scilicet est remissio peccatorum in Ecclesia, potest tamen pati motum desperationis, quod scilicet sibi in tali statu existenti non sit sperandum de venia, corrupta aestimatione ejus circa particulare. Nam, ex propositione universali non infertur conclusio particularis, nisi assumendo particularem.

NOTANDUM: Sicut effectus tollitur non solum sublata causa prima, sed etiam sublata causa secunda, ita motus spei auferri potest non solum sublata universali aestimatione fidei, sed etiam sublata aestimatione particulari, quae est sicut causa secunda (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum desperatio sit maximum peccatorum.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) non secundum se; b) sed ex parte nostra desperatio gravior est quam

infidelitas et odium Dei, quae sunt maxima peccata.

R. PRIMI EST: quia infidelitas et odium Dei sunt contra Deum, secundum quod in se est; desperatio autem secundum quod ejus bonum participatur a nobis, inquantum homo non sperat se bonitatem Dei participare.

R. SECUNDI EST: quia ex parte nostra desperatio est periculosior, sublata enim spe, irrefrenate homines labuntur in vitia, et a bonis laboribus retrahuntur; unde Isidorus dicit (De Summo bono lib. ii, cap. 14): « Perpetrare flagitium aliquod, mors animae est; sed desperare est descendere in infernum ».

Art. IV. – *Utrum desperatio ex acedia oriatur.*

RESP. AFF. – *Scil. :* inquantum aliquis bonum arduum non aestimet ut possibile sibi adipisci vel per se vel per alium; inquantum vero aliquis non aestimat objectum spei ut bonum arduum, et ideo de hoc non curat, hoc provenit ex luxuria.

R. PRIMI EST: quia hoc provenit ex nimia dejectione; quae quando in affectu hominis dominatur, videtur ei quod nunquam possit ad aliquid bonum relevari. Accedia autem est tristitia quaedam dejectiva spiritus, ideo per hunc modum desperatio ex acedia generatur.

R. SECUNDI EST: quia ad hoc quod bona spiritualia non sapiant nobis quasi bona, vel non videantur nobis quasi magna bona, praecipue perducimur per hoc quod affectus noster est infectus amore delectationum corporalium, inter quae praecipue sunt delectationes venereae.

NOTANDUM: Sicut homines in (bonis) delectationibus existentes efficiuntur majoris spei, ita etiam homines in tristitiis existentes facilius in desperationem incidunt.

QUAESTIO XXI

De praesumptione

Deinde considerandum est praesumptione; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum praesumptio innitatur Deo, an propriae virtuti.*

RESP.: Praesumptio, quae est peccatum in Spiritum sanctum innititur Deo, non autem propriae virtuti.

R. EST: quia talis praesumptio est per immoderantiam spei, quae innititur divinae potentiae; nam, consistit in hoc quod aliquis tendit in aliquod bonum ut possibile per virtutem et misericordiam divinam, quod possibile non est: sicut cum aliquis sperat se veniam obtinere sine poenitentia, vel gloriam sine meritis. - Praesumptio autem quae propriae virtuti innititur consistit in hoc quod aliquis tendit in aliquod bonum ut sibi possibile, quod suam facultatem excedit.

Art. II. - *Utrum praesumptio sit peccatum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia praesumptio, cum importet spem quamdam inordinatam, est motus appetitivus, qui conformiter se habet ad intellectum falsum; et hoc secundum se est malum et peccatum. Nam, falsum est quod in peccato perseverantibus Deus veniam concedat, et a bono opere cessantibus gloriam largiatur.

NOTANDA: 1. Praesumptio non importat superexcessum spei ex hoc quod aliquis nimis sperat de Deo; sed ex hoc quod sperat de Deo aliquid quod Deo non convenit.

2. Peccare cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniae, ad praesumptionem pertinet; et hoc non diminuit, sed auget peccatum. Peccare autem sub spe veniae quandoque percipien-

dae, cum proposito abstinendi a peccato, et poenitendi de ipso, hoc non est praesumptionis; sed hoc peccatum diminuit, quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum praesumptio magis opponatur timori quam spei.*

RESP.: Praesumptio directius opponitur spei quam timori.

R. EST: quia praesumptio et spes sunt unius generis; nam praesumptio importat quamdam inordinatam spem de Deo. Illa autem quae sunt unius generis magis directius opponuntur, quam illa quae sunt generum diversorum, contraria enim sunt in eodem genere.

NOTANDUM: Praesumptio manifestam oppositionem videtur habere ad timorem, praecipue servilem, qui respicit poenam ex Dei justitia proveniente, cujus praesumptio remissionem sperat; sed secundum quamdam falsam similitudinem magis contrariatur spei, quia importat quamdam inordinatam spem de Deo. (In corp. art.).

Art. IV. - *Utrum praesumptio causetur ex inani gloria.*

RESP. AFF. *Scil.:* a) praesumptio quae innititur propriae virtuti procedit ex inani gloria; b) praesumptio quae inordinate innititur divinae misericordiae et potentiae oritur directe ex superbia.

R. PRIMI EST: quia ex hoc quod aliquis multum desiderat gloriam sequitur quod attentet aliquid super vires suas, praecipue nova quae majorem admirationem habent.

R. SECUNDI EST: quia ille qui sperat se obtinere gloriam sine meritis, vel veniam sine poenitentia, videtur tanti se aestimare, quod etiam eum peccantem Deus non puniat vel a gloria excludat, quod est superbia.

QUAESTIO XXII

De praeceptis pertinentibus ad spem et timorem

Deinde considerandum est de praeceptis pertinentibus ad spem et timorem; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum de spe debeat dari aliquod praeceptum.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) praecepta de actu spei, sicut praecepta de actu fidei, dari debebant ut praeambula ad legem per modum promissionis; b) post primam legislationem autem, debebant dari praecepta spei etiam per modum admonitionis vel praecepti.

R. PRIMI EST: quia nisi homo jam crederet et speraret, frustra ei lex proponeretur. Sed sicut praeceptum fidei proponendum fuit per modum denuntiationis vel commemorationis (qu. xvi, art. 1); ita etiam praeceptum spei in prima legislatione proponendum fuit per modum promissionis praemii.

R. SECUNDI EST: quia lege jam posita, inducendi sunt homines, non solum ad observantiam praeceptorum, sed etiam multo magis ad conservandum legis fundamentum; ideo post primam legislationem in sacra Scriptura multipliciter inducuntur homines ad sperandum, etiam per modum admonitionis vel praecepti, et non solum per modum promissionis sicut in lege; sicut patet Ps. lxi, 9: *Sperate in eo, omnis congregatio populi*; et in multis aliis Scripturae locis.

Art. II. – *Utrum de timore fuerit dandum aliquod praeceptum.*

RESP. AFF. – *Scil. :* tam de timore servili, quam de filiali.

R. PRIMI EST: quia sicut aliquis inducitur ad observantiam legis per spem praemiorum, ita etiam inducitur ad legis observantiam per timorem poenarum, in principio quidem non per modum praecepti, sed per comminationem poenarum postea per modum admonitionis et praecepti, sicut dictum est de spe (art. praec.).

R. SECUNDI EST: quia timor filialis, qui reverentiam exhibet Deo, est quasi quoddam genus ad dilectionem Dei, et principium quoddam omnium eorum quae in Dei observantur reverentia. - Sicut igitur, post praeceptum charitatis dantur praecepta de aliis actibus virtutum, ita etiam simul dantur praecepta de timore, et amore charitatis (Ad 2m).

DE CHARITATE

Consequenter considerandum est de charitate; et primo de ipsa charitate; secundo de dono sapientiae ei correspondente. - Circa primum consideranda sunt quinque: primo de ipsa charitate; secundo de objecto charitatis; tertio de actibus ejus; quarto de vitiis oppositis; quinto de praeceptis ad hoc pertinentibus. Circa primum duplex est consideratio: prima quidem de ipsa charitate secundum se; secunda de charitate per comparisonem ad subjectum. Circa primum quaeruntur octo:

QUAESTIO XXIII

De charitate secundum se

Art. I. - *Utrum charitas sit amicitia.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia charitas est amor mutuae benevolentiae inter Deum et hominem fundatus super communicationem beatitudinis aeternae. Amor autem amicitiae est ille mutuae benevolentiae; nam, non sufficit ad rationem ami-

citiae ut quis bonum vellet amico (in hoc distinguitur ab amore concupiscentiae, qui vult *sibi* bonum alterius), sed requiritur insuper *mutua amatio*; amicus enim est amico amicus. - Dicitur *fundatus super communicationem beatitudinis aeternae*, quia charitas est amor supernaturalis, quae quidem hic, in via, est imperfecta, et perficitur in patria (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum charitas sit aliquid creatum in anima.*

RESP. AFF. - Contra Magistrum Sententiarum (Sent. lib. I, dist. 17), qui posuit charitatem esse ipsum Spiritum sanctum mentem inhabitantem.

R. EST: quia motus charitatis non ita procedit a Spiritu sancto, movente humanam mentem, quod humana mens sit mota tantum, et nullo modo sit principium hujus motus; hoc enim est contra rationem voluntarii; et sequeretur quod diligere non est voluntarium, quod implicaret contradictionem, cum amor de sui ratione importet quod sit actus voluntatis. Insuper, tolleretur ratio meriti, radix enim merendi est dilectio charitatis (I-II, q. cxiv, art. 4). Unde oportet quod si voluntas moveatur a Spiritu sancto ad diligendum, etiam ipsa sit efficiens hunc actum, scilicet per formam sibi inditam, quae est habitus charitatis.

NOTANDA: 1. Nisi charitas esset habitus in nobis infusus, actus charitatis esset imperfectior actibus naturalibus et actibus aliarum virtutum, nec esset facilis et delectabilis. Quod patet esse falsum, quia nulla virtus habet tantam inclinationem ad suum actum sicut charitas nec aliqua ita delectabiliter operatur. Unde maxime necesse est quod ad actum charitatis in nobis existat aliqua habitualis forma superaddita potentiae na-

turali, inclinans ipsam ad charitatis actum, et faciens eam prompte et delectabiliter operari. (In fine art.).

2. Sicut in ordine naturali anima est vita corporis, ita in ordine gratiae charitas est formaliter vita animae. Unde, sicut anima immediate unitur corpori, ita charitas animae. Et sic Deus est vita effectivae et animae per charitatem, et corporis per animam (Ad 2m). - Quod autem charitas animam Deo conjungit, ipsam justificando, hoc demonstrat infinitatem virtutis divinae. Nam, efficacia formae est secundum virtutem agentis, qui formam inducit. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum charitas sit virtus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sicut virtus moralis definitur per hoc quod «est secundum rectam rationem», ita etiam attingere Deum constituit rationem virtutis, sicut dictum est supra de fide et spe (qu. iv, art. 5, et qu. xvii, art. 1). Charitas autem, quae est participatio quaedam Spiritus sancti (hic ad 3m), Deum attingit quia Deo nos conjungit.

NOTANDUM: Non omnis amicitia habet rationem laudabilis et honesti, sicut patet in amicitia delectabilis et utilis. Nec omnis amicitia est virtuosa, sed illa tantum quae super honestatem virtutum fundatur. Charitas autem non fundatur principaliter super virtutem humanam, sed super bonitatem divinam (Ad 1).

Art. IV. - *Utrum charitas sit virtus specialis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia amor charitatis habet pro objecto bonum divinum sub speciali ratione, inquantum scilicet est objectum beatitudinis. Ubi autem est specialis ratio objecti, ibi est specialis habitus. (I-II, q. xviii, art. 2).

NOTANDUM: Quia charitas habet pro objecto ultimum finem humanae vitae, scil. beatitudinem aeternam, ideo extendit se ad actus totius huma-

nae vitae per modum imperii, non quasi immediate eliciens omnes actus virtutum (Ad 2m); et secundum hoc dicitur I Tim., 1, 5: *Finis praecepti charitas est.*

Art. V. – *Utrum charitas sit una virtus.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Charitas est simpliciter una virtus, non distincta in plures species.

R. EST: quia finis charitatis, quae est amicitia hominis ad Deum, est unus, scilicet, divina bonitas; est etiam una communicatio beatitudinis aeternae, super quam haec amicitia fundatur.

NOTANDA: 1. Amicitia dividitur in species diversas vel secundum diversitatem finis (et sic habetur amicitia utilis, delectabilis et honesti), vel secundum diversitatem communicationum in quibus amicitiae fundantur, sicut est amicitia consanguineorum, quae fundatur in communicatione naturali, amicitia civium vel pellegrinorum, quae fundantur in communicatione civili vel pellegrinationis. (In corp. art.).

2. Deus et proximus non ex aequo sunt objecta charitatis. Sed Deus est principale objectum, proximus autem ex charitate diligitur propter Deum. Unde charitas remanet una (Ad 1m).

Art. VI. – *Utrum charitas sit excellentissima virtutum.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia inter virtutes theologicas, quae sunt excellentiores virtutibus moralibus vel intellectualibus, illa est potior quae magis Deum attingit, qui est regula suprema omnium virtutum. Haec autem est charitas, quia ipsum Deum attingit, non ut ex eo aliquid nobis proveniat, sicut fides et spes, sed ut in ipso sistat. Id autem quod est per se, semper est majus eo quod est per aliud.

NOTANDUM: Eorum quae sunt infra nos, nobilior est cognitio quam dilectio; propter duod

Philosophus (Ethic. lib. vi, cap. 7 et 12) praetulit virtutes intellectuales moralibus. Sed eorum quae sunt supra nos, et praecipue Dei, dilectio cognitioni praefertur. Et ideo charitas est excellentior fide (Ad 1m).

Art. VII. - *Utrum sine charitate possit esse aliqua vera virtus.*

RESP. NEG. - R. EST: quia virtus vera simpliciter est illa quae ordinatur ad principale bonum hominis; sicut etiam Philosophus dicit (Physic. lib. vii, text. 17): « virtus est dispositio perfecti ad optimum ». Haec autem ordinatio non fit sine charitate. Ultimum enim et principale bonum hominis est Dei fruitio, secundum illud Psal. lxxii, vers. 27: *Mihi adhaerere Deo bonum est.* - Virtus autem quae ordinatur ad aliquem finem particularem, si talis finis est verum bonum, virtus est quidem vera sed imperfecta, nisi referatur ad finale et perfectum bonum; si non est verum bonum autem, virtus non est vera, sed est falsa similitudo virtutis, sicut e. g., temperantia avari.

Art. VIII. - *Utrum charitas sit forma virtutum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia actus omnium aliarum virtutum per charitatem ordinantur ad ultimum finem. In moralibus autem forma actus attenditur principaliter ex parte finis. Et ideo charitas est forma omnium virtutum, scilicet effective, inquantum omnibus virtutibus formam imponit ratione finis (Ad 1m).

NOTANDUM: Charitas dicitur fundamentum et radix aliarum virtutum inquantum ex ea aliae virtutes sustentantur et nutriuntur (Ad 2m); et dicitur mater omnium virtutum, quia mater est quae in se concipit ex alio, ita charitas ex appetitu finis ultimi concipit actus aliarum virtutum, imperando ipsos (Ad 3m).

QUAESTIO XXIV

De charitatis subjecto

Deinde considerandum est de charitate in comparatione ad subjectum: et circa hoc quaeruntur duodecim:

Art. I. – *Utrum voluntas sit subjectum charitatis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia charitatis objectum non est aliquod bonum sensibile, sed bonum divinum, quod solo intellectu cognoscitur. Et ideo charitatis subjectum non est appetitus sensitivus, sed appetitus intellectivus, id est voluntas. Praeter appetitum sensitivum et appetitum intellectivum non datur alius appetitus in homine. Concupiscibilis enim est pars appetitus sensitivi (Ad 1m).

NOTANDUM: Ex hoc quod charitas est in voluntate, non est aliena a ratione. Tamen ratio non est regula charitatis, sed regulatur a Dei sapientia, et excedit regulam rationis humanae, secundum illud Ephes, iii, 19: *Supereminentem scientiae charitatem Christi*. Unde non est in ratione sicut in subjecto, sicut prudentia; neque sicut regulante, sicut justitia, vel temperantia; sed solum per quamdam affinitatem voluntatis ad rationem (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum charitas causetur in nobis ex infusione.*

RESP. AFF. – *Scil. :* charitas non potest neque naturaliter nobis inesse, neque per vires naturales esse acquisita; sed per infusionem Spiritus sancti, qui est amor Patris et Filii, cujus participatio in nobis est ipsa charitas creata, ut supra dictum est (qu. praec. art. 2).

R. EST: quia charitas est amicitia hominis ad Deum fundata super communicatione beatitudinis aeternae, quae non est secundum dona na-

turalia, sed secundum dona gratuita, ut dicitur Rom. vi, 23: *Gratia Dei vita aeterna*. Unde et ipsa charitas facultatem naturae excedit. Et, ut Apostolus dicit, Rom. v, 5: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*.

NOTANDUM: Cum charitas dicitur in nobis procedere *ex corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta*, hoc referendum est ad actum charitatis, qui ex praemissis excitatur. Vel etiam hoc dicitur quia hujusmodi actus disponunt hominem ad recipiendum charitatis infusionem. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum charitas infundatur secundum capacitatem naturalem.*

RESP. NEG. - R. EST: quia charitas cum superexcedat proportionem naturae humanae (art. praec.), non dependet ex aliqua naturali virtute, sed ex sola gratia Spiritus sancti eam infundentis. Et ideo quantitas charitatis non dependet ex conditione naturae, vel ex capacitate naturalis virtutis, sed solum ex voluntate Spiritus sancti distribuentis sua dona prout vult (Ephes. iv, 7).

NOTANDUM: Dispositionem vel praeparationem praecedentem, sive conatum gratiam accipientis praevenit Spiritus sanctus movens mentem hominis vel plus vel minus secundum suam voluntatem. Unde et Apostolus dicit, Coloss, i, 12: *Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine*. (Ad 1m).

Art. IV. - *Utrum charitas augeri possit.*

RESP. AFF. - *Scil.* : charitas viae.

R. EST: quia in hac via tanto magis procedimus, quanto Deo magis appropinquamus; cui non appropinquatur passibus corporis, sed affectibus mentis. Hanc autem propinquitatem facit charitas, quia per ipsam mens Deo unitur. Et ideo de ratione charitatis viae est ut possit augeri.

Hoc autem augmentum fit per intensionem actus (Ad 1m).

NOTANDUM: Augmentum charitatis non est solum secundum radicationem in subjecto, vel secundum fervorem, sed etiam secundum essentiam; quia nihil est aliud ipsam secundum essentiam augeri, quam eam magis inesse subjecto, quod est magis eam radicari in subjecto. Accidentis enim esse est inesse. (Ad 3m).

Art. V. - *Utrum charitas augeatur per additionem.*

RESP. NEG. - *Scil. :* a) nullo modo charitas augetur per additionem charitatis ad charitatem; b) sed solum per hoc quod subjectum magis ac magis participat charitatem, i. e. secundum quod magis reducitur in actum illius, ac magis subditur illi.

R. PRIMI EST: quia si charitas addatur charitati, oportet praesupponere, ad minus secundum intellectum, distinctionem unius charitatis ab alia. Distinctio autem in formis est: aut secundum speciem, aut secundum numerum. Secundum speciem est si forma (seu habitus, de quo in casu) se extendat ad objecta ad quae prius non se extendebat; et hoc de charitate dici non potest, quia etiam minima charitas se extendit ad omnia illa quae sunt ex charitate diligenda. Distinctio autem secundum numerum est illa quae habetur secundum diversitatem subjectorum; et nec hoc modo charitas augeri potest, quia subjectum charitatis non est nisi mens rationalis: una mens rationalis alteri addi non potest; et tale augmentum in casu non faceret magis diligentem, sed majorem diligentem. Ergo nullo modo charitas augetur per additionem charitatis.

R. SECUNDI EST: quia hic modus augmenti proprius est cujuslibet formae quae intenditur, eo quod esse hujus formae totaliter consistit in eo quod inhaeret susceptibili.

NOTANDUM: Alii habitus augeri possunt ex parte objectorum, et sic augentur per additionem, sicut scientia et similes habitus; sed ex parte formae accidentalis non augentur per additionem, sed per modum intensionis ejus in subjecto, sicut patet in his quae rarefiunt. Charitas autem hoc altero modo augeri potest, non vero priori (Ad 1m). Et hoc est quod facit Deus charitatem augendo, scilicet quod magis insit, et quod perfectius similitudo Spiritus sancti participetur in anima (Ad 3m).

Art. VI. - *Utrum quolibet actu charitatis charitas augeatur.*

RESP. NEG. - sed quilibet actus charitatis disponit ad charitatis augmentum.

R. EST: quia ex uno actu charitatis homo reditur promptior ad agendum iterum secundum charitatem, et habilitate crescente, homo prorumpit in actum ferventiorum dilectionis, quo conetur ad charitatis profectum; et tunc charitas augetur in actu. In hoc enim gratia imitatur naturam, quae operatur disponens ad augmentum et nihil augens in actu; et postmodum producit in effectum id ad quod disposuerat, sive in plantis sive in animalibus; sicut est in multis guttis cavantibus lapidem (Ad 2m).

Art. VII. - *Utrum charitas augeatur in infinitum.*

RESP. AFF. - *Scil. :* ex triplici parte qua terminus augmento alicujus formae praefigi potest.

R. EST: quia charitas, in statu viae, non habet terminum augmenti, neque ex parte ipsius charitatis, quia est participatio quaedam infinitae charitatis, quae est Spiritus sanctus; neque ex parte causae agentis, seu Dei, quia ejus virtus est infinita; neque ex parte subjecti, quia semper charitate excrescente, superexcrescit habilitas ad alterius augmentum. - Unde augmentum

charitatis est ad aliquem finem; sed ille finis non est in hac vita, sed in futura (Ad 1m).

Art. VIII. - *Utrum charitas in hac vita possit esse perfecta.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) non ex parte diligibilis seu Dei; b) sed ex parte diligentis, et quidem non secundum quod totum cor hominis *actualiter semper* feratur in Deum, sicut in patria; c) sed prout *habitualiter* competit homini in hac vita.

R. PRIMI EST: quia Deus est bonitas infinita, et ideo per hunc modum nullius creaturae charitas potest esse perfecta, sed charitas Dei, qua seipsum diligit.

R. SECUNDI EST: quia in hac vita impossibile est, propter humanae vitae infirmitatem, semper actu cogitare de Deo, et moveri dilectione ad ipsum.

R. TERTII EST: quia competit homini in hac vita quod *habitualiter* totum cor suum ponat in Deo, ita scilicet quod nihil cogitet vel velit quod divinae dilectioni sit contrarium; et haec perfectio est communis omnibus charitatem habentibus. Imo, competit homini ut studium suum deputet ad vacandum Deo et rebus divinis, praetermissis aliis, nisi quantum necessitas praesentis vitae requirit; et ista est perfectio charitatis, quae est possibilis in via; non tamen est communis omnibus habentibus charitatem.

NOTANDUM: Quantum ad illa verba S. Augustini: « Ubi est perfectio charitatis, nulla est cupiditas »; et illa S. Joannis (I Jn. i, 18): *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, notandum est quod hoc dicitur propter peccata venialia; quae non contrariantur habitui charitatis, sed actui; et ita non repugnant perfectioni viae, sed perfectioni patriae (Ad 2m).

Art. IX. - *Utrum convenienter distinguantur tres gradus charitatis, incipiens, proficiens et perfecta.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sicut in motu corporali primum est recessus a termino, secundum autem est appropinquatio ad alium terminum, et tertium est quies in termino; ita in gradibus charitatis: primo enim incumbit homini studium *principale* ad recedendum a peccato et resistendum concupiscentiis ejus, quae in contrarium charitatis movent: et hoc pertinet ad incipientes, in quibus charitas est nutrienda vel fovenda, ne corrumpatur, sicut in aetate infantili hominis; secundo est ut homo *principaliter* intendat ad hoc quod in bono proficiat, ut charitas per augmentum roboretur, sicut in aetate puerili post adeptum usum rationis; et tertio est ut homo ad hoc *principaliter* intendat ut Deo inhaereat, et eo fruatur: et hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt *dissolvi et esse cum Christo*, quod comparatur ad perfectam hominis aetatem, in qua possit alios homines generare.

Art. X. - *Utrum charitas possit diminui.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Charitas *directe* diminui non potest: a) neque per cessationem ab actu, sicut virtutes acquisitae; b) neque per alium actum sive a Deo sive ab aliquo peccato; c) neque per peccatum veniale.

R. PRIMI EST: quia conservatio uniuscujusque rei dependet ex sua causa. Charitas autem non causatur ab actibus humanis, sicut virtutes acquisitae, sed solum a Deo. Ergo et a Deo conservatur.

R. SECUNDI EST: quia Deus non causat aliquem defectum in nobis, nisi per modum poenae. Poena autem supponit peccatum; peccatum autem mortale non diminuit sed totaliter corrumpit ipsam

charitatem, et quidem cum effective tum meritorie. Effective quidem quia omne peccatum mortale contrariatur charitati (art. 12, hujus qu.); meritorie autem quia cum peccando mortaliter aliquis contra charitatem agit, dignum est ut Deus ei subtrahat charitatem.

R. TERTII EST: quia peccatum veniale ipsam charitatem non attingit neque effective neque meritorie. Non effective quia charitas est circa finem ultimum, veniale autem peccatum est quaedam inordinatio circa ea quae sunt ad finem. Non meritorie autem, quia cum aliquis delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in majori. Detrimentum autem de ultimo fine, majus est quam illo quod est de his quae sunt ad finem. Deus enim non plus se avertit ab homine quam homo avertat se ab ipso. - Unde charitas directe nullo modo diminuitur; indirecte tamen seu dispositive potest diminui vel per peccata venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum charitatis.

Art. XI. - *Utrum charitas semel habita possit amitti.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) non ex parte Spiritus sancti moventis animam ad diligendum Deum; b) neque ex parte ipsius charitatis; sed c) ex parte subjecti, et quidem in via non vero in patria.

R. PRIMI EST: quia Spiritus sanctus infallibiliter operetur quodcumque voluerit. Unde impossibile est haec duo simul esse vera, quod Spiritus sanctus velit aliquam (efficaciter) movere ad actum charitatis, et quod ipse charitatem amittat peccando.

R. SECUNDI EST: quia charitas non potest aliquid nisi id quod pertinet ad charitatis rationem.

R. TERTII EST: quia de ratione formae est quod sit in subjecto amissibiliter, quando non replet totam potentialitatem materiae; sicut patet in formis generabilium et corruptibilium. Sic ergo charitas patriae, quia replet totam potentialitatem rationalis mentis, inquantum scilicet omnis actualis motus ejus fertur in Deum, inamissibiliter habetur. Charitas autem viae non sic replet potentialitatem sui subjecti, quia non semper actu fertur in Deum; et sic potest intervenire aliquod motivum ad peccandum, cui si consentiatur, charitas amittitur (Ad 4m).

Art. XII. - *Utrum charitas amittatur per unum actum peccati mortalis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia quilibet actus peccati mortalis contrariatur charitati secundum propriam rationem. De ratione enim charitatis est ut sic diligat Deum, quod in omnibus velit se ei subicere, et praeceptorum ejus regulam in omnibus sequi. Quidquid ergo contrariatur praeceptis ejus, manifeste contrariatur charitati: unde de se habet quod charitatem de se excludere possit.

NOTANDA: 1. Habitus acquisiti non contrariantur actibus; unde non statim per unum actum tolluntur; sed charitas, cum sit habitus infusus, dependet ex actione Dei infudentis; qui sic se habet in infusione et conservatione charitatis, sicut sol in illuminatione aeris. (In corp. art.).

2. Charitas amittitur dupliciter: uno modo directe per actualementem contemptum; alio modo indirecte, quando comittitur aliquid contrarium charitati, propter aliquam passionem concupiscentiae vel timoris (Ad 2m).

QUAESTIO XXV

De objecto charitatis

Deinde considerandum est de objecto charitatis. Circa quod duo considerata occurrunt: primo quidem de his quae sunt ex charitate diligenda; secundo de ordine diligendorum. Circa primum quaeruntur duodecim:

Art. I. - *Utrum dilectio charitatis sistat in Deo, an se extendat etiam ad proximum.*

RESP. Se extendit etiam ad proximum.

R. EST: quia idem est specie actus quo diligitur Deus, et quo diligitur proximus. Ratio enim diligendi proximum Deus est; nam, hoc debemus in proximo diligere, ut in Deo sit. Actus autem ejusdem speciei ad eundem habitum pertinent.

Art. II. - *Utrum charitas sit ex charitate diligenda.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia charitas est illud bonum quod optamus omnibus quos ex charitate diligimus. Hoc autem bonum quod ex charitate diligimus, est ipsa communicatio spiritualis vitae, per quam in beatitudinem pervenitur (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum etiam creaturae irrationales sint ex charitate diligendae.*

RESP. NEG. - **Scil. :** a) creaturae irrationales non possunt amari ut amicus; sed b) ut bona, quae amico optantur, possunt etiam ex charitate diligi.

R. PRIMI EST TRIPLEX: Prima R. est: quia creaturae irrationali proprie bonum velle non possumus; non est enim ejus habere bonum, sed solum creaturae rationalis, quae est domina utendi bono quod habet, per liberum arbitrium. - Secunda R. est: quia omnis amicitia fundatur super aliqua communicatione vitae. Creaturae

autem irrationales non possunt communicationem habere in vita humana, quae est secundum rationem. Unde nulla amicitia potest haberi ad creaturas irrationales, nisi forte secundum metaphoram. – Tertia R. est propria charitatis: quia charitas fundatur super communicatione beatitudinis aeternae, cujus creatura irrationalis capax non est.

R. SECUNDI EST: quia possumus bona aliis velle ex charitate, in quantum scilicet ex charitate volumus ea conservari ad honorem Dei et utilitatem hominum: et sic etiam ex charitate Deus creaturas irrationales diligit.

Art. IV. – *Utrum homo debeat seipsum ex charitate diligere.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) non in quantum charitas est amicitia; sed b) secundum propriam rationem charitatis prout est amicitia hominis ad Deum principaliter, et ex consequenti ad ea quae sunt Dei.

R. PRIMI EST: quia amicitia proprie non habetur ad seipsum; sed amor quo quis seipsum diligit, est quid majus amicitia: est enim forma et radix amicitiae.

R. SECUNDI EST: quia inter ea quae Dei sunt, est ipse homo, qui charitatem habet.

Art. V. – *Utrum homo debeat corpus suum ex charitate diligere.*

RESP. AFF. – *Scil. :* secundum suam naturam, non autem secundum corruptionem culpae et poenae.

R. EST: quia secundum suam naturam corpus nostrum est a Deo et uti eo possumus (et debemus) ad servitium Dei. Ex dilectione ergo qua Deum diligimus, debemus etiam corpus nostrum

diligere. - Sed infectionem culpae et corruptionem debemus anhelare desiderio charitatis removere. - Item, quia corpus aliquo modo est particeps beatitudinis, potest dilectione charitatis amari (Ad 2m).

Art. VI. - *Utrum peccatores sint ex charitate diligendi.*

RESP. AFF. - *Scil.* : quantum ad naturam, non vero quantum ad culpam.

R. EST: quia secundum naturam quam a Deo habent, capaces sunt beatitudinis, super cujus communicatione charitas fundatur. Sed culpa eorum Deo contrariatur, et est beatitudinis impedimentum; et secundum hoc quicumque peccatores sunt odio habendi, secundum illud Ps. cxxxviii, 22: *Perfecto odio oderam illos.* Ejusdem enim rationis est odire malum alicujus, et diligere bonum ejus (Ad 1m).

NOTANDUM: Amicis peccantibus, sicut Philosophus dicit (Ethic. lib. ix, cap. 3), non sunt subtrahenda amicitiae beneficia, quousque habetur spes sanationis eorum, sed magis est eis auxilium dandum ad recuperationem virtutis. Sed quando in maximam malitiam incidunt, et insanabiles fiunt, tunc non est eis amicitiae familiaritas exhibenda (Ad 2m). - Convivere autem peccatoribus, infirmis quidem est vitandum, propter periculum quod eis imminet ne ab eis subvertantur; perfectis autem, de quorum corruptione non timetur, laudabile est quod cum peccatoribus conversentur, secundum exemplum Christi, ut eos convertant (Ad 5m).

Art. VII. - *Utrum peccatores diligant seipsos.*

RESP. NEG. - *Scil.* : a) peccatores diligunt seipsos secundum modum communem seipsum diligendi; b) non autem secundum quod principale est in homine.

R. PRIMI EST: quia amare conservationem sui ipsius secundum naturam omnibus est naturale et commune.

R. SECUNDI EST: quia principale in homine est mens rationalis, seu *homo interior*, ut ipsum Apostolus nominat (II Cor. iv), et secundum hoc peccatores non vivunt; sed principale in homine aestimant naturam sensibilem et corporalem, seu *exteriorem hominem*, quod non est nisi secundarium in homine. Unde non recte cognoscentes seipsos, non vere diligunt seipsos; sed diligunt id quod seipsos esse reputant.

NOTANDUM: Ut Philosophus probat (Ethic. lib. ix, cap. 4) quinque sunt amicitiae propria, quae boni sibi optant, et quarum contrarium mali sibi volunt. Haec sunt: *a)* interiorem hominem (tandem sibi amicum) in sua integritate servari; *b)* bona spiritualia ei optare; *c)* ad ea assequenda opera impendere; *d)* delectabiliter ad cor proprium redire, ubi bonae cogitationes in praesenti, memoria praeteritorum bonorum, et spes futurorum bonorum invenientur; *e)* et in seipso dissentionem voluntatis non pati. Contra haec se habent peccatores, qui seipsos amant secundum corruptionem exterioris hominis (In fine art.).

Art. VIII. - Utrum sit de necessitate charitatis ut inimici diligantur.

RESP. AFF. - Scil. : *a)* non in quantum sunt inimici; *b)* sed quantum ad naturam, et sic in universali; *c)* quantum vero in speciali, scil. in quantum aliquis moveatur motu dilectionis ad inimicum, hoc non est de necessitate charitatis absolute; sed *d)* est de necessitate charitatis secundum praeparationem animi.

R. PRIMI EST: quia hoc est perversum, et charitati repugnans; hoc est enim diligere malum alterius.

R. SECUNDI EST: quia aliquis diligens Deum et proximum a generalitate dilectionis proximi inimicos suos excludere non potest. (Haec autem dilectio proximi ad legem naturalem pertinet).

R. TERTII EST: quia moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter nec etiam est de necessitate charitatis, est enim impossibile.

R. QUARTI EST: quia homo debet habere animum paratum ad hoc quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret.

NOTANDUM: Si absque articulo necessitatis homo etiam hoc (quod dictum est in quarto) actu adimpleat, ut diligat inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis (In corp. art.).

Art. IX. - *Utrum sit de necessitate salutis quod aliquis signa et effectus dilectionis inimico exhibeat.*

RESP. NEG. - *Scil.* : non est de necessitate salutis quod quis signa et effectus inimico exhibeat in particulari, nisi in praeparatione animi; sed de necessitate salutis est ut quis etiam inimico signa et effectus dilectionis exhibeat in communi, puta cum aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut cum aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati, ut dictum est in art. praec.

R. EST: quia effectus et signa charitatis ex interiori dilectione procedunt, et ei proportionantur. Sicut, igitur, tenemur etiam inimicos diligere in communi, ita etiam eis signa communia talis dilectionis exhibere tenemur, secus enim signum esset livoris vindictae. Similiter dicendum est de dilectione in particulari, quae non est de necessitate salutis, nisi in praeparatione animi; sed est de perfectione charitatis.

Art. X. - *Utrum debeamus angelos ex charitate diligere.*

RESP. AFF. - R. EST: quia amicitia charitatis fundatur super communicatione beatitudinis aeternae. In hac autem communicatione participant homines cum angelis (Mt. xxii, 30).

Art. XI. - *Utrum debeamus daemones ex charitate diligere.*

RESP. NEG. - *Scil.:* a) daemones ut spiritus diligere non possumus ex charitate ut amicos; sed b) possumus eos ex charitate diligere sicut diligimus creaturas irracionales (art. 3 hujus quaes.).

R. PRIMI EST: quia spiritibus illis a Deo aeternaliter damnatis bonum vitae aeternae ex charitate velle non possumus; hoc enim repugnaret charitati Dei, per quam ejus justitiam approbamus.

R. SECUNDI EST: quia possumus velle ex charitate ut illi spiritus in suis naturalibus conservantur ad gloriam Dei.

Art. XII. - *Utrum convenienter enumerentur quatuor ex charitate diligenda, scilicet Deus, proximus, corpus nostrum, et nos ipsi.*

RESP. AFF. - R. EST: quia in communicatione beatitudinis, super qua charitas fundatur, haec quatuor in consideratione veniunt: scilicet Deus, ut principium influens beatitudinem, seu causa beatitudinis; homo et angelus qui directe beatitudinem participant; et corpus humanum, ad quod beatitudo derivatur per quamdam redundantiam. Sic quatuor sunt rationes principales charitatis, secundum haec quatuor quae ex charitate diliguntur. Diversa enim habitudo diligentis ad diversa diligibilia facit diversam rationem diligibilitatis (Ad 1m).

QUAESTIO XXVI

De ordine charitatis

Deinde considerandum est de ordine charitatis: et circa hoc quaeruntur tredecim:

Art. I. - *Utrum in charitate sit ordo.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ubicumque est aliquod principium, oportet quod sit etiam aliquis ordo. Ordo enim est secundum prius et posterius secundum relationem ad aliquod principium. Charitatis autem principium est Deus, in quem charitas tendit principaliter (qu. praec. art. 12, et qu. xxiii, art. 1). Oportet ergo quod in his quae ex charitate diliguntur, attendatur aliquis ordo secundum relationem ad primum principium hujus dilectionis, quod est Deus.

NOTANDUM: Ordo pertinet ad rationem sicut ad ordinantem, et sic fides habet ordinem, secundum quod est principaliter de Deo, secundario autem de aliis quae referuntur ad Deum; sed ad vim appetitivam pertinet sicut ad ordinatam; et hoc modo ordo in charitate ponitur: est tamen principaliter in charitate quam in fide, quia ordo principaliter invenitur in ipsis rebus, et ex eis derivatur ad cognitionem nostram (Ad 2m et 3m passim).

Art. II. - *Utrum Deus sit magis diligendus quam proximus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia amicitia respicit principaliter id in quo principaliter invenitur illud bonum super cuius communicatione fundatur. Amicitia autem charitatis fundatur super communicatione beatitudinis, quae consistit in Deo essentialiter, sicut in primo principio, a quo derivatur in omnes qui sunt beatitudinis capaces. Et ideo principaliter et maxime Deus est ex charitate diligendus.

NOTANDA: 1. Non oportet quod illud quod est magis visibile, sit magis diligibile, sed quod prius occurrat nobis ad diligendum. Proximus ergo quia est nobis magis visibilis, primo occurrit nobis diligendus. Unde si aliquis proximum non diligit, argui potest quod nec Deum diligit, (ut Scriptura dicit, I Jn. iv, 20: *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?*).

2. Etiam ratione similitudinis, magis Deum diligere debemus quam proximum. Similitudo enim quam habemus ad Deum, est prior, et causa similitudinis quam habemus ad proximum. Nam, ex hoc quod participamus a Deo id quod ab ipso etiam proximus habet, similes proximo efficitur (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum homo debeat ex charitate plus Deum diligere quam seipsum.*

RESP. AFF. - *Scil. :* cum in ordine naturali, tum imo et magis in ordine gratiae.

R. EST: quia amor fundatur super communicatione bonorum: Deus autem est omnium bonorum cum in ordine naturali, tum et magis in ordine gratiae, commune et fontale principium. Ergo si in ordine naturali homo diligere debet Deum plus quam seipsum, amore naturali; multo magis eum diligere debet in ordine gratiae, amore charitatis.

Art. IV. - *Utrum homo ex charitate magis debeat diligere seipsum quam proximus.*

RESP. AFF. - *Scil. :* secundum naturam spirituales, in quo homo recte dicitur diligere seipsum (qu. xxv, art. 7); et secundum hoc debet homo magis se diligere post Deum, quam quemcumque alium.

R. EST: quia homo seipsum diligit ex charitate secundum rationem qua est particeps boni divini; proximus autem diligitur secundum rationem societatis in isto bono. Unde sicut unitas potior

est quam unio; ita quod homo ipse participet bonum divinum, est potior ratio diligendi quam quod alius associetur ipsi in hac participatione. Et ideo homo non debet subire aliquod malum peccati, quod contrariatur participationi beatitudinis, ut proximum liberet a peccato.

NOTANDUM: Licet proximus melior sit Deo propinquior, quia tamen non est ita propinquus charitatem habenti, sicut ipse sibi, non sequitur quod (ex parte subjecti) magis debeat aliquis proximum quam seipsum diligere (Ad 1m).

Art. V. – *Utrum homo magis debeat diligere proximum quam corpus proprium.*

RESP. AFF. – *Scil.:* quantum ad salutem animae.

R. EST: quia consociatio, quae est ratio diligendi proximum, est major ratio diligendi quam participatio beatitudinis per redundantiam, quae est ratio diligendi proprium corpus.

NOTANDUM: Cuilibet homini *imminet* cura proprii corporis; non autem imminet cuilibet homini cura de salute proximi, nisi forte in casu necessitatis; et ideo non est de necessitate charitatis quod homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu quo tenetur ejus saluti providere; sed quod aliquis sponte ad hoc se offerat, pertinet ad perfectionem charitatis (Ad 3m).

Art. VI. – *Utrum unus proximus sit magis diligendus quam alius.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia inclinatio gratiae quae est effectus charitatis, proportionatur his quae sunt exterius agenda, sicut affectus naturalis in naturalibus; ita scilicet ut ad eos intensiorem charitatis affectum habeamus, quibus convenit nos magis beneficos esse. Mensura autem hujus affectus regulatur secundum propinquitatem personae amatae ad Deum et ad diligentem, qui sunt dilectionis principium. Haec tamen differen-

tia dilectionis non est ex parte objecti, quia quantum ad hoc omnes homines aequè diligimus ex charitate, quia omnibus optamus bonum idem in genere, scilicet beatitudinem aeternam; sed est ex parte nostra, scilicet secundum intensiorem actus dilectionis (Ad 1m).

Art. VII. – *Utrum magis debeamus diligere meliores quam nobis conjunctiores.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) ratione objecti et quantum ad speciem, diversitas dilectionis quae est secundum charitatem, attendenda est in proximis diligendis secundum comparisonem ad Deum ut scilicet ei qui est propinquior, majus bonum ex charitate velimus; b) secundum vero intensiorem affectus magis diligendi sunt nobis conjunctiores.

R. PRIMI EST: quia licet bonum quod omnibus vult charitas, scilicet beatitudo aeterna, sit unum secundum se, habet tamen diversos gradus secundum diversas beatitudinis participationes.

R. SECUNDI EST: quia intensio dilectionis est attendenda per comparisonem ad ipsum hominem qui diligit.

Insuper, possumus diligere illos qui sunt nobis conjuncti plus quam illos, qui sunt meliores, quia dilectio ad conjunctos est magis stabilis, cum sit in natura fundata. Meliores autem possunt deficere, ut conjuncti possunt meliores esse. – Item, illos qui sunt nobis magis conjuncti pluribus modis diligimus, puta in quantum sunt consanguinei, et concives, etc., dum ad illos qui meliores sunt non habemus nisi amicitiam charitatis (In corp. art.).

NOTANDUM: Quantum ad verba Christi (Lc. xiv, 26): *Si quis venit ad me, et non odit patrem, etc.* dicendum est, in propinquis nostris non praecipimur odi quod propinqui nostri sunt, sed hoc so-

lum quod impediunt nos a Deo; et in hoc non sunt propinqui, sed inimici, secundum illud Micheae, vii, 6: *Inimici hominis domestici ejus* (Ad 1m).

Art. VIII. - *Utrum sit magis diligendus ille qui nobis est magis conjunctus secundum carnalem originem.*

RESP. AFF. - *Scil. :* si comparatur conjunctio unius amicitiae ad conjunctionem alterius amicitiae; non autem si mensuratur dilectio secundum rationem propriam talis conjunctionis.

R. EST: quia conjunctio naturalis originis est prior et immobilior, quam aliae conjunctiones; est enim secundum id quod pertinet ad substantiam; aliae autem conjunctiones sunt supervenientes, et removeri possunt. Et ideo amicitia consanguineorum est stabilior; sed aliae amicitiae possunt esse potiores secundum illud quod est proprium unicuique amicitiae.

Art. IX. - *Utrum homo ex charitate magis debeat diligere filium quam patrem.*

RESP. NEG. - *Scil. :* a) ex parte objecti magis est pater diligendus quam filius; b) ex parte autem diligentis magis est diligendus filius quam pater.

R. PRIMI EST: quia pater habet majorem rationem boni quam filius; nam patrem diligimus sub ratione principii, et est Deo similior.

R. SECUNDI EST: quia filius magis conjunctus est parentibus quam pater.

NOTANDA: 1. Quatuor notantur rationes quare parentes magis diligunt filios quam filii parentes. Prima est: quia parentes diligunt filios ut aliquid sui existentes, et haec dilectio similis est dilectioni qua quis diligit seipsum. Secunda est: quia parentes magis sciunt aliquos esse suos filios quam e converso. Tertia est: quia filius est magis propinquus parenti, utpote pars existens, quam pater

filio, ad quem habet habitudinem principii. Quarta est: quia parentes diutius amaverunt: nam statim pater incipit diligere filium; filius autem tempore procedente incipit diligere patrem.

2. Quia pater comparatur ad nos in habitudine principii, sicut et Deus; ad patrem proprie pertinet ut ei a filiis honor impendatur; ad filium autem ut ejus utilitati a parentibus provideatur. Quamvis in articulo necessitatis filius obligatus sit ex beneficiis susceptis ut parentibus maxime provideat (Ad 3).

Art. X. - *Utrum homo magis debeat diligere matrem quam patrem.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Pater, ut pater, i. e. ratione generationis, magis est diligendus quam mater.

R. EST: quia pater habet excellentiorem rationem principii quam mater; pater enim est principium per modum agentis, mater autem magis per modum patientis et materiae.

NOTANDUM: In generatione hominis mater ministrat materiam corporis informem; formatur autem per virtutem formativam, quae est in semine patris. Et quamvis hujusmodi virtus non possit creare animam rationalem, disponit tamen materiam corporalem ad hujusmodi formae susceptionem (Ad 1m).

Art. XI. - *Utrum homo plus debeat diligere uxorem quam patrem et matrem.*

RESP. NEG. - *Scil.:* a) secundum rationem boni, quod est objectum dilectionis, magis sunt diligendi parentes quam uxor; b) secundum rationem conjunctionis, magis diligenda est uxor.

R. PRIMI EST: quia parentes diliguntur sub ratione principii, et eminentioris cujusdam boni.

R. SECUNDI EST: quia uxor conjungitur viro ut una caro existens, secundum illud Mt. xix, 6:

Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Et ideo intensius diligitur uxor, sed major reverentia est parentibus exhibenda.

NOTANDUM: Quantum ad verba Gen. ii, 24: *Propter uxorem relinquet homo patrem et matrem*, dicendum est quod non quantum ad omnia deseritur pater et mater propter uxorem; in quibusdam enim magis debet homo assistere parentibus quam uxori: sed quantum ad unionem carnalis copulae, et cohabitationis, relictis omnibus parentibus, homo adhaeret uxori (Ad 1m).

Art. XII. – *Utrum homo debeat magis diligere benefactorem quam beneficiatum.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) benefactor est magis diligendus (praesertim a beneficiato) ratione majoris boni; b) beneficiatus autem magis est diligendus (a benefactore), ratione majoris conjunctionis.

R. PRIMI EST: quia benefactor est principium boni in beneficiato, et ideo habet excellentioris boni rationem, sicut dictum est de patre.

R. SECUNDI EST QUADRIPARTITA: Prima R. est: quia beneficiatus est quasi quoddam opus benefactoris. Naturale est autem cuilibet ut diligat opus suum, sicut diligit suum esse, et suum vivere, quod maxime manifestatur in suo agere. – Secunda R. est: quia unusquisque naturaliter diligit illud in quo inspicit suum bonum. Benefactor autem inspicit in beneficiato suum bonum honestum, et beneficiatus in benefactore suum bonum utile. Bonum autem honestum delectabilius consideratur quam bonum utile: tum quia est diuturnius, tum etiam quia bona honesta magis cum delectatione recolimus, quam utilitates quae nobis ab aliis proveniunt. – Tertia R. est: quia ad benefactorem pertinet ut plus amet, quia ad amantem pertinet agere. – Quarta R. est:

quia difficilius est beneficia impendere quam recipere. Ea autem in quibus laboramus, plus diligimus; quae vero nobis de facili proveniunt, quodammodo contemnimus.

NOTANDUM: Amor beneficiati ad benefactorem est magis debitus; et ideo contrarium habet rationem majoris peccati. Sed amor benefactoris ad beneficiatum est magis spontaneus; et ideo habet majorem promptitudinem (Ad 2m).

Art. XIII. - *Utrum ordo charitatis remaneat in patria.*

RESP. AFF. - *Scil. :* Ordo charitatis, quo Deus super omnia diligendus est, necessario manet in patria, ibi tamen quilibet homo beatus *a)* ex parte quidem boni quod alteri optatur, proximum meliorem magis quam seipsum diligit, *b)* ex parte autem diligentis, seipsum intensius quam proximum amabit.

R. PRIMI EST: quia quilibet beatus vult unumquemque habere quod ipsi debetur secundum divinam justitiam, propter perfectam conformitatem voluntatis humanae ad divinam. Tota enim vita beata consistit in ordinatione mentis ad Deum; unde totus ordo dilectionis beatorum observabitur per comparationem ad Deum.

R. SECUNDI EST: quia etiam homo beatus plus seipsum diligit quam proximum etiam meliorem; intensio enim actus dilectionis provenit ex parte subjecti diligentis, ut dictum est supra (art. 7 et 9 hujus quaes.).

NOTANDUM: Contingit tamen in patria quod aliquis sibi conjunctum pluribus modis diligit; non enim cessabunt ab animo beati honestae dilectionis causae. Tamen omnibus istis rationibus praefertur incomparabiliter ratio dilectionis, quae sumitur ex propinquitate ad Deum (In fine art.).

QUAESTIO XXVII

De principali actu charitatis, qui est dilectio

Deinde considerandum est de actu charitatis; et primo de principali actu charitatis, qui est dilectio; secundo de aliis actibus, vel effectibus consequentibus. Circa primum quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum charitatis sit magis proprium amari quam amare.*

RESP. NEG. – *Scil.:* magis est proprium charitatis amare, quam amari.

R. EST: quia magis convenit unicuique quod convenit ei per se et substantialiter, quam quod convenit ei per aliud. Proprium autem charitatis est amare, quod est actus proprius ipsius. Amari vero non est actus charitatis proprius ejus qui amatur, sed contingit ei propter aliquod bonum quod in ipso est, ad quod alius per actum charitatis movetur. Sic matres, quae maxime amant, plus quaerunt amare quam amari.

Art. II. – *Utrum amare, secundum quod est actus charitatis, sit idem quod benevolentia.*

RESP. NEG. – *Scil.:* actus charitatis addit benevolentiae unionem affectus amantis ad amantem.

R. EST: quia amans (amore intellectivo) aestimat amatum quodammodo ut unum sibi, vel ad se pertinens, et sic movetur in ipsum. Benevolentia autem est actus voluntatis, quo alteri bonum volumus; et sic est amicitiae principium: sed per se unionem affectivam non importat.

Art. III. – *Utrum Deus sit propter seipsum ex charitate diligendus.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Cum ly *propter* importet habitudinem alicujus causae, dicendum est a)

quod Deus propter seipsum diligimus secundum priores tres causas, scil. finalem, formalem, et efficientem; *b*) secundum autem causam materialem, seu dispositivam (quae ad materialem reducitur), Deus non propter seipsum diligimus, sed propter aliud.

R. PRIMI EST: quia Deus non ordinatur ad aliud sicut ad finem, sed ipse est finis ultimus omnium; - neque etiam informatur aliquo alio ad hoc quod sit bonus, sed ejus substantia est ejus bonitas, secundum quam exemplariter omnia bona sunt; - neque iterum ei ab altero bonitas inest, sed ab ipso omnibus aliis.

R. SECUNDI EST: quia ex aliquibus aliis disponimur ad hoc quod in Dei dilectione proficiamus; puta per beneficia ab eo suscepta, vel per praemia sperata, vel etiam per poenas, quas per ipsum vitare intendimus: causa enim materialis dilectionis est id quod nos disponit ad dilectionem, uti beneficia suscepta, etc. Sed his susceptis incipimus amare, non amplius propter beneficia, sed propter amici virtutem.

Art. IV. - *Utrum Deus in hac vita possit immediate amari.*

RESP. AFF. - R. EST: quia actus appetitivae virtutis perficitur per hoc quod appetitus inclinatur ad rem ipsam. Et secundum hoc, dilectio, quae est appetitivae virtutis actus, etiam in statu viae tendit in Deum primo, et ex ipso derivatur ad alia; et sic charitas Deum immediate diligit, alia vero Deo mediante.

NOTANDUM: Quamvis incognita non possunt amari, tamen non oportet quod sit idem ordo cognitionis et dilectionis; nam dilectio est cognitio terminus; et ideo ubi desinit cognitio, scilicet in ipsa re, quae per aliam cognoscitur, ibi statim dilectio incipere potest. (Ad 1m).

Art. V. - *Utrum Deus possit totaliter amari.*

RESP. AFF. - *Scil.* : a) prout totaliter referatur ad rem dilectam, inquantum res diligibilis est tota; b) prout totaliter referatur ad diligentem; c) non autem secundum comparationem diligentis ad rem dilectam.

R. PRIMI EST: quia totum quod ad Deum pertinet homo diligere debet.

R. SECUNDI EST: quia ex toto posse suo homo debet diligere Deum, et quidquid habet, ad Dei amorem ordinare, secundum illud Deut. vi, 5: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

R. TERTII EST: quia cum Dei bonitas sit infinita, et unumquodque intantum diligibile sit, inquantum est bonum; sequitur quod Deus est infinite diligibilis: hoc autem superat omnem virtutem creaturae, sive naturalem, sive infusam, quae est semper finita.

Art. VI. - *Utrum divinae dilectionis sit aliquis modus habendus.*

RESP. NEG. *Scil.* : Dilectio divina habet modum prout modus est in mensura, non autem prout est in mensurato.

R. EST: quia modus importat quamdam mensurae determinationem. Determinatio autem mensurae essentialiter est in ipsa mensura, quia non determinatur ab alio, sed est determinativa et modificativa aliorum. Mensura autem dilectionis Dei est ipse Deus, qui est finis ultimus dilectionis. Unde determinatio dilectionis Dei est essentialiter in ipso Deo. Unde in dilectione Dei non potest accipi modus sicut in re mensurata; sed sicut invenitur modus in mensura, in qua non potest esse excessus. Et ideo, sicut quanto plus attingitur regula, tanto melius est; ita, quanto

plus Deus diligitur, tanto est dilectio melior. - Sic finis, qui in omnibus appetibilibus et agibilibus rationem mensurae habet, habet modum secundum seipsum, illa autem quae sunt ad finem habent modum ex eo quod sunt fini proportio-nata.

NOTANDUM: Sicut illud quod per se est, potius est eo quod est per aliud; ita bonitas mensurae, quae per se habet modum, potior est quam bonitas mensurati, quae habet modum per aliud. Et sic etiam charitas, quae habet modum sicut mensura, praeeminet aliis virtutibus, quae habent modum sicut mensuratae (Ad 1m). - Ita etiam, est differentia inter actum charitatis interiorem, et actus exteriores. Nam interior actus charitatis habet rationem finis, quia ultimum bonum hominis consistit in hoc quod anima Deo inhaereat, secundum illud Ps. lxxii, 27: *Mihi adhaerere Deo bonum est*; exteriores autem actus charitatis sunt sicut ad finem; et ideo sunt commensurandi et secundum charitatem et secundum rationem (Ad 3m).

Art. VII. - *Utrum sit magis meritorium diligere inimicum quam amicum.*

RESP. NEG. - *Scil. : a) ex parte proximi praeeminet dilectio amici; b) ex parte rationis propter quam proximus ex charitate diligitur, seu ex parte Dei, praeeminet dilectio inimici.*

R. PRIMI EST: quia amicus est melior, et magis conjunctus, quam inimicus; unde est materia magis conveniens dilectioni. Unde est quod odi amicum pejus est quam odi inimicum.

R. SECUNDI EST DUPLEX: Prima R. est: quia dilectionis amici potest esse alia ratio quam Deus; sed dilectionis inimici solus Deus est ratio. - Secunda R. est: quia praesupposito quod uterque propter Deum diligitur, fortior ostenditur esse Dei dilectio quae animum hominis ad remotiora extendit, scil. usque ad dilectionem inimicorum;

sicut virtus ignis tanto ostenditur esse fortior, quanto ad remota diffundit suum calorem. Tamen ad propinquos major est fervor charitatis.

NOTANDUM: Dilectio amicorum apud Deum mercedem non habet, quando propter hoc solum amantur, quia amici; et hoc videtur accidere, quando sic amantur amici, quod inimici non diliguntur. Est tamen meritoria amicorum dilectio, si propter Deum diligantur, et non solum quia amici sunt (Ad 1m).

Art. VIII. - *Utrum sit magis meritorium diligere proximum quam diligere Deum.*

RESP. NEG. - *Scil. : a)* Si utraque dilectio seorsum consideretur, tunc non est dubium quin dilectio Dei sit magis meritoria; *b)* sed magis meritorium est proximum ex charitate diligere, et propter Deum, quam Deum solum amare non amando proximum.

R. PRIMI EST: quia dilectio Dei debetur merces propter seipsam, quia ultima merces est frui Deo, in quem tendit divinae dilectionis motus; unde et diligenti Deum merces promittitur: *Si quis diligit me, diligitur a Patre meo... et manifestabo ei meipsum* (Jn. xiv, 2).

R. SECUNDI EST: quia dilectio Dei perfecta est illa quae se extendit ad proximum, secundum illud: I. Jn. iv, 2: *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligit et fratrem suum.* Dilectio autem Dei, quae ad proximum non se extendit, est insufficientis et imperfecta.

NOTANDA: 1. Quantum ad verba S. Pauli (Rom. ix, 3): *Optabam anathema esse a Christo pro fratribus meis*, dicendum est, quod secundum unam Glossae expositionem (ord. Lyrani), hoc Apostolus tunc non optabat quando erat in statu gratia ut scil. separeretur a Christo pro fratribus suis; sed hoc optaverat quando erat in statu infidelitatis; unde in hoc non est imitandus. Vel potest dici,

sicut dicit Chrysostomus (Hom. 16 in Epis. ad Rom.) quod per hoc volebat Apostolus ad tempus privari fruitione divina, ad hoc quod honor Dei procuraretur in proximis (Ad 1m).

2. Non oportet quod omne difficilius sit magis meritorium; sed quod sic est difficilius ut etiam sit melius: plus enim facit rationem meriti et virtutis bonum quam difficile (Ad 3m).

QUAESTIO XXVIII

De gaudio

Deinde considerandum est de effectibus consequentibus charitatis actum principalem, qui est dilectio: et primo de effectibus interioribus; secundo de exterioribus. Circa primum tria consideranda sunt: primo de gaudio; secundo de pace; tertio de misericordia. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum gaudium in nobis sit effectus charitatis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sicut gaudium ut passio est effectus amoris, inquantum ex amore causatur vel propter praesentiam boni amati, vel etiam propter hoc quod ipsi bono amato proprium bonum inest et conservatur (I-II, qu. xxv, art. 1, 2 et 3); ita gaudium spirituale est effectus amoris Dei, cujus bonum immutabile est, cum ipse sit sua bonitas, et ex hoc ipso quod amatur, est in amante per nobilissimum sui effectum, secundum illud I. Jn. iv, 16: *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Et ideo spirituale gaudium quod de Deo habetur, ex charitate causatur.

NOTANDUM: Gaudium quod de bono divino in se considerato habetur, melius est et principalius procedit ex charitate, quam gaudium de bono di-

vino, prout a nobis participatur, quod procedit etiam ex spe, per quam expectamus divini boni fruitionem (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum gaudium spirituale quod ex charitate causatur, recipiat admixtionem tristitiae.*

RESP. NEG. - *Scil. :* a) gaudium principale, seu illud quo gaudemus de bono divino secundum se considerato permixtionem tristitiae non patitur; b) gaudium charitatis, quo gaudet aliquis de bono divino, secundum quod participatur a nobis, potest habere permixtionem tristitiae.

R. PRIMI EST: quia bonum illud de quo gaudetur, scil. bonum Dei, non potest aliquam mali admixtionem habere.

R. SECUNDI EST: quia haec participatio divini boni in nobis impediri potest per aliquod contrarium quod repugnat participationi divini boni vel in nobis, vel in proximis, quos tanquam nos ipsos diligimus. Sic etiam dilatio gloriae, quae erit in patria, pertinet ad impedimentum participationis divini boni, unde dicitur in Psal. cxix, 5: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum spirituale gaudium quod ex charitate causatur, possit in nobis impleri.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) non ex parte rei de qua gaudetur, i. e. Dei; b) sed parte gaudentis.

R. PRIMI EST: quia sic solum Dei gaudium est plenum de seipso; gaudium Dei enim est infinitum; et hoc est condignum infinitae bonitati Dei; cujuslibet autem creaturae gaudium oportet esse finitum.

R. SECUNDI EST: quia tunc gaudium est plenum quando jam nihil desiderandum restat. Quando

autem jam ad beatitudinem perfectam perventum fuerit, nihil desiderandum restabit, quia ibi erit plena Dei fructio, in qua homo obtinebit quidquid etiam circa alia bona desideraverit, secundum illud Psal. cii, 5: *Qui replet in bonis desiderium tuum*. Et ideo quiescet desiderium, non solum quo desideramus Deum, sed etiam erit omnium desideriorum quies. - Et quia istud gaudium omnino plenum et superplenum est, non capitur in homine, sed potius homo intrat in ipsum, secundum illud Mt. xxv, 21: *Intra in gaudium Domini tui*.

NOTANDUM: Cum perventum fuerit ad beatitudinem, unusquisque attinget terminum sibi praefixum ex praedestinatione divina, nec restabit ulterius aliquid quo tendatur; quamvis in illa terminatione unus perveniat ad majorem propinquitatem Dei, alius ad minorem. Et ideo uniuscujusque gaudium erit plenum ex parte gaudentis, quia uniuscujusque desiderium plene quietabitur; erit tamen gaudium unius majus quam alterius, propter pleniorum participationem divinae beatitudinis (Ad 2m).

Art. IV. - *Utrum gaudium sit virtus.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Gaudium non est aliqua virtus a charitate distincta, sed est quidam charitatis actus sive effectus.

R. EST: quia virtus (charitas) denominatur a primo suo actu, non autem ab actibus posterioribus. Primus autem actus charitatis est dilectio, quam sequitur desiderium et gaudium. Unde charitas non determinatur vel definitur a gaudio, sed a dilectione, quae est *actus* charitatis. - Item, quia gaudium ex parte objecti, ex quo virtus specificatur, nullam specialem rationem addit supra amorem, quae possit causare specialem virtutem (Ad 2m).

QUAESTIO XXIX

De pace

Postea considerandum est de pace; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum pax sit idem quod concordia.*

RESP. NEG. - *Scil.* : Pax includit concordiam, et aliquid addit.

R. EST: quia concordia (quae est diversorum cordium voluntates simul in unum consensum convenientes), importat unionem appetituum diversorum appetentium; pax autem supra hanc unionem importat etiam appetitum unius appetentis unionem; non enim est pax in homine si in ipso adest repugnantia appetitus motuum.

NOTANDA: 1. Sanctus Augustinus in *De Civitate Dei*, lib. xix, cap. 13 dicit quod « pax hominum est ordinata concordia ». Sed ibi loquitur Sanctus Doctor de pace, quae est unius hominis ad alium: et hanc pacem dicit esse concordiam, non quamlibet, sed ordinatam, ex eo scil. quod unus homo concordat cum alio secundum illud quod utrique convenit. Si enim homo concordat cum alio non spontanea voluntate, sed quasi coactus timore alicujus mali sibi imminentis, talis concordia non est vere pax; quia non servatur ordo utriusque concordantis, sed perturbatur ab aliquo timorem inferente. Et propter hoc praemittit, quod « pax est tranquillitas ordinis »; quae quidem tranquillitas consistit in hoc quod omnes motus appetitivi in uno homine conquiescant (Ad 1m).

2. Paci opponitur duplex dissensio; scilicet dissensio hominis ad seipsum, et dissensio hominis ad alterum. Concordiae autem opponitur haec sola secunda dissensio (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum omnia appetant pacem.*

RESP. AFF. - R. EST: quia omnia sunt appetentia bonum. Omne autem appetens appetit

tranquilla, et sine impedimento pervenire ad id quod appetit, in quo consistit ratio pacis, quam Augustinus (l. c.) definit «tranquillitatem ordinis».

NOTANDA: 1. Etiam illi qui quaerunt bella et dissentiones, non desiderant nisi pacem, quam se habere non existimant. Ut supra dictum est, non est pax si quis cum alio concordet contra id quod ipse magis vellet. Et ideo homines quaerunt hanc concordiam rumpere bellando, tanquam defectum pacis habentem, ut ad pacem perveniant, in qua nihil eorum voluntati repugnet. Et propter hoc omnes bellantes quaerunt per bella ad pacem aliquam pervenire perfectiorem quam prius haberent (Ad 2m).

2. Pax vera non potest esse nisi circa appetitum veri boni. Unde pax vera non potest esse nisi in bonis et bonorum. Pax autem quae malorum est, est pax apparens, et non vera; unde dicitur Sap. xiv, 22: *In magno viventes inscientiae bello, tot et tam magna mala pacem appellant* (Ad 3m). Verum bonum autem potest haberi perfecte et imperfecte. In primo est pax perfecta, quae consistit in perfecta fruitione summi boni, per quam omnes appetitus uniantur quietati in uno; et hic est ultimus finis creaturae rationalis, secundum illud Psal. cxlvii, v. 14: *Qui posuit fines tuos pacem*. Alia est pax imperfecta, quae habetur in hoc mundo: quia etsi principalis animae motus quiescat in Deo, sunt tamen aliqua repugnantia et intus, et extra, quae perturbant hanc pacem (Ad 4m).

Art. III. - *Utrum pax sit proprius effectus charitatis.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) cum secundum ordinationem priorum appetituum in unum; tum b) secundum unionem appetitus proprii cum appetitu alterius.

R. PRIMI EST: quia omnes appetitus nostri per charitatem feruntur in Deum, tanquam in unum: charitatis enim est ut Deus ex toto corde diligatur, et omnia nostra ad ipsum referamus.

R. SECUNDI EST: quia charitate proximum diligimus sicut nosipsos; ex quo contingit quod homo vult implere voluntatem proximi, sicut et sui ipsius; et propter hoc inter amicabilia unum ponitur «identitas electionis»; et Tullius dicit quod «amicorum est idem velle, et nolle». (*De amicitia*, ante medium).

NOTANDA: 1. Homo in peccato mortali constitutus non inhaeret principaliter vero finali bono, sed apparenti. Et propter hoc sine gratia gratum faciente non potest esse vera pax, sed solum apparens (Ad 1m).

2. Ad amicitiam non pertinet concordia in opinionibus, sed concordia in bonis conferentibus ad vitam, praecipue in magnis: quia dissentire in aliquibus parvis quasi videtur non esse dissensus. Dissensio autem de minimis et de opinionibus repugnat quidem paci perfectae, in qua plene veritas cognoscetur et omnis appetitus complebitur; non tamen repugnat paci imperfectae, qualis habetur in via (Ad 2m).

3. Pax est *opus justitiae* (Is. xxxii, 17) non directe, sed indirecte, inquantum scilicet (justitia) removet prohibens; sed est opus charitatis directe, quia secundum propriam rationem charitas pacem causat. Est enim amor vis unitiva, ut Dyonisius dicit (De div. nom., cap. 4, part. 2, lect. 9). Pax autem est unio appetitivarum inclinationum (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum pax sit virtus.*

RESP. NEG. - Scil. : pax non habet aliam virtutem propriam a qua procedit nisi ipsam charitatem.

R. EST: quia omnes actus ab agente procedentes secundum eandem rationem, pertinent ad eandem virtutem; sicut in igne non est alia virtus liquefactiva et rarefactiva. Ita pax, quae est effectus charitatis ex dilectione Dei et proximi procedens, non habet aliam virtutem propriam

a qua procedit, nisi ipsam charitatem, sicut dictum est de gaudio (qu. praec., art. 4).

NOTANDUM: Pax ponitur inter beatitudines, quae sunt actus virtutis perfectae (I-II, qu. lxxix, art. 1 et 3). Ponitur etiam inter fructus, in quantum est quoddam finale bonum, spirituales dulcedinem habens (Ad 1m).

QUAESTIO XXX

De misericordia

Postea considerandum est de misericordia; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum malum sit proprium motivum ad misericordiam.*

RESP. AFF. – *Scil.*: Secundum triplicem modum quo homo aliquid non vult, seu miseriam habet.

R. EST: quia ut Augustinus dicit (De Civ. Dei, lib. ix, cap. 5): « misericordia est alienae miseriae in nostro corde compassio, qua utique, si possumus, subvenire compellimur ». Miseria autem, quae felicitati opponitur, consistit in hoc quod aliquis patiat quae non vult; quod tripliciter contingere potest: primo, per contrarium appetitui naturali voluntatis; secundo, per contrarium voluntati electionis; tertio per contrarium toti voluntati; puta si aliquis semper sectatus est bona, et eveniunt ei mala. Et haec tria mala sunt motiva specifica misericordiae tanquam ad miseriam pertinentia, quorum ultimum est majus altero, et istud primis.

NOTANDA: 1. Culpa ut talis non habet rationem miseriae, quia est voluntaria. Est tamen etiam misericordiae objectum in quantum habet aliquod annexum quod est contra voluntatem; et secundum hoc peccatoribus compatimur et miseremur (Ad 1m).

2. Sicut justitia non est proprie ad nosipsos, sed ad alios; ita et misericordia, quae est *compassio miseriae alterius*. Sed quia illos, qui sunt nobis conjuncti, quasi aliquid nostri putamus, sicut parentes filios, in eorum malis proprie non miseremur sed *dolemus* (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum defectus sit ratio miserendi ex parte miserentis.*

RESP. AFF. - *Scil.*: ratio miserendi ex parte miserentis est a) vel amor ipsius miserentis erga personam, quae miseriam patitur; vel b) defectus seu cognitio defectibilitatis ipsius miserentis.

R. PRIMI EST: quia amans reputat ut suum, malum alterius, quem amat. Et sic Deus nobis miseretur, inquantum amat nos tanquam aliquid sui (Ad 1m).

R. SECUNDI EST: quia qui suam defectibilitatem cognoscit, possibilitatem videt similia mala proximi patiendi. Propter hoc senes et sapientes, quia considerant se posse in mala incidere, et etiam debiles et formidolosi, sunt magis misericordes. - Tamen illi qui sunt in infinitis malis, non timent se ulterius pati aliquid; et ideo non miserentur; similiter etiam nec illi qui valde timent quia tantum intendunt propriae passioni, quod non intendunt miseriae alienae (Ad 2m).

3. Superbi non miserentur, quia contemnunt alios, et reputant eos malos; unde reputant quod digne patiantur quidquid patiuntur. Unde Gregorius dicit (Hom. xxxiv in Evang.): « falsa justitia, scilicet superborum, non habet compassionem sed dedignationem » (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum misericordia sit virtus.*

RESP. AFF. - *Scil.*: secundum quod dolor vel compassio de miseria aliena nominat motum appetitus intellectivi.

R. EST: quia talis motus potest esse regulatus secundum rationem, «quando scilicet ita prae-betur misericordia, ut conservetur justitia, sive cum indigenti tribuitur, sive cum ignoscitur poenitenti», ut Augustinus dicit (De Civ. Dei, lib. ix, cap. 5). Et sic misericordia est virtus; ratio enim virtutis humanae consistit in hoc, quod motus animi ratione reguletur (I-II, qu. lix, art. 4 et 5). – **Dolor** vero de miseria aliena, qui nominat motum appetitus sensitivi, est passio; quae tamen etiam a virtute misericordiae regulari potest.

NOTANDA: 1. Nemesis aliquomodo opponitur misericordiae, quia misericors dolet de malis alienis inquantum aestimat aliquem indigna pati; nemisticus autem gaudet, inquantum aestimat aliquos digne pati, et tristatur, si indignis bene accidat; et utrumque est laudabile, et «ab eodem more descendens», ut dicit Augustinus (ibid.). Sed proprie misericordiae opponitur invidia, ut infra dicetur (qu. xxxvi, art. 3). – (Ad 2m).

2. Gaudium et pax nihil adjiciunt super rationem boni, quod est objectum charitatis; et ideo non requirunt alias virtutes quam charitatem. Sed misericordia respicit quamdam specialem rationem, scilicet miseriam ejus cujus miseretur (Ad 3m).

Art. IV. – Utrum misericordia sit maxima virtutum.

RESP. NEG. – *Scil.:* a) secundum se misericordia est maxima virtus; b) non autem per comparisonem ad habentem, nisi ille qui habet sit maximus.

R. PRIMI EST: quia ad misericordiam pertinet (secundum se) quod aliis effundat bonum, et, quod plus est, quod defectus aliorum sublevet; et hoc maxime superioris est. Unde et misereri ponitur proprium Deo; et in hoc maxime dicitur ejus omnipotentia manifestari.

R. SECUNDI EST: quia ille qui supra se aliquem habet, majus est et melius conjungi superiori quam supplere defectum inferioris. Et ideo quantum ad hominem, qui habet Deum superiorem, charitas, per quam Deo unitur, est potior quam misericordia, per quam defectus proximorum supplet.

Sed inter omnes virtutes quae ad proximum pertinent, potissima est misericordia; sicut etiam est potioris actus: nam supplere defectum alterius, in quantum est hujusmodi, est superioris et melioris.

NOTANDUM: Misericordia magis accepta est Deo quam sacrificium. Per exteriora sacrificia enim Deum colimus non propter ipsum, sed propter nos, et propter proximos. Non enim indiget sacrificiis nostris; sed vult sibi ea offerri propter nostram devotionem et proximorum utilitatem. Et ideo misericordia, qua subvenitur defectibus aliorum, est sacrificium ei magis acceptum, utpote propinquius utilitatem proximorum inducens, secundum illud Hebr. ult., 16: *Beneficentiae et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus.* - Unde quantum ad exteriora opera, summa religionis christianae in misericordia consistit (Ad 1m et 2m).

QUAESTIO XXXI

De beneficentia

Deinde considerandum est de exterioribus actibus vel effectibus charitatis; et primo de beneficentia; secundo de eleemosyna, quae est quaedam pars beneficentiae; tertio de correctione fraterna, quae est quaedam eleemosyna. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum beneficentia sit actus charitatis.*

RESP. AFF. - *Scil.:* secundum communem rationem boni quod alicui facimus.

R. EST: quia bonum secundum communem rationem boni pertinet ad rationem communem beneficentiae, quae est actus benevolentiae. Haec autem includitur in actu amicitiae seu charitatis. Et sic beneficentia est actus charitatis. - Si vero beneficentia accipiatur sub aliqua ratione boni speciali, erit specialis actus virtutis ad quam tale bonum specialiter pertinet. Sic benefacere bonum alicui subratione debiti est actus iustitiae; si sub ratione gratuiti, est actus liberalitatis; et sic de aliis (In corp. et ad 3m).

Art. II. - *Utrum sit omnibus benefaciendum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) cum ratione ipsius beneficentiae, b) tum ratione charitatis.

R. PRIMI EST: quia beneficentia movet superiora ad provisionem inferiorum. Homines autem sunt mutabiles; et sic sunt, vel possunt esse, secundum aliquid, vel secundum aliud, sibi invicem superiores et inferiores. Et sic omnibus est benefaciendum.

R. SECUNDI EST: quia beneficentia est actus charitatis; charitas autem se extendit ad omnes, sicut supra dictum est (qu. xxv et xxvi).

Art. III. - *Utrum sit magis benefaciendum his qui sunt nobis magis conjuncti.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) generaliter loquendo magis sunt beneficiendi hi qui sunt nobis magis conjuncti; b) tamen diversa beneficia dispensanda sunt secundum diversas conjunctiones; c) et hoc variari potest secundum diversitatem locorum, et temporum, et negotiorum.

R. PRIMI EST: quia in hoc gratia et virtus imitantur naturam: agens autem naturale per prius et magis diffundat suam actionem ad ea quae

sunt sibi magis propinqua. Sic etiam Deus in substantias sibi propinquiores per prius et copiosius dona suae bonitatis diffundit.

R. SECUNDI EST: quia unicuique est magis exhibendum beneficium pertinens ad illam rem secundum quam est magis nobis conjunctus; sic consanguineis in naturali conjunctione, concivibus in civili, fidelibus in spirituali, et sic de aliis.

R. TERTII EST: quia in aliquo casu est magis subveniendum extraneo, puta si sit in extrema necessitate, quam etiam patri non tantam necessitatem patienti. – Sic etiam in bello, caeteris paribus, praefertur commiliton conjuncto secundum carnem, propter bonum patriae (Ad 2m); et in extrema necessitate magis liceret deserere filios quam parentes, quos nullo modo deserere licet propter obligationem beneficiorum susceptorum, ut patet per Philosophum (Ethic. lib. viii, cap. ult.). – (Ad 4m).

Art. IV. – *Utrum beneficentia sit virtus specialis.*

RESP. NEG. – R. EST: quia eadem est ratio formalis objecti charitatis et beneficentiae; nam utraque respicit rationem boni communem (art. 1 hujus qu.). Unde beneficentia non est alia virtus a charitate, sed nominat quemdam charitatis actum.

NOTANDUM: Ex hoc quod dantur diversa praecepta charitatis et beneficentiae non sequitur quod sunt duae virtutes diversae, quia praecepta dantur non de virtutibus, sed de actibus virtutum (Ad 1m).

QUAESTIO XXXII

De eleemosyna

Deinde considerandum est de eleemosyna; et circa hoc quaeruntur decem:

Art. I. - *Utrum dare eleemosynam sit actus charitatis.*

RESP. AFF. - *Scil.*: mediante misericordia.

R. EST: quia eleemosyna est « opus quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum ». Hoc autem motivum pertinet ad misericordiam (qu. xxx, art. 1 et 2). Misericordia autem est effectus charitatis (qu. xxx, art. 2 et 3). Ergo dare eleemosynam est actus charitatis, mediante misericordia.

NOTANDA: 1. Dare eleemosynam materialiter potest esse sine charitate; formaliter autem eleemosynam dare, i. e., propter Deum delectabiliter, et prompte, et omni eo modo quo debet, non est sine charitate (Ad 1m).

2. Eleemosyna est opus satisfactorium, in quantum miseratio defectum patientis ordinatur ad satisfaciendum pro culpa. Habet autem rationem sacrificii, in quantum ordinatur ad placandum Deum. In primo casu eleemosyna est imperata a justitia; in secundo a latria. Semper tamen est elicita a charitate si est vere christiana. (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum convenienter eleemosynarum genera distinguantur.*

RESP. AFF. - *Scil.*: Septem sunt misericordiae opera, seu corporales eleemosynae in corporalibus defectibus proximis exhibendae, et totidem spiritualis eleemosynae genera, in spiritualibus defectibus exhibenda.

R. EST: quia septem sunt defectus corporales, et septem spirituales. Corporales autem sic distinguuntur: defectus in vita, et post vitam: in vita, sunt defectus communes, et alii speciales:

communes, quidam sunt interiores, et alii exteriores: interiores sunt fames et sitis, qui subveniuntur per alimentum siccum et per alimentum humidum: ad primum ponitur *pascere esurientes*, et ad secundum *potare sitientem*. Exteriores defectus communes sunt circa tegumentum et circa habitaculum. Quantum ad primum ponitur *vestire nudum*; quantum ad alterum ponitur *suscipere hospitem*. - Quantum ad defectus speciales corporales, hi sunt aut ex causa intrinseca, sicut infirmitas, et circa hoc ponitur *visitare infirmos*; aut ex causa extrinseca, et quantum ad hoc ponitur *redemptio captivorum*. - Post vitam autem exhibetur *mortuis sepultura*. Hi sunt septem genera eleemosynarum corporalium.

Defectibus spiritualibus subvenitur per actus spirituales dupliciter: poscendo a Deo auxilium, scilicet per orationem, *pro aliis orando*; et auxilium humanum impendendo, sic: contra defectum intellectus speculativi *indoctos docendo*; contra defectum intellectus practici *alios consillando*; contra defectum ex passione virtutis appetitivae provenientem *tristes confortando*. Quantum vero ad inordinatos actus humanos sic providetur: contra inordinatus actus voluntarios ponitur *correctio peccatorum*; contra inordinatos actus in nos commissos ponitur *remissio offensae*; contra actus inordinatos ex fragilitate provenientes, habetur *supportare infirmos*, et hoc non solum quantum ad peccata infirmitatis, sed etiam generaliter quantum ad proximi onera, sec illud Gal. vi, 2: *Alter alterius onera portate*. Et hae sunt septem genera eleemosynarum spiritualium.

Art. III. - *Utrum eleemosynae corporales sint potiores quam spirituales.*

RESP. NEG. - *Scil.*: simpliciter loquendo spirituales sunt potiores.

PRIMA R. EST ratione doni: quia donum spirituale quod exhibetur nobilius est dono corporali.

SECUNDA R. EST ex parte ipsius cui subvenitur: quia cui subvenitur per opera spiritualia scilicet spiritus, nobilior est.

TERTIA R. EST ex parte ipsorum actuum quibus subvenitur proximo: quia spirituales actus sunt nobiliores actibus corporalibus, qui sunt quodammodo serviles. - Tamen secundum aliquem particularem casum corporalis eleemosyna alicui spirituali praefertur; puta magis est pascendus fame moriens, quam docendus; et, ut Philosophus dicit (Top. lib. iii, cap. 2, loco 40): « Melius est (indigenti) ditari quam philosophari », quamvis hoc sit simpliciter melius.

NOTANDUM: Recompensatio operum eleemosynarum si est intenta diminuit meritum, secus non diminuit meritum. Recompensatio autem bonorum spiritualium, etiam si est intenta, non diminuit meritum (Ad 2m).

Art. IV. - Utrum eleemosynae corporales habeant effectum spiritualem.

RESP. AFF. - Scil.: a) eleemosynae corporales non secundum suam substantiam; b) sed ex parte earum causae; et c) ex parte effectus, habent effectum spiritualem.

R. PRIMI EST: quia secundum hoc non habent nisi corporalem effectum, inquantum scilicet suppleant corporales defectus proximorum.

R. SECUNDI EST: quia dare eleemosynam corporalem *propter* dilectionem Dei et proximi affert fructum spiritualement, secundum illud Eccli. xxix, 13: *Perde pecuniam propter fratrem... , pone thesaurum in praeceptis Altissimi; et proderit tibi magis quam aurum.*

R. TERTII EST: quia proximus, cui per corporalem eleemosynam subvenitur, movetur ad orandum pro benefactore. Unde et ibidem subditur: *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et haec pro te exorabit ab omni malo.*

NOTANDUM: Ille qui bene dat eleemosynam, non intendit emere aliquid spirituale per corporale, quia scit spiritualia in infinitum corporalibus praeminere; sed intendit per charitatis affectum spirituales fructus promereri (Ad 2m).

Art. V. – Utrum dare eleemosynam sit in praecepto.

RESP. AFF. – R. EST: quia dilectio proximi non potest conservari sine subventionem necessitatis ejus. Dicitur enim I. Jn. iii, 18: *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.*

Tamen actus charitatis qui per eleemosynam exerceri praecipitur pensandus est cum ex parte dantis, tum ex parte accipientis. Ex parte dantis de praecepto est eleemosynam dare de superfluo, secundum illud Lc. ii, 41: *Quod superest, date eleemosynam.* Ex parte accipientis ut ipse sit in extrema necessitate, secundum illud Ambrosii (De Off. lib. i, c. 30): « Pasce fame morientem; si paveris, occidisti ». In aliis enim necessitatibus minus urgentibus potest etiam ab aliis subveniri. – Alias autem eleemosynas dare est in consilio, sicut et de quolibet meliori bono consilia dantur.

NOTANDA: 1. Bona temporalia, quae homini divinitus conferentur, ejus quidem sunt quantum ad proprietatem; sed quantum ad usum non solum debent esse ejus, sed etiam aliorum, qui ex eis sustentari possunt ex eo quod ei superfluit (Ad 2m). – Et quantum ad futurum non oportet quod quis consideret omnes casus qui possunt contingere; hoc enim esset de crastino cogitare, quod Dominus prohibet. Sed debent dijudicari superfluum et necessarium secundum ea quae probabiliter et ut in pluribus occurrunt (Ad 3m).

2. Omnis subventio proximi reducitur ad praeceptum de honoratione parentum, secundum illud Apostoli (I Tim. iv, 8): *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae*. Sub pietate autem comprehenditur omnis eleemosynarum largitio (Ad 4m).

Art. VI. - *Utrum quis debeat dare eleemosynam de necessario.*

RESP. AFF. - *Scil. : a)* non de necessario sine quo aliquid esse non potest; *b)* sed de illo, sine quo non potest convenienter vita transigi secundum conditionem et statum propriae personae et aliarum personarum quarum cura ei incumbit.

R. PRIMI EST: quia de hoc necessario eleemosynam dare, est sibi et sui vitam substrahere. - Sed hoc dico nisi forte casus immineret, ubi substrahendo sibi, daret alicui magnae personae, per quam Ecclesia vel respublica sustentaretur; quia pro talis personae liberatione seipsum et suos laudabiliter periculo mortis exponeret; cum bonum commune sit proprio praeferendum.

R. SECUNDI EST: quia multis subtractis, adhuc remanet unde possit convenienter aliquis vitam transigere secundum proprium statum. Sed hoc non cadit sub praecepto; quia nullus inconvenienter vivere debet: sed cadit sub consilio, et hoc in duplici casu: primo, quando aliquis perfectionem evangelicam per ingressum in statum religiosum amplectitur; secundo, quando ea quae sibi quis subtrahit de facili resarciri possunt.

Art. VII. - *Utrum possit fieri eleemosyna de injuste acquisitis.*

RESP. NEG. - *Scil. : a)* illicita acquisita *quae debentur* ei a quo acquisita sunt, puta per rapinam, furtum et usuram, *non debent* dari in elee-

mosynam; b) illicite acquisita *quae non debentur* ei a quo acquisita sunt, puta per simoniam, et alia hujusmodi, *debent* in eleemosynas erogari; c) acquisita quae sunt in se licita, sed ex aliquo illicito acquisita, puta per turpe lucrum, sicut meretricium, *possunt* in eleemosynam erogari.

R. PRIMI EST: quia de talis acquisitis homo tenetur ad restitutionem.

R. SECUNDI EST: quia in istis casibus datio et acceptio sunt contra legem.

R. TERTII EST: quia quamvis in hoc casu mulier turpiter agit et contra legem Dei, tamen in eo quod accipit, non injuste agit, nec contra legem. Unde quod sic illicitum acquisitum est, retineri potest, et de eo eleemosyna fieri.

NOTANDA: 1. Quantum ad verba Christi: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis* (Lc. xvi, 9), i. e. de divitiis iniquitatis pauperibus elargendo, considerandum est quod divitiae dicuntur iniquitatis quia de facili ad iniquitatem ducunt; vel etiam quia «in pluribus praedecessoribus, quibus patrimonio succedis, aliquis reperitur, qui injuste usurpavit aliena, quamvis tu nescias», ut Ambrosius dicit (De quaest. Evang. lib. ii, q. xxxiv in fine). - (Ad 1m).

2. In extrema necessitate omnia sunt communia. Unde licet, in hoc casu, accipere et dare de alieno. Si tamen fieri potest sine periculo, requisita domini voluntate, debet pauperi providere extremam necessitatem patienti (Ad 3m).

Art. VIII. - *Utrum ille qui est in potestate alicujus constitutus possit eleemosynam facere.*

RESP. NEG. - *Scil.:* quantum ad ea in quibus inferior superiori subjicitur.

R. EST: quia sicut in ordine naturali, inferiora secundum superiora regulantur; ita ille qui sub potestate est constitutus, de re secundum quam

superiori subijcitur, eleemosynam facere non debet sine licentia superioris vel expresse habita, vel probabiliter praesumpta, nisi forte in articulo extremae necessitatis, in quo licitum esset homini furari, ut eleemosynam daret (Ad 1m).

Si quis vero habeat aliquid secundum quod potestati superiori non subsit, jam secundum hoc non est potestati subjectus, quantum ad hoc proprii juris existens; et de hoc potest eleemosynam facere (In fine art.).

Art. IX. - *Utrum propinquioribus sit magis eleemosyna danda.*

RESP. AFF. - R. EST: quia quadam sorte nobis obvenit ut eis magis providere debeamus. - Tamen multo sanctiori magis indigentiam patienti, et magis utili ad commune bonum est magis eleemosyna danda quam personae propinquiori; maxime si non sit multum conjuncta, cujus cura specialis nobis non immineat, et si magnam necessitatem non patiatur.

Art. X. - *Utrum eleemosyna sit abundanter facienda.*

RESP. AFF. - *Scil. :* Cum ex parte dantis, tum ex parte recipientis.

R. PRIMI EST: quia ille qui dat multum secundum proportionem propriae facultatis, laudabilis est, ut de vidua patet quam Dominus laudavit (Lc. xxi).

R. SECUNDI EST: quia laudabile est ut eleemosyna supplet sufficienter indigentiam recipientis, secundum ejus condiciones personales et sociales (Ad 3m). - Tamen eleemosyna non debet superabundare ad superfluum; sed melius est pluribus indigentibus elargiri.

QUAESTIO XXXIII

De correctione fraterna

Deinde considerandum est de correctione fraterna; et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum fraterna correctio sit actus charitatis.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) correctio fraterna proprie dicta, quae est illa quae respicit peccatum ut quoddam malum ipsius peccantis, est actus charitatis; b) illa vero quae respicit peccatum ut quoddam malum societatis, est actus iustitiae.

R. PRIMI EST: quia correctio fraterna sic proprie dicta ordinatur ad emendationem delinquentis per remotionem mali ejus. Remove autem malum alicujus, ejusdem rationis est sicut bonum ejus procurare; procurare autem fratris bonum pertinet ad charitatem. Et sicut bonum animae potius est bono corporis, ita correctio fraterna potior est quam curatio infirmitatis corporalis, vel subventio, qua excluditur exterior egestas.

R. SECUNDI EST: quia secundum hoc, correctio fraterna ordinatur ad conservationem rectitudinis iustitiae unius ad alterum.

NOTANDUM: In correctione fraterna prudentia partem habet secundariam quasi dirigens et exequens actum charitatis (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum correctio fraterna sit in praecepto.*

RESP. AFF. - *Scil.:* hoc modo cadit sub praecepto, secundum quod est necessaria ad emendationem fratris, quae est finis correctionis fraterne.

R. EST: quia bonum virtutis attenditur ex ratione finis ipsius. - Tamen ratio finis in praeceptis affirmativis attendenda est praecipue in

circumstantiis virtuosi actus, ut scilicet fiat ubi debet, et quando debet, et secundum quod debet. Potest enim fieri ut omissio alicujus circumstantiae totaliter tollat bonum virtutis. Unde praeceptum correctionis fraternae obligat quidem semper sed non ad semper (vel pro semper), i. e. pro quolibet loco et tempore.

NOTANDA 1. Correctio fraterna tripliciter omitti potest: a) *meritorie*, quando ex charitate alicuius correctionem omittit, quia opportunum tempus inquit, vel quia fratri ipsi metuit, ne deterior ex hoc efficiatur; b) *cum peccato mortali*, quando formidatur iudicium vulgi, et carnis excruciatio vel peremptio; dum tamen haec tria ita dominantur in animo quod fraternae charitati praeponantur, et sic propter timorem vel cupiditatem praetermittitur fraterna correctio, dum probabiliter praesumitur de aliquo quod posset a peccato retrahi; c) *cum peccato veniali*, quando timor vel cupiditas tardiolem facit hominem ad corripienda delicta fratris. Et hoc modo quandoque viri sancti negligunt corrigere delinquentes (Ad 1m).

2. Sicut ille qui debet pecuniam creditori, debet eum requirere, cum tempus fuerit, ut ei debitum reddat; ita qui habet specialiter curam alicujus, debet eum quaerere ad hoc quod eum corrigat de peccato. Sed illa beneficia quae non debentur certae personae, sed communiter omnibus proximis, sive sint corporalia, sive spiritualia, non oportet nos quaerere quibus impendamus; sed sufficit quod impendamus eis qui nobis occurrunt (Ad 4m).

Art. III. – *Utrum correctio fraterna pertineat solum ad praelatos.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) correctio fraterna quae specialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis *per simplicem admonitionem*, non solum ad praelatos pertinet, sed etiam ad omnes charitatem habentes; b) illa vero correctio quae est etiam interdum *per punitionem* ad solos praelatos pertinet.

R. PRIMI EST: quia correctio fraterna est actus charitatis: quicumque ergo charitatem habet, hunc actum charitatis exercere potest et debet.

R. SECUNDI EST: quia ad solos praelatos pertinet, non solum subditos sibi fratres admonere, sed etiam corrigere puniendo. - Unde gravior est cura praelatorum in correctione fraterna, quam aliorum.

Art. IV. - *Utrum quis teneatur corrigere praelatum suum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Correctione illa fraterna quae est actus charitatis.

R. EST: quia haec correctio fraterna pertinet ad quemcumque respectu cujuslibet personae, ad quam charitatem debet habere. - Sed, quia actus virtuosus debet esse moderatus debitis circumstantiis, ideo in correctione qua subditi corrigunt praelatos, debet modus congruus adhiberi, ut scilicet non cum protervia et duritia, sed cum mansuetudine et reverentia corripiantur, et quidem in occulto, nisi immineret periculum fidei, quia hoc in casu etiam publice essent praelati a subditis arguendi (Ad 2m).

NOTANDUM: Considerandum est quod cum aliquis praelatum charitative monet, non propter hoc se majorem existimat, quia in hac vita nullus est qui aliquem defectum non habet; sed auxilium impartitur ei, qui « quanto in loco superiori, tanto in periculo majori versatur ». (Ad 3m).

Art. V. - *Utrum peccator debeat corrigere delinquentem.*

RESP. NEG. - PRIMA R. Est: quia ex peccato praecedenti indignus redditur ut alium corrigat.

SECUNDA R. EST: quia si peccatum corripientis sit manifestum, sequeretur scandalum; videtur

enim quod ille qui corrigit, non corrigat ex charitate, sed magis ad ostentationem.

TERTIA R. EST: quia corripiens propria peccata parvipendens, seipsum proximo praefert in corde suo, peccata ejus austera severitate dijudicans, ac si ipse esset justus. - Tamen, si peccator cum humilitate corripiat delinquentem, non peccat, nec sibi novam condemnationem acquirit; licet per hoc vel in conscientia fratris vel saltem sua pro peccato praeterito condemnabilem se esse ostendat.

Art. VI. - *Utrum quis debeat a correctione cessare propter timorem, ne ille fiat deterior.*

RESP. AFF. - *Sci!.* a) correctio quae ad praelatos pertinet non est dimittenda propterurbationem ejus qui corripitur; b) correctio fraterna cujus finis est emendatio delinquentis per simplicem admonitionem, est, in casu praedicto, dimittenda.

R. PRIMI EST: tum quia si propria sponte emendari non velit, cogendus est per poenas, ut peccare desistat: tum etiam quia si incorrigibilis sit, per hoc providetur bono communi, dum servatur ordo justitiae, et unius exemplo alii deterrentur.

R. SECUNDI EST: quia ea quae sunt ad finem debent regulari secundum quod exigit ratio finis. Finis autem correctionis est emendatio fratris. Si ergo per admonitionem deterior quis efficiatur, ipsa correctio esset magis impeditiva finis.

Art. VII. - *Utrum in correctione fraterna debeat ex necessitate praecepti admonitio secreta praecedere denuntiationem.*

RESP. AFF. - *Sci!.* a) peccata publica sunt publice arguenda; b) quantum ad peccata occulta,

si haec talia sunt in nocumentum proximorum vel corporale, vel spirituale; puta si aliquis occulte tractet, quomodo civitas tradatur hostibus, vel si haereticus privatim homines a fide avertat, statim denuntianda sunt, nisi forte aliquis firmiter aestimaret quod statim per secretam admonitionem possit hujusmodi mala impedire; c) si vero peccatum occultum solum malum peccantis est et ejus in quem peccatur, praetermittenda est admonitio, et hoc est de necessitate praecepti.

R. PRIMI EST: quia non est tantum adhibendum remedium ei qui peccavit, ut melior fiat; sed etiam aliis, in quorum notitiam devenit, ut non scandalizentur.

R. SECUNDI EST: quia ille qui sic occulte peccat, non solum in te peccat, sed etiam in alios, oportet statim procedere ad denuntiationem, ut hujusmodi nocumentum impediatur.

R. TERTII EST: quia ille qui studet emendationi fratris, debet, si potest, sic emendare fratrem quantum ad conscientiam, *ut fama ejus conservetur*; quae quidem est utilis primo quidem ipsi peccanti, non solum in temporalibus, in quibus quantum ad multa homo patitur detrimentum, amissa fama; sed etiam quantum ad spiritualia, quia prae timore infamiae multi a peccato retrahuntur, unde quando se infamatos conspiciunt irrefrenate peccant. - Si autem peccator, post admonitionem, non vult a peccato cessare, tunc, servato ordine charitatis et prudentiae, conscientia praeferenda est famae; vult enim Dominus ut saltem cum dispendio famae, fratris conscientia per publicam denuntiationem a peccato liberetur.

NOTANDUM: Praelatus contra hunc ordinem a Domino institutum agens, graviter peccat, et ei obediens in hoc etiam peccat. Praelatus enim non

est iudex occultorum; et *obedire oportet Deo magis quam hominibus* (Ad 5m).

Art. VIII. - *Utrum testium inductio debeat praecedere publicam denuntiationem.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia inter correptionem occultorum fratris a fratre et publicam denuntiationem convenienter ponitur medium, scil. inductio testium, sicut Dominus praecipit (Mt. xviii, 16). Nam de uno extremo ad aliud extremum convenienter transitur per medium. Et hoc fit, in casu, ut saltem sine multitudinis infamia frater emendetur. - Tamen, quamdiu spes probabiliter habetur de correctione, per secretam admonitionem procedendum est; nisi forte probabiliter aestimaretur quod hoc ad emendationem fratris non proficeret, sed exinde deterior redetur; quia propter hoc est totaliter a correctione cessandum, ut supra dictum est (art. 6 hujus quaes.). - (Ad 1m).

QUAESTIO XXXIV

De odio

Deinde considerandum est de vitiis oppositis charitati; et primo de odio, quod opponitur ipsi dilectioni; secundo de accedia et invidia, quae opponuntur gaudio charitatis; tertio de discordia et schismate, quae opponuntur paci; quarto de offensione et scandalo, quae opponuntur beneficentiae et correctioni fraternae. Circa primum quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum quis possit Deum odio habere.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) Deus visus in seipso a nullo potest odio haberi; b) visus secundum quosdam effectus, scil. secundum esse, vivere et intelligere creaturarum, a nullo potest odio haberi;

c) secundum quosdam alios effectus potest quis Deum odio habere.

R. PRIMI EST: quia Deus secundum seipsum est ipsa bonitas; de ratione autem boni est ut ametur.

R. SECUNDI EST: quia tales effectus nullo modo possunt esse contrarii voluntati humanae; nam esse, vivere et intelligere est appetibile et amabile omnibus.

R. TERTII EST: quia sunt quidam alii effectus qui repugnant inordinatae voluntati hominum, sicut inflictio poenae, et cohibitio peccatorum per legem divinam, vel aliquid aliud.

Art. II. - *Utrum odium Dei sit maximum peccatorum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia, sicut amor Dei per se Deo inhaeret; ita odium Dei per se avertit voluntatem a Deo: alia autem peccata avertunt per aliud, ad quod est annexa aversio, sicut fornicatio per delectationem ad quam est annexa aversio a Deo. Id autem quod est per se semper potius est eo quod est secundum aliud.

NOTANDUM: Odium Dei maxime est peccatum in Spiritum sanctum, secundum quod peccatum in Spiritum sanctum nominat aliquod genus speciale peccati; ideo tamen non computatur inter species peccati in Spiritum sanctum, quia generaliter invenitur in omni specie peccati in Spiritum sanctum (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum omne odium proximi sit peccatum.*

RESP. AFF. - *Scil.* : licet habere odio peccatum in fratre, et omne illud quod pertinet ad defectum divinae justitiae; sed ipsam naturam et gratiam fratris non potest aliquis habere odio sine peccato.

R. EST: quia amor debetur proximo secundum id quod a Deo habet, id est, secundum naturam et gratiam; non autem debetur ei amor secundum id quod habet a seipso et diabolo, scilicet secundum peccatum et justitiae defectum.

NOTANDUM: Parentes, quantum ad naturam et affinitatem qua nobis junguntur, sunt a nobis secundum praeceptum Dei honorandi, ut patet Exodi xx. Odiendi autem sunt quantum ad hoc quod impedimentum praestant nobis accedendi ad perfectionem divinae justitiae (Ad 1m).

Art. IV. - *Utrum odium proximi sit gravissimum peccatorum quae in proximum committuntur.*

RESP. NEG. - *Scil.:* quantum ad inordinationem voluntatis odium est gravius peccatum; quantum ad nocumentum exteriora peccata sunt pejora.

R. EST: quia per odium deordinatur voluntas hominis, quae est potissimum in homine, et ex qua est radix peccati. Tamen quantum ad nocumentum quod proximo infertur, pejora sunt exteriora peccata quam interiora odium, inquantum plus nocent proximo quam odium.

Art. V. - *Utrum odium sit vitium capitale.*

RESP. NEG. - R. EST: quia odium, cum sit gravissimum malum, non est primum in destructione virtutis, quae fit per vitia, sed ultimum; nam in his quae contra naturam fiunt (sicut in destructione virtutis), primo receditur id quod est minus secundum naturam, et ultimo id quod est maxime secundum naturam. Amor autem, praesertim Dei et proximi, est maxime secundum naturam. Unde ultimo per odium receditur. Consequenter odium non est vitium capitale; talia autem vitia sunt ex quibus ut frequentius alia vitia oriuntur.

NOTANDUM: Loquimur hic de odio quod est peccatum; id est, odium non de vero malo, quia odium de vero malo est bonum, et rationem prioritatis habet inter passiones; sed objectum odii, de quo hic loquimur, est malum apparens, et aestimatur ut malum propter corruptionem naturae; et huiusmodi mali odium oportet quod sit in ultimo (Ad 3m).

Art. VI. - *Utrum odium oriatur ex invidia.*

RESP. AFF. - R. EST: quia invidia est tristitia de bono proximi. Bonum igitur proximi redditur nobis odiosum; causat enim in nobis tristitiam, quam naturaliter fugere volumus. Inde est quod ex invidia oritur odium.

NOTANDA: 1. Sicut amor causat desiderium et delectationem in bono, et delectatio ipsa in quantum habet rationem boni causat amorem, et sic est circulatio quaedam inter amorem et delectationem; ita est etiam inter odium et tristitiam. Nam aliquis tristatur de bono alterius, quia ipsum non amat, sed ipsum odio habet, et ipsum odio habet quia de ipso tristatur (Ad 1m).

2. Invidia non potest esse causa odii quod est ad Deum; non enim invidemus his qui maxime a nobis distant: sed cum invidia ad proximum sit mater odii quod est ad proximum, fit per consequens causa odii quod est in Deum (Ad 2m).

3. Odium oritur etiam ex ira, sed diversimode. Nam odium directius oritur ex invidia, per quam ipsum bonum proximi redditur contristabile, et per consequens odibile; sed ex ira oritur odium secundum quoddam augmentum; primo enim per iram appetimus malum proximi, secundum quamdam mensuram, prout scilicet habet rationem vindictae; postea autem per continuitatem irae pervenitur ad hoc quod homo malum proximi absolute desideret, quod pertinet ad rationem odii. Unde patet quod odium ex invidia causatur formaliter secundum rationem objecti, ex ira autem dispositive (Ad 3m).

QUAESTIO XXXV

De acedia

Deinde considerandum est de vitiis oppositis gaudio charitatis, quod quidem est de bono divino, cui gaudio opponitur acedia; et de bono proximi, cui gaudio opponitur invidia. Unde considerandum est de acedia; secundo de invidia. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum acedia sit peccatum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Acedia, quae est tristitia de bono spirituali, potest esse mala secundum se, et secundum suum effectum, et in utroque casu est peccatum.

R. EST: quia tristitia potest esse de malo apparenti, et quod in se est vere bonum; et haec est tristitia secundum se mala; vel potest esse tristitia de vero malo, sic tamen quod aggravet hominem, ita ut eum totaliter a bono opere retrahat. Unde Apostolus (II. Cor. 11) non vult ut *poenitens majori tristitia de peccato absorbeatur.*

NOTANDA: 1. Omnis corporalis defectus de se ad tristitiam disponit: et ideo jejunantes circa meridiem, quando jam incipiunt sentire defectum cibi, et urgeri ab aestibus solis, magis ab acedia impugnantur (Ad 2m).

2. Ad humilitatem pertinet ut homo defectus proprios considerans, seipsum non extollat; sed hoc non pertinet ad humilitatem, sed potius ad ingratitudinem, quod bona quae quis a Deo possidet, contemnat: et ex tali contemptu sequitur acedia; de his enim tristamur quae quasi mala vel vilia reputamus (Ad 3m).

3. Remedium contra acediam est consideratio de bonis spiritualibus; quia quanto magis de istis cogitamus, tanto magis nobis placentia redduntur; ex quo cessat acedia (Ad 4m).

Art. II. - *Utrum acedia sit vitium speciale.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) illa acedia quae tristitiam importat de bono divino ex charitate diligend ; b) non vero illa qua tristamur de bono cujuslibet virtutis.

R. PRIMI EST: quia gaudium de bono spirituali de quo acedia tristatur, specialiter ad charitatem pertinet, quae est specialis virtus circa bonum divinum; nam omnia spiritualia bona ad bonum charitatis ordinantur. Tristitia ergo de hoc bono specialem rationem habet.

R. SECUNDI EST: quia illa tristitia qua quis tristatur de bono spirituali quod est in actibus singularum virtutum, non pertinet ad aliquod vitium speciale, sed ad omnia vitia.

Art. III. - *Utrum acedia sit peccatum mortale.*

RESP. AFF. - *Scil. :* Acedia est peccatum mortale ex genere suo.

R. EST: quia ex suo genere acedia contrariatur charitati, per quam Deus nos inhabitet. Nam proprius effectus charitatis est gaudium de Deo (qu. xxviii, art. 1); acedia autem est tristitia de bono spirituali, in quantum est bonum divinum. Unde secundum suum genus acedia est peccatum mortale; id est, si haec tristitia suam perfectionem consequitur per plenum rationis consensum in fugam, et horrorem, et detestationem boni divini, carne contra spiritum praevalente, tunc peccatum mortale est; si vero in sola sensualitate consistat propter repugnantiam carnis ad spiritum, tunc est peccatum veniale.

Art. IV. - *Utrum acedia debeat poni vitium capitale.*

RESP. AFF. - R. EST: quia vitium capitale illud est ex quo prompte alia vitia oriuntur secundum

rationem causae finalis. Propter tristitiam autem multa operantur, vel ut ipsam evitent, vel ejus pondere in aliqua agenda prorumpentes. Unde cum acedia sit tristitia, convenienter ponitur vitium capitale.

NOTANDUM: Fuga a bono divino, quae ex tristitia acediae immediate oritur, potest esse a fine et sic importat *desperationem*; vel ab his quae sunt ad finem ut *ardua*, et secundum hoc est *pusillanimitas*; vel *communiter* circa ea quae sunt ad finem, quod fit per *torporem circa praecepta*. Item, acedia quandoque impugnat contra homines qui bona spiritualia habent, et secundum hoc oritur *rancor*; vel impugnat contra ipsa bona divina, et sic habetur *malitia*. Acedia etiam se transfert ad delectabilia exteriora, scil. per *evagationem circa illicita*. Hae sunt, secundum Gregorium (Moral. lib. xxxi, cap. 17, a medio), sex filiae acediae. Notandum est tamen quod hic desperatio, malitia, etc. habent sensum particularem, quod patet ex dictis. (Ad 2m). – Item notandum est, quod ex rancore acediae oritur *amaritudo*; et ex torpore circa praecepta oritur *otiositas* et *somnolentia*, inquantum quis praecepta omnino praetermittens, vel ea negligenter implet. Ex evagatione autem oriuntur alia quinque: *importunitas mentis*, *inquietudo corporis*, *instabilitas*, *verbositas*, et *curiositas* (Ad 3m).

QUAESTIO XXXVI

De invidia

Deinde considerandum est de invidia; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum invidia sit tristitia.*

RESP. AFF. – *Scil. :* invidia est tristitia de bono alieno a) non inquantum est nobis nocivum, sicut bona inimici; sed b) inquantum est diminutivum nostrae gloriae vel excellentiae.

R. PRIMI EST: quia sic tristitia est magis timoris effectus, quam aliquid aliud.

R. SECUNDI EST: quia homines invident praecipue de illis bonis in quibus est gloria et in quibus homines amant honorari, et in opinione esse, ut Philosophus dicit (Rhetor. cap. 10).

NOTANDA: 1. Homo non invidet his qui multum distant vel loco, vel tempore, vel statu, sicut plebejus non invidet regi; sed his qui sunt propinqui, quibus se nititur aequare, vel praeferre. Nam cum illi excedunt in gloria, accidit hoc contra nostram voluntatem; et inde causatur tristitia. Similitudo autem delectationem causat, in quantum concordat voluntati (Ad 2m).

2. Amatores honoris sunt magis invidi; et similiter etiam pusillanimes sunt invidi, quia omnia reputant magna; et quidquid boni alicui accidat, reputant se in magno superatos esse. Unde et Job, v, 2 dicitur: *Parvulum occidit invidia.*

Art. II. - *Utrum invidia sit peccatum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia invidia proprie dolet de bono proximi, de quo est gaudendum.

NOTANDUM: Distinguenda est invidia: a) a tristitia de excellentia inimici, in quantum nobis nocet, talis enim tristitia est effectus timoris, ut dictum est (art. praec.); b) a tristitia quae oritur ex zelo, in quantum volumus bonum habere sicut caeteri habent, et potest esse sine peccato, imo aliquando est virtus; et c) a *nemesi* quae oritur ex hoc quod aliquis indigne honoratur. Haec tamen tristitia esse non debet si bona temporalia, quae alicui eveniunt, considerantur evenire ex ordine justitiae divinae (In corp. art.).

Art. III. - *Utrum invidia sit peccatum mortale.*

RESP. AFF. - *Scil.:* ex genere suo.

R. EST: quia secundum suum genus (quod ex objecto consideratur) invidia contrariatur charitati, per quam est vita animae, secundum illud I. Joan. iii, 14: *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Nam invidia de eodem objecto de quo cha-

ritas gaudet, scil. de bono proximi, tristatur, ut dictum est in art. praec. – Est tamen peccatum veniale si motus invidiae est imperfectus, in quantum scilicet est motus passionis sensualitatis.

Art. IV. – *Utrum invidia sit vitium capitale.*

RESP. AFF. – *Scil.* : eadem ratione sicut acedia.

R. EST: quia sicut acedia est tristitia de bono spirituali divino, ita invidia est tristitia de bono proximi. (Vide quaes. praec. art. 4).

NOTANDA: 1. Invidentia fraternae gratiae, secundum quod aliquis dolet de ipso augmento gratiae Dei, inter gravissima peccata computatur, ut peccatum contra Spiritum sanctum, quia per hanc invidentiam homo quodammodo invidet Spiritui sancto, qui in suis operibus glorificatur (Ad 2m).

2. Filiae invidiae sic enumerantur, secundum principium, medium et terminum motus invidiae: secundum principium quidem conatur aliquis diminuire gloriam alterius vel modo occulto vel manifesto, et sic habetur *susurratio* et *detractio*; secundum medium habetur *exultatio in adversis*, et *afflictio in prosperis*; secundum terminum habetur *odium* (Ad 3m).

QUAESTIO XXXVII

De discordia

Deinde considerandum est de peccatis, quae opponuntur paci: et primo de discordia, quae est in corde; secundo de contentione, quae est in ore; tertio de his quae pertinent ad opus; scil. de schismate, rixa, et bello, ac seditione. Circa primum quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum discordia sit peccatum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : a) discordia quae est *per se*, i. e., scienter et cum intentione volita, est

peccatum mortale ex genere suo; *b*) illa autem quae est *per accidens*, seu praeter intentionem, non est peccatum, nisi sit circa ea quae sunt necessaria ad salutem, vel cum pertinacia indebite adhibeatur.

R. PRIMI EST: quia talis discordia per se contrariatur concordiae charitatis, et ideo contrariatur charitati, et sic est peccatum mortale ex genere suo; licet primi motus hujus discordiae propter imperfectionem actus sint peccata venialia.

R. SECUNDI EST: quia, ut dictum est supra (qu. xxix, art. 1), concordia, quae est effectus charitatis, est unio voluntatum, non autem opinionum. Discordia autem, quae est praeter intentionem, non contrariatur unioni voluntatum, sed opinionum.

NOTANDUM: Concordia charitatis est principaliter in bonum divinum, secundario in bonum proximi (In princ. art.).

Art. II. - *Utrum discordia sit filia inanis gloriae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia quod voluntas alicujus in proprio stat, contra voluntatem alterius, provenit ex hoc quod aliquis ea quae sua sunt, praefert his quae sunt aliorum: quod cum *inordinate* fit, pertinet ad superbiam et inanem gloriam.

NOTANDUM: In discordia consideratur quid ut terminus *a quo*, hoc est, recessus a voluntate alterius; et quantum ad hoc causatur ex invidia; consideratur etiam quid ut terminus *ad quem*, hoc est, accessus ad id quod est sibi proprium; et quantum ad hoc causatur ex inani gloria. Et quia in quolibet motu terminus ad quem est potior termino a quo (finis enim est potior principio), potius ponitur discordia filia inanis gloriae quam invidiae (Ad 2m).

QUAESTIO XXXVIII

De contentione

Deinde considerandum est de contentione; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum contentio sit peccatum mortale.*

RESP. AFF. - *Scil.*: secundum completam rationem contentions, i. e., si contentio accipiatur secundum quod importat impugnationem veritatis et inordinatum modum.

R. EST: quia secundum hoc contentio computatur inter opera carnis, *quae qui agunt, regnum Dei non possidebunt* (Gal. v.). - Tamen si contentio dicatur impugratio falsitatis cum debito modo acrimoniae, sic contentio est laudabilis. Si autem accipiatur contentio secundum quod importat impugnationem falsitatis cum inordinato modo, sic potest esse peccatum veniale; nisi forte tanta inordinatio fiat in contendendo, quod ex hoc generetur scandalum aliorum, quia tunc potest esse etiam peccatum mortale.

NOTANDA: 1. Quantum ad verba S. Lucae (xxii, 24): *Facta est contentio inter discipulos Jesu, quis eorum esset major*, notandum est quod in discipulis Christi non erat contentio cum intentione impugnandi veritatem, quia unusquisque defendebat quod sibi verum videbatur; erat tamen in eorum contentione inordinatio; quia contendebant de quo non erat contendendum, scilicet de primatu honoris; nondum enim erant spirituales; unde Dominus consequenter eos compescuit (Ad 1m).

2. Catholici qui contra haereticos ordinate veritatem defendunt, non contendunt contra eos, sed potius e converso (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum contentio sit filia inanis gloriae.*

RESP. AFF. – *Scil.* : sicut et discordia.

R. EST: quia sicut discordia in hoc sistit quod discordantium propter propriam excellentiam uterque in sensu proprio stat, et unus alteri non acquiescit; ita contentio in verbis.

QUAESTIO XXXIX**De schismate**

Deinde considerandum est de vitiis oppositis paci, pertinentibus ad opus; quae sunt schisma, rixa, seditio et bellum. Primo ergo circa schisma quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum schisma sit peccatum speciale.*

RESP. AFF. – R. EST: quia peccatum schismatis intentionem specialem habet, scilicet intendit se ab unitate separare, quam charitas facit: in moribus enim id per se est et speciem constituit, quod est intentum.

NOTANDUM: Proprie schismatici dicuntur qui propria sponte et intentione se ab unitate Ecclesiae separant. Ecclesiae autem unitas in duobus attenditur; scilicet in connexione membrorum Ecclesiae ad invicem, seu communicatione; et iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiae ad unum caput. Hoc autem caput est ipse Christus cujus vicem in Ecclesia gerit summus Pontifex. Et ideo schismatici dicuntur qui subesse renuunt summo Pontifici, et qui membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusant. (In corp. art.).

Art. II. – *Utrum schisma sit gravius peccatum infidelitate.*

RESP. NEG. – *Scil.* : secundum genus infidelitas est gravior.

R. EST: quia ex suo genere infidelitas majori bono contrariatur quam schisma. Infidelitas enim

est peccatum in ipsum Deum, secundum quod est veritas prima; schisma autem est contra ecclesiasticam unitatem, quae est quoddam bonum participatum, et minus quam sit ipse Deus.

NOTANDUM: In comparatione gravitatis peccatorum non est possibile comparationem facere ex consideratione circumstantiarum, quae infinitis modis variari possunt. (In princ. corp.).

Art. III. - *Utrum schismatici habeant aliquam potestatem.*

RESP. NEG. - *Scil. :* a) potestas sacramentalis remanet etiam in schismaticis; b) non vero illa jurisdictionis.

R. PRIMI EST: quia potestas sacramentalis confertur per aliquam consecrationem. Omnes autem consecrationes Ecclesiae sunt immobiles, manente re quae consecratur, sicut altare semel consecratum, non consecratur iterum, nisi fuerit dissipatum. Unde schismaticus vel haereticus rediens ad Ecclesiam, non iterum consecratur. Unde in schismaticis (et in haereticis) remanet potestas sacramentalis; sed usus talis potestatis ab eis est illegitimus.

R. SECUNDI EST: quia potestas jurisdictionalis est quae ex simplici injunctione hominis confertur; et talis potestas non immobiliter adhaeret; unde in schismaticis et haereticis non manet. Et si aliquid facerint per hanc potestatem, nihil est actum.

Art. IV. - *Utrum sit conveniens poena schismaticorum ut excommunicentur.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia schismaticus separat se a communione membrorum Ecclesiae; et quantum ad hoc conveniens poena schismaticorum est ut excommunicentur; et subdi recusat

capiti Ecclesiae: unde coerceri non vult per spiritualem potestatem; et ideo justum est ut potestate temporali coerceatur: *per quae enim peccat quis, per ea debet puniri* (Sap. xi, 17). Sic S. Doctor leges sui temporis justificat.

QUAESTIO XL

De bello

Deinde considerandum est de bello; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum bellare sit semper peccatum.*

RESP. NEG. - R. EST: quia bellum potest esse secundum tria requisita. Haec sunt: Primo, auctoritas principis, cujus mandato bellum est gerendum. Non enim pertinet ad personam privatam bellum movere, nec multitudinem convocare. Secundo, requiritur causa justa; ut scilicet illi qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur. Tertio requiritur ut sit intentio bellantium recta. Unde, ut Augustinus dicit (Contra Faustum, lib. xxii, cap. 74): «Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas; impacatus, et implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, et si qua sunt similia, haec sunt quae in bellis jure culpantur ».

Art. II. - *Utrum clericis et episcopis sit licitum pugnare.*

RESP. NEG. - R. EST: quia bellica exercitia maxime repugnant illis officiis quibus episcopi et clerici deputantur, propter duo: primo quidem generali ratione, quia bellica exercitia maximas inquietudines habent; unde multum impediunt animum a contemplatione divinorum et a laude Dei, et oratione pro populo; quae ad officium

pertinent clericorum; – secundo, propter specialem rationem; nam omnes clericorum ordines ordinantur ad altaris ministerium, in quo sub sacramento repraesentatur passio Christi, secundum illud I. Cor. xi, 26: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*. Et ideo non competit eis occidere vel effundere sanguinem, sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem pro Christo, ut imitentur opere quod gerunt ministerio. – Praelati tamen et clerici ex auctoritate superioris possunt interesse bellis ut juste pugnantibus spiritualiter subveniant (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum sit licitum in bellis uti insidiis.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) dicere falsum vel non servare pactum etiam in bellis est semper illicitum; b) occultare propositum inimicis, per quod ipsi falluntur, licitum est et laudabile.

R. PRIMI EST: quia ut Ambrosius dicit (De Off. Lib. I., c. 29): «quaedam jura bellorum, et foedera, etiam inter ipsos hostes, sunt servanda».

R. SECUNDI EST: quia non tenemur semper aliis propositum aut intellectum nostrum aperire. Unde aliquando etiam sacra occultamus, maxime infidelibus, ne ipsa irrideant, secundum illud Mt. vii, 9: *Nolite sanctum dare canibus*. Multo magis ergo ea quae ad impugnandum inimicos paramus, sunt eis occultanda.

Art. IV. – *Utrum liceat diebus festis bellare.*

RESP. AFF. – *Scil.:* si hoc necessitas exposcat.

R. EST: quia diebus festis licitum est salutem etiam corporalem proximo procurare, ut Dominus haud semel fecit; multo magis igitur est licitum conservare salutem reipublicae pugnando diebus

festis, per quam impediuntur occisiones plurimorum, et innumera mala et temporalia et spiritualia. - Sed, necessitate cessante, non est licitum bellare in diebus festis propter rationes inductas.

QUAESTIO XLI

De rixa

Deinde considerandum est de rixa; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum rixa sit semper peccatum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia rixa est quoddam privatum bellum, inter privatas personas, quod non ex aliqua publica auctoritate agitur, sed ex inordinata voluntate. Consequenter rixa semper est peccatum. - Et in eo quidem qui alterum invadit injuste, est *peccatum mortale*; inferre enim nocumentum proximo, etiam opere manuali, non est absque mortali peccato. In eo autem qui se defendit, potest esse sine peccato, et quandoque cum peccato veniali, et quandoque cum peccato mortali, secundum diversum motum animi ejus, et diversum modum se defendendi. Nam si solo animo repellendi injuriam illatam, et cum debita moderatione se defendat, non est peccatum, nec proprie potest dici rixa ex parte ejus. Si vero cum animo vindictae vel odii, vel cum excessu debita moderationis se defendat, semper est peccatum; sed *veniale* quidem, quando aliquis levis motus odii vel vindictae se immiscet, vel cum non multum excedit moderatam defensionem; *mortale* autem, quando obfirmato animo in impugnantem insurgit ad eum occidendum, vel eum graviter laedendum.

NOTANDUM: Ut Isidorus dicit (Lib. x, Etymolog., in litt. R.): «rixosus est a rictu canino dictus;

semper enim ad contradicendum paratus est, et jurgio delectatur, et provocat contententem ». (Arg. 1).

Art. II. – *Utrum rixa sit filia irae.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Rixa magis ex ira oritur, quam ex odio.

R. EST: quia non sufficit irato quod latenter noceat ei contra quem irascitur, sicut odium facit; sed vult quod ipse (contra quem irascitur) sentiat, et quod contra voluntatem suam aliquid patiatur in vindictam ejus quod fecit. Nam, iratus intendit alium laedere eo sciente et repugnante; odium vero absolute intendit malum ipsius sive in manifesto sive in occulto.

NOTANDUM: Ex rixis sequitur odium et discordia in cordibus rixantium; unde ille qui vult seminare discordias, procurat quod homines ad invicem rixentur (Ad 5m).

QUAESTIO XLII

De seditione

Deinde considerandum est de seditione, quae opponitur paci; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum seditio sit speciale peccatum ab aliis distinctum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia seditio habet speciale bonum cui opponitur, scilicet unitatem et pacem multitudinis ejusdem civitatis. – Nam in hoc differt seditio a bello et rixa, quia bellum est proprie contra extraneos hostes; rixa est unius ad alterum, vel paucorum ad paucos: sed seditio est proprie inter partes unius multitudinis seu civitatis inter se dissentientes.

Art. II. - *Utrum seditio sit semper peccatum mortale.*

RESP. AFF. - *Scil.*: ex suo genere seditio est semper peccatum mortale.

R. EST: quia seditio opponitur unitati multitudinis, id est populi, civitatis vel regni; quae unitas est juris et communis utilitatis.

NOTANDA: 1, Peccatum seditionis primo quidem et principaliter pertinet ad eos qui seditionem procurant, qui gravissime peccant; secundo autem ad eos qui eos sequuntur, perturbantes bonum commune (In corp. art.).

2. Regimen tyrannicum non est justum, quia non ordinatur ad bonum commune, sed ad bonum privatum regentis. Et ideo perturbatio hujus regiminis non habet rationem seditionis; nisi forte quando sic inordinate perturbatur tyranni regimen, quod multitudo subjecta majus detrimentum patitur ex perturbatione consequenti quam ex tyranni regimine. Magis autem tyrannus seditiosus est, qui in populo sibi subjecto discordias et seditiones nutrit, ut tutius dominari possit: hoc enim tyrannicum est, cum sit ordinatum ad bonum proprium praesidentis, cum multitudinis nocumento (Ad 3m).

QUAESTIO XLIII

De scandalo

Deinde considerandum restat de vitiis, quae beneficentiae opponuntur; inter quae alia quidem pertinent ad rationem justitiae, illa scilicet quibus aliquis injuste proximum laedit; sed contra charitatem specialiter scandalum esse videtur. Et ideo considerandum est hic de scandalo; circa quod quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum scandalum convenienter definiatur quod est dictum, vel factum minus rectum, praebens occasionem ruinae.*

RESP. AFF. - *Scil.*: prout graece *σκάνδαλον* dicitur, et impactionem pedis significat.

R. EST: quia per dictum vel factum inordinatum alterius contingit aliquem ad ruinam spiritualem disponi, inquantum scilicet aliquis sua admonitione vel inductione aut exemplo alterum trahit ad peccandum; et hoc proprie dicitur scandalum.

NOTANDUM: 1. Nihil potest esse homini sufficiens causa peccati quod est spiritualis ruina, nisi propria voluntas. Et ideo dicta vel facta alterius hominis possunt esse solum causa imperfecta, aliquantulum inducens ad ruinam. Et propter hoc non dicitur dans causam ruinae, sed dans occasionem; quod significat causam imperfectam, et non semper causam per accidens (Ad 3m).

2. Scandalum multipliciter accipi potest, nempe: *activum*, quod *per se ipsum* factum vel verbum, vel ex intentione agentis proprie occasionem ruinae proximo praebet; *passivum sine activo*, quando quis recte agit, et quantum de se est non dat occasionem ruinae, sed talis occasio ab alio patitur propter suam malam dispositionem; *activum cum passivo*, puta cum inductione unius alius peccat; *activum sine passivo*, puta cum aliquis inducit alium ad peccandum, et ille non consentit (Ad 4m).

Art. II. – *Utrum scandalum sit peccatum.*

RESP. AFF. – *Scil.*: a) scandalum passivum semper est peccatum, in eo qui scandalizatur; b) sed potest esse sine activo; c) similiter scandalum activum semper est peccatum.

R. PRIMI EST: quia non scandalizatur quis nisi inquantum aliquantulum ruit spirituali ruina, quae est peccatum.

R. SECUNDI: patet ex dictis in art. praec. not. 2.

R. TERTII EST: quia in eo qui scandalizat vel ipsum opus quod facit, est peccatum; vel etiam si habeat speciem peccati, dimittendum est semper propter proximi charitatem, ex qua unusquisque tenetur salutem proximi providere: et sic qui non dimittit, contra charitatem agit. – Potest

tamen esse scandalum activum sine peccato alterius qui scandalizatur, ut supra dictum est (art. praec. not. 2).

NOTANDA: Verba Domini: *Necesse est ut veniant scandala*, sic diversimode intelligi possunt: a) non de necessitate absoluta, sicut nec de necessitate absoluta eveniunt peccata; sed de necessitate conditionalis, qua scil. necesse est praescita vel praenuntiata a Deo evenire; si tamen accipiatur praenuntium, ut dictum est (P. I, qu. xiv, art. 13, ad 2m); b) necessitate finis, in quantum utilia sunt scandala ad hoc ut « qui probati sunt, manifesti fiant »; c) vel necesse est evenire scandala secundum conditionem hominum, qui sibi a peccatis non cavent, i. e. sub hac conditione negligentiae (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum scandalum sit speciale peccatum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) scandalum passivum non potest esse peccatum speciale; b) similiter nec activum per accidens; c) sed activum per se speciale peccatum est.

R. PRIMI EST: quia ex dicto vel facto alterius aliquem ruere contingit secundum quodcumque genus peccati.

R. SECUNDI EST: quia quod est per accidens (i. e. praeter intentionem, prout per acc. in moralibus sumitur) non constituit speciem.

R. TERTII EST: quia scandalum quod est activum per se, *intendit* speciale proximi nocumentum; finis autem dat speciem in moralibus: et hoc peccatum opponitur directe correctioni fraternae, in qua intenditur specialis nocumenti remotio.

Art. IV. - *Utrum scandalum sit peccatum mortale.*

RESP. NEG. - *Scil.:* a) scandalum passivum quandoque est peccatum veniale, quandoque

autem mortale; *b*) scandalum activum quod est per accidens, potest esse veniale tantum, sed quandoque est mortale; *c*) scandalum activum quod est per se, est quandoque mortale, et quandoque veniale tantum.

R. PRIMI EST: quia scandalum passivum quandoque in ipsum habente importat impactionem tantum, non autem et ruinam; quandoque etiam ruinam.

R. SECUNDI EST: quia aliquis potest scandalum activum per accidens committere per factum vel dictum quod secundum se est peccatum veniale tantum; vel per levem indiscretionem facti vel dicti quod secundum se nullam speciem mali habet. Si vero scandalum per acc. activum salutem proximi contemnat, ita ut pro ea conservanda non praetermittat aliquis facere quod sibi libuerit, peccatum mortale est.

R. TERTII EST: quia ille qui scandalum activum per se committit, si intendat inducere ad peccandum mortaliter, est peccatum mortale; et similiter si intendat inducere proximum ad peccandum venialiter per actum peccati mortali; si vero intendat inducere proximum ad peccandum venialiter per actum peccati venialis, est peccatum veniale.

Art. V. – *Utrum scandalum passivum possit etiam in perfectos cadere.*

RESP. NEG. – *Scil.:* in his qui perfecte Deo adhaerent per amorem, non invenitur scandalum, secundum illud Ps. cxviii, 165: *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.*

R. EST: quia scandalum passivum quamdam commotionem animi a bono importat. Perfecti autem commoveri non possunt, quia ipsi soli Deo inhaerent, cujus est immutabilis bonitas, secun-

dum illud Ps. cxxiv, 1: *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in aeternum qui habitat in Jerusalem.* Nullus enim commoveatur qui rei immobili firmiter inhaeret.

NOTANDUM: Perfecti viri ex infirmitate carnis incidunt interdum in aliqua peccata venialia; non autem ex aliorum dictis vel factis scandalizantur secundum veram scandali rationem; sed potest esse in eis quaedam appropinquatio ad scandalum, secundum illud Ps. lxxii, 2: *Mei pene moti sunt pedes.* (Ad 3m).

Art. VI. - *Utrum scandalum activum possit inveniri in viris perfectis.*

RESP. NEG. - **R. EST:** quia scandalum activum tale est quod de se sit ut alterum ad ruinam inducat; quod quidem illud solum est quod inordinate fit vel dicitur. In viris autem perfectis nihil ita inordinate fit ut aliis praebeant occasionem peccandi.

NOTANDA: 1. Scandalum passivum semper ab aliquo activo causatur, sed non semper ab aliquo scandalo activo alterius, sed ejusdem qui scandalizatur, quia scilicet ipse seipsum scandalizat. (Ad 1m).

2. Peccata venialia perfectorum praecipue consistunt in subitis motibus, qui cum sit occulti, scandalizare non possunt. Si qua vero etiam in exterioribus dictis vel factis venialia peccata committant, tam levia sunt, ut de se scandalizandi virtutem non habeant (Ad 3m).

Art. VII. - *Utrum bona spiritualia sint propter scandalum dimittenda.*

RESP. NEG. - *Scil.:* a) bona spiritualia, quae sunt de necessitate salutis, non sunt dimittenda propter scandalum vitandum; b) alia bona, quae non sunt de necessitate salutis, praetermitti non debent propter scandalum Pharisaeorum; c) sunt tamen occultanda vel interdum differenda propter scandalum pusillorum.

R. PRIMI EST: quia bona spiritualia, sive quae sub praecepto, sive quae sub consilio cadunt, quae sunt de necessitate salutis, non possunt praetermitti sine peccato mortali.

R. SECUNDI EST: quia scandalum Pharisaicum, quod ex malitia oritur, est, secundum doctrinam et exemplum Domini, contemnendum (Mt. xiii, 57; xv, 12).

R. TERTII EST: quia scandalum pusillorum non ex malitia oritur, sed ex infirmitate vel ignorantia. Unde ubi periculum non imminet, bona spiritualia quae de necessitate salutis non sunt, interdum dimittenda sunt, quousque reddita ratione hujusmodi scandalum cesset. Quod si post redditam rationem hujusmodi scandalum duret, jam *videtur* ex malitia esse; et sic propter ipsum non sunt hujusmodi spiritualia opera dimittenda.

NOTANDA: 1. Poenarum inflictio non est propter se expetenda; sed poenae infliguntur ut medicinae quaedam ad cohibenda peccata; et ideo in tantum habent rationem justitiae, in quantum per eas peccata cohibentur. Si autem per inflictionem poenarum manifestum sit plura et majora peccata sequi, tunc poenarum inflictio non continebitur sub justitia; et secundum hoc dicit Augustinus (Lib. iii, contra Epis. Parmeniani, cap. 2, a med.): « ubi schismatis periculum timetur, a punitione peccatorum cessandum est ». Tunc enim poenas ferre non pertinet ad veritatem justitiae. (Ad 1m).

2. Quidam dixerunt peccatum veniale esse committendum propter vitandum scandalum. Sed hoc implicat contraria; si enim faciendum est, jam non est malum, neque peccatum; nam peccatum non potest esse eligibile. Contingit autem aliquid propter aliquam circumstantiam non esse peccatum veniale, quod illa circumstantia sublata peccatum veniale esset; sicut verbum jocosum est peccatum veniale, quando absque utilitate dicitur; si autem ex causa rationabili proferatur, non est otiosum, neque peccatum. (Ad 5m).

Art. VIII. - *Utrum propter scandalum sint temporalia dimittenda.*

RESP. NEG. - *Scil.* : a) bona Ecclesiae temporalia, vel reipublicae, nobis commissa, non sunt propter scandalum dimittenda; b) bona vero nostra propter scandalum pusillorum, vel dimittenda sunt, vel est scandalum prius sedandum; c) propter scandalum autem ex malitia non sunt dimittenda, sed repetenda.

R. PRIMI EST: quia talium conservatio, sicut et depositorum, imminet his quibus sunt commissa ex necessitate; et ideo non sunt propter scandalum dimittenda, sicut nec alia quae sunt de necessitate salutis.

R. SECUNDI EST: quia, ut dicit Augustinus (De serm. Dom. in monte. lib. i, c, 20 ad fin.): « Dandum est quod nec tibi, nec alteri noceat, quantum ab homine credi potest; et cui negaveris quod petit, indicanda est ei justitia; et melius ei aliquid dabis, cum petentem injuste correxeris ».

R. TERTII EST: quia si propter scandalum Pharisaeorum dimittantur temporalia, hoc noceret bono communi (daretur enim malis rapiendi occasio), et noceret ipsis rapientibus, qui retinendo aliena, in peccato remanerent.

NOTANDUM: Verba illa Domini (Mt. v, 40): *Ei qui vult tecum in iudicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium*, considerandum est secundum Augustinum (De serm. Dom. in monte, lib. i, cap. 19), quod illud praeceptum Domini est intelligendum secundum praeparationem animi. ut scilicet homo sit paratus prius pati iniuriam vel fraudem, quam iudicium subire, is hoc expedit; quandoque tamen non expedit (Ad 4m), scil. quando hoc vergeret in detrimentum veritatis, vitae et iustitiae (Ad 2m).

QUAESTIO XLIV

De praeceptis charitatis

Deinde considerandum est de praeceptis charitatis; est circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum de charitate debeat dari aliquod praeceptum.*

RESP. AFF. – *Scil.*: maximum praeceptum.

R. EST: quia praeceptum est de ratione debiti; debitum autem maxime est de fine. Finis autem spiritualis vitae est ut homo Deo uniatur per charitatem. Consequenter de charitate maximum praeceptum datur, ut dicitur Mt. xxii. – Praecepta autem de actibus aliarum virtutum, sunt « propter aliud », i. e. sunt de his quae sunt ad finem, scilicet ordinantur ad charitatem: quod fit per puritatem cordis, bonitatem conscientiae et veritatem fidei, secundum illud Apostoli (I. Tim., i, 5): *Finis praecepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.*

NOTANDUM: Obligatio praecepti non opponitur libertati, nisi in eo cujus mens aversa est ab eo quod praecipitur; sicut patet in his qui ex solo timore praecepta custodiunt. Sed praeceptum dilectionis non potest impleri nisi ex propria voluntate; et ideo, quamvis sit praeceptum, tamen libertati non repugnat. (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum de charitate fuerint danda duo praecepta.*

RESP. AFF. – *Scil.*: De dilectione Dei et de dilectione proximi.

R. EST: quia non omnes sunt capaces ut de facili considerent unum horum praeceptorum sub alio contineri. Dilectio enim Dei finis praecepti est, ad quam dilectio proximi ordinatur.

NOTANDUM: Licet charitas sit una virtus, habet tamen duos actus, quorum unus ordinatur ad alium sicut ad finem. Praecepta autem dantur de actibus virtutum; et ideo oportuit esse plura praecepta charitatis (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum sufficiant duo praecepta charitatis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia cum dilectio et amor sit boni, bonum autem sit vel finis, vel id quod est ad finem; convenienter de charitate duo praecepta sufficiunt: unum quidem quo inducimur ad Deum diligendum sicut finem; aliud autem quo inducimur ad diligendum proximum propter Deum sicut propter finem.

NOTANDUM: Non dantur praecepta de dilectione sui et corporis proprii, quia quantumcumque homo excidat a veritate, remanet illi dilectio sui, et dilectio corporis sui. Modus autem diligendi praecipendus est homini, ut scilicet se ordinate diligat, et corpus proprium; quod quidem fit per hoc quod homo diligit Deum et proximum (Ad 1m).

Art. IV. – *Utrum convenienter mandetur quod Deus diligatur ex toto corde.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Deus est diligendus sicut finis ultimus, ad quem omnia sunt referenda. Et ideo totalitas quaedam fuit designanda circa praeceptum de dilectione Dei.

NOTANDUM: Dupliciter contingit *ex toto corde* Deum diligere: uno quidem modo in actu, id est, ut totum cor hominis semper actualiter in Deum feratur; et ista est perfectio patriae; alio modo, ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur, ita scilicet quod nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat; et haec est perfectio viae. Inter has duas vias est alia media; scilicet perfectio charitatis, ad quam ordinantur consilia; ut scilicet homo, quantum possibile est, se abstrahat a rebus temporalibus, etiam licitis, quae occupando animum, impediunt actualem motum cordis in Deum (Ad 2m et ad 3m).

Art. V. - *Utrum super hoc: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, convenienter addatur: Et ex tota anima tua, et ex tota mente et ex tota fortitudine tua.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia voluntas, praeter actum suum proprium, quod est ex corde diligere, movet etiam intellectum, qui significatur per mentem; vim appetitivam inferiorem, quae significatur per animam; et vim executivam exteriorem, quae significatur per fortitudinem, seu virtutem, sive vires. - Praecipitur ergo nobis, ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est ex toto corde; et quod intellectus noster subdatur Deo, quod est ex tota mente; et quod appetitus noster reguletur secundum Deum, quod est ex tota anima; et quod exterior actus noster obediat Deo, quod est ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligere.

Art. VI. - *Utrum hoc praeceptum de dilectione Dei possit in via impleri.*

RESP. NEG. - *Scil.:* non potest impleri perfecte, sed imperfecte.

R. EST: quia praeceptum aliquod perfecte impletur quando pervenitur ad finem quem intendit praecipiens. Deus autem per hoc praeceptum intendit ut homo sibi totaliter uniatur; quod non fit in via, sed in patria fiet, quando *Deus erit omnia in omnibus*, ut dicitur I. Cor. xv, 28. - In via autem impletur imperfecte, inquantum quis tendit ad finem praecepti et ab ordine ad hunc finem non recedit. Unde sicut miles qui legitime pugnat, licet non vincat, non inde culpatur, nec poenam meretur; ita etiam qui in via hoc praeceptum non implet, nihil contra divinam dilectionem agens, non peccat mortaliter (Ad 2m).

Art. VII. - *Utrum convenienter detur praeceptum de dilectione proximi.*

RESP. AFF. - *Scil.* : in his verbis: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

R. EST: quia in hoc praecepto convenienter tangitur et ratio diligendi, et dilectionis modus. Ratio dilectionis quidem cum dicitur *proximum*, id est, quia est nobis propinquus, scilicet et secundum naturalem Dei imaginem, et secundum capacitatem gloriae. Modus autem tangitur per verba *Sicut teipsum* ; hoc est, sancte, juste et vere. *Sancte*, ratione finis, quia sicut nosmetipsos diligimus propter Deum, ita et proximum diligere debemus; *juste*, ex parte regulae dilectionis, quia sicut nosmetipsos diligimus in bonis, non vero in malis; ita debemus etiam proximum diligere; *vere* autem, ex parte rationis dilectionis, quia proximum diligere debemus non ad utilitatem nostram, sed suam.

Art. VIII. - *Utrum ordo charitatis cadat sub praecepto.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ordo charitatis pertinet ad ipsam rationem virtutis. Unde ordo charitatis cadit sub praecepto quod de actu virtutis (charitatis) datur.

QUAESTIO XLV

De dono sapientiae

Deinde considerandum est de dono sapientiae, quod respondet charitati; et primo de ipsa sapientia; secundo de vitio opposito. Circa primum quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum sapientia debeat inter dona Spiritus sancti computari.*

RESP. AFF. - *Scil.* : illa sapientia quae cognoscit causam altissimam simpliciter.

R. EST: quia talis causa altissima est Deus, cognitione cujus omnia possumus judicare et ordinare, quod est proprium sapientiae, secundum illud I. Cor. ii, 15: *Spiritualis judicat omnia*; et sicut ibidem dicitur, *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*; ex quibus patet sapientiam donum Spiritus sancti esse.

NOTANDA: 1. Sapientia quae causam altissimam non simpliciter, sed alicujus generis cognoscit, facit quidem sapientem, sed in illo genere tantum; et haec non est donum sapientiae de quo loquimur. Talis sapientia secundum quid inveniri potest etiam in malis, secundum illud Jerem. iv, 22: *Sapientes sunt, ut faciant mala; bene autem facere nescierunt.* (Ad 1m).

2. Sapientia ut donum differt ab ea quae est virtus intellectualis acquisita; nam illa acquiritur studio humano; haec autem est *de sursum descendens*, ut dicitur Jacobi iii, 14. Similiter differt a fide; nam fides assentit veritati divinae secundum seipsam; sed iudicium quod est secundum veritatem divinam, pertinet ad donum sapientiae (Ad 2m). Item, pietas et timor Dei sunt manifestativa sapientiae (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum sapientia sit in intellectu sicut in subjecto.*

RESP. AFF. - *Scil.* : Sapientia, quae est donum, causam quidem habet in voluntate scilicet charitatem; sed essentiam habet in intellectu, cujus actus est recte judicare.

R. EST: quia sapientia importat quamdam rectitudinem iudicii secundum rationes divinas per quamdam connaturalitatem ad ipsas, sicut dicit Dionysius (De Div. Nom. cap. 2, a medio, lect. 4): « Hierotheus est perfectus in divinis, non solum discens, sed et patiens divina ». Hujusmodi autem compassio, sive connaturalitas (seu affinitas) ad res divinas fit per charitatem, quae qui-

dem unit nos Deo, secundum illud I. Cor. vi, 17:
Qui adhaeret Deo, unus spiritus est.

NOTANDUM: Intellectus habet duos actus, scilicet percipere et iudicare; ad quorum primum ordinatur donum intellectus; ad secundum autem, secundum rationes divinas, donum sapientiae; secundum rationes humanas, donum scientiae (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum sapientia sit speculativa tantum, an etiam practica.*

RESP.: Est etiam practica.

R. EST: quia superior pars rationis, quae sapientiae deputatur, intendit rationibus supernis, scilicet divinis, et conspiciendis, et consulendis, ut Augustinus dicit (De Trin., lib. xii, cap. 14); conspiciendis quidem, secundum quod divina in seipsis contemplatur; consulendis autem, secundum quod per divina iudicat de humanis actibus, per divinas regulas dirigens actus humanos. Sic ergo sapientia, secundum quod est donum, non solum est speculativa, sed etiam practica, per quam in rebus humanis amaritudo vertitur in dulcedinem, et labor in requiem (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum sapientia possit esse sine gratia, et cum peccato mortali.*

RESP. NEG. – **R. EST:** quia sapientia, de qua loquimur, praesupponit charitatem, sicut dictum est (art. 2 hujus qu.). Charitas autem non potest esse cum peccato mortali (qu. xxiv, art. 12).

Art. V. – *Utrum sapientia sit in omnibus habentibus gratiam.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia nulli sine peccato mortali existenti deest rectum iudicium in contemplatione divinorum et in ordinatione rerum humanarum secundum divinas regulas quantum est necessarium ad salutem, quod fit per donum sapientiae secundum illud I. Jn. ii, 27: *Unctio docet*

vos de omnibus. – Donum autem sapientiae, quod est gratia gratis data, non est in omnibus habentibus gratiam, sed in illis quibus datum est etiam alios ordinare, illis veritates divinas manifestando, secundum illud I. Cor. xii, 8: *Alii datur per Spiritum sermo sapientiae*, etc.

NOTANDUM: Amentes baptizati, sicut et pueri, habent quidem habitum sapientiae, secundum quod est donum Spiritus sancti; sed non habent actum, propter impedimentum corporale, quo impeditur in eis usus rationis. (Ad 3m).

Art. VI. – *Utrum septima beatitudo respondeat dono sapientiae.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Septima beatitudo, quae est *Beati pacifici, quoniam filii vocabuntur*, congrue adaptatur dono sapientiae et quantum ad meritum, et quantum ad praemium.

R. EST: quia pax est tranquillitas ordinis; ordinare autem ad sapientem pertinet. Unde quantum ad meritum, quod exprimitur per verba *Beati pacifici*, i. e., quasi pacem facientes, sive in seipsis, sive in aliis, septima beatitudo dono sapientiae congrue adaptatur. – Quantum ad praemium autem, quod exprimitur per verba *Filii Dei vocabuntur*, congruitas est in hoc quod qui filii Dei vocantur, conformes fiunt imaginis Filii Dei unigeniti et naturalis, quia est sapientia genita. Et ideo participando donum sapientiae, ad Dei filiationem homo pertingit.

QUAESTIO XLVI

De stultitia, quae sapientiae opposita est

Deinde considerandum est de stultitia, quae opponitur sapientiae; et circa hoc quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum stultitia opponatur sapientiae.*

RESP. AFF. – *Scil.:* sicut contrarium.

R. EST: quia stultus habet sensum hebetatum: dicit enim Isidorus (Etym. lib. x) quod «stultus est qui propter stuporem non movetur»; sapiens, e contra, sensum habet subtilem et perspicacem. Fatuitas autem, quae caret sensu judicandi, negatio est sapientiae.

NOTANDA: 1. Aliquis videtur esse stultus praecipue quando patitur defectum in summa iudicii, quae attenditur secundum causam altissimam; nam si deficiat in iudicio circa aliquid modicum, non ex hoc vocatur aliquis stultus (Ad 1m).

2. Quantum ad verba Apostoli (I. Cor. iii, 18): *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat ut sapiens sit*, considerandum est quod sicut est quaedam sapientia mala, quae dicitur *sapientia saeculi*, quia accipit pro causa altissima et fine ultimo aliquod terrenum bonum; ita etiam est aliqua stultitia bona, huic sapientiae malae opposita, per quam aliquis terrena contemnit; et de hac stultitia loquitur Apostolus (Ad 2m).

3. Non moveri injuriis, quandoque quidem contingit ex hoc quod homini non sapiunt terrena, sed sola caelestia; unde hoc non pertinet ad stultitiam mundi, sed ad sapientiam Dei. Quandoque autem contingit ex hoc quod homo est simpliciter circa omnia stupidus, ut patet in amentibus, qui non discernunt quid sit injuria; et hoc pertinet ad stultitiam simpliciter (ad 4m).

Art. II. - *Utrum stultitia sit peccatum.*

RESP. AFF. - *Scil.*: non omnis stultitia.

R. EST: quia datur stultitia ex hoc quod homo immergit sensum suum rebus terrenis, ex quo redditur sensus ineptus ad percipienda divina, secundum illud I., Cor. ii, 14: *Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei*. - Ille vero stupor sensus qui est ex indispositione naturali, sicut patet in amentibus, non est peccatum.

NOTANDUM: Stultitia, ut peccatum, opponitur praeceptis quae dantur de contemplatione veri-

tatis, scilicet quae nos obligant ad requirendum quantum possumus, scientiam ad salutem necessariam (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum stultitia sit filia luxuriae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sensus hominis maxime immergitur ad terrena per luxuriam, quae est circa maximas delectationes, quibus anima maxime absorbetur; et ideo stultitia quae est peccatum, maxime nascitur ex luxuria.

QUAESTIO XLVII

De prudentia secundum se *

Consequenter post virtutes theologicas considerandum est circa virtutes cardinales: et primo de prudentia secundum se; secundo de partibus ejus; tertio de dono ei correspondente; quarto de vitiis oppositis; quinto de praeceptis ad hoc pertinentibus. Circa primum quaeruntur sexdecim:

Art. I. – *Utrum prudentia sit in vi cognoscitiva, an in appetitiva.*

RESP.: Est in vi cognoscitiva.

R. EST: quia sicut Isidorus dicit (Etymol. lib. x, ad litt. p.): « prudens dicitur, quasi porro videns; perspicax enim est, et incertorum praevidet casus ». Visio enim pertinet ad vim cognoscitivam; et praevisio incertorum casuum, non pertinet ad sensum, sed ad rationem.

NOTANDUM: Laus prudentiae non consistit in sola consideratione, sed in applicatione ad opus, quod est finis practicae rationis. Et ideo si in hoc defectus accidat, maxime est contrarium prudentiae: quia sicut finis est potissimus in unoquoque, ita et defectus qui est circa finem, est pessimus (Ad 3m).

* Vide nostram « Divinionem Schematicam » Totius Summae.

Art. II. – *Utrum prudentia pertineat solum ad rationem practicam, an etiam ad speculativam.*

RESP.: Pertinet solum ad rationem practicam.

R. EST: quia, sicut Philosophus dicit (Ethic. lib. iv, cap. 5): « prudentis est bene posse consiliari ». Consilium autem est de his quae sunt per nos agenda in ordine ad finem aliquem. Ratio autem eorum quae sunt agenda propter finem, est ratio practica; unde manifestum est quod prudentia non consistit nisi in ratione practica.

NOTANDUM: Prudentia est sapientia in rebus humanis; non autem sapientia simpliciter, quia non est circa causam altissimam simpliciter; est enim circa bonum humanum (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum prudentia sit cognoscitiva singularium.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ad prudentiam pertinet non solum consideratio rationis, sed etiam applicatio ad opus; operationes autem sunt in singularibus; et ideo necesse est quod prudens et cognoscat universalia principia rationis, et cognoscat singularia, circa quae sunt operationes.

NOTANDUM: Prudentia non consistit in sensu exteriori, quo cognoscimus sensibilia propria, sed in sensu interiori, qui perficitur per memoriam, et per experimentum ad prompte iudicandum de particularibus expertis; non tamen ita quod prudentia sit in sensu interiori sicut in subjecto principali; sed principaliter quidem est in ratione, per quamdam autem applicationem pertingit ad huiusmodi sensum (quali etiam iudicamus de rebus mathematicis). – (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum prudentia sit virtus.*

RESP. AFF. – *Scil.*: est virtus moralis.

R. EST: quia ad prudentiam pertinet applicatio rectae rationis ad opus quod non fit sine appetitu recto. Unde prudentia respicit bonum sub ratio-

ne formali boni, i. e., inquantum est objectum appetitivae virtutis. Et ideo prudentia non solum habet rationem virtutis quam habent aliae virtutes intellectuales, sed etiam habet rationem virtutis quam habent aliae virtutes morales, quibus etiam connumeratur.

Art. V. - *Utrum prudentia sit virtus specialis.*

RESP. AFF. - *Scil.* : a virtutibus intellectualibus distinguitur prudentia non solum secundum rationem formalem objecti, sed etiam secundum materialem considerationem; ab aliis virtutibus moralibus distinguitur secundum rationem formalem potentiarum.

R. PRIMI EST: quia sapientia, scientia et intellectus sunt circa necessaria; ars autem et prudentia circa contingentia; sed ars circa factibilia, quae scilicet in exteriori materia constituuntur, sicut domus, cultellus et hujusmodi; prudentia autem est circa agibilia, quae scilicet in ipso operante consistunt (I-II, qu. lvii art. 4).

R. SECUNDI EST: quia prudentia est in potentia intellectiva; aliae autem virtutes morales, in appetitiva.

NOTANDUM: Ex verbis Philosophi (Ethic. libri vi, c. 12) quod « virtus moralis recte facit operari finem, prudentia autem ea quae sunt ad finem », habetur quod prudentia adjuvet omnes virtutes, et in omnibus operetur (Ad 2m).

Art. VI. - *Utrum prudentia praestituat finem virtutibus moralibus.*

RESP. NEG. - **R. EST:** quia prudentiae est applicare universalia principia rationis practicae, quae sunt fines moralium virtutum, ad particulares conclusiones operabilium, i. e., ad ea quae sunt ad finem. Et ideo ad prudentiam non pertinet

praestituere finem virtutibus moralibus; sed solum disponere de his quae sunt ad finem.

NOTANDUM: Virtutibus moralibus praestituit finem ratio naturalis, quae synderesis dicitur (P. I., q. lxxix, art. 12). - (Ad 1m). - Prudentia autem viam parat virtutibus moralibus, disponendo ea quae sunt ad finem. Unde relinquitur quod prudentia sit nobilior virtutibus moralibus, et moveat eas; sed synderesis movet prudentiam, sicut intellectus principiorum scientiam (Ad 3m).

Art. VII. - *Utrum ad prudentiam pertineat invenire medium in virtutibus moralibus.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia licet attingere medium sit finis omnis virtutis moralis, tamen medium invenitur per rectam dispositionem eorum quae sunt ad finem, quod est opus prudentiae.

NOTANDUM: Virtus moralis per modum naturae intendit pervenire ad medium. Sed quia medium, secundum quod medium, non eodem modo invenitur in omnibus; ideo inclinatio naturae, quae semper eodem modo operatur, ad hoc non sufficit, sed requiritur ratio prudentiae (Ad 3m).

Art. VIII. - *Utrum praecipere sit principalis actus prudentiae.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia praecipere est propinquior fini rationis practicae quam consiliari, quod pertinet ad inventionem, et judicare de inventis, quae sunt actus prudentiae priores.

NOTANDUM: Movere absolute pertinet ad voluntatem; sed praecipere importat motionem cum quadam ordinatione; et ideo est actus rationis (Ad 3m).

Art. IX. - *Utrum sollicitudo pertineat ad prudentiam.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia sollicitus dicitur, quasi « solers citus », inquantum aliquis ex quadam solertia animi velox est ad prosequendum ea quae sunt agenda. Hoc autem proprie pertinet

ad prudentiam cujus actus praecipuus est circa agenda praecipere de praeconsiliatis et judicatis. Unde Philosophus dicit (Ethic. lib. vi, cap. 9), quod « oportet operari quidem velociter consiliata, consiliari autem tarde ».

NOTANDUM: Verba Philosophi (Ethic. lib. vi, cap. 3): « ad magnanimum pertinet pigrum esse et otiosum », non sunt intelligenda in hoc sensu quod magnanimus de nullo sit sollicitus, sed quia non est superflue sollicitus de multis, sed confidit in his de quibus confidendum est, et circa illa non superflue sollicitatur (ad 3m).

Art. X. – *Utrum prudentia se extendat ad regimen multitudinis.*

RESP. AFF. – *Scil.*: non se extendit solum ad proprium bonum, sicut quidam posuerunt.

PRIMA R. EST: quia hoc repugnaret charitati, quae *non quaerit quae sua sunt*; unde et Apostolus de seipso dicit I. Cor. xiii, 5: *Non quaerens quod mihi utile sit, sed quod multis, ut salvi fiant.*

SECUNDA R. EST: quia etiam rationi rectae iudicat quod bonum commune sit melius quam bonum unius.

Art. XI. – *Utrum prudentia quae est respectu boni proprii, sit eadem specie cum ea quae est se extendit ad bonum commune.*

RESP. NEG. – R. EST: quia bonum proprium unius, et bonum familiae, et bonum civitatis et regni sunt fines diversi. Ex diversitate finium autem est diversitas rationis objecti formalis. Ex diversitate autem objectorum formalium attenditur diversitas habituum (I-II, qu. lxiv, art. 2 ad 1). Et sic habetur prudentia simpliciter dicta, quae ordinatur ad bonum proprium; alia autem oeconomica quae ordinatur ad bonum commune domus, vel familiae; et tertia politica,

quae ordinatur ad bonum commune civitatis vel regni.

NOTANDUM: Etiam diversi fines, quorum unus ordinatur ad alium, diversificant speciem habitus; sicut equestris, et militaris, et civilis differunt specie, licet finis unius ordinetur ad finem alterius; et similiter licet bonum unius ordinetur ad bonum multitudinis, tamen hoc non impedit quin talis diversitas faciat habitus differre specie; sed ex hoc sequitur quod habitus qui ordinatur ad finem ultimum, sit principalior et imperet aliis habitibus (Ad 3m).

Art. XII. - *Utrum prudentia sit in subditis, an solum in principibus.*

RESP.: est etiam aliquomodo in subditis; scil.: non in quantum subditi sunt, sed in quantum participant ratione.

R. EST: quia ut subditi non regunt, sed reguntur. Sed quia quilibet homo, in quantum est rationalis, participat aliquid de regimine secundum arbitrium rationis, in tantum convenit ei prudentiam habere. Unde manifestum est quod « prudentia quidem in principe est ad modum artis architectonicae », ut dicitur (Ethic. lib. vi, cap. 8); « in subditis autem ad modum artis manu operantis », per prudentiam enim homo non solum praecipit aliis, sed etiam sibi ipsi, prout scilicet ratio dicitur praecipere inferioribus viribus (Ad 3m).

Art. XIII. - *Utrum prudentia possit esse in peccatoribus.*

RESP. NEG. - *Scil.:* a) prudentia falsa est in solis peccatoribus; b) prudentia vera sed imperfecta est communis bonis et malis; c) prudentia vera et perfecta est in solis bonis.

R. PRIMI EST: quia prudentia falsa illa est quae disponit agenda propter malum finem, sicut pru-

dens latro ad latrocinium. Et hujusmodi est prudentia de qua Apostolus dicit (Rom. viii, 6): *Prudentia carnis mors est*, quae scilicet finem ultimum constituit in delectatione carnis.

R. SECUNDI EST: quia prudentia vera sed imperfecta habet quidem finem particularem bonum, sed non semper finem totius humanae vitae; sicut prudentia in negotiatore vel in nauta. Si autem haec prudentia, quae est industria naturalis, et *dinotica* dicitur, est imperfecta propter defectum principalis actus, tunc non est nisi in malis, quia consilium ad effectum non perducit (Ad 3m).

R. TERTII EST: quia prudentia vera et perfecta, seu simpliciter dicta, illa est quae ad bonum finem totius vitae recte consiliatur, judicat et praecipit, quod non potest esse in peccatoribus.

Art. XIV. - *Utrum prudentia sit in omnibus habentibus gratiam.*

RESP. AFF. - *Scil.:* loquimur de prudentia infusa.

R. EST: quia virtutes sunt connexae (I-II, qu. lxxv, art. 1). Et ideo quicumque habet charitatem, habet et omnes alias virtutes. Quicumque autem charitatem habet, gratiam habet.

Art. XV. - *Utrum prudentia insit nobis a natura.*

RESP. NEG. - R. EST: quia prudentia non est circa fines, sed circa ea quae sunt ad finem, quae multipliciter diversificantur secundum diversas personas et negotia. E contra, inclinatio naturalis semper est ad aliquid determinatum. - Tamen potest esse naturalis inclinatio respectu finium; et sic inchoative potest prudentia esse nobis indita a natura.

NOTANDA: 1. Prudentia magis est in senibus, non solum propter naturalem dispositionem quietantem mutum passionum sensibilibus, sed etiam propter experientiam longi temporis (Ad 2m).

2. Etiam in brutis animalibus sunt determinatae viae perveniendi ad finem; unde videmus quod omnia animalia ejusdem speciei similiter operantur. Sed hoc non potest esse in homine propter rationem ejus, quae cum sit cognoscitiva universalium, ad infinita singularia se extendit (Ad 3m).

Art. XVI. – *Utrum prudentia possit amitti per oblivionem.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Prudentia non tollitur directe per oblivionem, sed magis corrumpitur per passiones.

R. EST: quia prudentia non consistit in sola cognitione, de qua tantum est oblivio; sed etiam in appetitu. Principalis enim actus prudentiae est praecipere, quod est applicare cognitionem habitam ad appetendum et operandum. – Potest tamen oblivio impedire prudentiam, inquantum procedit ad praecipendum ex aliqua cognitione, quae per oblivionem tolli potest.

QUAESTIO XLVIII

De partibus prudentiae

Deinde considerandum est de partibus prudentiae; et circa hoc quaeruntur quatuor: primo quae sunt partes prudentiae; secundo de partibus quasi integralibus ejus; tertio de partibus subjectivis ejus; quarto de partibus potentialibus.

Art. Unicus – *Utrum convenienter assignentur tres partes prudentiae.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) Partes integrales (sicut tectum est pars domus); et tales partes prudentiae sunt: Memoria, intelligentia, docilitas, solertia, ratio, providentia, circumspectio, et cautio;

b) partes subjectivae (sicut bos et leo sunt partes animalis); et tales partes prudentiae sunt: prudentia sui seu regitiva, et prudentia multitudinis seu directiva; c) et partes potentiales (sicut nutritivum et sensitivum sunt partes animae); et tales partes prudentiae sunt: Eubulia, synesis, et prudentia, secundum quod est praeceptiva.

R. PRIMI EST: quia tales partes (integrales) necesse est concurrere ad perfectum actum prudentiae. Secundum enim quod prudentia est cognoscitiva requiruntur: a) circa ipsam cognitionem: *memoria* praeteritorum et *intellectus* seu *intelligentia* praesentium; b) circa acquisitionem cognitionis: *docilitas*, et *solertia*, quae est pars eustochiae, quae est bona conjecturatio; c) circa usum cognitionis: *ratio*, ad quam pertinet *providentia* circa finem, *circumspectio* ut attendat circumstantias negotii, et *cautio* ut vitet impedimenta.

R. SECUNDI EST: quia partes subjectivae virtutis sunt species ejus. Species autem prudentiae sunt: prudentia per quam aliquis regit *seipsum*; et prudentia per quam aliquis regit *multitudinem*. Et haec iterum subdividitur in prudentiam *militarem*, *oeconomicam* et *regnativam*, quae est in superioribus; in subditis autem simpliciter *politica* dicitur.

R. TERTII EST: quia partes potentiales alicujus virtutis dicuntur virtutes adjunctae, quae ordinantur ad aliquos secundarios actus, vel materias, quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis. Et secundum hoc ponuntur partes prudentiae *eubulia*, quae est circa consilium, est enim bene consiliativa; *synesis*, quae est circa iudicium eorum quae secundum regulas communes fiunt; et *gnome*, quae est circa iudicium eorum in quibus oportet quandoque a communi lege recedere; *prudentia* vero est circa principalem actum, qui est praecipere.

QUAESTIO XLIX

De singulis prudentiae partibus quasi integralibus

Deinde considerandum est de singulis prudentiae partibus quasi integralibus; et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum memoria sit pars prudentiae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia experimentum, quod ad prudentiam requiritur, cum ipsa sit de particularibus contingentibus, est ex pluribus memoriis (Metaph. lib. I, cap. 1).

NOTANDUM: Quatuor sunt per quae homo proficit in bene memorando. Quorum primum est ut eorum quae vult memorari, quasdam similitudines assumat convenientes, nec tamen omnino consueta; quia ea quae sunt inconsueta, magis miramur, et sic de eis animus magis et vehementius detinetur; ex quo fit quod eorum quae in pueritia vidimus, magis memoremur. Secundo oportet ut homo ea quae memoriter vult tenere, sua consideratione ordinate disponat, ut ex uno memorato facile ad aliud procedatur. Tertio oportet ut homo sollicitudinem apponat, et affectum adhibeat ad ea quae vult memorari; quia quanto aliquid magis fuerit impressum animo, tanto minus elabitur. Quarto oportet quod ea frequenter meditemur quae volumus memorari. Unde Philosophus dicit (Lib. de memor., cap. 2), quod « meditationes memoriam salvant »; quia, ut dicitur (l. c.): « consuetudo est quasi natura ». (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum intellectus sit pars prudentiae.*

RESP. AFF. – Scil.: prout intellectus importat quamdam rectam aestimationem alicujus extremi principii, quod accipitur ut per se notum.

R. EST: quia prudentia est recta ratio agibillium; et ideo necesse est quod totius processus

prudentialia ab intellectu derivetur. Talis autem intellectus est quaedam recta aestimatio de aliquo particulari fine (Ad 1m); et dicitur intellectus in quantum est alicujus principii, et sensus, in quantum est particularis. Tamen hoc non est intelligendum de sensu particulari, quo cognoscimus propria sensibilia; sed de sensu interiori, quo de particulari judicamus (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum docilitas debeat poni pars prudentiae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia prudentia consistit circa particularia operabilia; in quibus cum sint quasi infinitae diversitates, non possunt ab uno homine sufficienter omnia considerari, nec per modicum tempus, sed per temporis diuturnitatem. Unde in his quae ad prudentiam pertinent, maxime indiget homo ab aliis erudiri.

Art. IV. - *Utrum solertia sit pars prudentiae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sicut docilitas ad hoc pertinet ut homo bene se habeat in acquirendo rectam opinionem ab alio; ita solertia ad hoc pertinet ut homo bene se habeat in acquirendo rectam aestimationem per seipsum.

NOTANDUM: Solertia accipitur pro eustochia, quae est bene conjecturativa de quibuscumque; solertia autem est *facilis* et *prompta* conjecturatio circa inventionem medii (In corp. art.).

Art. V. - *Utrum ratio debeat poni pars prudentiae.*

RESP. AFF. - *Scil. :* ad prudentiam necesse est ut homo sit bene ratiocinativus.

R. EST: quia opus prudentiae est esse bene consiliativum. Consilium autem est inquisitio quaedam ex quibusdam ad alia procedens; hoc autem est opus rationis.

Art. VI. – *Utrum providentia debeat poni pars prudentiae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia contingentia futura, secundum quod sunt per hominem in finem humanae vitae ordinabilia, pertinent ad prudentiam. Utrumque autem horum importatur in nomine providentiae; importat enim providentia respectum quemdam alicujus distantis, ad quod ea quae in praesenti occurrunt, ordinanda sunt.

Art. VII. – *Utrum circumspectio possit esse pars prudentiae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia necesse est ut homo id quod ordinatur in finem, comparet etiam cum his quae circumstant. Cum enim prudentia sit circa singularia operabilia, in quibus multa concurrunt, contingit aliquid secundum se consideratum esse bonum et conveniens fini, quod tamen ex aliquibus concurrentibus redditur vel malum, vel non opportunum ad finem.

Art. VIII. – *Utrum cautio debeat poni pars prudentiae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia in contingentibus operabilibus verum potest admisceri falso et malum bono. Unde necessaria est cautio ad prudentiam, ut sic accipiantur bona quod vitentur mala.

QUAESTIO L

De partibus subjectivis prudentiae

Postea considerandum est de partibus subjectivis prudentiae. Et quia de prudentia per quam aliquis regit seipsum, jam dictum est (q. xlvii, art. 10 et 11); restat nunc dicendum de speciebus pru-

dentiae quibus multitudo gubernatur; circa quas quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum regnativa debeat poni species prudentiae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia regi, ad quem pertinet regere civitatem vel regnum, prudentia competit secundum specialem et perfectissimam sui rationem; et propter hoc regnativa ponitur species prudentiae.

NOTANDUM: Duae virtutes sunt maxime propriae regi, scilicet prudentia et justitia. Quia tamen dirigere magis pertinet ad regem, exequi autem ad subditos; ideo regnativa magis ponitur species prudentiae quae est directiva, quam justitiae quae est executiva (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum politica convenienter ponatur pars prudentiae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia homines servi, vel quicumque subditi ita aguntur ab aliis per praeceptum, quod tamen agunt seipsos per liberum arbitrium; et ideo requiritur in eis quaedam rectitudo regiminis, per quam seipsos dirigant in obediendo principantibus; et ad hoc pertinet species prudentiae quae politica vocatur.

NOTANDUM: Per prudentiam communiter dictam regit homo seipsum in ordine ad proprium bonum; per politicam (prudentiam) autem in ordine ad bonum commune (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum oeconomica debeat poni species prudentiae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia oeconomica habet objectum speciale quod sub regimini cadit, scilicet domum, quae medio modo se habet inter unam singularem personam et civitatem vel regnum; nam sicut singularis persona est pars domus, ita una domus est pars civitatis vel regni.

NOTANDUM: Ad aliqua particularia quae sunt in domo disponenda, possunt aliqui peccatores provide se habere; sed non ad ipsum totum bene vivere domesticae conversationis, ad quod praecipue requiritur vita virtuosa (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum militaris debeat poni species prudentiae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ars et ratio imitantur naturam. Natura autem dedit animalibus non solum vim concupiscibilem, per quam moveantur ad ea quae sunt saluti eorum accomodata, sed etiam vim irascibilem, per quam animal resistit impugnantibus. Unde et his quae sunt secundum rationem non solum oportet esse prudentiam politicam, per quam disponantur convenienter ea quae pertinent ad bonum commune, sed etiam militarem, per quam hostium insultus repellantur.

NOTANDUM: Executio militiae pertinet ad fortitudinem, sed directio ad prudentiam, et praecipue secundum quod est in duce exercitus (Ad 3m).

QUAESTIO LI

De virtutibus adjunctis prudentiae

Postea considerandum est de virtutibus adjunctis prudentiae, quae sunt partes potentiales ipsius; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum ebulia sit virtus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia facit actum proprium hominis bonum bene consiliando. Nam ebulia dicitur ab εὖ quod est bonum, et βουλή quod est consilium, quasi bona consiliatio, vel potius bene consiliativa. – Unde ebulia non invenitur in peccatoribus, sed tantum in virtuosis (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum eubulia sit virtus distincta a prudentia.*

RESP. AFF. – R. EST: quia per eubuliam efficitur homo bene consiliativus, per prudentiam autem bene praeceptivus. Haec duo autem ita ab invicem distinguuntur, ut aliquando ab invicem separatae inveniuntur. – Quod si etiam prudentis est bene consiliari, hoc ad prudentiam pertinet imperative; ad eubuliam autem elicitive (Ad 1m). Ordinatur enim eubulia ad prudentiam, sicut virtus secundaria ad principalem (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum synesis sit virtus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia praeter eubuliam, quae est bene consiliativa, requiritur ad prudentiam alia virtus, quae est bene iudicativa eorum quae sunt ad finem, et haec synesis dicitur, ex graeco σύνετοι, id est sensati, vel εὐσύνετοι id est, homines boni sensus. Synesis ad sensum communem pertinet, eubulia autem ad inventionem.

NOTANDUM: Synesis est bene iudicativa ex hoc quod virtus cognoscitiva, in qua est synesis, non est imbuta pravis conceptionibus, sed veris et rectis; et sic res apprehendit secundum quod in se sunt et aptae ad finem consequendum (In fine art.).

Art. IV. – *Utrum gnome sit specialis virtus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia contingit quandoque aliquid esse faciendum praeter communes regulas agendorum: puta cum impugnatori patriae non est depositum reddendum, vel aliquid aliud huiusmodi. Et ideo oportet de huiusmodi iudicare secundum aliqua altiora principia, quam sint regulae communes, secundum quas iudicat synesis: et secundum illa altiora principia exigitur altior virtus iudicativa, quae vocatur *gnome*, quae importat quamdam perspicacitatem iudicii.

QUAESTIO LII

De dono consilii

Postea considerandum est de dono consilii, quod respondet prudentiae; et circa hoc quaeruntur quatuor.

Art. I. - *Utrum consilium debeat poni inter dona Spiritus sancti.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia Deus movet unumquodque secundum modum ejus quod movetur. Est autem proprium rationali creaturae quod per inquisitionem rationis moveatur ad aliquid agendum; quae quidem inquisitio consilium dicitur; et ideo Spiritus sanctus dicitur per modum consilii creaturam rationalem movere; et propter hoc consilium ponitur inter dona Spiritus sancti.

NOTANDUM: In inquisitione consilii prudentia vel eubulia, sive sit acquisita, sive infusa, dirigit hominem secundum ea quae ratio comprehendere potest. Sed ratio humana non potest comprehendere omnia singularia contingentia quae occurrere possunt; unde dicitur (Sap. ix, 14) quod *cogitationes mortalium sint timidae, et incertae providentiae nostrae*. Et ideo indiget homo in inquisitione consilii dirigi a Deo; quod fit per donum consilii, per quod homo dirigitur quasi consilio a Deo accepto; sicut etiam in rebus humanis, qui sibi ipsis non sufficiunt in inquisitione consilii, a sapientioribus consilium requirunt (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum donum consilii respondeat virtuti prudentiae.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Donum consilii respondet prudentiae, sicut ipsam adjuvans et perficiens.

R. EST: quia per donum consilii ratio humana a Spiritu sancto regulatur et movetur; per hoc autem maxime perficitur rectitudo rationis, quae ad prudentiam pertinet: est enim prudentia recta ratio agibile.

NOTANDUM: Non fuit conveniens quod donum correspondens prudentiae diceretur praeceptum vel iudicium, quae sunt etiam actus prudentiae, sed consilium; quia praeceptum et iudicium non sunt moti, sed moventis: in donis autem Spiritus sancti mens humana magis se habet ut mota, quam ut movens (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum donum consilii maneat in patria.*

RESP. AFF. - *Scil.* : Donum consilii est in beati, in quantum in eis a Deo continuatur cognitio eorum quae sciunt, et in quantum illuminantur de his quae nesciunt circa agenda.

R. EST: quia non praecedit in beatis inquisitio dubitationis, sed simplex conversio ad Deum, quod est Deum consulere, sicut Augustinus dicit (Super Gen. ad litt., lib. v, cap. 19): « Angeli de inferioribus Deum consulunt ». - Nam dubitatio pertinet ad consilium, secundum statum vitae praesentis, non autem pertinet secundum quod est consilium in patria (Ad 2m).

Art. IV. - *Utrum quinta beatitudo, quae est de misericordia, respondeat dono consilii.*

RESP. AFF. - R. EST: quia donum consilii proprie est de his quae sunt utilia ad finem. Maxime autem utilis ad finem est misericordia, secundum illud: *Pietas ad omnia utilis est* (I. Tim. iv, 8). Et ideo specialiter dono consilii respondet beatitudo misericordiae, non sicut elicenti, sed sicut dirigenti.

NOTANDUM: Inter fructus Spiritus sancti non ponitur aliquid respondens dono consilii. Ratio hujus est quia inter fructus nihil ponitur quod pertineat ad cognitionem practicam, sed solum ea quae pertinent ad operationes, in quibus cognitio practica dirigit; inter quae ponitur bonitas et benignitas, quae correspondent misericordiae (Ad 3m).

QUAESTIO LIII

De vitiis prudentiae oppositis, et primo de imprudentia

Postea considerandum est de vitiis oppositis prudentiae. Dicit enim Augustinus (Contra Julianum, lib. iv, cap. 4) quod « omnibus virtutibus non solum sunt vitia manifesta directione contraria, sicut prudentiae temeritas; verum etiam vicina quodammodo, nec veritate, sed quadam specie fallente similia, sicut ipsi prudentiae non temeritas vel imprudentia, sed astutia ». Primo ergo considerandum est de vitiis quae manifeste contrarietatem habent ad prudentiam, quae scilicet vitia proveniunt ex defectu prudentiae, vel eorum quae ad prudentiam requiruntur; secundo de vitiis quae habent quamdam similitudinem falsam cum prudentia, quae scilicet contingunt per abusum eorum quae ad prudentiam requiruntur. Quia vero sollicitudo ad prudentiam pertinet, circa primum consideranda sunt duo: primo quidem de imprudentia; secundo de negligentia, quae sollicitudini opponitur. Et circa primum quaeruntur sex:

Art. I. - Utrum imprudentia sit peccatum.

RESP. AFF. - Scil.: a) imprudentia *negative* sumpta potest esse sine peccato; b) *privative* accepta est peccatum ratione negligentiae; c) *contrarie* considerata est peccatum secundum rationem propriam prudentiae, et aliquando est peccatum grave, aliquando autem leve.

R. PRIMI EST: quia *negative* sumpta non proprie dicitur imprudentia: importat enim solam carentiam prudentiae, quae potest esse sine peccato.

R. SECUNDI EST: quia *privative* accepta imprudentia dicitur inquantum aliquis caret prudentia, quam quis natus est et debet habere, et quam quis non habet quia non adhibet studium ad prudentiam habendam.

R. TERTII EST: quia *contrarie* considerata imprudentia est secundum quod ratio contrario modo movetur vel agit prudentiae; puta si recta ratio prudentiae agit consiliando, imprudens consilium spernit; et sic de aliis quae in actu prudentiae consideranda sunt. – Et sic divertit homo a regulis quibus ratio prudentiae rectificatur. Quod si hoc contingat per aversionem a regulis divinis, est peccatum mortale; puta cum quis quasi contemnens et repudians divina documenta, praecipitanter agit. Si vero praeter eas agat absque contemptu, et absque detrimento eorum quae sunt de necessitate salutis, est peccatum veniale.

Art. II. – *Utrum imprudentia sit speciale peccatum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia contrariatur prudentiae, quae est virtus specialis (In *Sed contra*).

NOTANDUM: Imprudentia est *peccatum generale* in sensu absoluto quidem, non secundum essentiam, quia non praedicatur de omnibus peccatis, sicut nec prudentia de omnibus bonis actibus; sed per participationem, sicut et prudentia; in quantum scilicet participatur quodammodo in omnibus virtutibus, in quantum est directiva eorum; ita et imprudentia in omnibus vitiis et peccatis: nullum enim peccatum potest accidere, nisi sit defectus in aliquo actu rationis dirigentis. – Est etiam *peccatum generale* respectu quorumdam vitiorum, quae sunt species ejus; scil. per oppositum ad diversas partes subjectivas, per oppositum ad partes potentiales prudentiae, et per oppositum ad ea quae requiruntur ad prudentiam ut partes quasi integrales ejus. De his agendum est in subsequentibus articulis. (In corp. art.).

Art. III. – *Utrum praecipitatio sit peccatum sub imprudentia contentum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia praecipitatio importat inordinationem consilii, quod ad impruden-

tiam pertinet. Nam praecipitatio habetur cum quis feratur ad agendum per impetum voluntatis, vel passionis, pertransitis gradibus quibus quis ordinate descendit ad operationem recte consiliando.

NOTANDA: 1. Gradus per quos oportet descendere a ratione ad operationes externas sunt: *memoria* praeteritorum, *intelligentia* praesentium, *solertia* in considerandis futuris eventibus, *ratiocinatio* conferens unum alteri, *docilitas* per quam aliquis acquiescit sententiis majorum (In corp. art.).

2. Temeritas proprie habetur si quis praecitando regulam dirigentem contemnat. Unde temeritas ex radice superbiae provenit; sed sub praecipitatione continetur (Ad 2m).

Art. IV. - *Utrum inconsideratio sit speciale peccatum sub imprudentia contentum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia cum consideratio importet actum intellectus veritatem rei intuentis, maxime ad iudicium pertinet, quod est actus prudentiae. Unde et defectus recti iudicii ad vitium inconsiderationis pertinet, prout scilicet aliquis in recte iudicando deficit ex hoc quod contemnit vel negligit attendere ea ex quibus rectum iudicium procedit. Consequenter inconsideratio est peccatum, et sub imprudentia continetur.

NOTANDUM: Quantum ad verba Domini (Mt. x, 19): *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini*, considerandum est quod Dominus non prohibet considerare ea quae sunt agenda vel dicenda quando homo habeat opportunitatem; sed dat fiduciam discipulis, ut deficiendo sibi opportunitate, vel propter imperitiam, vel quia subito praeoccupantur, in solo divino confidant consilio; quia *cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui ut oculos nostros dirigamus ad Deum*, sicut dicitur II Paral. xx, 12; alioquin si homo praetermittat facere quod potest, solum divinum auxilium expectans, videtur tentare Deum (Ad 1m).

Art. V. – *Utrum inconstantia sit vitium sub imprudentia contentum.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia inconstantia importat recessum quemdam a bono proposito definito. Hujus autem recessus principium habet a vi appetitiva, consummatur vero per defectum rationis. Omnes autem defectus rationis practicae pertinent ad imprudentiam, sicut omnis rectitudo ejusdem rationis ad prudentiam. – Unde sicut praecipitatio est ex defectu circa actum consilii, et inconsideratio circa actum judicii; ita inconstantia circa actum praecepti.

Art. VI. – *Utrum praedicta vitia oriuntur ex luxuria.*

RESP. AFF. – *Scil.:* maxime ex luxuria oriuntur, quae totaliter extinguit iudicium rationis.

R. EST: quia, ut Philosophus dicit (*Ethic. lib. vi, cap. 5*): «delectatio maxime corrumpit aestimationem prudentiae»; et praecipue delectatio quae est in venereis, quae totam animam absorbet.

QUAESTIO LIV

De negligentia

Postea considerandum est de negligentia; et circa hoc quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum negligentia sit peccatum speciale.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia negligentia importat defectum debitae sollicitudinis. Unde eo modo quo sollicitudo est specialis virtutis actus, necesse est quod negligentia sit speciale peccatum. Sollicitudo autem est quidam specialis actus rationis

(qu. xlvii, art. 9); et secundum hoc negligentia speciale peccatum est, quamvis inveniatur etiam aliquid in omnibus peccatis (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum negligentia opponatur prudentiae.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia rectitudo sollicitudinis pertinet ad prudentiam; negligentia autem opponitur sollicitudini. Unde per oppositum negligentia ad imprudentiam pertinet. - Item ad prudentiam pertinet eligere ea quae sunt ad finem; negligens autem dicitur « quasi nec eligens », ut Isidorus dicit (Etym. lib. x, ad litt N.). Unde negligentia opponitur prudentiae.

NOTANDUM: Differentia inter negligentiam, pigritiam et torporem haec est: quia *negligentia* consistit in defectu interioris actus, ad quem pertinet etiam electio; *pigritia* importat tarditionem ad exequendum; *torpor* autem remissionem quamdam in ipsa executione (Ad 1m). - Item, sicut et inconstantia, negligentia est circa actum praecipendi. Sed inconstantia deficit in praecipiendo, quasi ab aliquo impedita; negligentia vero per defectum promptae voluntatis (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum negligentia possit esse peccatum mortale.*

RESP. AFF. - *Scil.:* cum ex parte ejus quod praetermittitur; tum ex parte voluntatis.

R. PRIMI EST: quia id quod per negligentiam praetermittitur, potest esse de necessitate salutis, sive sit actus, sive circumstantia.

R. SECUNDI EST: quia voluntas potest per negligentiam ita esse remissa circa ea quae sunt Dei, ut totaliter a Dei charitate deficiat; et hoc praecipue contingit quando negligentia sequitur ex contemptu.

QUAESTIO LV

De vitiis oppositis prudentiae secundum similitudinem, et primo de prudentia carnis

Postea considerandum est de vitiis oppositis prudentiae, quae habent similitudinem cum ipsa; et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum prudentia carnis sit peccatum.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia *prudentia carnis* proprie dicitur secundum quod aliquis bona carnis habet ut ultimum finem suae vitae. Manifestum est autem quod hoc est peccatum.

NOTANDUM: Dicitur *prudentia* (carnis, vel etiam mundi), quia prudentia importat ordinem ad aliquem finem appetibilem; si igitur talis finis est aliquod bonum carnis vel mundi inordinatum, dicitur *carnis* vel *mundi prudentia*, secundum illud Rom. viii, 7: *Prudentia carnis inimica est Deo*, et illud Lucae xvi, 8: *Filii hujus saeculi prudentiores sunt in generatione sua*, etc. (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum prudentia carnis sit peccatum mortale.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Si prudentia carnis accipitur secundum absolutam prudentiae rationem, ita scilicet quod in cura carnis constituatur ultimus finis totius vitae, sic est peccatum mortale; si vero accipitur secundum rationem particularis prudentiae, sic est peccatum veniale.

R. PRIMI EST: quia per hoc homo avertitur a Deo, cum impossibile sit esse plures fines ultimos (I-II, qu. i, art. 5).

R. SECUNDI EST: quia per hoc contingit quod aliquis inordinate afficitur ad aliquod delectabile carnis absque hoc quod avertatur a Deo per pec-

catum mortale, unde non constituit finem totius vitae in delectatione carnis.

Art. III. - *Utrum astutia sit speciale peccatum.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia astutia consistit in hoc quod aliquis ad finem aliquem consequendum vel bonum, vel malum, utitur non veris viis, sed simulatis et apparentibus. Unde distinguitur astutia a prudentia carnis, quae consistit in hoc quod per studium rationis ordinatur quis ad finem qui non est vere bonus, sed apparens.

Art. IV. - *Utrum dolus sit peccatum ad astutiam pertinens.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia dolus importat quamdam executionem astutiae. Nam ad astutiam proprie pertinet excogitare simulatas et apparentes vias ad aliquem finem prosequendum vel bonum, vel malum; ad dolum autem pertinet executionem assumptionis talium viarum, per verba scilicet et per facta. Sicut tamen astutia proprie accipitur in malo, abusive autem in bono; ita etiam et dolus, qui est astutiae executio (Ad 1m).

Art. V. - *Utrum fraus ad astutiam pertineat.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia fraus proprie pertinet ad executionem astutiae quod fit *per facta*.

Art. VI. - *Utrum licitum sit sollicitudinem habere de temporalibus rebus.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Sollicitudo (superflua) temporalium rerum tripliciter potest esse illicita.

R. PRIMI EST ex parte ejus de quo sollicitamur: quia illicitum est temporalia tanquam finem quaerere.

R. SECUNDI EST ex parte studii: quia propter superfluum studium, quod apponitur ad temporalia procuranda, homo a spiritualibus, quibus principalius inservire debet, retrahitur; et ideo

dicitur Mat. xiii, 22, quod *sollicitudo saeculi suffocat verbum*.

R. TERTII EST ex parte timoris superflui: quia Dominus talem timorem excludit, secundum illud Mt. vi, 31: *Quarite primum regnum Dei... et haec omnia adjicientur vobis*.

Art. VII. – *Utrum quis debeat esse sollicitus futurorum.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Sollicitudo futurorum inordinata vel incongrua illicita est.

R. EST: quia, ut dicitur (Eccle. viii, 6), *Omni negotio tempus est, et opportunitas*. – Unde hujusmodi sollicitudinem tanquam superfluum Dominus prohibet, dicens: *Nolite solliciti esse in crastinum... Sufficit diei malitia sua*, i. e. afflictio sollicitudinis.

Art. VIII. – *Utrum hujusmodi vitia oriuntur ex avaritia.*

RESP. AFF. – R. EST: quia prudentia carnis, astutia, dolus et fraus similitudinem quamdam habent cum prudentia in aliquali usu rationis. Usus autem rationis indebitus maxime apparet in vitiis justitiae oppositis, inter quae maxime est avaritia. Et ideo praedicta vitia maxime ex avaritia oriuntur.

QUAESTIO LVI

De praeceptis pertinentibus ad prudentiam

Deinde considerandum est de praeceptis pertinentibus ad prudentiam; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum de prudentia fuerit dandum aliquod praeceptum inter praecepta decalogi.*

RESP. NEG. – R. EST: quia praecepta Decalogi cum ad naturalem rationem pertineant, sunt

praecipue circa fines humanae vitae. Nam dictamina rationis humanae sunt praecipue circa fines, qui se habent in agendis, sicut principia naturalis cognitionis in speculativis. Prudentia autem non est circa finem, sed circa ea quae sunt ad finem. Unde de prudentia non fuit dandum praeceptum inter praecepta Decalogi directe. Ad prudentiam tamen, secundum quod est directiva omnium virtuosorum actuum, omnia praecepta Decalogi pertinent.

NOTANDUM: Doctrina evangelica est doctrina perfectionis; et ideo oportuit quod in ipsa perfecte instrueretur homo de omnibus quae pertinent ad rectitudinem vitae, sive sint fines, sive sint ea quae sunt ad finem. Et propter hoc oportuit in doctrina evangelica etiam de prudentia praecepta dari (Ad 2m). – Similiter dicendum est de subsequentibus documentis veteris Testamenti, in quibus conveniens fuit dari praecepta etiam circa ea quae sunt ad finem (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum in veteri lege fuerint convenienter praecepta prohibitiva proposita de vitiis oppositis prudentiae.*

RESP. AFF. – *Scil. :* praecepta prohibitiva astutiam.

R. EST: quia ad praeceptum maxime requiritur ratio debiti. Hanc autem justitia respicit. Astutia autem quantum ad executionem maxime committitur in his circa quae est justitia (qu. lv, art. 5), sicut cum dolo et fraude aliquis alicui calumniam ingerit, vel ejus bona surripit; quod in lege sic prohibetur: Levit. xix, 13: *Non facies calumniam proximo tuo*; et Deut. xxv, 13: *Non habebis in saeculo tuo diversa pondera, minus et majus.*

NOTANDUM: Praecepta prohibitiva non dantur circa vitia quae directe opponuntur prudentiae, quia talia habent manifestam contrarietatem ad prudentiam, et ideo non ita pertinent ad injustitiam sicut executio astutiae (Ad 1m).

QUAESTIO LVII

De jure *

Consequenter post prudentiam considerandum est de justitia, circa quam quadruplex consideratio occurrit: prima est de justitia; secunda de partibus ejus; tertio de dono ad hoc pertinente; quarta de praeceptis ad justitiam pertinentibus. Circa justitiam vero consideranda sunt quatuor: primo quidem de jure; secundo de ipsa justitia; tertio de injustitia; quarto de judicio. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum jus sit objectum justitiae.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Specialiter justitiae prae aliis virtutibus determinatur secundum se objectum, quod vocatur justum, seu jus.

R. EST: quia illud quod est rectum in operibus aliarum virtutum, non accipitur nisi per comparisonem ad agentem; rectum vero quod est in opere justitiae, etiam praeter comparisonem ad agentem constituitur per comparisonem ad alium. Et hoc est quod proprie dicitur justum vel jus.

Art. II. - *Utrum jus convenienter dividatur in jus naturale et jus positivum.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia jus sive justum est aliquod opus adaequatum alteri secundum aliquem aequalitatis modum. Hoc autem duplici modo fieri potest, scilicet vel ex ipsa natura rei, et secundum hoc jus vocatur naturale; vel ex conducto, scilicet quando aliquis reputat se contentum, si tantum accipiat, et hoc est jus seu justum positivum, quod potest esse inter personas privatas, vel inter personas quae auctoritatem publicam habent: et sic jus positivum subdividitur in privatum et publicum.

* Vide nostram « Divisionem schematicam » (Tab. XXII).

NOTANDA: 1. Si aliquid de se repugnantiam habeat ad jus naturale, non potest voluntate humana fieri justum; puta si statuatur quod liceat furari, vel adulterium committere. Unde dicitur Isa. x, 1: *Vae qui condunt leges iniquas.*

2. Etiam jus divinum dividitur in naturale et positivum. Nam jus divinum dicitur quod divinitus promulgatur; et hoc quidem partim est de his quae sunt naturaliter justa, sed tamen eorum justitia homines latet; partim autem de his quae fiunt justa institutione divina. In lege divina enim sunt quaedam praecepta, quia bona, i. e., de se bona; et prohibita, quia mala: quaedam autem bona, quia praecepta, i. e., ratione praecepti; et mala, quia prohibita. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum jus gentium sit idem cum jure naturali.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Jus gentium non est idem cum jure naturali secundum absolutam hujus considerationem.

R. EST: quia secundum absolutam considerationem jus naturale est adaequata commensuratio secundum naturam, sicut inter masculinum et feminam; et hoc jus, quod importat absolutam apprehensionem rei, est nobis et aliis animalibus commune. Alia autem commensuratio juris seu justii est quidem naturalis, non absoluta, sed secundum quod ex ipsa natura sequitur, secundum naturalem hominum rationem, puta proprietates possessionum. Et tales jus solis hominibus est commune, et vocatur jus gentium, sicut Cajus jurisconsultus dicit (Lib. ix): « Quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes paraeque custoditur, vocaturque jus gentium ».

NOTANDA: 1. Servitus pertinet ad jus gentium, in quantum scilicet utile est servo quod regatur a sapientiori, et domino quod a servo juvetur, est naturalis secundo modo (Ad 2m).

2. Ea quae sunt juris gentium, naturalis ratio dictat, puta ex propinquo habentia aequitatem, inde est quod non indigent aliqua speciali institutione, sed ipsa naturalis ratio ea instituit (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum debeat specialiter distingui jus paternum et dominativum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : jus paternum et dominativum distingui debet a jure seu justo simpliciter dicto.

R. EST: quia jus sive justum simpliciter dictum est inter unum et alterum, in quantum est simpliciter alterum. Patris autem ad filium, et domini ad servum non est comparatio sicut simpliciter ad alterum; filius enim est aliquid existens patris, et servus est quasi instrumentum domini sui. Inter patrem ergo et filium est justum sive jus speciale, quod paternum dicitur; et similiter inter dominum et servum est jus dominativum. – Similiter virum inter et uxorem est jus speciale quod oeconomicum dicitur. Vir enim et uxor habent immediatam relationem ad domesticam communitatem, in qua jus speciale fundatur. – In his specialibus juribus, ut patet, deficit perfecta ratio juris vel justitiae: filius enim est aliquid patris, servus domini, et uxor viri (Ad 2m).

NOTANDUM: Aliae diversitates personarum, quae sunt in civitate habent justum secundum perfectam rationem justitiae. Distinguitur tamen istud justum secundum diversa officia; unde dicitur jus militare, vel jus magistratum aut sacerdotum; non propter defectum a simpliciter justo, sicut dicitur jus paternum et dominativum; sed propter hoc quod unicuique conditioni personae, secundum proprium officium, aliquid proprium debetur (Ad 3m).

QUAESTIO LVIII

De justitia

Deinde considerandum est de justitia; circa quam quaeruntur duodecim:

Art. I. - *Utrum convenienter definiatur justitia, quod est perpetua et constans voluntas jus suum unicuique tribuendi.*

RESP. AFF. - *Sicl.:* Praedicta definitio est completa definitio justitiae; nisi quod actus ponitur pro habitu, qui per actum specificatur.

R. EST: quia cum virtus sit habitus qui est principium boni actus, necesse est quod virtus definiatur per actum bonum circa propriam materiam virtutis. Hic autem propria materia justitiae tangitur per verba: *Jus suum unicuique tribuens*; quia ut Isidorus dicit (Etymol. lib. x, ad litt I.): «justus dicitur, quia jus custodit». Bonitas autem actus indicatur per hoc quod actus dicitur voluntarius, et stabilis et firmus, nempe per verba: *constans et perpetua voluntas.*

NOTANDUM: Judex reddit quod suum est per modum imperantis et dirigentis, quia judex est justum animatum, et princeps est custos justus, ut dicitur (Ethic. Lib. v, cap. 4 et 6); sed subditi reddunt quod suum est unicuique per modum executionis (Ad 5m).

Art. II. - *Utrum justitia semper sit ad alterum.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia, ut dictum est (qu. praec., art. 1 et 2), nomen justitiae importat aequalitatem; unde ex sua ratione justitia habet quod sit ad alterum; nihil enim est sibi aequale, sed alteri.

NOTANDUM: In uno eodemque homine dicitur esse justitia, secundum quod ratio imperat ira-

scibili et concupiscibili, et secundum quod haec obediunt rationi, et universaliter secundum quod unicuique parti hominis attribuitur quod ei convenit; sed haec justitia secundum metaphoram dicitur; nam actiones non sunt proprie potentialium, sed suppositorum et totorum (In corp. art.).

Art. III. – *Utrum justitia sit virtus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia justitiae convenit quod de virtute humana dicitur scilicet quod reddit actum humanum bonum, et ipsum hominem bonum facit. Nam justitia operationes humanas rectificat. Unde « in ea virtutis splendor est maximus », ut Tullius dicit (De Off. lib. 1).

Art. IV. – *Utrum justitia sit in voluntate sicut in subjecto.*

RESP. AFF. – R. EST: quia justitia ordinatur ad rectificandum actum voluntatis; non enim dicimur justi ex hoc quod recte aliquid cognoscimus; sed ex hoc quod volumus aliquid in ordine ad alterum, secundum proportionem unius ad alterum; quod ad appetitum rationalem pertinet.

Art. V. – *Utrum justitia sit virtus generalis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia bonum cujuslibet virtutis, sive ordinantis aliquem hominem ad seipsum, sive ordinantis ipsum ad aliquas alias personas singulares, est referibile ad bonum commune, ad quod ordinat justitia; pars enim, id quod est, totius est. Secundum hoc igitur, actus omnium virtutum possunt ad justitiam pertinere, secundum quod ordinat hominem ad bonum commune. Et quantum ad hoc justitia dicitur virtus generalis, quae etiam *justitia legalis* dicitur, quia per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune.

Art. VI. – *Utrum justitia, secundum quod est generalis, sit idem per essentiam cum omni virtute.*

RESP. NEG. – R. EST: quia justitia generalis sive legalis non est talis per praedicationem, sicut genus quod praedicatur de speciebus et pertinet ad essentiam ipsarum; sed est talis secundum suam virtutem, inquantum ordinat actus omnium aliarum virtutum moralium in bonum commune, ut dictum est (art. praec.); et hoc modo generale non oportet quod sit idem in essentia cum his ad quae est generale: non est enim eadem essentia causae et effectus. – Sic igitur justitia secundum essentiam est virtus specialis; secundum virtutem autem est virtus generalis.

NOTANDUM: Quaelibet virtus a justitia legali imperata, dici potest, secundum Philosophum (Ethic. lib. v, cap. 1, in fine), justitia legalis; et secundum hunc modum loquendi justitia legalis est idem in essentia cum omni virtute; differt autem ratione (Ad 3m).

Art. VII. – *Utrum sit aliqua justitia particularis praeter justitiam generalem.*

RESP. AFF. – R. EST: quia oportet praeter justitiam legalem quae ordinat hominem immediate ad bonum commune, esse alias virtutes quae immediate ordinant hominem circa particularia bona. Inter has virtutes autem oportet esse particularem quamdam justitiam, quae ordinat hominem circa ea quae sunt ad alteram singularem personam: non est enim eadem ratio boni communis et boni singularis (Ad 2m).

Art. VIII. – *Utrum justitia particularis habeat materiam specialem.*

RESP. AFF. – R. EST: quia cum justitia ordinatur ad alterum, non autem proprie ad seipsum, non est circa totam materiam virtutis moralis,

sed solum circa exteriores actiones et res, secundum quamdam rationem objecti specialem, prout scilicet secundum eas unus homo alteri coordinatur.

Art. IX. - *Utrum justitia sit circa passionem.*

RESP. NEG. - **R. EST:** quia justitiae subjectum est voluntas, cujus motus vel actus non sunt passiones (I-II, qu. xxii, art. 3). - Item, quia justitia est circa ea quae sunt ad alterum: non autem per passiones interiores immediate ad alterum ordinamur. Et ideo justitia circa passiones non est.

NOTANDUM: Justitia legalis, quae ordinatur ad bonum commune, magis se potest extendere ad interiores passiones, quibus homo aequaliter disponitur in seipso, quam justitia particularis, quae ordinatur ad bonum alterius singularis personae (Ad 3m).

Art. X. - *Utrum medium justitiae sit medium rei.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia materia justitiae est exterior operatio, secundum quod ipsa (operatio) vel res cujus est usus, debitam proportionem habet ad aliam personam: et ideo medium justitiae consistit in quadam proportionis aequalitate rei exterioris ad personam exteriorem. Aequale autem est realiter medium inter majus et minus; unde justitia habet medium rei.

NOTANDUM: Hoc medium rei justitiae est etiam medium rationis, et ideo in justitia salvatur ratio virtutis moralis (Ad 1m).

Art. XI. - *Utrum actus justitiae sit reddere unicuique quod suum est.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia actus justitiae est operatio exterior, secundum quod ipsa (operatio), vel res quae per eam utimur, proportionatur alteri personae, ad quam per justitiam ordinamus. Hoc est autem unicuique quod suum est reddere.

NOTANDUM: Subvenire miseris, quod pertinet ad misericordiam sive pietatem, et liberaliter benefacere, quod pertinet ad liberalitatem, per quamdam reductionem attribuitur justitiae, sicut principali virtuti, seu cardinali. Misericordia, liberalitas at aliae hujusmodi sunt virtutes secundariae adjunctae justitiae, ut infra (qu. lxxx, art. 1) vatebit (Ad 1m).

Art. XII. – *Utrum justitia praeemineat inter omnes virtutes morales.*

RESP. AFF. – *Scil.:* cum justitia legalis, tum justitia particularis praecellit inter omnes alias virtutes morales.

R. PRIMI EST: quia bonum commune, quod est objectum justitiae legalis, praeclarius est bono singulari unius personae, quod est objectum aliarum virtutum. Et secundum hoc Philosophus dicit (Ethic. lib. v, cap. 1 ante finem) quod « praeclarissima virtutum videtur esse justitia, et neque est Hesperus, neque Lucifer ita admirabilis ».

R. SECUNDI EST duplex: prima ex parte subjecti: quia justitia (particularis) est in nobiliori parte animae, i. e., in appetitu rationali, scilicet in voluntate, aliis virtutibus moralibus existentibus in appetitu sensitivo, * ad quem pertinent passiones, quae sunt materia aliarum virtutum moralium. – Secunda R. est ex parte objecti: quia aliae virtutes laudantur solum secundum bonum ipsius virtuosus; justitia autem laudatur secundum quod virtuosus ad alium bene se habet; et sic justitia quodammodo est bonum alterius. Philosophus autem dicit (Rhetor. lib. 1, cap. 1): « Necesse est maximas virtutes esse eas quae sunt aliis utilissimae ».

* S. D. non includit hic prudentiam, quae non est in appetitu sensitivo, sed in intellectu, et est simpliciter principalior omnibus virtutibus moralibus (II-II, q. 123, art. 12).

QUAESTIO LIX

De injustitia

Deinde considerandum est de injustitia; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum injustitia sit vitium speciale.*

RESP. AFF. – *Scil.* : a) injustitia quae opponitur justitiae legali est secundum essentiam vitium speciale; b) secundum intentionem autem est vitium generale; c) injustitia quae opponitur justitiae particulari est vitium particulare.

R. PRIMI EST: quia talis injustitia respicit speciale objectum, scilicet bonum commune, quod contemnitur.

R. SECUNDI EST: quia per contemptum boni communis potest homo ad omnia peccata deduci; sicut etiam omnia vitia, inquantum repugnant bono communi, injustitiae habent rationem.

R. TERTII EST: quia talis injustitia materiam specialem habet, quae justitiae particulari opponitur, scilicet inaequalitas quamdam ad alterum, prout homo vult habere plus de bonis, puta divitiis et honoribus, et minus de malis, puta laboribus et damnis.

Art. II. – *Utrum aliquis dicatur injustus ex hoc quod facit injustum.*

RESP. NEG. – R. EST: quia injustum facere potest fieri praeter intentionem vel ex passione; quod est fieri absque habitu injustitiae.

NOTANDUM: Injustus proprie ille est qui ex electione injustum facit, quando scilicet ipsa injustificatio per se placet. Tunc enim injustificatio pro-

prie procedit ab habitu, quia unicuique habenti aliquem habitum, est secundum se acceptum, quod convenit illi habitui (In corp. art.).

Art. III. - *Utrum aliquis possit pati injustum volens.*

RESP. NEG. - *Scil.:* per se loquendo nullus potest pati injustum volens; potest tamen per accidens et quasi materialiter.

R. EST: quia per se et formaliter loquendo nullus potest facere nisi volens, nec pati nisi nolens. Illud enim proprie et per se homo facit quod volens facit; et e contrario illud proprie homo patitur quod praeter voluntatem suam patitur. - Per accidens autem, et quasi materialiter loquendo, potest aliquis id quod est de se injustum vel facere nolens (sicut cum quis praeter intentionem operatur), vel pati volens, sicut cum aliquis plus alteri dat sua voluntate quam debeat.

Art. IV. - *Utrum quicumque facit injustum peccet mortaliter.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Facere injustum scienter et volenter est peccatum mortale ex genere suo.

R. EST: quia omne nocumentum alteri illatum, ex se charitati repugnat, quae movet ad volendum bonum alterius. Et ideo cum injustitia semper consistat in nocumento alterius, manifestum est quod facere injustum, ex genere suo est peccatum mortale.

NOTANDUM: Ille qui in parvis facit injustitiam, deficit a perfecta ratione ejus quod est injustum facere, inquantum potest reputari non esse omnino contra voluntatem ejus qui hoc patitur; puta si auferat aliquis alicui unum pomum, vel aliquid tale, de quo probabile est quod ille inde non laedatur, nec ei displiceat (Ad 2m).

QUAESTIO LX

De iudicio

Postea considerandum est de iudicio; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum iudicium sit actus iustitiae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia iudicium, quod est quasi jus dicens, est actus iudicis, *inquantum iudex est*, et importat rectam determinationem ejus quod est justum, quod proprie pertinet ad iustitiam. Propter quod Philosophus (Ethic. lib. v, cap. 4) dicit quod « homines ad iudicem confugiunt, sicut ad quamdam iustitiam animatam ».

NOTANDUM: Ad rectum iudicium, sive proprie dictum, sive sensu ampliato, in speculativis et in practicis, duo requiruntur: quorum unum est ipsa virtus proferens iudicium; et sic iudicium est actus rationis; dicere enim vel definire aliquid, rationis est. Aliud autem est dispositio iudicantis, ex qua habet idoneitatem ad recte iudicandum; et sic in his quae pertinent ad iustitiam, iudicium procedit ex iustitia. Sic ergo iudicium est quidem actus iustitiae sicut inclinantis ad recte iudicandum; prudentiae autem sicut iudicium proferentis; unde et synesis ad prudentiam pertinens dicitur bene iudicativa (qu. li, art. 3). - (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum sit licitum iudicare.*

RESP. AFF. - R. EST: quia iudicare est actus iustitiae. Ut iudicium autem sit actus iustitiae tria requiruntur: primo quidem ut procedat ex inclinatione iustitiae; secundo quod procedat ex auctoritate praesidentis; tertio quod proferatur secundum rectam rationem prudentiae. Si vero iudicium deficiat in primo, erit perversum vel injustum; si vero in secundo, erit usurpatum; si vero in tertio, erit suspiciosum vel temerarium. Et talia iudicia sunt illicita, et ideo a Do-

mino prohibita, secundum illud Mt. vii, 1: *Nolite iudicare, ut non iudicemini.*

NOTANDUM: Illi qui sunt in gravibus peccatis, non debent iudicare eos qui sunt in eisdem peccatis, vel minoribus. Et praecipue hoc est intelligendum, quando illa peccata sunt publica, quia ex hoc generaretur scandalum in cordibus aliorum. Si autem non sunt publica, sed occulta, et necessitas iudicandi immineat propter officium, potest cum humilitate et timore vel arguere vel iudicare (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum iudicium ex suspicione procedens sit illicitum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* quando suspicio procedit a) ex hoc quod aliquis in seipso malus est; vel b) ex hoc quod aliquis male afficitur ad alterum: est peccatum. Quando autem suspicio provenit ex longa experientia, diminuit rationem suspicionis.

R. PRIMI ET SECUNDI EST: quia tales causae suspicionis pertinent ad perversitatem affectus.

R. TERTII EST: quia talis experientia ad certitudinem proficit, quod est contra rationem suspicionis; unde Philosophus dicit (*Rethor. lib. ii, cap. 13*): « senes sunt maxime suspiciosi, quia multoties experti sunt aliorum defectus ».

NOTANDUM: Triplex est gradus suspicionis: primus est ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat; et hoc est veniale et leve peccatum; pertinet enim ad tentationem humanam sine qua vita ista non ducitur; secundus gradus est cum aliquis pro certo malitiam alterius aestimat ex levibus indiciis; et hoc si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale, inquantum non est sine contemptu proximi; tertius gradus est cum aliquis iudex ex suspicione procedit ad aliquem condemnandum; et hoc directe ad injustitiam pertinet, quae est circa exteriores operationes (qu. lviii art. 9): injustitia autem est peccatum mortale ex genere suo (qu. praec., art. 4). - (In corp. art. et ad 3m).

Art. IV. – *Utrum dubia sint in meliorem partem interpretanda.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Dubia judicia de malitia alterius, semper sunt in meliorem partem interpretanda; in iudicio autem de rebus unusquisque debet niti ad hoc secundum quod res sunt.

R. PRIMI EST: quia ex hoc ipso quod aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa, injuriatur ei, et contemnit ipsum. Nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum quodcumque inferre absque causa cogente. Et ideo ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere in meliorem partem interpretando quod dubium est.

R. SECUNDI EST: quia in iudicio in quo de rebus judicamus, non attenditur bonum vel malum ex parte ipsius rei, de qua judicamus, cui nihil nocet qualitercumque judicemus de ipsa; sed attenditur ibi solum bonum judicantis, si vere judicet; vel malum, si falso; quia verum est bonum intellectus, falsum autem est malum ipsius (Ad 2m).

NOTANDUM: Potest contingere quod ille qui in meliorem partem interpretatur, frequentius fallitur; sed melius est quod aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quam quod rarius fallatur, habens malam opinionem de aliquo homine bono; quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo (Ad 1m). Ex hoc enim quod aliquis bonus judicatur, habetur honorabilis; si autem malus judicetur, contempnibilis habetur. Et ideo ad hoc potius tendere debemus in tali iudicio, quod hominem judicemus bonum, nisi manifesta ratio in contrarium appareat (Ad 2m).

Art. V. – *Utrum sit semper secundum leges scriptas judicandum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : et quantum ad jus naturale, et quantum ad jus positivum, quod fit ex quodam conducto inter homines.

R. EST: quia leges scribuntur ad utriusque juris declarationem; alioquin iudicium deficeret, vel a justo naturali vel a justo positivo.

NOTANDA: 1. Scriptura legis continet quidem jus naturale, non autem instituit; jus autem positivum et continet et instituit, quia dat ei auctoritatem et robur (In corp. art.).

2. Lex scripta sicut non dat robur juri naturali, ita nec potest ejus robur minuere vel auferre, quia nec voluntas hominis potest immutare naturam. Et ideo si scriptura legis contineat aliquid contra jus naturale, injusta est, nec habet vim obligandi (Ad 1m).

Art. VI. - *Utrum iudicium per usurpationem radatur perversum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia iudicium ferre est quodammodo dictum legis interpretari, applicando ipsum ad particulare negotium. Ejusdem autem auctoritatis est legem interpretari et legem condere. Unde iudicium ferre competit ei qui legem condit, i. e., publicae auctoritati. Perversum est ergo iudicium quod non fertur auctoritate publica, de qua hic loquimur: et hoc est iudicium usurpatum.

NOTANDUM: Potestas saecularis subditur spirituali sicut corpus animae; et ideo non est usurpatum iudicium, si spiritualis praelatus se intromittat de temporalibus, quantum ad ea in quibus subditur ei saecularis potestas, vel quae ei a saeculari potestate relinquuntur (Ad 3m).

QUAESTIO LXI

De partibus justitiae

Deinde considerandum est de partibus justitiae, et primo de partibus subjectivis, quae sunt species justitiae, scilicet distributiva et commutativa; secundo de partibus quasi integralibus; tertio

de partibus quasi potentialibus, scilicet de virtutibus adjunctis. Circa primum occurrit duplex consideratio: prima de ipsis justitiae partibus; secunda de vitiis oppositis. Et quia restitutio videtur esse actus commutativae justitiae, primo considerandum est de distinctione justitiae commutativae et distributivae; secundo de restitutione. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum convenienter ponantur duae species justitiae, scilicet commutativa et distributiva.*

RESP. AFF. - R. EST: quia justitia fit vel inter duas personas ad invicem, sicut pars ad partem, et talis est justitia commutativa; vel est totius ad partem, vel partes; et hunc modum dirigit justitia distributiva, quae est distributiva communium secundum proportionalitatem.

NOTANDUM: Actus distributionis, qui est communium bonorum, pertinet solum ad praesidentem communibus bonis; sed tamen justitia distributiva est etiam in subditis quibus distribuitur; in quantum scilicet sunt contenti justa distributione (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum medium eodem modo accipiatur in justitia distributiva et commutativa.*

RESP. NEG. - R. EST: quia in justitia distributiva datur aliquid alicui privatae personae, in quantum id quod est totius, est debitum parti; quod quidem tanto majus est, quanto ipsa pars majorem principalitatem habet in toto. Et ideo in justitia distributiva non accipitur medium secundum eequalitatem rei ad rem, sed secundum proportionem rerum ad personas, ut scilicet sicut una persona excedit aliam, ita etiam res quae datur uni personae, excedat rem quae datur alii. Et ideo dicit Philosophus (Ethic. lib. v, cap. 3) quod tale medium est secundum «geometricam

proportionalitatem », in qua attenditur aequale non secundum quantitatem, sed secundum proportionem. - In commutationibus autem redditur aliquid alicui singulari personae propter rem ejus quae accepta est, ut maxime patet in emptione et venditione, in quibus primo invenitur ratio commutationis. Et ideo oportet adaequare rem rei, ut quanto iste plus habet quam suum sit, de eo quo deest alterius, tantumdem restituat ei cujus est. Et sic fit aequalitas secundum arithmeticam medietatem.

Art. III. - *Utrum materia utriusque justitiae sit diversa.*

RESP. AFF. - *Scil. :* si accipiamus materiam utriusque justitiae ea quorum operationes sunt usus, eadem est materia distributivae et commutativae justitiae; - si vero accipiamus ut materiam utriusque justitiae *actiones ipsas* principales, quibus utimur personis, rebus et operibus, sic invenitur utrobique alia materia.

R. PRIMI EST: quia res distribui possunt a communi in singulos, et commutari de uno in alium; et etiam est quaedam distributio laboriosorum operum et recompensatio.

R. SECUNDI EST: quia distributiva justitia est directiva distributionum; commutativa vero justitia est directiva commutationum, quae attendi possunt inter duas personas.

NOTANDA: 1. Commutationes inter duas personas, quaedam sunt involuntariae, quaedam vero voluntariae: involuntariae quidem quando aliquis utitur re alterius, vel persona, vel opere, eo invito; quod quidem contingit quandoque occulte per fraudem, quandoque etiam manifeste per violentiam; uti in furto et rapina, in homicidio et mutilatione membrorum, in adulterio et seductione,

etc., de quibus infra. – Voluntariae autem commutationes dicuntur, quando aliquis voluntarie transfert rem suam in alterum ratione debiti; sicut accidit in venditione et emptione, in mutuo seu commodato, in locatione et conductione, etc., de quibus etiam infra in particulari.

Art. IV. – *Utrum justum sit simpliciter idem quod contrapassum.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Justum in commutativa justitia idem est quod contrapassum; non autem in distributiva.

R. EST: quia contrapassum importat aequalem recompensationem passionis ad actionem praecedentem, quod quidem tripliciter dicitur: scil. *propriissime*, ut in passionibus et actionibus injuriosis, quibus aliquis personam proximi laedit, puta si percutit quod reperiatur; *secundario*, prout aliquis qui damnum intulit, in re etiam ipse damnificatur; *improprie*, quando hoc nomen *contrapassi* transfertur ad voluntarias commutationes. In omnibus autem his debet fieri secundum rationem justitiae commutativae recompensatio secundum aequalitatem, ut scil. passio compensata sit aequalis actioni. Quod in distributiva justitia locum non habet, quia in distributiva justitia non attenditur aequalitas secundum proportionem rei ad rem, vel passionis ad actionem, unde dicitur contrapassum; sed secundum proportionalitatem rerum ad personas, ut supra dictum est (art. 2 hujus quaes.).

NOTANDUM: Quando actio injuriosa est voluntaria, excedit injuria; et sic accipitur ut major res: unde oportet majorem poenam ei recompensari, non secundum differentiam quoad nos, sed secundum differentiam rei (Ad 3m).

QUAESTIO LXII

De restitutione

Deinde considerandum est de restitutione; et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum restitutio sit actus justitiae commutativae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia restituere nihil aliud esse videtur quam iterato aliquem statuere in possessionem vel dominium rei suae; et ita in restitutione attenditur aequalitas justitiae secundum recompensationem rei ad rem; quod pertinet ad justitiam commutativam.

NOTANDUM: Secundum primam impositionem nominis, restitutio videtur locum habere praecipue in rebus exterioribus, quae manentes eadem et secundum substantiam, et secundum jus dominii, ab uno possunt ad alium devenire. Sed sicut ab hujusmodi rebus nomen commutationis translatum est ad actiones vel passiones quae pertinent ad reverentiam vel injuriam alicujus personae, seu nocumentum vel profectum; ita etiam nomen restitutionis derivatur ad haec, quae licet realiter non maneant, tamen manent in effectu vel corporali, puta cum ex percussione laeditur corpus, vel qui est in opinione hominum, sicut cum aliquis verbo opprobrioso remanet infamatus, vel etiam minoratus in suo honore (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum sit necessarium ad salutem quod fiat restitutio ejus quod ablatum est.*

RESP. AFF. - *Scil.* : quod injuste ablatum est.

R. EST: quia conservare justitiam est de necessitate salutis. Justitia autem conservatur per restitutionem, in quantum restituere importat redditionem illius rei, quae injuste ablata est sic enim per iteratam ejus exhibitionem aequalitas reparatur.

NOTANDA: 1. Si aliquid juste ablatum est, aequalitas erit; et ideo non erit necessarium ut restituatur, quia justitia in aequalitate consistit (In corp. art.).

2. In quibus non potest recompensari aequivalens, sufficit quod ibi recompensetur quod possibile est; sicut patet de honoribus qui sunt ad Deum et ad parentes, ut Philosophus dicit (Ethic. lib. viii, cap. ult.). Et ideo quando id quod est ablatum, non est restituibile per aliquid aequale, debet fieri recompensatio qualis possibilis est; puta cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare vel in pecunia vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personae, secundum arbitrium boni viri (Ad 1m).

3. Quantum ad restitutionem famae observandum est quod aliquis potest alicui famam tripliciter auferre: uno modo verum dicendo et juste, puta cum aliquis crimen alicujus prodit ordine debito servato, et tunc non tenetur ad restitutionem famae; alio modo falsum dicendo et injuste, et tunc tenetur restituere famam, confitendo se falsum dixisse; tertio modo verum dicendo, sed injuste, puta cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum, et tunc tenetur ad restitutionem famae, quantum potest, sine mendacio tamen, utpote quod dicat se male dixisse, vel quod injuste eum diffamaverit; vel si non possit famam restituere, debet ei aliter recompensare, sicut dictum est supra. (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum sufficiat restituere simplum quod injuste ablatum est.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Ante judicis condemnationem, non plus quam quis accipit, restituere tenetur; sed ex culpa injustae ablationis, tenetur secundum judicis sententiam restitutionem facere.

R. PRIMI EST: quia sic adhibetur remedium per restitutionem, in quantum per eam aequalitas reparatur; ad quod sufficit quod restituat tantum quantum habuerit de alieno.

R. SECUNDI EST: quia remedium ad culpam adhibetur per poenam, cujus inflictio pertinet ad judicem.

Art. IV. - *Utrum aliquis debeat restituere quod non abstulit.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Si aliquis damnificet aliquem impediendo ne adipiscatur quod erat in via habendi, e. g. messem ex semine, vel lucrum ex pecunia, non oportet recompensare ex aequo; tenetur tamen aliquam recompensationem facere secundum conditionem personarum et negotiorum.

R. EST: quia minus est habere aliquid virtute quam habere actu; qui autem est in via adipiscendi aliquid, habet illud solum secundum virtutem vel potentiam; et ideo si redderetur ei ut haberet hoc in actu, restitueretur ei quod est ablatum, non simplum, sed multiplicatum, quod non est de necessitate restitutionis (art. praec.).

Art. V. - *Utrum oporteat semper restitutionem facere ei a quo acceptum est aliquid.*

RESP. AFF. - R. EST: quia rerum adaequatio commutativae justitiae quae fit per restitutionem, non potest fieri, nisi ei, qui minus habet quam quod suum est, suppleretur quod deest.

NOTANDA: 1. Quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei cui restitutio facienda est, vel alteri, non ei debet tunc restitui; quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus cui restituitur; omnia enim quae possidentur, sub ratione utilis cadunt. Nec tamen debet ille qui detinet rem alienam, sibi appropriare, sed vel reservare, ut congruo tempore restituat, vel etiam alii tradere tutius conservandam (Ad 1m).

2. Aliquis dupliciter dat illicite: uno modo contra legem; et talis meretur amittere quod dedit, et ille qui accipit, non debet sibi retinere, sed debet in pios usus convertere. Alio modo aliquis illicite dat, quia propter rem illicitam dat, licet ipsa datio non sit illicita; sicut cum quis dat meretrici propter fornicationem. Unde et mulier potest sibi retinere quod ei datum est; sed si superflue aliquid

per fraudem vel dolum extorcisset, teneretur eidem restituere (Ad 2m).

3. Si ille cui debet fieri restitutio sit omnino ignotus, debet homo restituere secundum quod potest, scil. dando in eleemosynas pro salute ipsius (sive sit mortuus, sive sit vivus), praemissa tamen diligenti inquisitione de persona ejus cui est restitutio facienda. Si vero sit mortuus ille cui est restitutio facienda, debet restitui haeredi ejus, qui comparatur quasi una persona cum ipso. Si vero ille sit multum distans, sibi transmitti debet quod ei debetur, et praecipue si sit res magni valoris, et possit commode transmitti: alioquin debet in aliquo loco tuto deponi, ut pro eo conservetur, et domino significari (Ad 3m).

Art. VI. - *Utrum teneatur semper restituere ille qui accepit.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) sive ratione rei, b) sive ratione acceptionis si haec fit injuriosa, i. e. contra voluntatem ejus qui est rei dominus, vel c) si acceptio rei sit in utilitatem ejus qui accipit, sicut in mutuo; d) non autem semper tenetur ad restitutionem qui accipit rem alterius absque injuria, et non pro utilitate propria, sicut patet in depositis.

R. PRIMI EST: quia quod aliquis habet ultra id quod suum est, debet ei subtrahi, et dari ei cui deest, secundum formam commutativae justitiae.

R. SECUNDI EST: quia in hoc casu tenetur ad restitutionem non solum ratione rei, sed etiam ratione injuriosae actionis, etiamsi res apud ipsum non remaneat.

R. TERTII EST: quia in hoc casu ille qui accepit tenetur ad restitutionem ejus quod accepit, non solum ratione rei, sed etiam ratione acceptionis, etiamsi rem amiserat; tenetur enim recompensare ei qui gratiam fecit; quod non fiet, si per hoc damnum incurrat.

R. QUARTI EST: quia ille qui accepit, in isto casu, in nullo tenetur ratione acceptionis; quinimo accipiendo impendit obsequium; tenetur autem ratione rei. Et propter hoc si ei subtrahatur res absque sua culpa, non tenetur ad restitutionem; secus autem esset, si cum magna sua culpa rem depositam amitteret.

Art. VII. - *Utrum illi qui non acceperunt teneantur restituere.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ad restitutionem tenetur aliquis non solum ratione rei alienae, quam accepit, sed etiam ratione injuriosae acceptionis. Et ideo quicumque est causa injustae acceptionis, tenetur ad restitutionem.

NOTANDA: 1. Causa injustae acceptionis est vel directa, et haec potest fieri: a) ex parte acceptionis, per jussionem seu mandatum, consilium, consensum, et per laudem; b) ex parte ipsius accipientis, scil. per recursum vel qualitercumque auxilium ferendo; c) ex parte rei acceptae, per participationem in furto et rapina; - vel est causa indirecta, quando aliquis non impedit, cum possit et debeat impedire. Haec autem his verbis comprehenduntur:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus.

Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

2. Sequentia praemissarum considerantur ut causae efficaces damni, et ideo *semper* ad restitutionem obligant: scil. jussio, quae est principalis causa movens; secundo, consensus, sine quo rapina fieri non potest; tertio, recursus, quando scilicet aliquis est receptator latronum, et eis patrocinium praestat; quarto, participans; quinto, tenetur ille qui non obstat, cum obstat teneatur. - In aliis autem casibus enumeratis *non semper* obligatur aliquis ad restituendum: non enim semper consilium, vel adulatio, vel aliquid hujusmodi, est efficax causa rapinae. Unde solum tenetur consiliator, aut palpo, id est, adulator, ad restitutionem, quando probabiliter aestimari potest quod

ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsequuta (In corp. art.).

3. Non semper ille qui non manifestat latronem tenetur ad restitutionem, aut qui non obstat, vel qui non reprehendit; sed solum quando incumbit alicui ex officio. (Ad 3m).

Art. VIII. – *Utrum quis teneatur statim restituere an vero possit restitutionem differre.*

RESP. AFF. – *Scil.*: tenetur statim restituere.

R. EST: quia sicut accipere rem alienam est peccatum contra justitiam, ita etiam detinere eam; quia per hoc quod aliquis detinet rem alienam invito domino, impedit eum, ab usu rei suae, et sic ei facit injuriam. Quod si quis restituere non potest, debet remissionem vel dilationem petere ab eo cui debet, aut per se aut per alium (Ad 2m).

QUAESTIO LXIII

De acceptione personarum

Deinde considerandum est de vitiis oppositis praedictis justitiae partibus; et primo de acceptione personarum, quae opponitur justitiae distributivae; secundo de peccatis quae opponuntur justitiae commutativae. – Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum personarum acceptio sit peccatum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia nihil opponitur virtuti, nisi peccatum. Acceptio autem personarum opponitur justitiae distributivae, quia praeter proportionem agit. Acceptio enim personarum consistit in hoc quod alicui aliquid attribuitur non propter aliquam causam quae faciat eum dignum, sed simpliciter intuitu personae, puta si aliquis promoveatur ad praelationem quia est dives, vel consanguineus, vel alia hujusmodi. Ad personam

enim refertur quaecumque conditio non faciens ad causam, propter quam sit dignus hoc dono.

Art. II. - *Utrum in dispensatione spiritualium locum habeat personarum acceptio.*

RESP. AFF. - *Scil.* : si spiritualia bona conferantur minus idoneo ad utilitatem communem.

R. EST: quia non est acceptio personarum si in dispensatione spiritualium, illi qui sunt simpliciter minus boni, melioribus praeferantur, ratione utilitatis communis, sicut etiam Deus gratias gratis datas quandoque concedit minus bonis.

Art. III. - *Utrum in exhibitione honoris et reverentiae locum habeat peccatum acceptationis personarum.*

RESP. AFF. - *Scil.* : si non adsit virtutis ratio, quae causa est honoris.

R. EST: quia honor est quoddam testimonium de virtute ejus qui honoratur; et ideo sola virtus est debita causa honoris. - Sciendum tamen est, quod aliquis potest honorari non solum propter virtutem propriam, sed etiam propter virtutem alterius, sicut principes et praelati honorantur, etiamsi sint mali, inquantum gerunt personam Dei, et communitatis cui praeficiuntur.

NOTANDUM: Parentes et domini sunt honorandi propter participationem divinae dignitatis, qui est omnium pater et dominus. Senes autem sunt honorandi propter signum virtutis, quod est senectus, licet hoc signum quandoque deficiat. - Divites sunt honorandi propter hoc quod majorem locum in communitatibus obtinent. Si autem solum intuitu divitiarum honorentur, erit peccatum acceptationis personarum. (In corp. art.).

Art. IV. - *Utrum in judiciis locum habeat peccatum acceptationis personarum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia personarum acceptio inaequalitatem quamdam habet, inquantum at-

tribuitur alicui personae aliquid praeter proportionem suam in qua consistit aequalitas justitiae. Talis autem inaequalitas ad aequalitatem reducitur per iudicium iudicis, quod est actus justitiae.

NOTANDUM: Cum punitur aliquis gravius propter injuriam in majorem personam commissam, non est personarum acceptio; quia ipsa diversitas personae facit, quantum ad hoc, diversitatem rei, ut dictum est (qu. lviii, art. 10). - (Ad 2m).

QUAESTIO LXIV

De vitiis oppositis commutativae justitiae, et primo de homicidio

Postea considerandum est de vitiis oppositis commutativae justitiae, et primo considerandum est de peccatis quae committuntur circa involuntarias commutationes; secundo de peccatis quae committuntur circa commutationes voluntarias. Committuntur autem peccata circa involuntarias commutationes per hoc quod aliquod nocumentum proximo infertur contra ejus voluntatem; quod quidem potest fieri dupliciter, scilicet facto et verbo: facto quidem, cum proximus laeditur vel in persona propria, vel in persona conjuncta, vel in propriis rebus. De his ergo per ordinem considerandum est; et primo de homicidio, per quod maxime nocetur proximo; et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum occidere quaecumque viventia sit illicitum.*

RESP. NEG. - **R. EST:** quia nullus peccat ex hoc quod utitur re aliqua ad hoc ad quod est. Quaedam autem viventia imperfectiora sunt propter perfectiora, scilicet plantae propter animalia, et animalia propter homines. Inter alios usus autem maxime necessarius est ut animalia plantis, et homines animalibus utantur in cibum. Quod

etiam ex ipsa ordinatione divina patet, Gen. ix, 3:
Omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum.

Art. II. - *Utrum sit licitum occidere peccatores.*

RESP. AFF. - *Scil.*: non modo licet, sed necessarium est, si communitati graviter perniciosi et periculosi sint.

R. EST: quia omnis pars est naturaliter propter totum. Persona autem singularis comparatur ad totam communitatem sicut pars ad totum. Sicut igitur propter salutem totius corporis humani expedit praecisio alicujus membri quod est corruptivum aliorum membrorum, ita si aliquis homo sit periculosus communitati, et corruptivus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter et salubriter occiditur, ut bonum commune conservetur. *Modicum enim fermentum totam massam corrumpit*, ut dicitur I. Cor. v. 6.

NOTANDUM: Quantum ad dignitatem humanam in peccatore, considerandum est, quod homo peccando ab ordine rationis recedit; et ideo decedit a dignitate humana prout scilicet homo est naturaliter liber, et propter seipsum existens, et incidit quodammodo in servitutem bestiarum, ut scilicet de ipso ordinetur, secundum quod est utile aliis, secundum illud Psal. xlviii, 21: *Comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Et secundum hoc peccatorem occidere potest esse bonum, sicut occidere bestiam. Pejor est enim malus homo quam bestia, et plus nocet, ut Philosophus dicit (Polit. lib. i, cap. 2). - (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum occidere hominem peccatorem liceat privatae personae.*

RESP. NEG. - R. EST: quia occidere malefactorem licitum est in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis; et ideo ad illum solum pertinet cui committitur cura communitatis conservandae.

Art. IV. - *Utrum occidere malefactores liceat clericis.*

RESP. NEG. - PRIMA R. EST: quia sunt electi ad altaris ministerium, in quo repraesentatur passio Christi occisi, qui *cum percuteretur, non repercutiebat*, (I. Petr. ii, 23).

SECUNDA R. EST: quia clericis committitur ministerium novae legis, in qua non determinatur poena occisionis vel mutilationis corporalis. Et ideo ut sint ministri novi Testamenti, debent a talibus abstinere.

NOTANDA: 1. Deus etiam corporaliter aliquando malefactores occidit; tamen non oportet quod in hoc omnes eum imitentur; quia unusquisque debet Deum imitari in hoc quod sibi specialiter congruit (Ad 1m).

2. Praelati Ecclesiarum accipiunt officium principum terrae, non ut ipsi iudicium sanguinis exercent per seipsos, sed quod eorum auctoritate per alios exercentur (Ad 3m).

Art. V. - *Utrum liceat alicui occidere seipsum.*

RESP. NEG. - PRIMA R. EST: quia naturaliter quaelibet res seipsam amat; et ideo quaelibet res naturaliter conservat se in *esse*, et corruptibus resistit quantum potest. Unde quod aliquis seipsum occidat, est contra inclinationem naturalem, et contra charitatem, qua quilibet debet seipsum diligere.

SECUNDA R. EST: quia quaelibet pars id quod est, est totius. Quilibet homo est pars communitatis; unde in hoc quod seipsum interficit, injuriam communitati facit.

TERTIA R. EST: quia vita est quoddam donum divinitus homini attributum, et ejus potestati subjectum. Et ideo qui seipsum vita privat, in Deum peccat, cui soli pertinet iudicium mortis et vitae, secundum illud Deut. xxxii, 39: *Ego occidam, et ego vivere faciam.*

NOTANDUM: Occidere seipsum gravissimum est peccatum, quia sibi ipsi maxime nocet, cui maximam dilectionem debet: est etiam periculosissimum, quia non restat tempus ut per poenitentiam expietur (Ad 3m).

Art. VI. - *Utrum liceat in aliquo casu interficere innocentem.*

RESP. NEG. - **R. EST:** quia vita justorum est conservativa et promotiva boni communis, quia ipsi sunt principalior pars multitudinis. Et ideo nullo modo licet occidere innocentem. Solus Deus hoc facere potest qui dominium habet vitae et mortis (Ad 1m). - Peccator autem occidi potest, non in quantum homo est, sed per comparationem ad bonum commune, quod per peccatum corrumpitur. Unde, qui innocentem vel justum occidit, majus peccatum committit, quam ille qui, sine auctoritate necessaria, peccatorem interficit (Ad 2m).

NOTANDUM: Si iudex scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur, debet diligentius examinare testes, ut inveniat occasionem liberandi innocium, sicut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet eum superiori relinquere iudicandum. Si autem nec hoc potest, non peccat secundum allegata sententiam ferens, quia ipse non occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem. Minister autem iudicis condemnantis innocentem, si sententia intollerabilem errorem contineat, non debet obedire; alias excusarentur carnifices qui martyres occiderunt; si vero non contineat manifestam injustitiam, non peccat praecipuum exequendo, quia ipse non habet discutere superioris sententiam; nec ipse occidit innocentem, sed iudex, cui ministerium exhibet (Ad 3m).

Art. VII. - *Utrum liceat alicui occidere aliquem, se defendendo.*

RESP. AFF. - *Scil.:* dum quis se defendere intendat cum moderamine inculpatae tutelae.

R. EST: quia nihil prohibet unius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, alius vero sit praeter intentionem, praesertim si effectus qui intenditur est conservatio vitae propriae. Tamen potest aliquis actus ex bona intentione proveniens, illicitus reddi, si non sit proportionatus fini. – Nec tamen necessarium est ad salutem ut homo actum moderatae tutelae praetermittat ad evitandam occisionem alterius; quia plus tenetur homo vitae suae providere quam vitae alienae.

Art. VIII. – *Utrum aliquis causaliter occidens hominem, incurrat homicidii reatum.*

RESP. NEG. – *Scil.:* nisi rei illicitae operam dederit, vel ad hoc evitandum minus diligens fuerit.

R. EST: quia ea quae causalialia sunt, simpliciter loquendo, non sunt intenta neque voluntaria. – Contingit tamen, id quod non est actu et per se volitum vel intentum, esse per accidens volitum vel intentum, secundum quod causa per accidens dicitur removens prohibens. Et ideo si aliquis det operam rei illicitae, vel etiam det operam rei licitae, non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum, si ex ejus opere mors hominis consequatur.

QUAESTIO LXV

De mutilatione membrorum

Deinde considerandum est de peccatis aliarum injuriarum quae in personam committuntur; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum mutilare aliquem membro suo, in aliquo casu possit esse licitum.*

RESP. AFF. – *Scil.:* sive auctoritate propria, si aliquod membrum est putridum et totius cor-

poris corruptivum; sive auctoritate publica in poenam.

R. PRIMI EST: quia pars totius humani corporis est propter totum. Unde disponendum est de membro humani corporis secundum quod expedit toti.

R. SECUNDI EST: quia totus homo ordinatur, ut ad finem, ad totam communitatem, cujus est pars. Potest autem contingere quod abscissio membri, etsi vergat in detrimentum totius corporis, ordinetur tamen ad bonum communitatis, inquantum alicui infertur in poenam ad cohibitionem peccatorum. Et ideo sicut per publicam potestatem aliquis licite privatur totaliter vita propter aliquas majores culpas; ita etiam privatur membro propter aliquas culpas minores.

Art. II. - *Utrum liceat patribus verberare filios, aut dominis servos.*

RESP. AFF. - *Scil.*: causa correctionis et disciplinae.

R. EST: quia filius subditur potestati patris, et servus potestati domini. Nullus enim juste punit aliquem, nisi per modum poenae, propter justitiam; quod competit illi cujus jurisdictioni aliquis subjectus est.

NOTANDA: 1. Quantum ad verba Apostoli (Ephes., vi, 4): *Vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros*, notandum est, quod per hoc non prohibetur quin filios patres verberent causa disciplinae, sed quod non immoderate eos affligant verberibus (Ad 1m).

2. Sicut civitas est perfecta communitas, ita princeps civitatis habet perfectam potestatem coercendi; et ideo potest infligere poenas irreparabiles, scilicet occisionis vel mutilationis. Pater autem et dominus, qui praesunt familiae domesticae, quae est imperfecta communitas, habent imperfectam potestatem coercendi, secundum le-

viores poenas, quae non inferunt irreparabile nocumentum, et hujusmodi est verberatio (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum liceat aliquem hominem incarcerare.*

RESP. AFF. - *Scil.:* vel qualitercumque detinere.

R. EST: quia ordo justitiae hoc exigere potest, aut, in poenam, aut ad cautelam alicujus mali vitandi.

NOTANDUM: Detinere hominem ad horam ab aliquo opere illicito statim perpetrando, cuilibet licet; sicut cum aliquis detinet aliquem ne se praecipitet, vel ne alium feriat. Sed simpliciter aliquem includere, vel ligare, ad eum solum pertinet qui habet disponere universaliter de actibus et vita alterius: quia per hoc impeditur non solum a malis faciendis, sed etiam a bonis agendis (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum peccatum aggravetur ex hoc quod praedictae injuriae inferuntur in personas aliis conjunctas.*

RESP. AFF. - R. EST: quia cum infertur injuria in aliquam personam conjunctam alteri qualitercumque, illa injuria pertinet ad duas personas; et ideo, caeteris paribus, ex hoc ipso aggravatur peccatum.

NOTANDUM: Injuriae illatae in viduas et pupillos magis exaggerantur, tum quia magis opponuntur misericordiae, tum quia idem nocumentum hujusmodi personis inflictum est eis gravius, quia non habent relevantem (Ad 2m).

QUAESTIO LXVI

De peccatis justitiae oppositis quae fiunt in rebus, et primo de furto et rapina

Deinde considerandum est de peccatis justitiae oppositis, per quae infertur nocumentum proximo

in rebus: scilicet de furto et rapina. Et circa hoc quaeruntur novem:

Art. I. – *Utrum naturalis sit homini possessio exteriorum rerum.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) non quantum ad naturam rerum; sed b) quantum ad earum usum.

R. PRIMI EST: quia natura non subjacet humanae potestati, sed solum divinae, cui omnia ad nutum obediunt.

R. SECUNDI EST: quia per rationem et voluntatem homo uti potest rebus exterioribus ad suam utilitatem, quasi propter se factis; semper enim imperfectiora sunt propter perfectiora (qu. lxiv, art. 1). Tale autem naturale dominium hominis fundatur in hoc quod homo secundum rationem, creatus est ad imaginem et similitudinem Dei, ut dicitur (Gen. I, 26): *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; et praesit piscibus maris, etc.*

Art. II. – *Utrum liceat alicui rem aliquam quasi propriam possidere.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) quantum ad potestatem procurandi et disponendi; b) non autem quantum ad usum.

R. PRIMI EST tripartita: a) quia sic magis sollicitus est unusquisque ad procurandum aliquid quod sibi soli competit, quam id quod est commune omnium vel multorum; quia unusquisque laborem fugiens, relinquit alteri id quod pertinet ad commune; b) quia ordinatius res humanae tractantur, si singulis immineat propria cura alicujus rei procurandae; esset autem confusio si quilibet indistincte quaelibet procuret; c) quia per hoc magis pacificus status hominum conservatur, dum unusquisque re sua contentus est.

R. SECUNDI EST: quia quantum ad usum non debet homo habere res exteriores ut proprias, sed ut communes, ut scilicet de facili aliquis eas communicet in necessitate aliorum. Unde Apostolus dicit (I. Tim. ult., 17): *Divitibus hujus saeculi praecipue... facile tribuere, communicare de bonis, etc.*

NOTANDA: 1. Quantum ad dictum: Secundum naturam omnia sunt communia, dicendum est, quod communitas rerum attribuitur juri naturali, non quia jus naturale dicitur omnia esse possidenda communiter, et nihil esse quasi proprium possidendum; sed quia secundum jus naturale non est distinctio possessionum, sed magis secundum humanum conditum, quod pertinet ad jus positivum, ut supra dictum est (qu. lvii, art. 2 et 3). Unde proprietas possessionum non est contra jus naturale, sed juri naturali superadditur per adinventionem rationis humanae (Ad 1m).

2. Dives non illicite agit, si praeeoccupans possessionem rei, quae a principio erat communis, aliis etiam communicet; peccat autem si alios ab usu illius rei indiscrete prohibeat. Unde Basilius dicit: «Cur tu abundans, ille vero mendicat, nisi ut tu bonae dispensationis merita consequaris, ille vero patientiae praemiis coronetur?» (In serm. sup. illud: *Destruam horrea mea*, vers. fin.). - (Ad 2m).

Art. III. - Utrum sit de ratione furti occulte accipere rem alienam.

RESP. AFF. - R. EST: quia furtum est alienae rei occulta ablatio. Nam, ad rationem furti tria concurrunt: primo, ut quis usurpet alienum; et in hoc furtum contrariatur justitiae; secundo, ut furtum sit circa rem possessam, i. e., non est contra personam, sicut homicidium et adulterium; tertio, quod occulte usurpetur alienum; secundum hoc enim propria ratio furti est ut sit occulta acceptatio rei alienae. Talis enim occultatio est causa peccati, et constituit speciem peccati. Alia

autem occultatio, quae est quaedam simplex circumstantia peccati. scil. quae est signum verecundiae, vel quae fit ut tollat scandalum, diminuit peccatum (Ad 1m).

NOTANDUM: Detinere id quod alteri debetur, eandem rationem nocenti habet cum acceptione injusta; et ideo sub injusta acceptione intelligitur etiam injusta detentio (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum furtum et rapina sint peccata differentia specie.*

RESP. AFF. – R. EST: quia aliam rationem peccati habet rapina, et aliam furtum; nam furtum et rapina rationem peccati habent ex hoc quod acceptio ex parte ejus cui aliquid subtrahitur est involuntaria: sed in furto hoc involuntarium est per ignorantiam, in rapina autem est per violentiam. Unde furtum et rapina eundem finem remotum habent, scil. rem alienam subtrahere; sed finem proximum habent diversum, quia unum per occultationem vult rem alienam subtrahere, aliud per violentiam (Ad 2m). Finis autem proximus mutat speciem.

Art. V. – *Utrum furtum semper sit peccatum.*

RESP. AFF. – Scil.: duplicem rationem peccati habet.

R. EST: quia furtum, in quantum est exceptio rei alienae, opponitur justitiae; in quantum vero rem alienam occulte subtrahit, rationem habet doli seu fraudis.

Art. VI. – *Utrum furtum sit peccatum mortale.*

RESP. AFF. – R. EST: quia per furtum homo infert nocentum proximo in suis rebus; et si passim homines sibi invicem furarentur, periret humana societas. Unde furtum tanquam con-

trarium charitati, quae est spiritualis vita animae, est peccatum mortale.

NOTANDUM: Ad verba Prov. vi, 30: *Non grandis est culpa, cum qui furatus fuerit*, dicendum est, quod furtum non esse grandis culpa dicitur: primo, propter necessitatem inducentem ad furandum, quae diminuit, vel totaliter tollit culpam. Unde subditur: *Furatur enim, ut esurientem impleat animam*. Alio modo, per comparisonem ad adulterii, quod punitur morte. Unde subditur de fure quod *deprehensus reddet septuplum; qui autem adulter est, perdet animam suam* (ad 1m). - In his autem quae minima sunt, ratio apprehendit, quasi nihil; nisi ille qui furatur animum furandi et inferendi nocumentum habeat, quia in talibus potest esse peccatum mortale, sicut et in solo cogitatu per consensum (Ad 3m).

Art. VII. - *Utrum liceat alicui furari propter necessitatem.*

RESP. AFF. - *Scil. :* Si necessitas sit evidens et urgens tunc licite potest aliquis ex rebus alienis suae necessitati subvenire, sive manifeste, sive occulte sublatis; nec hoc proprie habet rationem furti vel rapinam.

R. EST: quia hoc non esset contra jus naturale vel jus divinum. Nam secundum naturalem ordinem ex divina providentia institutum, res inferiores sunt ordinatae ad hoc quod ex his subveniatur hominum necessitati. Et ideo per rerum divisionem et appropriationem ex jure humano procedentem, non impeditur quin hominis necessitati sit subveniendum ex hujusmodi rebus. Jus enim humanum non potest juri naturali vel divino derogare.

Art. VIII. - *Utrum rapina possit fieri sine peccato.*

RESP. NEG. - **R. EST:** quia in societate hominum nullus habet coactionem, nisi per publicam potestatem; et ideo quicumque per violentiam

aliquid alteri aufert, si sit privata persona, non utens publica potestate, illicite agit, et rapinam committit.

NOTANDUM: Illi qui depraedantur hostes, si bellum habeant justum, ea quae per violentiam in bello acquirunt, eorum efficiuntur; et hoc non habet rationem rapinae, unde nec ad restitutionem tenentur; quamvis possint in acceptione praedae justum bellum habentes, peccare per cupiditatem ex prava intentione, si scilicet non propter justitiam, sed propter praedam principaliter pugnent. Si vero illi qui praedam accipiunt, habeant bellum injustum, rapinam committunt, et ad restitutionem tenentur (Ad 1m).

Art. IX. - *Utrum furtum sit gravius peccatum quam rapina.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Rapina gravius peccatum est furto, non modo ratione involuntarii, sed etiam ratione injuriosae acceptionis.

R. EST: quia rapina est involuntaria per violentiam, furtum autem per ignorantiam, ut dictum est supra (art. 4); insuper, quia per rapinam non solum infertur alicui damnum in rebus, sed etiam vergit in quamdam personae ignominiam, sive injuriam; et hoc praeponderat fraudi, vel dolo, quae pertinent ad furtum.

QUAESTIO LXVII

De vitiis oppositis commutativae justitiae, et primo de injustitia iudicis

Deinde considerandum est de vitiis oppositis commutativae justitiae, quae consistunt in verbis quibus laeditur proximus; et primo de his quae pertinent ad iudicium; secundum de nocumentis verborum quae fiunt extra iudicium. Circa primum quinque considerata occurrunt. Primo quidem de injustitia iudicis in iudicando. Secundo, de injustitia accusatoris in accusando. Tertio, de

injustitia ex parte rei in sua defensione. Quarto de injustitia testis in testificando. Quinto, de injustitia advocati in patrocinando. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum quis possit juste judicare eum qui non est sibi subjectus.*

RESP. NEG. – R. EST: quia sententia judicis debet habere vim coactivam; alicuius iudicium non esset efficax. Potestatem autem coactivam non habet licite in rebus humanis, nisi ille qui fungitur publica potestate. Qui autem potestate publica funguntur, reputantur superiores eorum, in quos potestatem accipiunt, sicut in subditos. Unde nullus potest juste judicare aliquem nisi sit ejus subjectus, sive per potestatem ordinariam, sive per commissionem.

NOTANDUM: In rebus humanis aliqui propria sponte possunt se subicere aliorum iudicio, quamvis non sint eis superiores; et inde est quod necesse est arbitrium poena vallari. Sic Christus propria sponte humano iudicio se subdidit (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum iudici liceat judicare contra veritatem quam novit, propter ea quae in contrarium proponuntur.*

RESP. AFF. – *Scil.:* si ea quae in contrarium proponuntur, postquam districtius discussit, non potest (iudex) de jure repellere, debet ea in iudicando sequi.

R. EST: quia judicare pertinet ad iudicem, non tanquam ad personam privatam, sed secundum quod fungitur publica potestate; et ideo informari debet in iudicando non secundum id quod ipse novit tanquam privata persona, sed secundum id quod sibi innotescit tanquam personae publicae; i. e., secundum leges publicas et per instrumenta et testes.

NOTANDUM: Homo in his quae ad propriam personam pertinent, debet informare conscientiam suam ex propria scientia; sed in his, quae pertinent ad publicam potestatem, debet informare conscientiam suam secundum ea quae in publico iudicio sciri possunt, etc. (Ad 4m).

Art. III. - *Utrum iudex possit aliquem condemnare, etiamsi non sit aliquis accusator.*

RESP. NEG. - **R. EST:** quia justitia non est ad seipsum, sed ad alterum. Et ideo oportet quod iudex inter aliquos duos dijudicet; quod quidem fit cum unus actor, et alius est reus. Unde Philosophus dicit (Ethic, lib. v, cap. 4): « homines ad iudicem confugiunt sicut ad quamdam justitiam animatam ».

NOTANDUM: Deus in suo iudicio procedit ex propria notitia veritatis (Ad 3m), et utitur conscientia peccantis, quasi accusatore, secundum illud Rom. ii, 15: *Inter se invicem cognitionum accusantium, aut etiam defendentium*; vel etiam evidētia facti, quantum ad ipsum, secundum illud Gen. iv, 10: *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* (Ad 1m).

Art. IV. - *Utrum iudex licite possit poenam relaxare.*

RESP. NEG. - *Scil.:* nisi sit supremus iudex, et ille qui passus est injuriam velit eam remittere.

PRIMA R. EST ex parte accusatoris: quia iudex tenetur unicuique jus suum reddere.

SECUNDA R. EST ex parte reipublicae: quia ad bonum reipublicae pertinet quod malefactores puniantur. - Tamen supremus iudex vel princeps, cum plenariam potestatem in republica habeat, poterit reum licite absolvere, si ille qui passus est injuriam, velit eam remittere, et si hoc publicae utilitati viderit non esse nocivum.

QUAESTIO LXVIII

**De pertinentibus ad injustam
accusationem**

Postea considerandum est de his quae pertinent ad injustam accusationem; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum homo teneatur ad accusandum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Si accusator probare potest quod crimen, de quo aliquis accusatur, vergit in detrimentum reipublicae, vel in corruptelam multitudinis corporalem seu spiritualem; secus non tenetur homo ad accusandum.

R. EST: quia omnes tenemur quietem reipublicae procurare, quod fit etiam per punitionem peccantium. - Si autem non fuerit tale peccatum quod in multitudinem redundet, vel etiam si sufficientem probationem adhibere non possit, non tenetur ad intentandam accusationem; quia ad hoc nullus tenetur quod non potest debito perficere.

NOTANDA: 1. Haec est differentia inter denuntiationem et accusationem, quia in denuntiatione attenditur emendatio fratris, in accusatione autem attenditur punitio criminis. Poenae autem praesentis vitae non per se expetuntur, quia non est hic ultimum retributionis tempus; sed in quantum sunt medicinales, conferentes vel ad emendationem personae peccantis, et ad hoc est denuntiatio; vel ad bonum reipublicae, ad quod ordinatur accusatio (In corp. art.).

2. Subditi praelatos suos accusare prohibentur, qui non affectione charitatis, sed sua pravitate vitam eorum diffamare et reprehendere quaerunt; vel etiam si subditi accusare volentes fuerint criminosi; alioquin si fuerint alias idonei ad accusandum, licet subditis ex charitate suos praelatos accusare (Ad 2m).

3. Revelare secreta in malum personae, est contra fidelitatem; non autem si revelentur propter bonum commune, quod semper praeferendum est bono privato. Et ideo contra bonum commune nullum secretum licet recipere. Nec tamen omnino est secretum quod per sufficientes testes potest probari (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum sit necessarium accusationem in scriptis fieri.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ea quae verbo tenus dicuntur, facile labuntur a memoria; unde non posset iudici esse certum quid et qualiter dictum sit, cum debet proferre sententiam, nisi esset in scriptis redactum. Et ideo rationabiliter institutum est ut accusatio, sicut et alia quae in iudicio aguntur, redigatur in scriptis.

NOTANDUM: Denuntiator non obligat se ad probandum; unde nec punitur, si probare nequiverit. Et propter hoc in denuntiatione non est necessaria scriptura; sed sufficit, si aliquis denuntiet Ecclesiae, quae ex officio suo procedet ad fratris emendationem (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum accusatio reddatur injusta propter calumniam, praevaricationem et tergiversationem.*

RESP. AFF. – R. EST: quia per calumniam, crimina falsa accusato imponendo, aliquis injuste agit contra eum: nullus enim debet nocere alicui injuste, ut bonum commune promoveat. Per praevaricationem vero, i. e., fraudem in accusatione adhibenda, adversam partem adjuvando; et per tergiversationem, i. e., totaliter ab accusatione desistendo, quasi tergum a justa causa vertendo, bonum reipublicae, quod principaliter in accusatione intenditur, malitiose impeditur impedita peccati punitione.

NOTANDUM: Contingit quandoque ex animi levitate ad accusationem procedere, quia scilicet

aliquis nimis faciliter credit quod audivit; et hoc temeritatis est. Aliquando autem ex justo errore movetur aliquis ad accusandum. Quae omnia secundum prudentiam iudicis debent discerni, ut non pronuntiet eum calumniatum fuisse qui ex levitate animi, vel justo errore in falsam accusationem prorupit (Ad 1m).

Art. IV. - *Utrum accusator qui in probatione defecerit, teneatur ad poenam talionis.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia justum est ut ille qui per accusationem aliquem in periculum gravis poenae inducit, ipse etiam similem poenam patiatur; hoc autem requirit aequalitas justitiae inter accusatorem et accusatum. - Tamen, si iudex cognoverit aliquem de falso accusasse, non voluntate nocendi, sed involuntarie propter ignorantiam ex justo errore, non imponit poenam talionis (Ad 1m).

NOTANDUM: Ille qui male accusat, peccat et contra personam accusati, et contra rem publicam; unde propter utrumque punitur. Et ideo accusatus, si innocens fuerit, potest ei injuriam suam remittere; sed injuriam reipublicae non potest ei remitti ab eo qui accusatur, sed potest ei remitti per principem, qui curam reipublicae gerit (Ad 2m).

QUAESTIO LXIX

De peccatis quae sunt contra justitiam ex parte rei

Deinde considerandum est de peccatis quae sunt contra justitiam ex parte rei; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum absque peccato mortali possit accusatus veritatem negare, per quam condemnaretur.*

RESP. NEG. - *Scil. :* si iudex secundum formam juris veritatem ab eo exigat.

R. EST: quia ad debitum justitiae pertinet quod aliquis obediat suo superiori in his ad quae jus praelationis se extendit. Judex autem ut supra dictum est (qu. lxxvii, art. 1), superior est respectu ejus qui judicatur. Et ideo ex debito tenetur accusatus judici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam juris exigit. Et ideo si confiteri noluerit veritatem quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat. Si vero judex hoc exquirat quod non potest secundum ordinem juris, non tenetur ei accusatus respondere; sed potest vel per appellationem vel aliter licite subterfugere. Mendacium tamen dicere non licet.

NOTANDA: 1. Quando aliquis secundum ordinem juris a iudice interrogatur, non ipse se prodit, sed ab alio proditur; dum ei necessitas respondendi imponitur per eum cui obedire tenetur (Ad 1m).

2. Ille qui mentitur in iudicio, se excusando, facit et contra dilectionem Dei, cujus est iudicium, et contra dilectionem proximi; i. e., contra iudicem, cui debitum negat; et contra accusatorem, qui punitur, si in probatione deficiat (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum accusato liceat calumniose se defendere.*

RESP. NEG. - *Scil.:* non licet ei vel falsitatem dicere, vel veritatem tacere quam confiteri tenetur, neque etiam aliquem dolum vel fraudem adhibere; quod est calumniose se defendere.

R. EST: quia haec omnia vim mendacii habent. Licet tamen aliquando veritatem tacere; non enim aliquis tenetur omnem veritatem confiteri, sed illam solum quam ab eo potest et debet requirere iudex secundum ordinem juris; puta cum praecessit infamia super aliquo crimine, vel aliqua expressa indicia apparuerunt, vel etiam cum praecessit probatio semiplena, i. e., testi-

monium unius testis gravis, cujus dictum infirmari non potest.

NOTANDUM: Si reus in causa sanguinis corrupat adversarium suum, peccat quidem inducendo eum ad illicitum; non autem huic peccato lex civilis adhibet poenam; et pro tanto licitum esse dicitur. Multa enim secundum leges humanas impunita relinquuntur, quae secundum divinum iudicium sunt peccata, sicut patet in simplici fornicatione; quia lex humana non exigit ab homine omnimodam veritatem, quae paucorum est, et non potest inveniri in tanta multitudine populi, quantum lex humana habet necesse sustinere (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum reo liceat iudicium per appellationem declinare.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Si appellatio fit in confidentia justae causae; si vero fit ne contra reum justa sententia proferatur, est injusta.

R. PRIMI EST: quia hoc est prudenter evadere, cum accusatus injuste a iudice gravetur.

R. SECUNDI EST: quia hoc est calumniose se defendere: facit enim injuriam et iudici, cujus officium impedit, et adversario suo, cujus justitiam, quantum potest, perturbat.

NOTANDUM: Potestati inferiori intantum aliquis subjici debet, in quantum ordinem superioris servat: a quo si exorbitaverit, ei subjici non oportet; puta si aliud jusserit proconsul, et aliud imperator. Cum autem iudex aliquem injuste gravat, quantum ad hoc relinquit ordinem superioris potestatis, secundum quam necessitas ei juste iudicandi imponitur. Et ideo licitum est ei qui contra justitiam gravatur, ad directionem superioris potestatis recurrere, appellando vel ante sententiam, vel post (Ad 1m).

Art. IV. - *Utrum liceat condemnato ad mortem se defendere, si possit.*

RESP. NEG. - *Scil.:* si juste damnetur.

R. EST: quia licitum est judici eum resistentem impugnare; unde relinquitur quod ex parte ejus sit bellum injustum; unde indubitanter peccat.

NOTANDUM: Nullus ita condemnatur quod ipse sibi inferat mortem, sed quod ipse mortem patiatur; et ideo non tenetur facere id unde mors sequatur, quod est manere in loco, unde ducatur ad mortem; * tenetur tamen non resistere agenti, quin patiatur quod justum est eum pati; sicut etiam si aliquis sit condemnatus ut fame moriatur, non peccat, si cibum sibi occulte ministratum sumat, quia non sumere esset seipsum occidere (Ad 2m).

QUAESTIO LXX

De injustitia pertinente ad personam testis

Deinde considerandum est de injustitia pertinente ad personam testis; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum homo teneatur ad testimonium ferendum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) si testimonium requiratur auctoritate superioris, cui administratio justitiae pertinet, et hoc in manifestis; b) independenter ab auctoritate superioris, si testimonium requiratur ad liberandum hominem vel ab injusta morte, seu poena quacumque, vel a falsa infamia, vel ab aliquo damno, tunc tenetur homo ad testificandum.

* Juxta sententiam quae apud theologos communiter accipitur, reus juste ad mortem damnatus potest carceres et vincula rumpere et effugiat, non tamen tenetur hoc facere etiamsi injuste damnatur, ut patet apud martyres.

R. PRIMI EST: quia in hoc obedire tenetur secundum ordinem juris, scil. in manifestis, et in his de quibus infamia praecessit. Si autem exigitur ab eo testimonium in aliis, puta in occultis et de quibus infamia non praecessit, non tenetur ad testificandum.

R. SECUNDI EST: quia praeceptum Domini est; dicitur enim Psalm. lxxxii, 4: *Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate*; et Prov. xxiv, 11: *Erue eos qui ducuntur ad mortem*; et Rom. i, 32: *Digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*; ubi dicit Glossa: « Consentire est tacere, cum possis redarguere ».

NOTANDA: 1. Ad condemnationem alicujus non tenetur aliquis sponte testimonium ferre, quia si circa hoc veritas occultetur, nulli ex hoc speciale damnum nascitur. Similiter, si imminet periculum accusatori, non est curandum, quia ipse in hoc periculum sponte se ingessit. Alia autem ratio est de reo, cui periculum imminet eo nolente (In fine art.).

2. Quantum ad ea quae sub secreto communicantur (extra confessionem sacramentalem), tenetur homo ea statim propalare vel testificando, vel denunciando, quae pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personae, vel si aliud est hujusmodi, quia secus frangeret fidem quam alteri debet. Ea vero quae quis prodere non tenetur, nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex praecepto superioris, quia servare fidem est de fide naturali nihil autem potest praecipere homini contra id quod est de jure naturali (Ad 2m).

Art. II. - Utrum sufficiat duorum vel trium testimonium.

RESP. AFF. - Scil. : si testes concordent quoad substantiam facti.

R. EST: quia in humanis, quae circa contingencia et variabilia sunt, non requiritur certitudo

demonstrativa; sed sufficit probabilis certitudo, quae ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat. Talis est enim certitudo in testimonio duorum vel trium testium fundata, et jure divino (Deut. xix, 15: *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum*) et humano comprobata.

- Quantum ad concordantiam et discordantiam testium, videndum est responsum ad 2m.

NOTANDUM: Contra homines, qui habent de aliis judicare, non de facili est testibus credendum, quia saepe propter justitiam multos adversarios habent (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum alicujus testimonium sit absque ejus culpa repellendum.*

RESP.: Testimonium alicujus aliquando repellendum est propter culpam (ipsius testis), aliquando vero absque ejus culpa.

R. EST: quia probabile est quod propter culpam (testis) testimonium inefficax reddatur, sicut si testis sit infidelis vel infamis, vel publico crimine reus. Aliquando vero defectus testis provenit ex defectu rationis, vel ex affectu sive amoris sive odii, vel ex exteriori conditione, sicut sunt pauperes, servi, et illi quibus imperari potest, de quibus probabile est quod de facili possunt induci ad testimonium ferendum contra veritatem. Et sic patet quod testimonium alicujus repellitur et propter culpam, et absque culpa.

Art. IV. - *Utrum falsum testimonium semper sit peccatum mortale.*

RESP. AFF. - *Scil.*: triplici ex capite.

R. EST: quia, *primo*, falsum testimonium est perjurium, testes enim non admittuntur nisi jurati: et hoc est peccatum ex toto genere suo mor-

tale; *secundo*, quia est violatio justitiae, quod est peccatum ex genere suo mortale; et *tertio*, quia est mendacium, quod potest esse mortale si est graviter perniciosum, secus est veniale.

NOTANDA: Dicere falsum testimonium non per se et ex intentione, sed per accidens et contra id quod testis intendit, non est peccatum mortale. (Si tamen testis postmodum adverteret falsum esse id quod deposuit, teneretur illud retractare, nisi sine gravi suo incommodo fieri non possit ea retractatio, alioquin incurreret onus restituendi, si quum possit sua retractatione damnum avertere, non faciat).

2. Injustum iudicium non est iudicium; et ideo ex vi iudicii falsum testimonium in injusto iudicio prolatum ad injustitiam impediendam, non habet rationem peccati mortalis, sed solum ex iuramento violato (Ad 2m).

QUAESTIO LXXI

De injustitia quae fit in iudicio ex parte advocatorum

Postea considerandum est de injustitia quae fit in iudicio ex parte advocatorum, et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum advocatus teneatur praestare patrocinium causae pauperum.*

RESP. NEG. - *Scil.:* nisi ad hoc praesens pauperum necessitas compellat.

R. EST: quia cum nullus sufficiat omnibus indigentibus misericordiae opus impendere, sufficit si indigentibus qui sibi hic et nunc occurrunt, homo misericordiae opus impendat, si scilicet in promptu non appareat quomodo eis possit aliter subveniri. Si enim in promptu appareat quomodo aliter eis subveniri possit vel per seipsum, vel per aliam personam magis conjunctam

aut majorem facultatem habentem, non tenetur ex necessitate indigenti subvenire, ita quod non faciendo peccet; quamvis si subvenerit absque tali necessitate, laudabiliter faciat. - Et idem dicendum est de medico, notario, procuratore et caeteris aliis qui officio publico ejusmodi funguntur.

Art. II. - *Utrum convenienter aliqui secundum jura arceantur ab officio advocandi.*

RESP. AFF. - *Scil.* : cum propter impotentiam, tum propter indecentiam.

R. EST: quia defectus ad hoc quod aliquis possit convenienter officium advocandi exercere potest esse vel per se seu ratione impotentiae, sicut apud illos qui deficiunt sensu, sive interiori, sicut furiosi et impuberes, qui interiori necessaria peritia carent; sive exteriori, sicut surdi et muti; vel defectus potest esse ratione indecentiae, sive in hoc quod aliquis est rebus majoribus obligatus, sicut monachi et clerici, nisi pro propriis ecclesiis; sive propter defectum personae tum corporalem, ut patet de caecis, tum spiritualem, sicut apud infames, infideles et damnatos de gravibus criminibus, non enim decet ut alterius justitiae patronus existat qui in seipso justitiam contempsit.

Art. III. - *Utrum advocatus peccet, si injustam causam defendat.*

RESP. AFF. - R. EST: quia advocatus et auxilium et consilium praestat ei cujus causae patrocinatur. Unde si scienter injustam causam defendit, absque dubio graviter peccat, et ad restitutionem tenetur ejus damni quod contra justitiam per ejus auxilium altera pars incurrit. Est enim cooperatus ad malum. - Si autem ignoranter injustam causam defendit, putans esse

justam, exsatur secundum modum quo ignorantia excusari potest.

NOTANDUM: Advocatus, si in principio credidit causam justam esse, et postea in processu appareat eam esse injustam, non debet eam prodere, ut scilicet aliam partem juvet, vel secreta suae causae alteri parti revelet. Potest tamen et debet causam deserere, vel eum cujus causam agit, ad cedendum inducere, sive ad componendum sine adversarii damno (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum advocato liceat pro suo patrocinio pecuniam accipere.*

RESP. AFF. – *Scil.:* dum moderate accipiat, considerata conditione personarum et negotiorum et laboris, et consuetudine patriae.

R. EST: quia quae quis non tenetur alteri exhibere, juste potest pro eorum exhibitione recompensationem accipere. Manifestum est autem quod advocatus non semper tenetur patrocinium praestare, aut consilium dare causis aliorum. Et ideo si vendat suum patrocinium, sive consilium, non agit contra justitiam. Et eadem ratio est de medico opem ferente ad sanandum, et de omnibus aliis hujusmodi personis.

QUAESTIO LXXII

De injuriis verborum, quae inferuntur extra judicium, et primo de contumelia

Deinde considerandum est de injuriis verborum, quae inferuntur extra judicium: et primo de contumelia; secundo de detractioe; tertio de susurratioe; quarto de derisione; quinto de maledictione. Circa primu quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum contumelia consistat in verbis.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia ad contumeliam proprie pertinet, id, quod est contra honorem

alicujus, deducere in notitiam *ejus* et aliorum. Hoc autem fit per aliqua signa, inter quae primatum habent verba, « quae habent principatum significandi quaecumque animo concipiuntur ». Et ideo contumelia proprie loquendo in verbis consistit. Unde Isidorus dicit (Etym. lib. x, ad litt. c) quod: « contumeliosus dicitur aliquis, quia velox est, et tumet verbis injuriae »; tamen extenso nomine etiam in factis dicitur.

NOTANDUM: *Contumelia* proprie habetur per verba quae injuriose manifestant culpam alterius; *convicium* vero per verba quae generaliter defectum culpae et poenae, sive defectum corporalem injuriose manifestant; *improperium* autem manifestat defectum minorationis, sive indigentiae, et proprie fit quando aliquis injuriose alteri ad memoriam reducit auxilium quod contulit ei necessitatem patienti (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum contumelia, sive convicium sit peccatum mortale.*

RESP. AFF. - *Scil.* : Si verba contumeliosa proferantur cum intentione dehonorandi.

R. EST: quia homo non minus amat suum honorem, quam rem possessam. Unde proprie et per se convicium vel contumeliam dicere non minus peccatum mortale est quam furtum et rapinam. - Si autem verbum convicii vel contumeliam aliquis alteri dixerit propter correctionem vel propter aliquid hujusmodi, non committit peccatum, nisi hoc immoderate seu incaute fecerit; et in hoc etiam peccatum mortale fieri potest.

Art. III. - *Utrum aliquis debeat contumelias sibi illatas sustinere.*

RESP. AFF. - *Scil.* : a) tenemur habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expe-

diens fuerit; *b*) quandoque tamen oportet ut contumeliam illatam repellamus.

R. PRIMI EST: quia hoc est secundum praecepta patientiae, ut patet ex Domini verbis: *Si quis percusserit te in unam maxillam, praebe ei et aliam* (Luc. vi, 29); ut scilicet homo sit paratus hoc facere si opus fuerit.

R. SECUNDI EST duplex: primo, propter bonum ejus qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, et de caetero alia non attentet: unde Dominus alapa cesus dixit (Jn. xviii, 23): *Quid me caedis?*... Secundo, propter bonum multitudinis, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas.

NOTANDUM: Audaciam conviciantis contumeliose debet aliquis moderate reprimere, scilicet propter officium charitatis, non propter cupiditatem privati honoris. Unde dicitur Prov. xxvi, 4: *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne ei similis efficiaris.*

Art. IV. - *Utrum contumelia oriatur ex ira.*

RESP. AFF. - *Scil.* : maxime ex ira oritur.

R. EST: quia nulla vindicta est irato magis in promptu quam inferre contumeliam alteri; et sic contumelia magnam habet propinquitatem ad finem irae, qui est vindicta.

NOTANDUM: Contumelia non oritur directe ex superbia; disponit tamen superbia ad contumeliam, inquantum illi qui se superiores aestimant, facilius alios contemnunt, et injurias eis irrogant; facilius enim irascuntur, utpote reputantes indignum quidquid contra eorum voluntatem agitur (Ad 1m).

QUAESTIO LXXIII

De detractiōe

Postea considerandum est de detractiōe; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum detractio convenienter definiatur, quod est denigratio alienae famae per verba.*

RESP. AFF. - *Scil.*: per verba occulta.

R. EST: quia in hoc differt detractio a contumelia: uno modo quantum ad modum proponendi verba, quia scilicet contumeliosus manifeste contra aliquem loquitur, detractor autem occulte; alio modo quantum ad finem intentum, sive quantum ad nocumentum illatum, quia scilicet contumeliosus derogat honori, detractor famae. - (Unde detractio definitur: Injusta denigratio famae alienae per occulta verba).

NOTANDA: 1. Verba detractiōis dicuntur occulta, non simpliciter, sed per comparationem ad eum de quo dicuntur, quia eo absente et ignorante dicuntur. Sed contumeliosus in faciem contra hominem loquitur (Ad 2m).

2. Aliquis dicitur detrahare alteri, non quia diminuit de veritate, sed quia diminuit famam ejus. Quod quidem fit quandoque directe, quandoque indirecte: directe quidem quadrupliciter: uno modo, quando falsum imponit alteri; secundo quando peccatum adauget suis verbis; tertio, quando occultum revelat; quarto, quando id quod est bonum dicit mala intentione factum. Indirecte autem, vel negando bonum alterius, vel malitiose reticendo, vel diminuendo (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum detractio sit peccatum mortale.*

RESP. AFF. - R. EST: quia auferre alicui famam valde grave est, quia inter res temporales videtur fama esse pretiosior, per cuius defectum impeditur homo a multis bene agendis. Propter quod di-

citur Eccli. xli, 15: *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri magni et pretiosi.* Et ideo detractio, per se loquendo, est peccatum mortale.

NOTANDA: 1. Si verba, per quae fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio. (Circumstantiae autem debitae hae sunt: primo, ut non plus nec pluribus reveletur quam sit necesse ad evitandum malum, vel bonum consequendum; secundo, ut probabile sit quod revelatio habitura sit bonum effectum; tertio, ut fiat ex recta intentione; quarto, ut bonum consequendum, vel malum avertendum sit alicujus momenti).

2. Si aliquis proferat ex animi levitate, vel propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale, nisi forte verbum quod dicitur sit adeo grave, quod notabiliter famam alicujus laedat, et praecipue in his quae pertinent ad honestatem vitae: quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis. Et in hoc casu tenetur aliquis ad restitutionem famae (In corp. art.).

Art. III. - *Utrum detractio sit gravior omnibus peccatis quae in proximum committuntur.*

RESP. NEG. - *Scil.:* per se loquendo, detractio secundum suum genus est majus peccatum quam furtum; minus tamen quam homicidium vel adulterium.

R. EST: quia majus nocumentum homini infertur per sublationem boni corporis, quam per sublationem bonorum externorum. Unde inter caetera peccata quae committuntur in proximum, homicidium gravius est, per quod tollitur vita proximi jam actu existens; consequenter autem adulterium, quod est contra debitum ordinem generationis humanae, per quam est introitus ad vitam. Inter exteriora bona autem fama praeminet divitiis, eo quod propinquior est spiritua-

libus bonis; unde dicitur Prov. xxii, 1: *Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ.* - Per accidens autem gravitas peccati attenditur ex parte peccantis, qui gravius peccat, si ex deliberatione peccet quam si peccet ex infirmitate, vel incautela.

NOTANDUM: Ira, quæ in manifesto vindictam quaerit, parit contumeliam. Sed detractio, quæ est in occulto, magis est filia invidiae quam iræ. Invidiae autem est gloriam proximi minuere (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum audiens qui tolerat detrahentem graviter peccet.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Ille qui aliquem ad detrahendum inducit, vel si placeat ei detractio propter odium ejus cui detrahitur, non minus peccat, quam detrahens, et quandoque magis.

R. EST: quia, ut Apostolus dicit (Rom. I, 32): *digni sunt morte, non solum qui peccata faciunt, sed etiam qui facientibus peccata consentiunt.*

NOTANDA: 1. Si aliquis ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multo minus quam detrahens, et plerumque venialiter. Quandoque tamen etiam hoc potest esse peccatum mortale, vel propter hoc quod alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere; vel propter aliquod periculum consequens; vel propter radicem, qua timor humanus quandoque potest esse peccatum mortale (In fine art.).

2. Non semper aliquis debet resistere detractori, arguendo eum de falsitate, et maxime si sciat verum esse quod dicitur; sed debet eum verbis redarguere de hoc quod peccat fratri detrahendo, vel saltem ostendere quod ei detractio displiceat per tristitiam faciei (vel tacendo, recedendo, et sermonem ad alia divertendo): quia, ut dicitur Prov. xxv, 23, *ventus Aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem.* (Ad 2m).

QUAESTIO LXXIV

De susurratione

Deinde considerandum est de susurratione; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum susurratio sit peccatum distinctum a detractioe.*

RESP. AFF. – *Scil.:* susurratio et detractio conveniunt quidem in materia et in modo loquendi, differunt tamen in fine.

R. EST: quia susurro et detractor uterque malum de proximo occulte dicit; sed detractor intendit denigrare famam; susurro autem intendit amicitiam separare, secundum illud Prov xxvi, 20: *Susurrone subtracto, jurgia conquiescunt.* Et iterum (Eccli. xxviii, 11): *Vir peccator conturbabit amicos, et in medio pacem habentium immittet inimicitiam.*

NOTANDUM: Bilinguis proprie dicitur susurro. Cum enim amicitia sit inter duos, nititur susurro ex utraque parte amicitiam rumpere; et ideo duabus linguis utitur ad duos, uni dicens malum de alio, propter quod dicitur Eccli. xxviii, 15: *Susurro et bilinguis maledictus*, et subditur: *multos enim turbavit pacem habentes* (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum detractio sit gravior peccatum quam susurratio.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Susurratio est majus peccatum quam detractio, et etiam quam contumelia.

R. EST: quia peccatum in proximum tanto est gravior, quanto per ipsum majus nocumentum proximo infertur. Amicitiam autem quam destruere intendit susurro melior est quam honor, et amari quam honorari. Inter caetera enim exteriora bona praeminet amicus, quia « sine amicis

nullus vivere potest », ut patet per Philosophum (Ethic. lib. viii, cap. 1). Unde dicitur Eccli. vi, 15: *Amico fideli nulla est comparatio.*

QUAESTIO LXXV

De derisione

Deinde considerandum est de derisione; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum derisio sit speciale peccatum ab aliis praemissis distinctum.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia finis derisionis est distinctus ab aliis. Nam, sicut aliquis conviciando intendit conviciati honorem deprimere, et deträhendo minuere famam, et susurrando tollere amicitiam; ita etiam irridendo aliquis intendit quod ille qui irridetur, erubescat.

NOTANDA: 1. Subsannatio et irrisio conveniunt in fine, sed differunt in modo: quia irrisio fit ore, id est, verbo et cachinnis; subsannatio autem naso rugato, ut dicit Glossa super illud Psal. ii, 4: *Qui habitat in coelis, irridebit eos.* Talis autem differentia non diversificat speciem. (Ad 1m).

2. Specialem rationem habet derisio etiam ex hoc quod conscientiam alicujus inquietat, confundendo ipsum. Magnum autem bonum est quies et securitas conscientiae, quam derisor perturbat (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum derisio possit esse peccatum mortale.*

RESP. AFF. - **Scil.:** Derisio in parvis veniale peccatum est; in magnis autem mortale est, et eo gravius quo major reverentia debetur personae quae illuditur.

R. EST: quia derisio de parvo malo seu defectu potest pro ludo accipi, quamvis habeat aliquem contemptum; si autem malum quod deridetur

sit magnum, tunc non pro ludo, sed seriose accipitur, et sic contemptus gravis, imo gravior quam contumelia, quia contumeliosus videtur accipere malum alterius seriose, illusor autem in ludum.

QUAESTIO LXXVI

De maledictione

Postea considerandum est de maledictione; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum liceat maledicere aliquem.*

RESP. AFF. – *Scil.*: non per se loquendo, sed per accidens maledicere aliquem licitum est.

R. quia in maledictione per accidens dicta, principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum: sive sub ratione iustitiae, sicut quando Deus et Ecclesia maledicunt; sive sub ratione utilis, puta cum aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam aegritudinem ut melior efficiatur. – Per se loquendo autem maledicere, est malum alterius imperare vel optare in quantum malum est, quasi ipsum malum intendens; et sic maledicere utroque modo, scilicet imperativo et optativo, illicitum est.

NOTANDUM: Maledicere, quod est malum de alio dicere, modo indicativo considerato, ad destructionem pertinet (In corp. art.).

Art. II. – *Utrum liceat creaturam irrationalem maledicere.*

RESP. AFF. – *Scil.*: a) maledicere rebus irrationabilibus in quantum sunt creaturae Dei est omnino illicitum; b) maledicere eis secundum se consideratis est etiam illicitum; c) maledicere eis in quantum relationem habent ad homines licitum est.

R. PRIMI EST: quia talis maledictio redundat in Deum, et ideo est blasphemiæ.

R. SECUNDI EST: quia talis maledictio otiosa est et vana.

R. TERTII EST: quia talis maledictio redundat in hominem. Et hoc triplici modo fieri potest: scilicet *a*) in quantum humanæ necessitati ex creaturis irrationabilibus subvenitur; et hoc modo Dominus homini dixit: *Maledicta terra in opere tuo* (Gen. iii, 17), ut scilicet per ejus sterilitatem homo puniretur; - *b*) per modum significætionis; et sic Dominus maledixit ficulneam in significætionem Judææ; - *c*) per modum continentis, scilicet temporis et loci; et sic Job maledixit diei nativitatis suæ, propter culpam originalem, quam nascendo contraxit, et propter sequentes poenalitates; et propter hoc etiam potest intelligi David maledixisse montibus Gelboe, ut legitur II. Reg. c. i, scilicet propter caedem populi quæ in eis contigerat.

Art. III. - *Utrum maledicere sit peccatum mortale.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Maledictio per quam pronuntiatur malum contra aliquem vel imperando, vel optando peccatum mortale est ex genere suo.

R. EST: quia velle vel imperio movere ad malum alterius, secundum se repugnat charitati.

NOTANDUM: Verbum maledictionis prolatum contingit esse peccatum veniale vel propter parvitatem mali quod quis alteri maledicendo imprecatur, vel etiam propter affectum ejus qui profert maledictionis verba, dum ex levi motu, vel ex ludo, aut ex surreptione aliqua talia verba profert; quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur (In fine art.).

Art. IV. – *Utrum maledicere sit gravius peccatum quam detractio.*

RESP. NEG. – *Scil.:* secundum se et caeteris paribus detrudere gravius peccatum est quam maledicere.

PRIMA R. EST: quia detractio, sicut etiam contumelia, susurratio et derisio, malum culpae dicunt; maledictio autem malum poenae.

SECUNDA R. EST: quia vitia supra dicta inferunt proximo nocumentum; maledictio autem, prout nunc sumitur, tantum desiderat nocumentum proximo.

Maledictio vero quae fit per modum imperii, cum habeat rationem causae, potest esse detractioe gravior, si majus nocumentum inferat quam sit denigratio famae; vel levior, si minus.

QUAESTIO LXXVII

De fraudulentia, quae committitur in emptionibus et venditionibus

Deinde considerandum est de peccatis quae sunt circa voluntarias commutationes: et primo de fraudulentia, quae committitur in emptionibus et venditionibus; secundo de usura, quae fit in mutuis. Circa alias enim commutationes voluntarias non invenitur aliqua species peccati, quae distinguatur a rapina, vel furto. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum licite aliquis possit vendere rem plus quam valeat.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) fraudem adhibere ad hoc quod aliquid plus justo pretio vendatur, omnino peccatum est; b) carius vendere vel vilius emere rem quam valeat, est secundum se injustum et illicitum; c) secundum quod per accidens emptio

et venditio cadit in utilitatem unius et detrimentum alterius, licite poterit aliquid vendi plus quam valeat secundum se; *d*) si vero aliquis multum juvetur ex re alterius quam accepit, ille vero qui vendit, non damnificetur carendo re illa, non debet eam supervendere.

R. PRIMI EST: quia semper peccatum est proximum decipere in damnum ipsius.

R. SECUNDI EST: quia si vel pretium excedat quantitatem valoris rei, vel e converso res excedat pretium, tolletur justitiae aequalitas.

R. TERTII EST: quia in tali casu justum pretium erit ut non solum respiciatur ad rem quae venditur, sed ad damnum quod venditor ex venditione incurrit.

R. QUARTI EST: quia utilitas quae alteri accrescit, non est ex vendente, sed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri quod non est suum: licet possit ei vendere damnum quod patitur. Ille tamen qui ex accepta multum juvatur, potest propria sponte aliquid vendenti supererogare; quod pertinet ad ejus honestatem.

NOTANDUM: Justum pretium rerum non est punctualiter determinatum, sed magis in quadam aestimatione consistit; ita quod modica additio vel minutio non videtur tollere aequalitatem justitiae (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum venditio reddatur illicita propter defectum rei venditae.*

RESP. AFF. - *Scil.* : sive si defectus rei sit secundum suam speciem, sicut quando una res pro alia venditur; sive si defectus sit secundum quantitatem; sive si sit secundum qualitatem.

R. EST: quia in istis casibus, si venditor scienter fecerit, fraudem committit, et ad restitutionem tenetur. - Si autem venditor hoc ignoranter

fecerit, non peccat; sed tenetur, cum ad ejus notitiam pervenerit, damnum recompensare emptori; (nisi venditor emptori declaraverit se nolle vitii periculum sustinere; tunc enim emptor rem suo periculo emit).

Art. III. - *Utrum venditor teneatur dicere vitium rei venditae.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) si vitium rei est occultum, et occasionem praebere possit damni et periculi emptori, damni quidem quia res vitiosa minori pretio vendi, periculi autem si res propter vitium ab usu impeditur, tunc tenetur venditor vitium rei dicere; - b) si vero vitium sit manifestum, vel cum usus rei etsi non competat venditori, potest tamen esse conveniens aliis, et si ipse propter hujusmodi vitium subtrahat quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium rei.

R. PRIMI EST: quia dare alicui occasionem damni et periculi semper illicitum est. Unde si hujusmodi vitia sint occulta, et venditor non detegat, erit illicita et dolosa venditio; et tenetur venditor ad damni recompensationem.

R. SECUNDI EST: quia forte propter hujusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio quam esset subtrahendum; nec est necessarium quod homo alteri semper det auxilium vel consilium pertinens ad ejus qualemcumque promotionem.

Art. IV. - *Utrum liceat negotiando aliquid carius vendere quam emere.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) aliquid carius vendere quam emere negotiando, propter res necessarias vitae consequendas, licitum est et laudabile; b) negotiari autem propter lucrum, illicitum est, nisi ad aliquem finem modestum sit ordinatum.

R. **PRIMI EST:** quia talis commutatio necessitati naturali deservit, et improprie negotiatio dicitur.

R. **SECUNDI EST:** quia sic negotiari, quantum de se est, deservit cupiditati lucri, quae terminum nescit, sed in infinitum tendit. - Lucrum tamen, quod est negotiationis finis, etsi in sui ratione non importet aliquid honestum vel necessarium, nihil tamen importat in sui ratione vitiosum vel virtuti contrarium; unde nihil prohibet, lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium vel etiam honestum; et sic negotiatio licita reddetur (non autem fit ratione cupiditatis); sicut cum aliquis lucrum moderatum, quod negotiando quaerit, ordinat ad domus suae sustentationem.

NOTANDUM: Negotiari proprie dicitur quando aliquis emit ut carius vendat. Illa autem commutatio naturalis et ad vitae necessitates necessaria, non proprie dicitur negotiatio, quia proprie non ad negotiatores pertinet sed ad oeconomicos vel politicos, qui curam societatis habent (In corp. art. et ad 2m).

QUAESTIO LXXVIII

De peccato usurae, quod committitur in mutuis

Deinde considerandum est de peccato usurae, quod committitur in mutuis; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum accipere usuram pro pecunia mutuata sit peccatum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* accipere usuram, i. e., pretium usus, pro pecunia mutuata est secundum se injustum.*

* Sanctus Doctor considerat usuram hic secundum se, et ut talis semper prohibita remanet, ut patet ex declarationibus Ecclesiae.

R. EST: quia pecunia computatur inter illas res in quibus per mutuuum transfertur dominium, eo quod usus istarum rerum est consumptio earum. Unde quaerere pretium pro usu talium rerum, est eandem rem bis vendere, vel vendere quod non est. Sicut ille qui pecuniam quaerit et pro vino, quem vendit, et pro eo quod vinum ab emptore bibitur. Pecunia enim, ut Philosophus dicit (Ethic. lib. v, c. 5; et Polit. lib. i, c. 5 et 6), principaliter est inventa ad commutationes faciendas; et ita proprius et principalis pecuniae usus est ipsius consumptio, sive distractio, secundum quod in commutationes expenditur. - Unde Philosophus (Polit. lib. i. cap. 7), naturali ratione ductus dicit, quod « *usuraria acquisitio pecuniarum est maxime praeter naturam* » (Ad 3m).

NOTANDUM: Lex humana concessit usuras, non quasi existimans eas esse secundum justitiam, sed ne impedirentur utilitates multorum (Ad 3m). *

Art. II. - *Utrum liceat pro pecunia mutuata aliquam aliam commoditatem expetere.*

RESP. NEG. - *Scil.*: commoditatem, quae pecunia mensurari potest, non licet aliquem pro pecunia mutuata expetere; potest tamen compensationem exigere benevolentiae et amoris vel aliquid hujusmodi, quod pecunia non mensuratur.

* Ex consensu omnium theologorum sunt rationes quibus mutuuum pecuniae reddi potest licitum; v. g. lucrum cessans, damnum emergens, periculum sortis, etc. - Quod videtur auctoritate Codicis Juris Canonici comprabatur. Dicit enim Codex (can. 1543): Si res fungibilis ita alicui detur ut ejus fiat et po-
stea tantundem in eodem genere restituatur, nihil lucri, ratione ipsius contractus, percipi potest; sed in praestatione rei fungibilis non est per se illicitum de lucro legali pacisci, nisi constet ipsum esse immoderatum, etc.

R. EST: quia omne illud pro pecunia habetur cujus pretium potest pecunia mensurari. Pecuniam autem pro pecunia mutuata exigere, illicitum est (Art. praec.).

NOTANDA: 1. Ille qui mutuum dat, potest absque peccato in pactum deducere cum eo qui mutuum accipit, recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquod quod debet habere; hoc enim non est vendere usum pecuniae, sed damnum vitare. Recompensationem vero damni, quod consideratur in hoc quod de pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere, quia non debet vendere id quod nondum habet, et potest impediri multipliciter ab habendo (Ad 1m).

2. Munus *ab obsequio* vel *a lingua*, quasi ex obligatione pacti taciti vel expressi, pro mutuata pecunia exigere vel expectare, tanquam usura existimatur; hoc autem exigere vel expectare non quasi ex obligatione rei, sed ex benevolentia, quae sub aestimatione pecuniae non cadit, licitum est (Ad 3m).*

3. Carius vendere quam sit justum pretium, eo quod emptor non statim solvit, est usuram committere. Hujusmodi enim expectatio pretii solvendi habet rationem mutui. Similiter dicendum est de emptore, qui vilius vult emere quam sit justum pretium, eo quod pecuniam ante solvit quam possit ei res tradi; quia etiam ista anticipatio solutionis pecuniae habet mutui rationem.**

* Munus *ab obsequio* est servitium aliquod temporale; munus *a lingua* est alloqui principem vel quemvis alium in favorem alterius; munus *a manu* est tum pecunia, tum aliud quodvis donum pecunia aestimabile.

** S. Alphonsus, de Lugo, Lessius, Toletus, Sanchez, et alii existimant unicuique licitum esse suas merces carius vendere ob expectatam solutionem, dummodo rei valorem haec difficultas non excedat. - Usura tamen ut talis semper illicita est et his verbis eam Concilium Viennense damnavit: « Si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare praesumat, exercere usuras non esse peccatum; decernimus eum velut haeticum esse puniendum ».

Art. III. – *Utrum quidquid de pecunia usuraria quis lucratus fuerit, reddere teneatur.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) si talia fuerint per usuram extorta quorum usus est ipsa eorum consumptio, non tenetur homo ad restituendum, nisi id quod accepit; b) si vero talia sunt quorum usus non est eorum consumptio, tenetur homo ad restituendum non solum rem ipsam, sed etiam fructus inde perceptos.

R. PRIMI EST: quia res quorum usus est ipsa earum rerum consumptio, non habent usumfructum secundum jura; id enim quod de tali re est acquisitum, non est fructus hujusmodi rei, sed humanae industriae. Et ideo non tenetur ad restitutionem, nisi forte per detentionem talis rei alter sit damnificatus*, amittendo aliquid de bonis suis; quia tunc tenetur ad recompensationem nocuenti.

R. SECUNDI EST: quia tales fructus sunt rerum quarum alius est dominus, et ideo ei debentur, sicut in locatione domorum vel agrorum, et similia.

Art. IV. – *Utrum liceat pecuniam accipere mutuo sub usura.*

RESP. AFF. – R. EST: quia quamvis nullo modo liceat hominem ad peccandum inducere; tamen uti peccato alterius ad bonum, licitum est; quia et Deus utitur omnibus peccatis ad aliquod bonum; ex quolibet enim malo elicit aliquod bonum. Unde, in proposito, nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris; licet tamen ab eo qui hoc paratus est facere, et usuras exercet, mutuum accipere sub usuris, propter aliquod

* En *lucrum cessans vel damnum emergens.*

bonum quod est subventio suae necessitatis vel alterius.

NOTANDUM: Ille qui accipit pecuniam mutuo sub usuris, non dat occasionem usurario usuras accipiendi, sed mutuandi. Usuras autem accipit ex malitia sua. (Ad 2m).

QUAESTIO LXXIX

De partibus integralibus justitiae, quae sunt facere bonum et declinare a malo

Deinde considerandum est de partibus quasi integralibus justitiae; quae sunt bonum facere, et a malo declinare; et de vitiis oppositis. Circa quod quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum declinare a malo et facere bonum, sint partes justitiae.*

RESP. AFF. - *Scil. :* facere bonum et declinare a malo, sub speciali ratione boni et mali, sunt partes integrales justitiae generalis et specialis.

R. EST: quia utrumque requiritur ad perfectum actum justitiae. Justitia enim, secundum quod est virtus specialis, respicit bonum sub ratione debiti ad proximum; et secundum hoc ad justitiam specialem pertinet facere bonum sub ratione debiti in comparatione ad proximum, et vitare malum oppositum, scilicet quod est nocivum proximo. Ad justitiam vero generalem pertinet facere bonum debitum in ordine ad communitatem et ad Deum, et vitare malum oppositum.

Unde facere bonum et declinare a malo sunt partes integrales utriusque justitiae.

NOTANDA: 1. Si loquamur de bono et malo in communi, facere bonum et vitare malum pertinent ad omnem virtutem; et secundum hoc non possunt poni partes justitiae proprie dictae (In princ. art.).

2. Declinare a malo, secundum quod ponitur pars justitiae, non importat negationem puram,

quod est non facere malum; hoc enim non meretur palmam, sed solum vitat poenam. Importat autem motum voluntatis repudiantis malum, ut ipsum nomen declinationis ostendit; et hoc est meritorium, praecipue quando aliquis impugnatur, ut malum faciat, et resistit (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum transgressio sit speciale peccatum.*

RESP. AFF. - PRIMA R. EST: quia ad rationem propriam transgressionis pertinet attendere contemptum praecepti; sicut ad propriam rationem justitiae legalis pertinet attendere debitum praecepti.

SECUNDA R. EST: quia transgressio proprie dicta contrariatur praecepto negativo; sicut omisio praecepto affirmativo.

Art. III. - *Utrum omisio sit speciale peccatum.*

RESP. AFF. - *Scil.* : omisio boni debiti.

R. EST: quia talis omisio opponitur speciali parti justitiae, quae est *facere bonum*. - Transgressio opponitur aliae parti justitiae, scil. declinare a malo.

NOTANDUM: Omisio est peccatum actuale, non quia habet aliquem actum sibi essentialem, sed secundum quod negatio actus reducitur ad genus actus, et secundum hoc non agere accipitur ut agere quoddam (Ad 1m).

Art. IV. - *Utrum peccatum omissionis sit gravius quam peccatum transgressionis.*

RESP. NEG. - *Scil.* : Simpliciter et absolute loquendo, transgressio est gravius peccatum quam omisio, licet aliqua omisio possit esse gravior aliqua transgressione.

R. EST: quia magis distat contrarium a suo contrario, quam simplex ejus negatio. Transgressio autem contrariatur actui virtutis; omisio autem importat negationem ipsius; puta pec-

catum omissionis est, si quis debitam reverentiam parentibus non exhibeat; peccatum autem transgressionis, si contumeliam vel quamcumque injuriam eis inferat.

NOTANDA: 1. Cum omissio tum transgressio opponitur ei quod est bonum facere; sed primum contradictorie, secundum contrarie, quod majorem distantiam importat; et ideo transgressio est gravius peccatum (Ad 2m).

2. Etiam omissioni non solum debetur poena damni, sed etiam poena sensus, secundum illud Matth. vii, 19: *Omnis arbor quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur*; et hoc propter radicem ex qua procedit, licet non habeat ex necessitate actualem conversionem ad aliquod bonum commutabile, sicut habet transgressio (Ad 4m).

QUAESTIO LXXX

De partibus potentialibus justitiae

Deinde considerandum est de partibus potentialibus justitiae, id est, de virtutibus ei annexis; et circa hoc duo sunt consideranda: primo quidem quae virtutes justitiae annectantur; secundo considerandum est de singulis virtutibus justitiae annexis.

Art. Unicus - *Utrum convenienter assignentur virtutes justitiae annexae.*

RESP. AFF. - *Scil.:* sequentes virtutes: a) ratione defectus justitiae a ratione aequalis: Religio, pietas et observantia; b) ratione defectus justitiae a ratione debiti: Veritas, gratia, vindictio, liberalitas et amicitia.

R. EST: quia virtutes annexae illae sunt quae alicui virtuti (cardinali) annectuntur non solum propter convenientiam cum ipsa, sed etiam ut, quantum possibile est, ad deficientiam ipsius suppleant. Justitia autem, cujus est unicuique

reddere quod suum est, deficere potest dupliciter: scil. a ratione aequalis, et a ratione debiti. A ratione aequalis: quantum ad Deum, ad parentes et ad virtutem. Quidquid enim Deo redditur, vel parentibus, et virtuti, est secundum debitum justitiae, sed nunquam potest esse aequale sicut oportet. Et sic convenienter assignantur priores tres virtutes quasi justitiae annexae, scilicet Religio erga Deum, pietas erga parentes et observantia erga homines virtuosos, ut Tullius dicit (Ethic. lib. iv, cap. 3): « homines aliqua dignitate antecedentes quodam cultu et honore dignantur ». — Debitum autem justitiae est duplex: scil. legale, quod est secundum legem; et morale, quod est quod aliquis debet ex honestate virtutis. Debitum legale attendit justitia, quae est principalis virtus. Debitum morale attendi potest cum ex parte debentis, tum ex parte ejus cui debetur. Ad primum requiritur ut talis se exhibeat homo in verbis et in factis qualis ipse est; et ad hoc adjungitur justitiae *Veritas*. Ex parte ejus cui debetur adjungitur *gratia* in bonis, et *vindicta* in malis, in his scilicet quae sunt necessaria secundum debitum; in his vero quae sunt ad majorem honestatem, adjungitur *liberalitas*, et *affabilitas* seu *amicitia*, aut alia hujusmodi.

NOTANDUM: Epikeja non adjungitur justitiae particulari, sed legali; et videtur esse idem cum ea quae dicta est eugnomyne (Ad 5m).

QUAESTIO LXXXI

De religione secundum se

Deinde considerandum est de singulis partibus praedictarum virtutum quantum ad praesentem intentionem pertinet: et primo considerandum est de religione; secundo de pietate; tertio de observantia; quarto de gratia; quinto de vindicta; sexto

de veritate; septimo de amicitia; octavo de liberalitate; nono de epikeja. De aliis autem hic enumeratis supra dictum est partim in tractatu de charitate, scilicet de concordia et aliis hujusmodi; et partim in hoc tractatu de justitia, sicut de bona commutatione et innocentia. De legislativa autem in tractatu de prudentia. - Circa religionem vero tria considerata occurrunt: primo quidem de ipsa religione secundum se; secundo de actibus ejus; tertio de vitiis oppositis. Circa primum quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum religio ordinet hominem solum ad Deum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia religio sive dicatur a frequenti relectione (sive meditatione), sive ex iterata electione ejus quod negligenter amissum est, sive dicatur a religatione, religio proprie importat ordinem ad Deum. Ipse enim est cui principaliter alligari debemus tanquam indeficienti principio.

NOTANDA: 1. Religio habet duplices actus: quosdam quidem proprios et immediatos, quos elicit, per quod homo ordinatur ad solum Deum, sicut sacrificare, adorare et alia hujusmodi: alios autem actus habet, quod producit mediantibus virtutibus quibus imperat, ordinans eos ad divinam reverentiam. Et secundum hoc actus religionis per modum imperii ponitur esse, *visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum*; quod est actus elicitus a misericordia; *immaculatum autem se custodire ab hoc saeculo*, imperative quidem est religionis, elicitive autem temperantiae, vel alicujus hujusmodi virtutis (Ad 1m).

2. *Latria* dicitur servitus illa Dei specialis secundum singularem rationem, quia scilicet Ipse omnia fecit, et quia summum in omnibus rebus obtinet principatum (Ad 3m). - Honor autem specialis qui Deo debetur tanquam primo omnium principio, per quod ratio cultus specialis ei debetur, nomine graeco *Eusebia* (cultus legitimus), vel *Theosebia* (vel theoseteia: cultus divinus) exprimitur (Ad 5m).

Art. II. – *Utrum religio sit virtus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia omnis actus humanus bonus pertinet ad virtutem; virtus enim est quae facit bonum habentem et ejus opus bonum reddit. Reddere autem Deo honorem, quod ad religionem pertinet, bonum est; est enim secundum ordinem justitiae. Religio ergo est virtus.

NOTANDA: 1. Religio differt a dono timoris Dei. Nam revereri Deum est actus doni timoris. Ad religionem autem pertinet facere aliqua propter divinam reverentiam. Unde non sequitur quod religio sit idem quod donum timoris, sed quod ordinetur ad ipsum sicut ad aliquid principalius; sunt enim dona principaliora virtutibus moralibus, ut supra habitum est (quaes. ix, art., 1 ad 3m). – (Ad 1m).

2. De dictamine rationis naturalis est quod homo aliqua faciat ad reverentiam divinam. Sed quod haec determinate faciat, vel illa, istud non est de dictamine rationis naturalis, sed de institutione juris divini, vel humani (scil. per leges divinas, vel per leges ecclesiasticas). – (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum religio sit una virtus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia una est ratio formalis objecti religionis, scilicet exhibere reverentiam uni Deo secundum unam rationem; inquantum scilicet est primum principium creationis et gubernationis rerum.

Art. IV. – *Utrum religio sit specialis virtus ab aliis distincta.*

RESP. AFF. – R. EST: quia habet specialem rationem boni, scil. exhibere Deo debitum honorem. Honor autem Deo competit ratione suae singularis excellentiae, inquantum omnia in infinitum transcendit secundum omnimodum excessum.

NOTANDUM: Religio dicitur virtus generalis, ex hoc quod imperet omnibus aliis virtutibus, ut

supra dictum est (art. 1 hujus quaestionis, *notandum* 1). - (Ad 1m).

Art. V. - *Utrum religio sit virtus theologica.*

RESP. NEG. - *Scil.* : Religio non est virtus theologica, sed moralis.

R. EST: quia objectum seu materia religionis non est ipse Deus, sicut est in virtutibus theologis; sed sunt ea quae ad Deum ordinantur, sicut ad finem, utpote oblationes sacrificiorum et alia hujusmodi, quibus Deus colitur. - Sic fides, spes et charitas, habent actum circa Deum sicut circa proprium objectum; et ideo suo imperio causant actum religionis, quae operatur quaedam in ordine ad Deum (Ad 1m).

Art. VI. - *Utrum Religio sit praeferenda aliis virtutibus moralibus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia religio magis de propinquo accedit ad Deum quam aliae virtutes morales, inquantum operatur ea quae directe et immediate ordinantur in honorem divinum. Et ideo religio praeeminet inter alias virtutes morales.

Art. VII. - *Utrum religio habeat aliquem exteriorem actum.*

RESP. AFF. - *Scil.* : Religio habet quidam interiores actus quasi principales, et per se ad religionem pertinentes; exteriores vero actus, quasi secundarios, et ad interiores actus ordinatos.

R. EST: quia mens humana ad hoc quod conjungatur Deo, sensibilibus manuductione indiget, secundum illud Apostoli (Rom. I, 20): *invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Et ideo in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti, ut eis quasi signis quibusdam mens hominis excitetur ad spirituales actus, quibus Deo conjungitur.

NOTANDUM: Quantum ad verba Domini (Jn. iv, 24): *Deus spiritus est, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate adorare oportet*, considerandum est quod Dominus loquitur hic quantum ad id quod est principale et per se intentum in cultu divino (Ad 1m).

Art. VIII. - *Utrum religio sit idem sanctitati.*

RESP. AFF. - *Scil.* : Religio idem est sanctitati secundum essentiam; non autem secundum rationem.

R. EST: quia sanctitas dicitur per quam mens hominis, munditia et firmitate, seipsam et actus suos Deo applicat; quod etiam ad essentiam religionis pertinet. - Sic igitur, religio dicitur secundum quod exhibet Deo debitum famulatum in his quae pertinent specialiter ad cultum divinum, sicut in sacrificiis, oblationibus, et aliis hujusmodi; sanctitas autem dicitur, secundum quod homo non solum haec, sed aliarum virtutum opera refert in Deum, vel secundum quod homo se disponit per bona quaedam opera ad cultum divinum; et in hoc differt a sanctitate secundum rationem.

NOTANDUM: Sic sanctitas, ut specialis virtus, idem est secundum essentiam religioni; ut virtus autem quaedam generalis omnes virtutum actus per imperium ordinat in bonum divinum; sicut et justitia legalis dicitur generalis virtus, in quantum ordinat omnium virtutum actus in bonum commune (Ad 1m).

QUAESTIO LXXXII

De devotione

Deinde considerandum est de actibus religionis: et primo de actibus interioribus, qui secundum praedicta sunt principaliores; secundo de actibus exterioribus, qui sunt secundarii. Interiores autem actus religionis videntur esse devotio et oratio. Primo ergo de devotione agendum est, secundo de oratione. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum devotio sit specialis actus.*

RESP. AFF. - *Scil.*: voluntatis.

R. EST: quia devotio, quae a devovendo dicitur, nihil aliud est quam « voluntas quaedam prompta tradendi se ad ea quae pertinent ad Dei famulatum », quod est specialis actus voluntatis.

NOTANDUM: Cum devotio sit actus voluntatis hominis offerentis seipsum Deo ad ei serviendum, qui est ultimus finis, consequens est quod devotio imponat *modum* humanis actibus, sive sint actus ipsius voluntatis circa ea quae sunt ad finem, sive etiam sint actus aliarum potentialium, quae a voluntate moventur (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum devotio sit actus religionis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sicut ad religionem proprie pertinet operari ea quae ad divinum cultum, seu famulatum ordinata sunt; ita etiam ad religionem pertinet promptam voluntatem habere ad huiusmodi exequenda, quod est esse devotum: utriusque enim actus idem est objectum.

NOTANDUM: Charitas causat devotionem, in quantum ex amore aliquis redditur promptus ad serviendum amico; per devotionem autem charitas nutritur, sicut et quaelibet amicitia conservatur et augetur per amicabilem operum exercitium et meditationem (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum contemplatio seu meditatio sit devotionis causa.*

RESP. AFF. - *Scil.*: ex parte nostra, seu ex causa intrinseca.

R. EST: quia omnis actus voluntatis procedit ex aliqua consideratione: bonum enim intellectum est objectum voluntatis. Devotio autem est quidam voluntatis actus, ut dictum est. Et sic medi-

tatio est causa devotionis, inquantum homo per meditationem concipit quod se tradat divino obsequio. - Causa autem devotionis extrinseca et principalis est Deus, qui, ut Ambrosius dicit (Lc. ix, super illud: *Et conversus increpavit*, etc.): «et quem vult religiosum facit; et si voluisset, Samaritanos ex indevotis devotos fecisset».

NOTANDA: Ad cognitionem, et ideo ad dilectionem, divinorum, manuducimur per aliqua sensibilia nobis nota, inter quae praecipuum est humanitas Christi, secundum quod in Praefatione Nativitatis dicitur: *Ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.* (Ad 2m).

2. Duplex consideratio inducit ad devotionem: una ex parte bonitatis et beneficiorum Dei; alia ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus indiget ut Deo innitatur. Prima excitat dilectionem; alia praesumptionem excludit (In corp. art.).

3. Scientia et quidquid aliud ad magnitudinem pertinet, occasio est quod homo confidat de seipso, et sic non totaliter se Deo tradat. Inde est quod hujusmodi quandoque occasionaliter devotionem impediunt: et in simplicibus et mulieribus devotio abundat, elationem comprimendo. Si tamen scientiam et quamcumque aliam perfectionem homo perfecte Deo subdat, ex hoc ipso devotio augetur (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum laetitia sit devotionis effectus.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Devotio quae consequitur ex consideratione Dei bonitatis, primo et per se causat laetitiam, secundario et per accidens causat tristitiam: e converso, devotio, quae est ex consideratione propriorum defectuum, primo et per se causat tristitiam, per accidens vero laetitiam.

R. EST: quia ex consideratione divinae bonitatis, quae est quasi terminus voluntatis motus tradentis se Deo, per se quidem sequitur delectatio secundum illud Ps, lxxvi, 4: *Memor fui Dei, et*

delectatus sum; sed per accidens haec consideratio tristitiam quamdam causat in his qui nondum plene Deo fruuntur, secundum illud Psal. xli, 3: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum*; et postea sequitur: *Fuerunt mihi lacrymae meae panes*, etc. - E contra, ex consideratione priorum defectuum, quae est tanquam terminus a quo, per se tristitia causatur, per accidens autem laetitia, propter spem divinae subventionis.

QUAESTIO LXXXIII

De oratione

Deinde considerandum est de oratione; et circa hoc quaeruntur decem et septem:

Art. I. - *Utrum oratio sit actus appetitivae virtutis.*

RESP. NEG. - *Scil.*: Oratio, de qua nunc loquimur, prout significat quamdam deprecationem vel petitionem, non est actus voluntatis, sed rationis practicae.

R. EST: quia petere sive deprecari, sicut etiam imperare, ordinationem quamdam important, prout scilicet homo disponit aliquid per aliud esse faciendum. Hoc autem ad rationem pertinet, cujus est ordinare.

NOTANDA: 1. Secundum Cassiodorum (super illud Psal. xxxviii: *Exaudi orationem meam*), oratio dicitur quasi *oris ratio*. Ratio autem speculativa et practica in hoc differunt, quod ratio speculativa est apprehensiva solum rerum; ratio vero practica est non solum apprehensiva, sed etiam causativa, sive per modum imperii, sive per modum petitionis seu deprecationis, i. e., orationis (In corp. art.).

2. Deus dicitur desiderium pauperum exaudire, vel quia desiderium est causa petendi, vel ad ostendendum exauditionis velocitatem, quia scilicet dum adhuc aliquid in desiderio pauperum est, Deus exaudit, ante orationem proponant (Ad 1m).

3. In oratione hoc praecipue petendum est ut Deo uniamur, secundum illud Ps. xxvi, 4: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.* (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum sit conveniens orare.*

RESP. AFF. – *Scil.:* contra illos qui dicunt: a) res humanas non regi providentia divina; b) omnia in rebus humanis ex necessitate contingi; c) orationibus dispositionem divinae providentiae immutari*.

R. EST: quia non propter hoc oramus, ut divinam dispositionem immutemus, quod est impossibile; sed ut id impetremus quod Deus disposuit per orationes esse implendum; ut scil. « homines postulando mereantur accipere quod eis Deus omnipotens ante saecula disposuit donare », ut Gregorius dicit (Dialogorum lib. I, c. 8).

NOTANDUM: Deus nobis multa praestat ex sua liberalitate, etiam non petita; sed quod aliqua vult praestare nobis petentibus, hoc est propter nostram utilitatem; ut scil. fiduciam quamdam accipiamus recurrendi ad Deum, et ut recognoscamus eum esse honorum nostrorum auctorem. (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum oratio sit actus religionis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia per orationem homo Deo reverentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subicit, et profitetur orando se eo indigere sicut auctore suorum bonorum. Unde manifestum est quod oratio est proprie religionis actus, per quam religio intellectum hominis in Deum movet (Ad 1m).

Art. IV. – *Utrum solus Deus debeat orari.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) soli Deo orationem

* Haec autem omnia improbata sunt in Parte Prima, q. xix, a. 7 et 8, et q. xxii, art. 2 et 4, et q. cxv, art. 6, et q. cxvi.

porrigimus ut ipse eam adimpleat; b) sanctis angelis et hominibus per modum impetrationis.

R. PRIMI EST: quia omnes orationes nostrae ordinari debent ad gratiam et gloriam consequendam, quae solus Deus dat, secundum illud Ps. lxxxiii, 12: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.*

R. SECUNDI EST: quia sanctorum meritis et precibus apud Deum nostrae orationes effectum sortiuntur, secundum illud Apoc. viii, 4: *Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo.* Et hoc etiam patet ex praxi Ecclesiae.

NOTANDUM: Beati ea cognoscunt in Verbo quae illis petimus voce vel corde, secundum quod eos decet cognoscere (Ad 2m). – Animae autem quae sunt in purgatorio nondum visione Verbi fruuntur, ut possint cognoscere ea quae nos cogitamus vel dicimus, et ideo eorum suffragia non imploramus orando (Ad 3m).

Art. V. – *Utrum in oratione debeamus aliquid determinate a Deo petere.*

RESP. AFF. – R. quia sunt quaedam bona quibus homo male uti non potest, quae scilicet malum eventum habere non possunt; haec autem sunt quibus beatificamur, et quibus beatitudinem meremur: quae quidem sancti orando absolute petunt, secundum illud Ps. lxxix, 4: *Ostende faciem tuam, et salvi erimus.* – Quantum autem ad alia Spiritus Sanctus adjuvat infirmitatem nostram et inspirando nobis sancta desideria, recte postulare nos facit (Rom. viii, 26). – (Ad 1m).

Art. VI. – *Utrum homo debeat temporalia petere a Deo orando.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non principaliter, sed sicut adminicula quaedam, quibus adjuvamus ad tendendum in beatitudinem.

R. EST: quia per temporalia bona vita corporalis sustentatur, et ipsa nobis organice deseruiunt ad actus virtutum.

NOTANDUM: Quando mens nostra intendit temporalibus rebus, ut in eis quiescat, remanet in eis depressa; sed quando intendit eis in ordine ad beatitudinem consequendam, non ab eis deprimitur, sed magis elevatur sursum (Ad 3m).

Art. VII. – *Utrum debeamus pro aliis orare.*

RESP. AFF. – *Scil.*: ratione charitatis.

R. EST: quia illud debemus orando petere quod debemus desiderare. Desiderare autem debemus bona non solum nobis, sed etiam aliis; hoc enim pertinet ad rationem dilectionis, quam proximis debemus impendere (qu. xxv et xxvi).

Art. VIII. – *Utrum debeamus pro inimicis orare.*

RESP. AFF. – *Scil.*: eo modo quo debemus et eos diligere.

R. EST: quia orare pro aliis charitatis est (art. praec.). – Unde necessitatis est ut in communibus nostris orationibus, quas pro aliis facimus, inimicos non excludamus. Quod autem pro eis specialiter oremus, perfectionis est, non necessitatis, nisi in aliquo casu speciali, scil. si inimicus sit in articulo necessitatis, aut si veniam petat.

NOTANDUM: Circa imprecationes quae in sacra Scriptura contra inimicos ponuntur, dicendum est quod hae intelligi possunt quadrupliciter: primo, secundum quod prophetae solent «in figura imprecantis futura praedicere»; secundo, prout quaedam temporalia mala peccatoribus quandoque a Deo in correctionem mittuntur; tertio, quia intelliguntur petere non contra ipsos homines, sed contra regnum peccati; quarto, conformando voluntatem suam divinae justitiae, circa damnationem perseverantium in peccato (Ad 1m).

Art. IX. - *Utrum convenienter septem petitiones orationis dominicae assignentur.*

RESP. AFF. - *Scil.* : oratio dominica perfectissima est.

R. EST: quia in oratione dominica non solum petuntur omnia quae recte desiderare possumus, sed etiam eo ordine quo desideranda sunt; ut sic haec oratio non solum instruat postulare, sed etiam sit informativa totius nostri affectus. - Sic, in prima petitione: *Sanctificetur nomen tuum*, volumus gloriam Dei, quae est finis noster ultimus ex parte Dei. In secunda: *Adveniat regnum tuum*, petimus ut in ipsum finem perveniamus. Circa ea autem quae sunt ad finem, primo petimus quod principaliter et per se ad beatitudinem ducit: *Fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra*; secundo, quod instrumentaliter nos adjuvat ad merendum: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: sive hoc intelligatur de pane sacramentali, cujus quotidianus usus proficit homini, in quo intelliguntur etiam omnia alia sacramenta; sive etiam intelligatur de pane corporali, ut per panem intelligatur omnis sufficientia victus. Deinde petimus alia quibus per accidens in beatitudinem ordinamur, scil. per remotionem prohibentis, secundum tria; a) ut *dimittantur nobis debita nostra*; b) ut a tentatione non vincamur: *Et ne nos inducas in tentationem*; c) ut liberemur a malo, scil. a poenaltate praesentis vitae, ut quae impedit sufficientiam vitae: *Libera nos a malo*.

NOTANDUM: Oratio non porrigitur Deo ut ipsum flectamus, sed ut in nobis ipsis fiduciam excitemus postulandi; quae quidem praecipue excitatur in nobis considerando ejus charitatem ad nos, qua bonum nostrum vult; et ideo dicimus: *Pater*

noster: et ejus excellentiam, qua potest; et ideo dicimus: *Qui es in caelis* (ad 5m).*

Art. X. – *Utrum orare sit proprium rationalis creaturae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia orare est actus rationis, per quem aliquis superiorem deprecatur. Hoc autem proprie rationalis creaturae est, scilicet hominibus et angelis; angeli enim quandoque sub creaturis rationabilibus comprehenduntur (Ad 2m).

* St. Augustinus (De sermone Domini in monte. lib. ii, cap. 11), sic comparat petitiones septem donis et beatitudinibus:

PETITIONES :

- I. Sanctificetur nom. tuum.
- II. Adveniat regnum tuum.
- III. Fiat voluntas tua.
- IV. Panem nostrum quotidianum da nobis.
- V. Dimitte nobis debita nostra.
- VI. Et ne nos inducas in tentationem.
- VII. Libera nos a malo.

DONA CORRESPONDENTIA PETITIONIBUS :

- I. Timor Domini
- II. Pietas
- III. Scientia
- IV. Fortitudo
- V. Consillium
- VI. Intellectus
- VII. Sapientia

BEATITUDINES CORRESPONDENTES PETITIONIBUS

ET DONIS :

- I. Beati pauperes spiritu...
- II. Beati mites...
- III. Beati qui lugent...
- IV. Beati qui esuriunt...
- V. Beati misericordes...
- VI. Beati mundo corde...
- VII. Beati pacifici...

(Ad 3m).

Art. XI. – *Utrum sancti qui sunt in patria, orent pro nobis.*

RESP. AFF. – *Scil.:* melius pro nobis orant cum sint in patria, quam cum in corpore sunt constituti.

R. EST: quia oratio pro aliis ex charitate provenit (art. 7 et 8 hujus quaes.). Sancti autem qui sunt in patria, sunt perfectioris charitatis, et Deo conjunctiores. Unde magis viatoribus juvari possunt orationibus. Et hoc secundum divinum ordinem est, qui ex superiorum excellentia, in inferiora refundatur.

NOTANDUM: Orationes sanctorum, qui in patria sunt, habent efficaciam impetrandi ex praecedentibus eorum meritis, et ex divina acceptatione (Ad 1m). Unde hoc petunt quod aestimant eorum orationibus implendum secundum Dei voluntatem (Ad 2m). – Quantum ad animas in purgatorio existentes, inquantum sunt in statu poenae, sunt nobis inferiores, et secundum hoc non sunt in statu orandi, sed magis ut oretur pro eis (Ad 3m).

Art. XII. – *Utrum oratio debeat esse vocalis.*

RESP. AFF. – *Scil.:* cum oratio communis, sive publica; tum aliquando oratio singularis, seu privata.

R. PRIMI EST: quia oratio communis, quae per ministros Ecclesiae in persona totius fidelis populi Deo offertur, oportet quod innotescat toti populo, pro quo profertur; quod non posset fieri, nisi esset vocalis.

R. SECUNDI EST: a) quia aliquando per exteriora signa sive vocum, sive etiam aliquorum factorum movetur mens hominis secundum apprehensionem, et per consequens secundum affectionem; b) ut sic homo Deo serviat secundum illud totum quod ex Deo habet, id est, non solum mente, sed etiam corpore; quod praecipue com-

petit orationi, secundum quod est satisfactoria; c) propter quamdam redundantiam ab anima in corpus, ex vehementi affectione, secundum illud Ps. xv, 9: *Laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea.*

Art. XIII. - *Utrum de necessitate orationis sit quod sit attentata.*

RESP. NEG. - *Scil. :* a) ad rationem meriti non ex necessitate requiritur quod attentio adsit orationi per totum; b) etiam ad aliquid impetrandum sufficit prima intentio; c) ad refecionem mentis autem de necessitate requiritur attentio, scil. actualis.

R. PRIMI EST: quia vis primae intentionis, qua aliquis ad orandum accedit, reddit totam orationem meritoriam, sicut in aliis meritoriis actibus accidit. (Haec autem intentio *virtualis* dicitur.)

R. SECUNDI EST: quia hanc primam intentionem Deus principaliter intendit.

R. TERTII EST: quia ut dicitur, I. Cor. xiv, 14, *Si orem lingua, mens mea sine fructu est.* ¶

NOTANDA: 1. Triplex est attentio, quae orationi vocali adhiberi potest: una quidem, qua attenditur ad verba ne aliquis in eis erret (*attentio superficialis*); altera, qua attenditur ad sensum verborum (*attentio litteralis*); tertia, qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, et ad rem pro qua oratur; quae quidem est maxime necessaria, et hanc possunt habere etiam idiotae (*attentio spiritualis*). - (In fine art.)

2. Mens humana propter infirmitatem naturae diu stare in alto non potest; pondere enim infirmitatis humanae deprimitur anima ad inferiora; et ideo contingit quod quando mens orantis ascendit in Deum per contemplationem, subito evagetur ex quadam infirmitate (Ad 2m). - Si quis vero ex proposito in oratione mente evagetur, hoc peccatum est, et impedit orationis fructum (Ad 3m).

Art. XIV. - *Utrum oratio debeat esse diuturna.*

RESP. AFF. - *Scil.* : a) secundum causam suam oratio debet esse continua et sine intermissione; b) secundum seipsam oratio non potest esse assidua, i. e. continua.

R. PRIMI EST: quia causa orationis est desiderium charitatis, quod in nobis debet esse continuum, vel actu vel virtute; omnia autem debemus in gloriam Dei facere (I. Cor. x).

R. SECUNDI EST: quia oportet aliis operibus occupari.

NOTANDA: 1. Uniuscujusque rei quantitas debet esse proportionata fini, sicut quantitas portionis sanitati. Unde et conveniens est ut oratio tantum duret, quantum est utile ad excitandum interioris desiderii fervorem. Cum vero hanc mensuram excedit, ita quod sine taedio durare non possit, non est ulterius oratio protendenda, sive oratio singularis seu privata, sive communis seu publica. (In corp. art.).

2. Notanda sunt haec verba S. Aug. (Ad Probam, c. 10): « Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat intentio. Nam multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis; multum autem precari, est ad eum quem precamur, diuturna et pia cordis excitatione pulsare. Plerumque autem hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu quam affatu ». (Ad 1m).

3. Aliquis continue orare dicitur his modis: a) propter continuationem desiderii, ut dictum est supra; b) cum non intermittat quin temporibus statutis oret; c) propter effectum in ipso orante, qui etiam post orationem remanet magis devotus; d) cum aliquis suis beneficiis provocat alium ut pro se oret, etiam quando ipse ab orando cessat et quiescit (Ad 4m).

Art. XV. - *Utrum oratio sit meritoria.*

RESP. AFF. - *Scil.* : inquantum procedat ex radice charitatis.

R. EST: quia bonum aeternum, cujus fruitio-
nem actibus virtutum meremur, est objectum
charitatis.

NOTANDA: 1. Oratio procedit a charitate me-
diante religione, cujus est actus oratio, concomi-
tantibus etiam quibusdam aliis virtutibus, scilicet
humilitate et fide. Fides est necessaria ex parte
Dei, ut scilicet credamus ab eo nos posse obtinere
quod petimus. Humilitas autem est necessaria ex
parte ipsius petentis, qui suam indigentiam reco-
gnoscit. Est etiam et devotio necessaria; sed haec
ad religionem pertinet, cujus est primus actus ne-
cessarius ad omnes consequentes. Efficaciam autem
impetrandi habet (oratio) ex gratia Dei, quem
oramus; qui etiam nos ad orationem inducit (In
corp., art.).

2. Oratio, quae impetrat gratiam gratum fa-
cientem, procedit ex aliqua gratia (scil. actuali),
quasi ex gratuito dono; quia ipsum *orare* est quod-
dam donum Dei (Ad 1m).

3. Si id quod petitur sit utile ad beatitudinem
hominis, quasi pertinens ad ejus salutem, meretur
illud non solum orando, sed etiam alia bona opera
faciendo; et ideo indubitanter accipit quod petit,
sed quando debet accipere. Quod tamen potest
impediri, si in petendo non perseveret. Et ideo
ponuntur quatuor conditiones, quibus concurren-
tibus semper aliquis impetrat quod petit: ut scil.
pro se petat, necessaria ad salutem, pie, et perse-
veranter (Ad 2m). - Secundum hoc homo per ora-
tionem potest mereri et quidem de condigno vi-
tam aeternam, et augmentum gratiae sanctifi-
cantis (passim *ibid.*).

Art. XVI. - *Utrum peccatores orando impetrent
aliquid a Deo.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) Deus peccatores, in-
quantum tales, non audit ex misericordia, sed
quandoque ad vindictam; b) orationem autem
peccatoris audit, ex bono naturae desiderio pro-
cedentem, non quidem ex justitia, sed ex pura
misericordia.

R. PRIMI EST: quia potest Deus iratus permittere peccatorem adhuc amplius ruere in peccata secundum desiderium ipsius peccatoris.

R. SECUNDI EST: quia naturam Deus diligit, culpam autem odio habet.

NOTANDUM: Quamvis oratio peccatoris non sit meritoria, potest tamen esse impetrativa, quia meritum innititur justitiae, sed impetratio innititur gratiae (Ad 2m).

Art. XVII. - *Utrum convenienter dicantur esse orationis partes, obsecrationes, orationes, postulationes et gratiarum actiones.*

RESP. AFF. - R. EST: quia tria requiruntur ad orationem communiter dictam, quarum una duas partes habet. Requiritur enim primo, ut orans accedat ad Deum: oratio enim est « ascensus intellectus seu mentis ad Deum »; et haec pars dicitur *oratio*. Secundo requiritur petitio, quae si est determinata dicitur *postulatio*, si autem indeterminata dicitur *supplicatio*; si vero solum factum narretur in oratione dicitur *insinuatio*; et haec pertinet ad aliam partem orationis. Tertio requiritur ratio impetrandi; quae ex parte Dei est ejus sanctitas, et ad hoc pertinet *obsecratio*, quae est per sacra contestatio, sicut cum dicimus: *Per nativitatem tuam, libera nos, Domine*. Ex parte autem nostra requiritur *gratiarum actio*, quia de acceptis beneficiis gratias agentes, meremur accipere potiora. Haec quatuor attendi possunt in pluribus Ecclesiae collectis. Sic, e. g., in collecta festi SS. mae Trinitatis, quod dicitur: *Omnipotens sempiternae Deus*, pertinet ad orationem ascensum in Deum; quod dicitur: *Qui dedisti famulis tuis*, etc., pertinet ad gratiarum actionem; quod dicitur: *Praesta quaesumus*, etc., pertinet ad postulationem; quod in fine ponitur: *Per Dominum nostrum*, etc., pertinet ad obsecrationem.

QUAESTIO LXXXIV

De exterioribus actibus latriae

Postea considerandum est de exterioribus actibus latriae, et primo de adoratione, per quam aliquis suum corpus ad Deum venerandum exhibet; secundo de illis actibus quibus aliquid de rebus exterioribus Deo offertur; tertio de actibus quibus ea quae Dei sunt, assumuntur. Circa primum quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum adoratio sit actus latriae sive religionis.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia adoratio ordinatur in reverentiam ejus qui adoratur. Reverentiam autem Deo exhibere est proprium religionis seu latriae.

NOTANDUM: (Triplicem distinguunt theologi adorationem: prima quae est excellentiae divinae, et dicitur *latria*; secunda quae est excellentiae creatae supernaturalis, et vocatur *dulia*; tertia quae est excellentiae creatae naturalis, et dicitur *cultus* sive civilis sive religiosus).

Art. II. – *Utrum adoratio importet actum corporalem.*

RESP. AFF. – *Scil.:* inquantum id quod latriae exterius est, referatur ad id quod est interius et principalius.

R. EST: quia cum ex duplici natura compositi sumus, intellectuali scilicet et sensibili, duplicem adorationem Deo offerimus; scilicet spiritualementem, quae consistit in interiori mentis devotione; et corporalem, quae consistit in exteriori corporis humiliatione.

Art. III. – *Utrum adoratio requirat determinatum locum.*

RESP. AFF. – *Scil.:* non propter adorationem mentis; sed propter adorationem corporalem.

R. EST: quia mens Deum apprehendit quasi non comprehensum aliquo loco; tamen corporalia signa necesse est quod in determinato loco et situ sint.

NOTANDUM: Determinatus locus eligitur ad adorandum propter tria: primo quidem propter loci consecrationem, ex qua specialem devotionem concipiunt orantes; secundo, propter sacra mysteria et alia sanctitatis signa quae ibi continentur; tertio, propter concursum multorum adorantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis, secundum illud Mt. xviii, 20: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum.* (Ad 2m).

QUAESTIO LXXXV

De his quae Deo a fidelibus dantur, et primo de sacrificio

Postea considerandum est de actibus quibus aliquae res exteriores Deo offeruntur. Circa quos occurrit triplex consideratio: primo quidem de his quae Deo a fidelibus dantur; secundo de votis, quibus et aliqua promittuntur. Circa primum considerandum est de sacrificiis, oblationibus, primitiis et decimis. Circa sacrificia quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum offerre sacrificium Deo sit de lege naturae.*

RESP. AFF. - *Scil.:* in quantum ad rationem sacrificii pertinet Deo aliqua sensibilia offerre in signum debitae subjectionis et honoris.

R. EST: quia sicut in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus subduntur, ita etiam naturalis ratio dictat homini secundum naturalem inclinationem, ut ei quod est supra hominem, i. e. Deo, subjectionem et honorem exhibeat secundum suum modum, scil. ut sensibilibus signis utatur ad hoc exprimendum.

NOTANDUM: Oblatio sacrificii in communi est de lege naturali; sed determinatio sacrificiorum est ex institutione humana vel divina (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum soli Deo sit sacrificium offerendum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sacrificium quod exterius offertur, interius sacrificium spirituale significat, quo anima seipsam Deo offert. Anima autem se offert Deo in sacrificium, sicut principio creationis, et sicut fini suae beatificationis, et haec soli Deo competunt (I P., q. cxviii, art. 2, et I-II, qu. ii et iii).

Art. III. – *Utrum oblatio sacrificii sit specialis actus virtutis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia oblatio sacrificii fit in specialem finem, scil. in divinam reverentiam; unde ad determinatam virtutem pertinet, scil. ad religionem.

NOTANDUM: Quidam actus, qui in divinam reverentiam ordinantur, puta cum aliquis eleemosynam facit, vel cum aliquis proprium corpus alicui afflictioni subijcit, sacrificia dicuntur; sed proprie sacrificia dicuntur illi actus religionis virtutis qui non habent ex alio laudem, nisi quia fiunt propter reverentiam divinam (In corp. art.).

Art. IV. – *Utrum omnes teneantur ad sacrificia offerenda.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) ad sacrificium interius, quod est primum et principale, omnes tenentur. Circa sacrificium exterius, distinguendum est: b) quantum ad protestationem divinae subjectio- nis, non omnes eodem modo tenentur; c) quantum ad actus exteriores aliarum virtutum in divinam reverentiam, non omnes tenentur.

R. PRIMI EST: quia omnes tenentur Deo devo- tam mentem offerre.

R. SECUNDI EST: quia ad hoc aliter tenentur illi qui sunt sub lege nova, vel veteri; aliter illi qui non sunt sub lege. Nam illi qui sunt sub lege, tenentur ad determinata sacrificia offerenda secundum legis praecepta; illi vero qui non erant sub lege, tenebantur ad aliqua exterius facienda in honorem divinum, secundum condecenciam ad eos inter quos habitabant, non autem determinate ad haec, vel ad illa.

R. TERTII EST: quia horum actuum quidam cadunt sub praecepto, quidam vero sunt superelevationis.

QUAESTIO LXXXVI

De oblationibus et primitiis

Postea considerandum est de oblationibus et primitiis; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum homines teneantur ad oblationes ex necessitate praecepti.*

RESP. AFF. – *Scil.:* in quatuor casibus.

R. EST: quia tenetur aliquis: a) ex praecedenti conventionem; sicut cum alicui conceditur aliquis fundus Ecclesiae, ut certis temporibus certas oblationes faciat, quod tamen habet rationem census (seu annui redditus, vel tributis); b) propter praecedentem deputationem, sive promissionem; sicut cum aliquis offert donationem inter vivos, vel cum relinquit in testamento Ecclesiae aliquam rem mobilem vel immobilem in posterum solvendam; c) propter Ecclesiae necessitatem, puta si ministri Ecclesiae non haberent unde sustentarentur; d) propter consuetudinem; tenentur enim fideles in aliquibus solemnitatibus ad aliquas oblationes consuetas. Tamen in his duobus ultimis casibus remanet oblatio quodammodo

voluntaria; scilicet quantum ad quantitatem vel speciem rei oblatae.

Art. II. - *Utrum solum sacerdotibus debeantur oblationes.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia soli sacerdotes sunt constituti sequestres et medii inter populum et Deum, sicut de Moyse legitur (Deut. V).

NOTANDUM: Expendendae sunt oblationes partim in his quae pertinent ad cultum divinum, partim in his quae pertinent ad proprium victum (sacerdotum), partim etiam in usus pauperum (In fine art.). - Oblationes autem postquam fuerint consecratae, non possunt cedere in usum laicorum; sicut vasa et vestimenta sacra (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum homo possit oblationes facere de omnibus rebus licite possessis.*

RESP. AFF. - *Scil.:* quantum res sunt de se.

R. EST: quia in lege nova omnis creatura Dei reputatur munda (Tit. i); et ideo quantum est de se, de quolibet licite possessio potest oblatio fieri. - Per accidens tamen contingit quod de aliquo licite possessio oblatio fieri non potest; puta si vergat in detrimentum alterius; ut si filius aliquis offerat Deo id unde debet patrem nutrire; vel propter scandalum, vel propter contemptum, vel aliquid aliud hujusmodi.

NOTANDUM: De injuste acquisitis et possessis non potest oblatio fieri; quia ut dicitur (Eccli. xxxiv, 21): *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.*

Art. IV. - *Utrum ad primitias solvendas homines teneantur.**

RESP. AFF. - **R. EST:** quia ad jus naturale pertinet ut homo ex rebus sibi datis a Deo aliquid

* Primitiae sunt primi fructus cujusque generis ex terra nascentis, qui Deo offeruntur in recognitionem quod ab eo fructus terrae nobis proveniant.

exhibeat ad ejus honorem. Quod autem talibus personis exhibeatur, aut de primis fructibus, aut in tali quantitate, hoc fuit in veteri lege jure divino determinatum; in nova autem lege definitur per determinationem Ecclesiae, ex qua homines obligantur ut primitias solvant secundum consuetudinem patriae, et indigentiam ministrorum Ecclesiae. - Tamen primitiae dantur per modum oblationis; de cujus ratione est quod sit voluntaria (Ad 3m).

QUAESTIO LXXXVII

De decimis

Postea considerandum est de decimis; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum homines teneantur dare decimas ex necessitate praecepti.*

RESP. AFF. - *Scil.:* partim ex jure naturali, partim ex institutione Ecclesiae.

R. EST: quia quod eis qui divino cultui ministrant ad salutem totius populi, populus necessaria victus ministraret, ratio naturalis dictat; sicut et his qui communi utilitati invigilant, scilicet principibus et militibus, et aliis hujusmodi, stipendia victus debentur a populo. Tamen determinatio certae partis exhibendae ministris divini cultus non est de jure naturali, sed est introducta institutione divina, ut, Malach. iii, 10, dicitur: *Inferite omnem decimationem in horreum meum, ut sit cibus in domo mea.* Hanc autem praxim Ecclesia conservat. *

* Sic Codex Juris Canonici, habet (can. 1502): « Ad decimarum et primitiarum solutionem quod attinet, peculiaria statuta ac laudabiles consuetudines in una quaque regione servantur ».

NOTANDUM: Laudabiliter ministri Ecclesiae decimas Ecclesiae non requirunt, ubi sine scandalo requiri non possent propter dissuetudinem vel propter aliquam aliam causam. Nec tamen sunt in statu damnationis qui non solvunt in locis illis in quibus Ecclesia non petit; nisi forte propter obstinationem animi, habentes voluntatem non solvendi, etiamsi si ab eis peterentur (Ad 5m).

Art. II. - *Utrum de omnibus teneantur homines decimas dare.*

RESP. AFF. - R. EST: quia radix solutionis decimarum est debitum, quo seminantibus spiritualia debentur carnalia, secundum illud Apostoli (I. Cor. ix, 11): *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus?* Omnia autem quaecumque homo possidet, sub carnalibus continentur; et ideo de omnibus possessis decimae sunt solvendae, scilicet secundum consuetudinem patriae, et indigentiam ministrorum, praesertim in lege nova ubi arctius ministris interdicitur ne se ingerant negotiis lucrativis (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum decimae sint clericis dandae.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Decimae, ut tales, solis clericis sunt dandae.

R. EST: quia jus accipiendi decimas spirituale est, ut supra dictum est.

NOTANDUM: In veteri lege speciales quaedam decimae deputabantur subventioni pauperum. Sed in nova lege decimae dantur clericis, non solum propter sui sustentationem, sed etiam ut ex eis subveniant pauperibus. Et ideo non superfluent, sed ad hoc necessariae sunt possessiones ecclesiasticae, et oblationes, et primitiae simul cum decimis (Ad 1m).

Art. IV. – *Utrum etiam clerici teneantur decimas dare.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Clerici in quantum tales, i. e., in quantum habent ecclesiasticas possessiones, decimas solvere non tenentur; ex alia vero causa, scilicet propter hoc quod possident proprio jure, sunt ad decimas solvendas obligati.

R. EST: quia ex diversis causis contingit et respectu diversorum, eundem esse dantem et recipientem, sicut agentem et patientem.

QUAESTIO LXXXVIII

De voto, per quod aliquid Deo promittitur

Deinde considerandum est de voto, per quod aliquid Deo promittitur; et circa hoc quaeruntur duodecim:

Art. I. – *Utrum votum consistat in solo proposito voluntatis.*

RESP. NEG. – R. EST: quia votum * importat quamdam obligationem ad aliquid faciendum vel dimittendum; propositum autem voluntatis de se talem obligationem non importat, sed in super requiritur promissio. Unde tria ex necessitate requiruntur ad votum: primo quidem deliberatio; secundo propositum voluntatis; tertio promissio, in qua perficitur ratio voti. Quandoque alia duo superadduntur ad confirmationem voti, scilicet pronuntiatio oris, et testimonium aliorum.

* Votum theologi definiunt: *Promissio deliberata Deo facta de meliori bono* (i. e., secundum S. Thomam, *de bono perfectiori quam commune*. Art. II).

Art. II. – *Utrum votum semper debeat fieri de meliori bono.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Votum propriissime est de bono meliori illo quod communiter est de necessitate salutis.

R. EST: quia propriissime illud cadit sub voto quod est omnino voluntarium: promissio enim est alicujus quod quis pro aliquo voluntarie facit. Unde quod absolute necessarium est, vel non est, non cadit sub voto. Illud autem quod necessitatem finis habet, puta sine quo non potest esse salus, cadit quidem sub voto, inquantum voluntarie fit, non autem inquantum est necessitatis; unde hoc non propriissime cadit sub voto. – Similiter vana esset promissio, si quis alicui promitteret id quod ei non esset acceptum. Consequens est quod de nullo illicito nec de aliquo indifferenti debeat fieri votum, sed solum de aliquo actu virtutis Deo accepto.

Art. III. – *Utrum omne votum obliget ad sui observationem.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ad fidelitatem hominis pertinet ut solvat id quod promittit. Homo autem fidelitatem Deo maxime debet. Et ideo maxime obligatur homo ad hoc quod impleat vota Deo facta. Quod si illud quod quis vovit impossibile reddatur, debet hoc facere quod in se est, ut saltem habeat promptam voluntatem faciendi quod potest.

Art. IV. – *Utrum expediat aliquid vovere.*

RESP. AFF. – R. EST: quia promissionem quam Deo facimus, non propter Dei utilitatem facimus, sed propter nostram; quod enim Deo redditur, reddenti additur, ut Augustinus dicitur (In Epis. ad Armentarium et Paulinam). – Item, vovendo

voluntatem nostram immobiliter firmamus ad id quod expedit facere.

NOTANDUM: Necessitas voti similitudinem habet cum confirmatione beatorum, quae non diminuit, se magis perficit libertatem. Unde Augustinus (l. c.) dicit: quod « felix necessitas est quae in meliora compellit » (Ad 1m).

Art. V. - *Utrum votum sit actus latriae, sive religionis.*

RESP. AFF. - *Scil.:* per modum imperii.

R. EST: quia votum est ordinatio quaedam eorum quae quis vovet in divinum cultum seu obsequium.

NOTANDUM: Votum soli Deo fit; sed promissio etiam potest fieri homini; et ipsa promissio boni quae fit homini, potest cadere sub voto, in quantum est quoddam opus virtuosum. Et per hunc modum intelligendum est votum quo quis vovet aliquid sanctis, vel praelatis; ut ipsa promissio facta sanctis vel praelatis cadat sub voto materialiter, in quantum scilicet homo vovit Deo, se impleturum quod sanctis vel praelatis promittit (Ad 3m).

Art. VI. - *Utrum magis sit laudabile et meritorium facere aliquid ex voto, quam sine voto.*

RESP. AFF. - *Scil.:* ex triplici ratione.

PRIMA R. EST: quia opus nobilioris virtutis melius est et magis meritorium. Quae autem ex voto fiunt ad latriam pertinent, ut dictum est (art. praec.). Sic, v. g., jejunare, quod est actus abstinentiae, et continere, quod est actus castitatis, sunt meliora et magis meritoria, si fiant ex voto; quia sic jam pertinent ad divinum cultum, quasi quaedam Dei sacrificia.

SECUNDA R. EST: quia ille qui vovet aliquid, et facit, plus se Deo subjicit, quam ille qui solum facit: subjicit enim se Deo non solum quantum

ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quia de caetero non potest aliud facere; sicut plus daret homini qui daret ei arborem cum fructibus, quam qui daret ei fructus tantum.

TERTIA R. EST: quia per votum immobiliter voluntas firmatur in bonum. Facere autem aliquid ex voluntate firmata in bonum, pertinet ad perfectionem virtutis; sicut peccare ex obstinatione magis aggravat peccatum.

NOTANDUM: Necessitas voluntati contraria, seu coactionis, tristitiam causat; sed necessitas voti in his qui sunt bene dispositi, inquantum voluntatem confirmat, non causat tristitiam, sed gaudium. Si tamen ipsum opus secundum se consideretur, e. g. jejunium, triste et involuntarium redderetur post votum, dum tamen remaneat voluntas votum implendi, adhuc est magis meritorium, quam si fieret sine voto: quia impletio voti est actus religionis, quae est potior virtus quam abstinencia, cujus actus est jejunare (Ad 2m).

Art. VII. - *Utrum votum solemnizetur per susceptionem sacri ordinis, et per professionem ad certam regulam.*

RESP. AFF. - R. EST: quia solemnitates (quae in quodam apparatu consistunt, ut patet in solemnitate novae militiae, vel in solemnitate nuptiarum, etc.), non consueverunt adhiberi, nisi quando aliquis totaliter mancipatur alicui rei. Per susceptionem autem sacri ordinis aliquis totaliter mancipatur divino ministerio; et per professionem certae regulae aliquis, per abrenuntiationem saeculi et propriae voluntatis, statum perfectionis assumit.

NOTANDUM: Vota, ex hoc quod fiant in publico, possunt habere quamdam solemnitatem humanam, non autem solemnitatem spiritualem et divinam, sicut habent vota praemissa, etiamsi coram paucis fiant. Unde aliud est votum esse publicum, aliud esse solemne (Ad 3m).

Art. VIII. – *Utrum illi qui sunt alterius potestati subjecti, impediuntur a votendo.*

RESP. AFF. – *Scil.* : in quantum ad id in quo sunt subjecti.

R. EST: quia quicumque est subjectus alicui, quantum ad id in quo est subjectus, non est suae potestatis facere quod vult, sed dependet ex voluntate alterius. Nec virtuosum esset si quis id quod est alterius Deo offerat (Ad 1m).

Art. IX. – *Utrum pueri possint voto se obligare ad religionis ingressum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : a) si puer vel puella ante pubertatis annos nondum habeat usum rationis, nullo modo potest se ad aliquid voto obligare; b) si vero ante pubertatis annos attingit usum rationis, potest quidem (quantum in ipso est) se obligare; sed votum ejus potest irritari per parentes; c) ante annos pubertatis nullo modo potest obligari voto solemni religionis, etiamsi si habeat usum rationis et sit doli capax.

R. PRIMI patet.

R. SECUNDI EST: quia pueri ante annos pubertatis sunt, secundum legem humanam, quae ad id respicit quod in pluribus accidit, semper subditi parentibus.

R. TERTII EST: quia statutum Ecclesiae hoc prohibet. – Post annos autem pubertatis possunt jam se pueri voto religionis obligare, vel simplici vel solemni, absque voluntate parentum.

Art. X. – *Utrum possit in voto dispensari.*

RESP. AFF. – *Scil.* : ad modum dispensationis quae fit in observantia alicujus legis (I-II, qu. xc, art. 2).

R. EST: quia illi qui vovet quodammodo sibi statuit legem, obligans se ad aliquid quod est secundum se, et, ut in pluribus, bonum. Consequenter, si contingat quod in aliquo casu sit vel simpliciter malum, vel inutile, vel majoris boni impeditivum, necesse est quod determinetur votum non esse servendum, vel in aliud commutandum: utrumque tamen in potestate Ecclesiae consistit.

Art. XI. - *Utrum in voto sollemni continentiae possit fieri dispensatio.*

RESP. NEG. - *Scil.* : in voto sollemni continentiae statui religionis annexo, non potest fieri dispensatio; in voto continentiae ordini sacro annexo potest per Ecclesiam dispensari.

R. EST: quia in primo casu votum est essentialiter annexum statui religionis; castitas enim est annexa regulae monachali. Unde, sicut id quod est Deo consecratum, puta calix, non potest, si maneat integer, suam consecrationem amittere; ita homo Deo consecratus, quamdiu vivit, nunquam consecratus esse desinit. Unde Papa non potest facere quod ille qui est professus religionem, non sit religiosus *. In alio casu autem votum sollemne continentiae non est essentialiter annexum ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiae: unde videtur quod per Ecclesiam dispensari possit.

NOTANDA: 1. Quod in voto continentiae per professionem solemnizzato non potest dispensari,

* S. Thomas, in Sent. iv, dist. 38, qu. i, art. 4 ad 4m, sententiam huic contrariam docuit, quam ut probabiliorem docent S. Alphonsus cum Cajetano, Salmanticenses, Scotus, S. Antoninus, Suares, Lessius, Sanchez et multi alii. - Quod autem de vita monachali hic dicitur videtur sensum habere quod Papa non possit dispensare ut monachus simul sit conjugatus et manere monachus.

hoc non est in quantum est actus castitatis, sed in quantum incipit ad latrām pertinere per professionem religionis (Ad 2m).

2. Quia coitus non ordinatur directe ad conservationem personae, sed ad conservationem speciei, abstinētia coitus per continentiam non vergit in periculum personae, sicut abstinētia cibi aliquando vergere potest. Unde non est similis ratio de dispensatione in voto abstinētiaē, et in voto continentiaē. Si autem per accidens ex continentia aliquid periculum personale accidat, potest aliter (quam per coitum) subveniri, scilicet per abstinētiaē, vel alia corporalia remedia (Ad 3m).

3. Religiosus qui fit episcopus, sicut non absolvitur a voto continentiaē, ita nec a voto paupertatis; quia nihil debet habere tanquam proprium, sed sicut dispensator communium bonorum Ecclesiae: similiter etiam non absolvitur a voto obedientiaē, sed per accidens obedire non tenetur, si superiorem non habeat (Ad 4m).

Art. XII. – *Utrum ad commutationem vel dispensationem voti requiratur praelati * auctoritas.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia votum est promissio Deo facta de aliquo quod sit Deo acceptum. Praelatus autem in Ecclesia gerit vicem Dei. Et ideo in commutatione vel dispensatione votorum requiritur praelati auctoritas, qui in persona Dei determinat quid sit Deo acceptum.

NOTANDUM: Homo in religionem ingrediens non tenetur implere vota quae existens in saeculo fecit; quia religionem ingrediens moritur priori vitae, et totam suam novam vitam Dei obsequio deputat. Religionis enim onus satis hominem onerat, ut alia superaddere non oporteat (Ad 1m).

* Praelatus hic intelligitur qui habet spiritualem jurisdictionem fori exterioris in subditos: cujusmodi sunt episcopi, et alii praelati episcopis inferiores qui jurisdictionem quasi episcopalem habent in suos religiosos, si sint exempti.

QUAESTIO LXXXIX

De juramento

Deinde considerandum est de actibus exterioribus patriae, quibus aliquid divinum ab hominibus assumitur, quod est vel sacramentum aliquod, vel ipsum nomen divinum. Sed de sacramenti assumptione locus erit tractandi in tertia hujus operis parte; de assumptione autem nominis divini nunc agendum est. Assumitur autem divinum nomen ab homine tripliciter: uno modo per modum iuramenti ad propria verba confirmanda; alio modo per modum adjurationis ad alios inducendos; tertio modo per modum invocationis ad orandum, vel laudandum. Primo ergo de juramento agendum est; circa quod quaeruntur decem:

Art. I. - *Utrum jurare sit testem Deum invocare.*

RESP. AFF. - R. EST: quia quasi pro jure introductum est, ut quod sub invocatione divini testimonii dicitur, pro vero habeatur. Et ideo jurare est Deum in testem invocare, in confirmationem factorum contingentium hominum, quae per rationem necessariam confirmari non possunt. Quod si agatur de praesentibus et praeteritis juramentum dicitur *assertorium*; si autem de aliquo futuro, juramentum *promissorium* vocatur.

NOTANDUM: Duplex est modus jurandi: unus quidem per simplicem Dei contestationem, sicut cum aliquis dicit: *Est mihi Deus testis*, vel: *Coram Deo loquor*; vel: *Per Deum*, quod idem est. Alius modus est per execrationem (juramentum imprecatorium), dum scilicet aliquis se vel aliquid ad se pertinens ad poenam (a Deo infligendam) obligat, nisi sit verum quod dicitur (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum sit licitum jurare.*

RESP. AFF. - *Scil.:* cum adsit necessitas et adhibeatur debita cautela.

R. EST: quia juramentum secundum se honestum est et utile. Quod patet ex origine et fine: ex origine quidem, quia juramentum est introductum ex fide qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem et universalem omnium cognitionem et provisionem; ex fine autem, quia juramentum inducitur ad justificandum homines, et ad finiendum controversias. Tamen non licet ex levi causa jurare vel sine debita cautela; et secundum hoc intelligenda sunt verba Domini (Mt. v, 34): *Ego dico vobis non jurare omnino*; de facili enim homo in verbo delinquit, secundum illud Jacobi iii, 2: *Si quis in verbis non offendit, hic perfectus est vir.*

Art. III. - *Utrum convenienter ponantur tres comites juramenti, videlicet justitia, iudicium et veritas.*

RESP. AFF. - R. EST: quia duo requiruntur ad bonum usum juramenti: primo quidem quod aliquis non leviter, sed ex necessaria causa et discrete juret: et quantum ad hoc requiritur *iudicium*, scilicet discretionis ex parte jurantis; secundo quantum ad id quod per juramentum confirmatur, ut scilicet neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum; et quantum ad hoc requiritur veritas *veritas* per quam aliquis juramento confirmat quod verum est; et *justitia*, per quam confirmat quod licitum est. - *Judicio caret juramentum incautum; veritate juramentum mendax; justitia juramentum iniquum sive illicitum.*

NOTANDUM: Tria praedicta magis requiruntur ad juramentum quam ad alios humanos actus. In juramento enim est periculum magnum, tum propter Dei magnitudinem, cujus testimonium invocatur, tum etiam propter labilitatem linguae humanae, cujus verba juramento confirmantur (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum jurare sit actus religionis sive laetiae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia in hoc ipso quod homo per Deum jurat, profitetur Deum potiorrem, utpote cujus veritas est indefectibilis et cognitio universalis; et sic Deo aliquo modo reverentiam exhibet; unde Apostolus dicit (Hebr. vi, 16): *homines per majorem se jurant*; et Philosophus (Metaph. lib. i, cap. 3, a med): « Juramentum est honorabilissimum ».

Art. V. - *Utrum juramentum sit appetendum et frequentandum, tanquam utile et bonum.*

RESP. NEG. - R. EST: quia id quod non quaeritur nisi ad subveniendum infirmitati vel defectui, non numeratur inter ea quae sunt per se appetenda, sed inter ea quae sunt necessaria; sicut patet de medicina quae quaeritur ad subveniendum infirmitati. Juramentum autem quaeritur ad subveniendum alicui defectui, quo scilicet unus homo alteri discredet.

NOTANDUM: Sicut medicina est utilis ad sanandum, et tamen quanto est virtuosior, tanto magis nocumentum inducit, si non debite sumatur; ita etiam juramentum utile quidem est ad confirmationem (veritatis); tamen quanto est magis venerandum, tanto est magis periculosum, nisi debite inducatur (Ad 3m).

Art. VI. - *Utrum liceat per creaturas jurare.*

RESP. AFF. - *Scil.* : cum in juramento quod fit per simplicem contestationem et secundo quidem, tum juramento quod fit per execrationem (art. 1 hujus quaes.).

R. PRIMI EST: quia juramentum quod fit per contestationem innitur divinae veritati, sicut et fides. Fides autem est per se quidem et principaliter de Deo, qui est ipsa veritas; secundo

autem de creaturis, in quibus veritas Dei relucet (qu. i, art. 1). Sic, aliquae creaturae assumuntur ad juramentum inquantum in eis divina veritas manifestatur; sicut juramus per Evangelium, i. e., per Deum, cujus veritas in Evangelio manifestatur.

R. SECUNDI EST: quia in hoc juramento quod fit per execrationem, inducitur creatura aliqua, ut in qua divinum iudicium exerceatur; sic solet homo jurare per animam suam, vel per filium suum, aut per aliquam aliam rem quam diligit. – Quantum ad verba Domini (Mt. v, 34): *Ego dico vobis non jurare omnino, neque per coelum, neque per terram*, etc., dicendum est quod Dominus prohibuit jurare per creaturas, ita quod eis exhibetur reverentia divina (Ad 1m).

Art. VII. – *Utrum juramentum habeat vim obligandi.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) juramentum assertorium (quod est de praeterito vel de praesenti) habet vim obligandi non quantum ad ipsam rem, sed quantum ad actum jurandi, ut scil. juret id quod jam verum est vel fuit; b) juramentum autem promissorium (quod est de his quae facienda sunt ab eo qui jurat), habet vim obligandi respectu rei quam aliquis juramento firmavit.

R. PRIMI EST: quia obligatio non potest esse de re quae jam fuit vel est.

R. SECUNDI EST: quia aliquis tenetur ut faciat verum esse id quod juravit se esse facturum; alioquin deest veritas juramento. – Si tamen deest juramento discretionis iudicium, puta si solutio reddatur ei impossibilis per aliquem eventum; vel si juramento deest justitia, inquantum per solutionem juramenti adesset peccatum, vel impeditivum boni: tunc juramentum non habet

vim obligandi, quia non adsunt comites, scilicet iudicium et iustitia.

NOTANDUM: Quando non est eadem jurantis intentio et ejus cui jurat, si hoc proveniat ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundum sanum intellectum ejus cui juramentum praestatur. Unde Isidorus dicit (De summo bono lib. ii, cap. 31, a med.): « Quaecumque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiae testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui juratur, intelligit ». Si autem jurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem jurantis. Unde Gregorius dicit (Moral. lib. xxvi, cap. 7): « Humanae aures talia verba nostra iudicant, qualia foris sonant; divina vero iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur » (Ad 4m).

Art. VIII. – *Utrum major sit obligatio juramenti quam voti.*

RESP. NEG. – *Scil.:* secundum suam rationem votum est magis obligatorium quam juramentum.

R. EST: quia obligatio voti causatur ex fidelitate quam Deo debemus, ut scilicet ei promissum solvamus; obligatio autem juramenti causatur ex reverentia quam debemus ei, ex qua tenemur quod verificemus id quod per nomen ejus promittimus: infidelitas irreverentiam continet, sed non convertitur.

Art. IX. – *Utrum aliquis possit in juramento dispensare.*

RESP. AFF. – *Scil.:* pari ratione sicut dispensatur in lege et in voto.

R. EST: quia id quod in se vel universaliter consideratum est utile et honestum, secundum aliquem particularem eventum, potest esse inhonestum et nocivum, et secundum hoc, sicut non potest cadere sub lege, nec sub voto, neque sub juramento cadere potest: nam, si sit inhonestum,

repugnat justitiae; si autem nocivum, repugnat iudicio. - Agitur, ut patet, de juramento promissorio. Nam materia juramenti assertorii, quod est de praeterito vel praesenti, in quamdam necessitatem jam transiit, et immutabilis facta est (Ad 1m).

NOTANDUM: Quandoque aliquid sub juramento promittitur de quo dubium est, utrum sit licitum vel illicitum, proficuum vel nocivum aut simpliciter aut in aliquo casu; et in hoc potest quilibet episcopus dispensare. Quandoque vero sub juramento promittitur aliquid quod est manifeste licitum et utile; et in tali juramento non videtur habere locum dispensatio vel commutatio, nisi aliquid melius occurrat ad communem utilitatem faciendum, quod maxime videtur pertinere ad potestatem papae, qui habet curam universalis Ecclesiae; vel etiam absoluta relaxatio, quod etiam ad papam pertinet in omnibus generaliter quae ad dispensationem rerum ecclesiasticarum pertinent, super quas habet plenitudinem potestatis; sicut et ad unumquemque pertinet irritare juramentum quod a sibi subditis factum est, circa ea quae ejus potestati subduntur (Ad 3m).

Art. X. - *Utrum juramentum impediatur per aliquam conditionem personae, vel temporis.*

RESP. AFF. - Scil.: a) ex parte Dei cui reverentia juramento praebetur, excluduntur a juramento pueri ante annos pubertatis, et perjuri; b) ex parte hominis excluduntur personae magnae dignitatis.

R. PRIMI EST: quia pueri ante annos pubertatis, generaliter perfectum usum rationis nondum habent, quo possunt Deum reverentia debita juramentum praestare. Perjuri autem non admittuntur, quia ex retroactis praesumitur quod debitam reverentiam juramento non exhibebunt.

R. SECUNDI EST: quia non indiget dictum hominis confirmatione, nisi quia de eo dubitatur, quod

dignitati personae aliquo modo derogat. Unde « sacerdotes ex levi causa jurare non debent »; tamen pro aliqua necessitate vel magna utilitate licitum est eis jurare, et praecipue pro spiritualibus negotiis.

NOTANDUM: Quantum ad juramenta angelorum et Dei, dicendum est quod juramentum angeli inducitur non propter defectum ipsius, quasi non sit ejus simplici dicto credendum, sed ad ostendendum, id quod dicitur, ex infallibili Dei dispositione procedere (Apoc. x, 6); sicut etiam et Deus aliquando in Scripturis jurans inducitur ad ostendendum immobilitatem ejus quod dicitur, sicut Apostolus dicit (Hebr. vi). - (Ad 4m).

QUAESTIO XC

De assumptione divini nominis per modum adjurationis

Postea considerandum est de assumptione divini nominis per modum adjurationis; et circa hoc quaeruntur tria:

Art. I. - *Utrum liceat adjurare hominem.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) superiores possunt sibi subditis per invocationem divini nominis vel cujuscumque rei sacrae adjurando necessitatem agendi aliquid imponere; b) inferiores autem sibi superiores adjurare possunt non quidem imperando sed deprecando.

R. EST: quia sicut homo seipsum ordinare potest ad aliquid agendum, ita etiam et alios, inferiores quidem imperando, quos potest ex debito praestiti juramenti compellere, superiores autem deprecando.

NOTANDUM: Adjurare non est aliquem ad jurandum inducere, sed per quamdam similitudinem juramenti a se inducti, alium ad aliquid agendum provocare (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum liceat daemones adjurare.*

RESP. AFF. – *Scil.* : a) non per modum deprecationis vel inductionis; sed, b) per modum compulsionis, ut nostros inimicos.

R. PRIMI EST: quia ille modus adjurandi videtur ad quamdam benevolentiam vel amicitiam pertinere, quae non licet ad daemones uti.

R. SECUNDI EST: quia possumus eos per virtutem divini nominis tanquam inimicos repellere, ne nobis noceant spiritualiter vel corporaliter, secundum illud Luc. x, 19: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones, et supra omnem virtutem inimici; et nihil vobis nocebit.* – Non tamen licitum est eos adjurare ad aliquid ab eis addiscendum, vel etiam ad aliquid per eos obtinendum, quia hoc pertineret ad aliquam societatem cum ipsis habendam: nisi forte ex speciali instinctu vel revelatione divina, aliqui sancti ad aliquos effectus daemonum operatione utantur.

Art. III. – *Utrum liceat irrationalem creaturam adjurare.*

RESP. AFF. – *Scil.* : a) non inquantum irrationalis creatura est in se; sed, b) inquantum refertur ad eum a quo agitur et movetur.

R. PRIMI EST: quia sic vanum esset irrationalem creaturam adjurare.

R. SECUNDI EST: quia irrationales creaturas inquantum Deo subjectae sunt possunt adjurare per modum deprecationis ad Deum, quod pertinet ad eos qui divina invocatione miracula faciunt; inquantum autem in nostrum nocumentum a daemone utuntur, per modum compulsionis adjurantur, sicut in Ecclesiae exorcismis.

QUAESTIO XCI

De assumptione divini nominis ad invocandum per orationem vel laudem

Deinde considerandum est de assumptione divini nominis ad invocandum per orationem vel laudem. Et de oratione quidem jam dictum est (qu. lxxxiii). Unde nunc de laude restat dicendum. Et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum Deus sit ore laudandus.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non quidem propter Deum, sed propter ipsum laudantem.

R. EST: quia ad Deum verbis utimur, non quidem ut ei, qui est inspector cordium, nostros conceptus manifestemus, sed ut nosipsos et alios audientes ad ejus reverentiam inducamus, et ad ejus affectum excitamus.

NOTANDUM: Laude hominis ad hominem utimur, ut vel ei vel aliis innotescat quod bonam opinionem de laudato habemus; ut per hoc et ipsum qui laudatur ad meliora provocemus; et alios apud quod laudatur, in bonam opinionem et reverentiam, et imitationem ipsius inducamus (In corp. art.).

Art. II. – *Utrum in divinis laudibus sint cantus assumendi.*

RESP. AFF. – R. EST: quia secundum diversas melodias sonorum, animi hominum diversimode disponuntur. Et ideo salubriter fuit institutum ut in divinas laudes cantus assumerentur, ut animi infirmorum magis provocarentur ad devotionem. – Vituperandi sunt autem cantus qui magis ad ostentationem vel ad delectationem quam ad devotionem excitanda fiunt (Ad 2m).

QUAESTIO XCII

De vitiis religioni oppositis, et primo de superstitione

Postea considerandum est de vitiis religioni oppositis; et primo de illis quae cum religione conveniunt in hoc quod exhibent cultum divinum; secundo de vitiis manifestam contrarietatem ad religionem habentibus, per contemptum eorum quae pertinet ad divinum cultum. Primum autem horum pertinet ad superstitionem; secundum ad irreligiositatem. Unde primo considerandum est de ipsa superstitione et de partibus ejus; deinde de irreligiositate et partibus ejus. Circa primum quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum superstitio sit vitium religioni contrarium.*

RESP. AFF. - R. EST: quia superstitio exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet. Unde superstitio opponitur religioni non secundum excessum, seu circumstantiam *quantum*, sed secundum alias circumstantias, sicut accidit in vitiis oppositis magnanimitati et magnificentiae.

Art. II. - *Utrum sint diversae superstitionis species.*

RESP. AFF. - R. EST: quia superstitio diversificatur ex parte modi et ex parte objecti. Ex parte modi si exhibeatur divinus cultus Deo vero quidem, modo tamen indebito. Ex parte objecti, superstitio specificatur secundum diversos fines divini cultus: scilicet, *a)* ad reverentiam Deo exhibendam; et contra hoc habetur *idololatria*, quae divinam reverentiam indebite exhibet creaturae; *b)* ordinatur finis divini cultus ad hoc ut homo instruat a Deo; et contra hoc est *superstitio divinativa*, quae daemones consulit; *c)* ad quamdam directionem humanorum actuum; et contra hoc habetur *superstitio quarumdam observationum*.

QUAESTIO XCIII

De speciebus superstitionis, et primo de superstitione indebiti cultus veri Dei

Deinde considerandum est de speciebus superstitionis, et primo de superstitione indebiti cultus veri Dei; secundo de superstitione idololatriae; tertio de superstitione divinationum; quarto de superstitione observationum. Circa primum quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum in cultu veri Dei possit esse aliquid perniciosum.*

RESP. AFF. – *Scil.*: mendacium in significatione facti; sive ex parte rei significatae, sive ex parte colentis.

R. EST: quia, ut Augustinus dicit (Lib. De Mendacio, cap. 14), «mendacium maxime perniciosum est quod fit in his quae ad christianam religionem pertinent». Quod uno modo fit ex parte rei significatae, a qua discordat significatio cultus; puta, si aliquis verbo vel caeremoniis confiteretur Christum esse passurum. Alio modo contingit hoc ex parte colentis, sicut si quis ex parte Ecclesiae cultum Deo exhiberet contra modum divina auctoritate ab Ecclesia constitutum, et in Ecclesia consuetum.

Art. II. – *Utrum in cultu Dei possit esse aliquid superfluum.*

RESP. AFF. – *Scil.*: non secundum absolutam quantitatem, sed secundum quantitatem proportionis.

R. EST: quia secundum absolutam quantitatem nihil potest homo facere quod non sit minus eo quod Deo debet; potest tamen in Dei cultu aliquid non esse proportionatum fini; puta si

aliquid sit quod, quantum est de se, non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc quod mens hominis feratur in Deum. Unde quod dicitur Luc. xvii, 21: *Regnum Dei intra vos est*, contra supersticiosos est, qui scilicet exterioribus principalem curam impendunt.

QUAESTIO XCIV

De idololatria

Deinde considerandum est de idololatria; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum idololatria recte ponatur species superstitionis.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia, ut dictum est (qu. xcii, art. 1), ad superstitionem pertinet excedere debitum modum divini cultus; quod quidem maxime fit quando divinus cultus exhibetur cui non debet exhiberi. Per idololatriam autem cultus divinus, qui soli Deo debetur, creaturae (sive hominibus, sive daemonibus, sive creaturis aliis) exhibetur.

Art. II. - *Utrum idololatria sit peccatum.*

RESP. AFF. - **PRIMA R. EST** contra illos qui putabant divinam reverentiam exhibendam esse cuilibet superiori naturae, quasi Deo propinquiori: quia etsi omnes superiores revereri debeamus, non tamen eadem reverentia omnibus debetur; sed aliquid speciale summo Deo debetur; qui singulari ratione omnes excellit; et hoc est latritiae cultus.

SECUNDA R. EST contra illos qui putabant idololatriam exhibere non ut aliquid per se bonum, sed tanquam vulgari consuetudini consonum, et ideo tempore persecutionum licitum esse

aliquem idola colere exterius, dum fidem in mente servaret: quia cum exterior cultus sit signum interioris cultus, pernicioosa falsitas est, si quis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id quod sentit in mente. Unde Augustinus dicit contra Senecam (De Civ. Dei, lib. vi, cap. 10 in fine), quod «eo damnabilius colebat idola, quo illa quae mendaciter agebat, sic ageret, ut eum populus veraciter agere existimaret».

Art. III. – *Utrum idololatria sit gravissimum peccatorum.*

RESP. AFF. – *Scil.:* ex parte ipsius peccati; non vero semper ex parte peccantis.

R. PRIMI EST: quia in peccatis quae contra Deum committuntur, quae tamen sunt maxima, gravissimum esse videtur quod aliquis honorem divinum creaturae impendat; quia, quantum est in se, facit alium Deum in mundo, minuens principatum divinum, et sic totum ordinem perturbet.

R. SECUNDI EST: quia secundum hoc, nihil prohibet gravius peccare haereticos qui scienter corrumpunt fidem, quam idololatrias ignoranter peccantes; et similiter etiam alia peccata possunt esse majora propter majorem contemptum peccantis.

Art. IV. – *Utrum causa idololatriae fuerit ex parte hominis.*

RESP. AFF. – *Scil.:* ut causa dispositiva; non autem ut causa consummativa.

R. EST: quia homines ex inordinatione affectus ad aliquem hominem, vel propter delectationem repraesentationis, sicut accidit propter aliquam optimam sculpturam vel picturam; vel propter ignorantiam veri Dei, quae (tria) ex dispositione hominis proveniunt, potest homo cul-

tum divinum creaturis exhibere. - Quantum autem ad causam consummativam, haec fuit ex parte daemonum, qui se colendos hominibus errantibus exhibuerunt, in idolis dando responsa, et aliqua, quae videbantur hominibus mirabilia, faciendo.

QUAESTIO XCV

De superstitione divinatoria

Postea considerandum est de superstitione divinatoria: et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum divinatio sit peccatum.*

RESP. AFF. - *Scil.*: divinatio semper est peccatum: non illa tamen quae praenuntiat ea quae ex necessitate eveniunt, vel ut in pluribus, quae humana ratione praenosci possunt: neque etiam si quis futura alia contingentia, Deo revelante, cognoscat; sed illa quae praesumit futura contingentia ex propriis revelare.

R. EST: quia causae talium futurorum contingentium non habent inclinationem determinatam ad huiusmodi effectus. Et ideo huiusmodi effectus non possunt praenosci, nisi in seipsis considerentur. Homo autem huiusmodi effectus non potest considerare in seipsis, nisi dum sunt praesentes, sicut cum homo videt Socratem currere vel ambulare; sed considerare huiusmodi in seipsis, antequam fiant, est Dei proprium, qui solus in sua aeternitate videt ea quae futura sunt, quasi praesentia (I. P., qu. xiv, art. 13). Sic ergo divinare est sibi usurpare quod Dei est.

Art. II. - *Utrum divinatio sit species superstitionis.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia divinatio importat indebitum quemdam cultum Divinitatis; inquan-

tum scilicet auxilium daemonum assumit ad aliquid faciendum vel cognoscendum. Omnis enim divinatio ex operatione daemonum provenit vel quia daemones expresse invocantur ad futura manifestanda, vel quia daemones ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum implicent vanitate.

Art. III. – *Utrum sit determinari plures divinationis species.*

RESP. AFF. – R. EST: quia, ut dictum est (art. praec.), in divinatione aut expresse invocantur daemones, aut praeter intentionem hominis se occulte ingerunt ad praenuntiandum futura quaedam; quod quidem fit, aut quando ad praenoscendo futura aliquid consideramus in dispositionibus aliquarum rerum, aut quando ad praenoscendo futura consideramus ea quae eveniunt ex quibusdam quae ab hominibus serio fiunt ad aliquid occultum inquirendum, sicut cum consideratur quid aperienti librum occurrat. Sic triplex est divinationis genus; quorum primum pertinet ad *necromanticos*; secundum ad *augures*; tertium ad *sortes*. Sub quolibet autem horum multa alia continentur, ut patet in corpore articuli, quae hic sic breviter resumuntur:

Ad primum genus pertinent: praestigium, divinatio somniorum, necromantia, divinatio per phytones (per *media*), geomantia, hydromantia, aeromantia, pyromantia. – Ad secundum: genethliacium, augurium (quod dicitur a garritu avium), auspicium, omen, chrimantia (divinatio manus), spatulamantia (ex quibusdam signis in spatula alicujus animalis apparentibus). – Ad tertium: *geomantia* (ex figuris quas res assumunt, vel ex scriptis in occulto repositis, etc.) quae omnia *sortium* nomen habent.

Art. IV. - *Utrum divinatio quae fit per invocationes daemonum, sit licita.*

RESP. NEG. - *Scil.* : omnino illicita est.

PRIMA R. EST: quia esset expressum pactum cum daemone, quod omnino illicitum est.

SECUNDA R. EST: quia etiamsi aliquando daemones vera dicat, intentio tamen sua semper est ut homines perducatur in aliquid quod est salutis humanae nocivum. Propterea Dominus increpavit daemones, dicens: *Obmutesce* (Lc. iv).

Art. V. - *Utrum divinatio quae fit per astra, sit illicita.*

RESP. AFF. - *Scil.* : Si quis consideratione astrorum utatur ad praecognoscendos futuros casuales vel fortuitos eventus, aut etiam ad cognoscendum per certitudinem futura opera hominum, procedit hoc ex falsa et vana opinione, et sic operatio daemonis se immiscet; unde erit divinatio superstitiosa et illicita. Si vero aliquis utatur consideratione astrorum ad praecognoscendum futura quae ex caelestibus causantur corporibus, puta siccitates et pluvias, et alia hujusmodi, non erit illicita divinatio nec superstitiosa.

R. EST: quia alia ratione disponuntur a divina providentia motus et situs caelestium corporum, et alia ratione eventus contingentium futurorum; illa enim disponuntur secundum rationem necessitatis, ut semper et eodem modo proveniant, sicut eclipses, etc., haec autem secundum rationem contingentiae, ut variabiliter contingant.

NOTANDUM: Corpora caelestia non possunt esse per se causa operationum liberi arbitrii: nullum enim corpus potest imprimere in rem incorpoream; possunt tamen ad hoc dispositive inclinare, inquantum imprimunt in corpus humanum, et per consequens in vires sensitivas, quae sunt actus corporalium organorum, quae inclinant ad huma-

nos actus. Quia tamen vires sensitivae obediunt rationi, nulla necessitas ex hoc libero arbitrio imponitur; sed contra inclinationem caelestium corporum homo potest per rationem operari (In corp. art.). – Plures tamen hominum passiones corporales sequuntur, et ideo actus eorum disponuntur, ut in pluribus, secundum inclinationem caelestium corporum: pauci autem sunt, id est, sapientes, qui ratione hujusmodi inclinationes moderentur; et secundum hoc astrologi vera aliquando pronuntiant, scilicet ut in communibus eventibus. Haec tamen propter fraudem daemonum sunt evitanda, «ne consortio daemoniorum animam deceptam pacto quodam societatis irretiant». (Ad 2m).

Art. VI. – *Utrum divinatio quae fit per somnia, sit illicita.*

RESP. AFF. – *Scil.* : si quis utatur somniis ad praecognoscendum futura secundum quod somnia procedunt ex revelatione divina, vel ex causa naturali intrinseca sive extrinseca, quantum potest se virtus talis causae extendere, non erit illicita divinatio. Si autem hujusmodi divinatio causetur ex revelatione daemonum, cum quibus pacta habentur expressa, quia ad hoc invocantur, vel tacita, quia hujusmodi divinatio extenditur ad quod se non potest extendere, erit divinatio illicita et superstitiosa.

R. patet ex praecedentibus articulis.

Art. VII. – *Utrum divinatio quae fit per auguria, et omnia et alias hujusmodi observationes exteriorum rerum, sit illicita.*

RESP. AFF. – *Scil.* : omnis hujusmodi divinatio, si extendatur ultra illud ad quod potest pertinere secundum ordinem naturae vel divinae providentiae, est superstitiosa et illicita.

R. patet ex supra dictis; secus enim opinio innitatur falsae opinioni, et locum daret daemioni ut in rebus humanis immisceatur.

Art. VIII. – *Utrum divinatio sortium sit illicita.*

RESP. AFF. – *Scil.* : divinatio per sortes, caelestium dispositioni commissas, illicita est; ut vero in Deum sortes referuntur, recte fieri potest ea quae per sortes est divinatio.

R. PRIMI EST: quia actus hominum, qui requiruntur ad sortes, non subduntur dispositioni stellarum, nec etiam eventus ipsorum; unde talis divinatio est vana et falsa, et per consequens non carens daemonum ingestione.

R. SECUNDI EST: quia expectare sortis iudicium a Deo, secundum se non est malum, dummodo hoc fiat: *a)* occurrente aliqua necessitate; *b)* cum debita reverentia; *c)* quod divina oracula, verba Evangelii vel sacrae Scripturae, non convertantur ad terrena negotia; *d)* quod in electionibus ecclesiasticis, quae ex Spiritu sancti inspiratione fieri debent, aliqui sortibus non utantur. – Quantum ad electionem Mathiae per sortem, haec facta fuit ante Pentecostem, cum scilicet plenitudo Spiritus sancti in Ecclesia nondum erat. Electio autem diaconorum non fuit facta per sortes.

QUAESTIO XCVI

De superstitione observantiarum

Postea considerandum est de superstitionibus observantiarum; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum uti observantiis artis notoriae sit illicitum.*

NOTA: Ars notoria est quaedam ratio adipiscendi scientiam sine humano labore per inspectionem quarundam figurarum aut prolationem quorundam verborum ignotorum, adhibitis interdum aliquibus jejuniis et orationibus.

RESP. AFF. - R. quia ars notoria non utitur his (inspectione figurarum, etc.) ut causis, sed ut signis, et quidem supervacuis, et per consequens pertinentibus « ad pacta quaedam significationum cum daemonibus placita atque foederata », ut Augustinus dicit (De Doctr. Christ., lib. ii, cap. 23, circa med.).

Art. II. - *Utrum observationes ad corporum immutationem ordinatae, puta ad sanitatem vel ad aliquod hujusmodi, sint illicitae.*

RESP. AFF. - *Scil.* : si tales immutationes non habent connexionem naturalem cum sic dictis « observationibus ».

R. EST: quia naturaliter non videantur posse tales immutationes causare, consequens est quod nec adhibeantur ad hos effectus causandos tanquam causae, sed solum quasi signa: et sic pertinent ad pacta significationum cum daemonibus inita.

Art. III. - *Utrum observationes quae ordinantur ad praecognoscendum aliqua fortuna vel infortunia, sint illicitae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia homines hujusmodi observationes attendunt, non ut quasdam causas, sed ut signa quaedam futurorum eventuum bonorum, vel malorum, ex vanitate humana introducta, cooperante daemonum malitia, qui nituntur animos hominum hujusmodi vanitatibus implicare. Et ideo manifestum est omnes hujusmodi observationes esse superstitiosas et illicitas. Si quis autem praesagium futurorum eventuum consideret ex sua causa, non erit illicitum.

Art. IV. - *Utrum suspendere divina verba ad col-
lum sit illicitum.*

RESP. AFF. - *Scil.* : si verba vel signa assumantur tanquam incantationes, quae naturalem, divinam vel ecclesiasticam efficaciam non habent.

R. EST: quia hujusmodi ad vanitatem hominum pertinent, et ad reverentiam divinam non ordinantur. Unde etiam proferre divina verba, aut invocare divinum nomen, si respectus habeatur solum ad reverentiam Dei, a quo expectatur effectus, licitum erit: si vero habeatur respectus ad aliquid aliud vane observatum, illicitum erit (Ad 1m).

QUAESTIO XCVII

De tentatione Dei

Deinde considerandum est de vitiis religioni oppositis per religionis defectum, quae manifestam habent contrarietatem ad religionem: unde sub irreligiositate continentur. Hujusmodi autem sunt ea quae pertinent ad contemptum, sive ad irreverentiam Dei et rerum sacrarum. Primo ergo considerandum est de vitiis quae pertinent directe ad irreverentiam Dei; secundo de his quae pertinent ad irreverentiam sacrarum rerum. - Circa primum considerandum occurrit de tentatione qua Deus tentatur, et de perjurio, in quo nomen Dei irreverenter assumitur. - Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum Dei tentatio consistat in aliquibus factis, in quibus solius divinae potestatis expectatur effectus.*

RESP. AFF. - *Scil.* : tentatio Dei consistit in aliquibus factis (vel dictis), in quibus non alterius, seu humanae, sed solius divinae potestatis (scientiae, bonitatis, etc.) expectatur effectus.

R. EST: quia tentare est proprie experimentum sumere de eo qui tentatur, et non de alio. Unde tentatio Dei consistit in exploratione ipsius scientiae, potestatis vel voluntatis, dictis vel factis, aperte vel insidiosae, expresse vel interpretative; i. e., sine utilitate vel necessitate se periculo committere, experiens quis utrum possit a Deo liberari.

Art. II. - *Utrum tentare Deum sit peccatum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* tentare Deum ut quis divinam cognoscat virtutem, peccatum est.

R. EST: quia ignorare vel dubitare de his quae pertinent ad Dei perfectionem, est peccatum. Tentare enim est experimentum sumere de eo de quo quis non est certus. - Unde experimentum sumere de his quae ad divinam perfectionem sumere, non quia aliquis de his dubitat, sed ut aliis divina manifestentur ad utilitatem eorum, sicut per miracula, non est peccatum.

Art. III. - *Utrum tentatio Dei opponatur virtuti religionis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia finis religionis est Deo reverentiam exhibere. Manifestum est autem quod tentare aliquem ad irreverentiam ejus pertinet.

Art. IV. - *Utrum tentatio Dei sit gravius peccatum quam superstitio.*

RESP. NEG. - R. EST: quia magis contra Dei reverentiam agit qui suo facto protestatur errorem contra divinam excellentiam, quam qui protestatur dubitationem. Superstitiosus autem protestatur errorem (qu. xcii); ille autem qui tentat Deum protestatur dubitationem de divina excellentia.

QUAESTIO XCVIII

De perjurio

Deinde considerandum est de perjurio; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum falsitas ejus quod in juramento confirmatur, requiratur ad perjurium.*

RESP. AFF. - *Scil.:* principaliter.

R. EST: quia cum actus morales sortiantur speciem ex fine, et finis juramenti sit confirmatio dicti humani; sequitur quod perjurium, quod est perversitas juramenti, praecipue a falsitate speciat. Secundario autem perjurium est quando deest in juramento justitia, scilicet si quod assertur non sit licitum; et quando deest judicium, i. e. cum indiscrete aliquis jurat. (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum omne perjurium sit peccatum.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia omne perjurium dat intelligere vel quod Deus non cognoscit, vel quod falsitatem testificari velit: quod semper peccatum est.

NOTANDUM: Ille qui jurat se facturum aliquid illicitum, jurando incurrit perjurium propter defectum justitiae; sed si non impleat quod juravit, in hoc non incurrit perjurium; quia hoc non erat tale quid quod sub juramento cadere potest (Ad 1m). Similiter, ille qui jurat se non intraturum religionem, vel non daturum eleemosynam, vel aliquid hujusmodi, jurando, perjurium incurrit propter defectum judicii; et ideo quando facit id quod melius est, non est perjurium, sed perjurio contrarium; contrarium enim ejus quod facit sub juramento cadere non poterat (Ad 2m).

Art. - III. - *Utrum omne perjurium sit peccatum mortale.*

RESP. AFF. - *Scil.:* perjurium ex sua ratione est peccatum mortale,

R. EST: quia perjurium de sua ratione importat contemptum Dei; ex hoc enim habet rationem culpae, quia ad irreverentiam Dei pertinet.

NOTANDUM: Coactio non aufert juramento promissorio vim obligandi respectu ejus quod licite fieri potest. Et ideo si aliquis non impleat quod coactus juravit, nihilominus perjurium incurrit et mortaliter peccat (qu. lxxxix, art. 7, ad 3m). Potest tamen per auctoritatem Summi Pontificis ab obligatione etiam juramenti absolvi (Ad 1m).

Art. IV. – *Utrum peccet ille qui injungit juramentum ei qui perjurat.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) ille qui exigit juramentum pro seipso, propria sponte, si nescit eum juraturum falsum, non peccat; sed esset tentatio humana; b) si scit eum juraturum falsum, peccat mortaliter; c) ille autem qui exigit juramentum pro alio, ex necessitate officii sibi commissi, non videtur esse in culpa, etsi sciat eum falsum jurare.

R. PRIMI EST: quia hoc procedit tantum ex quadam infirmitate, qua homo dubitat alium esse verum dicturum.

R. SECUNDI EST: quia sine necessitate dat occasionem ruinae proximi.

R. TERTII EST: quia non videtur ille exigere, sed ille ad cujus instantiam exigit.

NOTANDUM: Licet ejus qui per falsos deos jurare paratus est, juramentum recipere; non tamen licet eum inducere ad hoc quod per falsos deos juret; quia licet malo uti propter bonum, sicut et Deus utitur; non tamen licet aliquem ad malum inducere (Ad 4m).

QUAESTIO XCIX

De sacrilegio

Deinde considerandum est de vitiis ad irreligiositatem pertinentibus, per quae rebus sacris irreverentia exhibetur: et primum de sacrilegio; secundo, de simonia. – Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum sacrilegium sit sacrae rei violatio.*

RESP. AFF. – R. EST: quia res sacra ex eo dicitur quod ad cultum Dei ordinatur. Unde omne illud quod ad irreverentiam rerum sacrarum pertinet, ad injuriam Dei pertinet, et habet sacrilegii rationem.

NOTANDUM: Cum rectores reipublicae quasi divinae providentiae ministri sint (Sap. vi, 5), illud quod pertinet ad irreverentiam principis, scilicet disputare de ejus judicio, an oporteat ipsum sequi, secundum quamdam similitudinem sacrilegium dicitur (Ad 1m). – Similiter, id quod fit in injuriam populi christiani, scilicet quod infideles ei praeficiantur, pertinet ad irreverentiam sacrae rei. Unde rationabiliter *sacrilegium* dicitur (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum sacrilegium sit peccatum speciale*

RESP. AFF. – R. EST: quia habet specialem rationem deformitatis, scilicet violatio rei sacrae per aliquam irreverentiam.

Art. III. – *Utrum species sacrilegii distinguantur secundum res sacras.*

RESP. AFF. – R. EST: quia objectum sacrilegii est res sacra; et ideo distingui oportet sacrilegii species per varia rerum sacrarum genera, scilicet personae, loca, et res, praesertim Eucharistia, quae ad cultum Dei et sanctitatem ordinantur. Sacrilegium autem est gravius, quanto res sacra in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem.

NOTANDUM: Omne peccatum quod sacra persona committit, materialiter quidem, et quasi per accidens, est sacrilegium. Unde Hieronymus dicit quod «nugae in ore sacerdotis sacrilegium sunt, vel blasphemiae». (Bernard. De Considerat. lib. ii, cap. 1). Formaliter autem et proprie illud solum peccatum sacrae personae sacrilegium est quod agitur directe contra ejus sanctitatem, puta si virgo Deo dicata fornicetur. (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum poena sacrilegii debeat esse pecuniaria.*

RESP. AFF. – *Scil.:* loquitur hic S. Thomas secundum usum ipsius temporis.

R. EST: quia sacrilegus qui sacra non reveretur, non sufficienter videtur a peccando arceri per hoc quod sacra ei interdicuntur (per excommunicationem), de quibus non curat; et ideo secundum leges humanas adhibetur capitalis poena; secundum vero Ecclesiae statuta, quae mortem corporalem non infligit, adhibetur poena pecuniaria, ut saltem poenis temporalibus homines a sacrilegiis revocentur.

QUAESTIO C

De simonia

Deinde considerandum est de simonia; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum simonia sit studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum.*

RESP. AFF. – *Scil.:* peccatum simoniae incurrit qui studiosa voluntate emit vel vendit aliquid spirituale vel spirituali annexum.

R. EST: quia in hoc fuit precise peccatum Simonis Magi quod ab apostolis Spiritus Sancti gratiam pecunia emere voluit (ad 1m). Dicitur

voluntas studiosa ad designandum electionem, quae principaliter pertinet ad virtutem et ad vitium (Ad 2m).

NOTANDUM: Res spiritualis emi vel vendi non potest quia est emptionis vel venditionis materia indebita; quod autem cadit super materiam indebitam malum est ex genere, ratione moralitatis. Et hoc propter tria: a) quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari; b) quia praelatus Ecclesiae non est dominus sed dispensator rerum spiritualium; c) quia res spirituales ex gratuita Dei voluntate proveniunt; unde dicitur: *Gratis accepistis, gratis date* (Mt. x, 8). – (In corp. art.).

Art. II. – *Utrum semper sit illicitum pro sacramentis pecuniam dare.*

RESP. AFF. – *Scil.:* accipere pecuniam pro spirituali sacramentorum gratia est crimen simoniae; accipere autem aliqua ad sustentationem eorum qui sacramenta Christi ministrant, secundum ordinationem Ecclesiae et consuetudines approbatas, non est simonia, neque peccatum.

R. PRIMI EST: quia gratia pretio aestimari non potest; et ejus rationi repugnat quod non gratuito detur.

R. SECUNDI EST: quia secundum hoc non sumitur pecunia tanquam pretium mercedis, sed tanquam stipendium necessitatis, secundum illud Apostoli (I. Cor. ix, 12): *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant?*

NOTANDUM: Nullo modo debet quis pecuniam dare pro sacramentorum administratione ut sic, neque etiam pro baptismo in articulo mortis, sed potius debet (si adultus est) absque baptismo decedere: suppleretur enim ei ex baptismo flaminis quod ei ex sacramento deesset (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum liceat dare et accipere pecuniam pro spiritualibus actibus.*

RESP. NEG. – *Scil.:* illicitum est pecuniam dare (vel quidquid pecunia aestimari potest) vel accipere pro eo quod spirituale est in actibus spiritualibus; sed accipere aut dare aliquid pro sustentatione ministratum spiritualia, secundum ordinationem Ecclesiae et consuetudinem approbatam, licitum est.

R. patet ex art. praecedenti.

NOTANDUM: Non licet per pecuniam sibi vel aliis viam parare ad rem spiritualem obtinendam. Licet tamen, postquam jus alicui jam acquisitum est, per pecuniam injusta impedimenta remove (Art. praec. Ad 5m).

Art. IV. – *Utrum sit licitum pecuniam accipere pro his quae sunt spiritualibus annexa.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) illa quae sunt spiritualibus annexa, quasi ab iis dependentia, et quae nullo modo possunt esse sine spiritualibus, nunquam licet aliquem vendere vel emere; b) illa vero quae annexa sunt spiritualibus, inquantum ad spiritualia sunt ordinata, sicut jus patronatus et vasa sacra, licet aliquem vendere aut emere, non tamen inquantum sunt spiritualibus annexa.

R. PRIMI EST: quia cum talia non possint a spiritualibus separari, eis venditis, intelliguntur etiam spiritualia venditioni subijci.

R. SECUNDI EST: quia hujusmodi non praesupponunt spiritualia, sed magis ea ordine temporis praecedunt; unde, inquantum talia, vendi possunt, non autem inquantum sunt spiritualibus annexa.

NOTANDUM: Pro necessitate Ecclesiae et pauperum, materia vasorum sacrorum vendi potest, dummodo praemissa oratione prius confringantur;

quia post confractione non intelliguntur esse vasa sacra, sed purum metallum (Ad 2m). Idem dicendum est de venditione vel emptione terrae, ubi quondam fuit Ecclesia constructa (Ad 3m). - Jus patronatus, quod ordinatur ad praesentandum clericos ad ecclesiastica beneficia, per se vendi non potest, nec in feudum dari; sed transit cum villa quae venditur, vel conceditur (Ad 3m).

Art. - V. - *Utrum liceat spiritualia dare pro munere quod est ab obsequio vel a lingua.*

RESP. AFF. - R. EST: quia munus ab obsequio vel a lingua, cum ad utilitatem quamdam ordinatur, pecunia aestimari potest. - Et ideo sicut contrahitur simonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet aliam rem exteriorem, quod pertinet ad munus a manu; ita etiam contrahitur per munus a lingua, vel ab obsequio.

NOTANDUM: Obsequium honestum et ad spiritualia ordinatum, puta ad utilitatem Ecclesiae vel ministrorum ejus auxilium, vel ad alia bona opera, non est *munus ab obsequio*. E contra si sit inhonestum obsequium, vel ad carnalia ordinatum, erit simoniacum (Ad 1m).

Art. VI. - *Utrum sit conveniens simoniaci poena ut privetur eo quod per simoniam acquisivit.*

RESP. AFF. - R. EST: quia qui muneris interventu spiritualia quaecumque assequitur, contra voluntatem Domini hoc facit, qui ordinavit ut spiritualia gratis darentur, secundum illud Mt. x, 8: *Gratis accepistis, gratis date* *.

* Quantum ad leges ecclesiasticas hodie vigentes circa simoniam, vide Codicem Juris Can.

QUAESTIO CI

De pietate

Deinde post religionem considerandum est de pietate; cujus opposita vitia ex ipsius consideratione innotescunt. – Circa pietatem ergo quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum pietas se extendat ad determinatas personas aliquorum hominum* *.

RESP. AFF. – *Scil.* : ad parentes, consaguineos et ad conterraneos, et amicos patriae.

R. EST: quia post Deum est homo maxime debitor parentibus et patriae, qui sunt principia nostri esse et gubernationis. Unde sicut ad religionem pertinet cultum Deo exhibere, ita secundo gradu ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus et patriae. – In cultu autem parentum includitur cultus omnium consanguineorum, quia ex eisdem parentibus processerunt. In cultu autem patriae intelligitur cultus omnium concivium, et omnium patriae amicorum.

Art. II. – *Utrum pietas exhibeat parentibus sustentationem.*

RESP. AFF. – *Scil.* : per accidens; per se enim debetur parentibus reverentia et obsequium.

R. EST: quia parentibus debetur quod decet patrem. Patri autem, cum sit superior, per se debetur a filio reverentia et obsequium; per accidens autem, i. e., secundum aliquid quod ei accidit, puta si sit infirmus, vel pauper, debetur etiam sustentatio.

* Pietas, de qua hic agitur, ea est virtus per quam sanguine conjunctis, patriaeque benevolis officium et diligens tribuitur cultus.

Art. III. – *Utrum pietas sit specialis virtus ab aliis distincta.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ubi invenitur specialis ratio debiti alicui personae, ibi est specialis virtus ad justitiam pertinens. Parentibus autem reverentia et obsequium debetur propter rationem specialem justitiae, scilicet sicut connaturali principio producenti in esse et gubernanti. Hoc autem principium respicit pietas. Et ideo pietas est specialis virtus.

NOTANDUM: Sicut religio est quaedam protestatio fidei, spei et charitatis, quibus homo primordialiter ordinatur in Deum; ita etiam pietas est quaedam protestatio charitatis, quam quis habet ad parentes et ad patriam. (Ad 1m).

Art. IV. – *Utrum occasione religionis sint praetermittenda pietatis officia in parentes.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Dummodo exhibendo debita obsequia parentibus, non abstrahamur a divino cultu.

R. EST: quia si cultus parentum abstrahat nos a cultu Dei, jam non esset pietatis insistere cultui parentum contra Deum. Unde Hieronymus dicit (In Epis. ad Heliodorum, a princ.): « Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola: summum genus pietatis est in hac re fuisse crudelem ».

NOTANDUM: Ille qui est in saeculo constitutus, si habet parentes, qui sine ipso sustentari non possunt, non debet, eis relictis, religionem intrare, eorum curam Deo committendo; quia hoc esset Deum tentare. Ille vero qui jam est in religione professus, non debet occasione sustentationis parentum exire claustrum, in quo Christo consequitur, et se iterum saecularibus negotiis implicare: tenetur tamen, salva sui praelati obedientia, et suae religionis statu, pium studium adhibere, qualiter ejus parentibus subveniatur. (Ad 4m).

QUAESTIO CII

**De observantia secundum se et partibus
ejus**

Deinde considerandum est de observantia secundum se et partibus ejus, per quae de oppositis vitiis erit manifestum. – Circa observantiam autem quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum observantia sit specialis virtus ab aliis distincta* *.

RESP. AFF. – R. EST: quia sicut sub religione, per quam cultus tribuitur Deo, quodammodo invenitur pietas per quam coluntur parentes; ita sub pietate invenitur observantia, per quam cultus et honor exhibetur personis in dignitate constitutis. Sicut igitur pietas proprie dicta a religione distinguitur; ita observantia proprie dicta distinguitur a pietate (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum ad observantiam pertineat exhibere cultum et honorem his qui sunt in dignitate constituti.*

RESP. AFF. – R. EST: quia hi qui in dignitate sunt constituti habent excellentiam cum potestate quadam in subditos, et officium gubernationis. Ratione igitur excellentiae debetur eis honor, qui est quaedam recognitio excellentiae alicujus. Ratione autem officii gubernationis debetur eis cultus qui in quodam obsequio consistit, dum scilicet aliquis obedit eorum imperio, et vicem beneficiis eorum pro suo modo rependit.

* S. Augustinus ex Tullio hanc virtutem his verbis definiit: « Virtus per quam homines aliqua dignitate antecellentes quodam cultu et honore dignamur ».

NOTANDUM: His qui in excellentia sunt constituti debetur: a) *honor* ratione sublimioris gradus; b) *timor* ratione potestatis, quam habent ad coerendum; c) *obedientia* ratione gubernationis; et d) *tributa* vel *stipendia* ratione laboris eorum (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum observantia sit potior virtus quam pietas.*

RESP. NEG. - *Scil.:* pietas est potior virtus quam observantia.

R. EST: quia pietas exhibet cultum personis in ordine ad bonum commune; observantia autem cultum et honorem alicui exhibet propter personalem ejus honorem vel gloriam. Item, quia pietas cultum reddit personis nobis magis conjunctis, scilicet parentibus.

NOTANDUM: Quamvis virtuosi secundum se considerati sint magis digni honore quam personae parentum; tamen filii magis obligantur propter beneficia suscepta ab ipsis parentibus et conjunctionem naturalem, ad exhibendum cultum et honorem parentibus, quam extraneis virtuosis. (Ad 3m).

QUAESTIO CIII

De dulia

Deinde considerandum est de partibus observantiae: et primo de dulia, quae exhibet honorem et caetera ad hoc pertinentia personis superioribus; secundo de obedientia, per quam eorum obeditur imperio. - Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum honor importet aliquid corporale.*

RESP. AFF. - *Scil.:* quoad homines.

R. EST: quia honor importat de excellentia alicujus quamdam testificationem, quae quoad Deum potest in solo interiori motu cordis consistere, dum scilicet aliquis recogitat vel Dei excellentiam, vel etiam alterius hominis coram Deo.

Sed quoad homines aliquis non potest testimonium ferre nisi per aliqua signa exteriora, i. e., verbis vel factis vel etiam exterioribus rebus.

NOTANDUM: Reverentia non est idem ac honor. Ex una parte reverentia est primum motivum ad honorandum, inquantum aliquis ex reverentia quam habet ad aliquem eum honorat; ex alia parte est honoris finis, inquantum aliquis ad hoc honoratur, ut in reverentia habeatur ab aliis (Ad 1m). - Honor dicitur praemium virtutis inquantum est signum demonstrativum excellentis virtutis (Ad 2m). - Distinguitur a laude, quia laus consistit in solis signis verborum, et secundum hoc laus in honore includitur; item, quia laus est de bonitate alicujus in ordine ad aliquem finem, honor vero de excellentia virtutis absolute. - Gloria autem est effectus honoris et laudis, quia est « clara cum laude notitia », a verbo graeco κλαζία (Ad 3m).

Art. - II. - *Utrum honor proprie debeatur superioribus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia proprie in honorando consideratur excellentia non ipsius honorantis, sed illius qui honoratur; et secundum hoc honor semper debetur alicui propter aliquam excellentiam vel superioritatem.

Art. III. - *Utrum dulia sit specialis virtus a latria distincta.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ubi est alia ratio debiti, ibi est alia virtus. Dulia autem exhibet debitam servitutem homini dominanti; latria vero exhibet servitutem debitam divino dominio.

Art. IV. - *Utrum dulia habeat diversas species.*

RESP. NEG. - *Scil. :* dulia stricte sumpta, prout per eam servus domino reverentiam exhibet, non habet sub se alias species; sumpta vero communiter, habet alias species.

R. PRIMI EST: quia dulia servitus dicitur, et secundum hoc non dividitur in diversas species, sed est una specierum observantiae.

R. SECUNDI EST: quia communiter dicta dulia continet sub se pietatem et observantiam, et quamcumque hujusmodi virtutem, quae homini reverentiam exhibet.

NOTANDUM: Hyperdulia, quae *B. Virgini*, in quantum est Mater Dei, attribuitur, est potissima species duliae communiter sumptae: maxima enim reverentia debetur homini ex affinitate quam habet ad Deum (Ad 2m).

QUAESTIO CIV

De obedientia

Deinde considerandum est de obedientia; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum homo teneatur alteri obedire.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sicut in rebus naturalibus oportuit ut superiora moverent inferiora ad suas actiones per excellentiam naturalis virtutis collatae divinitus; ita etiam in rebus humanis oportet quod superiores moveant inferiores per suam voluntatem, ex vi auctoritatis divinitus ordinatae.

NOTANDUM: Divina voluntas est prima regula qua regulantur omnes rationales voluntates, cui una magis appropinquat quam alia, secundum ordinem divinitus institutum. Et ideo voluntas unius hominis praecipientis potest esse quasi secunda regula voluntatis alterius obedientis (Ad 2m).

Art. – II. – *Utrum obedientia sit specialis virtus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia habet specialem rationem laudis ex speciali objecto, quod est superioris tacitum vel expressum praeceptum:

nam, cum inferiores suis superioribus multa debeant exhibere, inter caetera hoc est unum speciale quod tenentur eorum praeceptis obedire.

NOTANDUM: Voluntas superioris (ut talis) quocumque modo innotescat, est quoddam tacitum praeceptum; et tantum videtur obedientia promptior, quanto expressum praeceptum obediendo praevnit, voluntate superioris intellecta. (In corp. art.).

Art. III. - *Utrum obedientia sit maxima virtutum.*

RESP. NEG. - *Scil.:* a) virtutes theologicae potiores sunt obedientia; b) obedientia autem maxima est inter virtutes morales; nec charitas esse potest sine obedientia.

R. PRIMI EST: quia illae virtutes quibus Deo secundum se inhaeretur, scilicet theologicae, sunt potiores virtutibus moralibus, quibus aliquid terrenum contemnitur, ut Deo inhaereatur. Finis enim potior est his quae sunt ad finem.

R. SECUNDI EST: quia supremum bonum humanum quod homo propter Deum contemnere potest est propria voluntas; et hoc fit per obedientiam. - Unde quaecumque alia virtutum opera ex hoc meritoria sunt apud Deum, quod fiunt ut obediatur voluntati divinae. Nam si quis etiam martyrium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret, nisi haec ordinaret ad impletionem divinae voluntatis, quod directe ad obediendum pertinet, meritoria esse non possent.

Art. IV. - *Utrum in omnibus sit Deo obediendum.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia Deus est primus motor omnium voluntatum (I-II, q. ix, art. 6). Et ideo sicut naturali necessitate omnia naturalia subduntur divinae motioni; ita etiam quadam necessitate justitiae (in ordine morali) omnes voluntates tenentur obedire divino imperio.

NOTANDUM: Etsi in volito non semper teneatur homo velle quod Deus vult, semper tamen tenetur velle quod Deus vult eum velle; et hoc homini praecipue innotescit per praeceptum divinum; et ideo tenetur homo in omnibus divinis praeceptis obedire. (Ad. 3m).

Art. V. - *Utrum subditi teneantur suis superioribus in omnibus obedire.*

RESP. NEG. - *Scil.:* subditi non tenentur in omnibus suis superioribus obedire propter duo: a) propter praeceptum majoris potestatis; b) si superiores subditis praecipiant in quo subditi eis non subdantur.

R. EST: quia obediens movetur ad imperium praecipientis quadam necessitate justitiae.

NOTANDUM: Triplex est obedientia: una sufficiens ad salutem, quae scilicet obedit in his ad quae obligatur; alia perfecta, quae obedit in omnibus licitis; alia indiscreta, quae etiam in illicitis obedit (Ad 3m).

Art. VI. - *Utrum christiani teneantur saecularibus potestatibus obedire.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ordo justitiae requirit ut inferiores suis superioribus obediant: aliter non posset humanarum rerum status conservari. Ordo autem justitiae per fidem Christi non tollitur, sed magis firmatur, secundum illud Rom. iii, 22: *Justitia Dei per fidem Jesu Christi.*

NOTANDA: Illi qui fiunt filii Dei per gratiam, liberi sunt a spirituali servitute peccati, non autem a servitute corporali, qua temporalibus dominis tenentur adstricti. In statu enim vitae per gratiam Christi liberamur a defectibus animae, non autem a defectibus corporis (Ad 1m).

2. Principibus saecularibus intantum homo obedire tenetur, inquantum ordo justitiae requirit. Et ideo si non habeant justum principatum, sed usurpatum, vel si injusta praecipiant, non

tenentur eis subditi obedire; nisi forte per accidens, propter evitandum scandalum vel periculum (Ad 3m).

QUAESTIO CV

De inobedientia

Deinde considerandum est de inobedientia; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum inobedientia sit peccatum mortale.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Non obedire divinis praeceptis et superiorum mandatis, est peccatum mortale ex genere suo.

R. EST: quia contrariatur charitati. Nam, inobedientem esse divinis praeceptis est quasi divinae dilectioni contrarium. – In divinis praeceptis continetur etiam quod superioribus obediatur. – Contrariatur insuper dilectioni proximi, inquantum supericri proximo subtrahit obedientiam quam ei debet.

NOTANDUM: Inobedientia oritur ex inani gloria. Nam quod homo praeceptis alterius non subdatur, hoc provenit ex appetitu manifestationis propriae excellentiae (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum inobedientia sit gravissimum peccatorum.*

RESP. NEG. – **R. EST:** quia peccatum quod directe pertinet ad contemptum Dei, sicut blasphemia, vel aliquid hujusmodi, gravius est, etiam remota per intellectum inobedientia a peccato, quam esset illud peccatum in quo contemnitur solum Dei praeceptum.

NOTANDUM: Una inobedientia est altera gravior, cum ex parte praecipientis, quia quanto superior est ille qui praecipit, tanto ei inobedientem esse sit gravius; tum ex parte praeceptorum, quia tanto est inobedientia gravior, quanto praeceptum

quod quis praeterit, magis est de intentione illius qui praecipit; et quanto praeceptum datur de meliori, tanto est ejus inobedientia gravior (In corp. art.).

QUAESTIO CVI

De gratia sive gratitudine

Deinde considerandum est de gratia, sive gratitudine et ingratitude. Circa gratiam autem quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum gratia sit specialis virtus ab aliis distincta.*

RESP. AFF. - *Scil.* : gratia, sive gratitudo, quae benefactoribus beneficium reddit, est specialis virtus a religione, pietate, et observantia distincta.

R. EST: quia a supradictis virtutibus distinguitur gratitudo sicut quodlibet posteriorum distinguitur a priori, quasi ab eo deficiens. Nam non quicquid debemus Deo, vel patri, vel personae dignitate praecellenti, debemus alicui benefactorum, a quo aliquod particulare beneficium recepimus. Inde est quod post religionem qua debitum cultum Deo impendimus, et pietatem qua colimus personas dignitate praecellentes, est gratia, sive gratitudo, quae benefactoribus gratiam recompensat.

Art. II. - *Utrum magis teneatur ad gratias reddendas Deo innocens quam poenitens.*

RESP. NEG. - *Scil.* : ex quantitate dati magis tenetur innocens quam poenitens; ex eo vero quod gratia magis *gratis* datur, magis tenetur poenitens quam innocens, caeteris paribus.

R. PRIMI EST: quia majus donum ei (innocenti) datur a Deo, et magis continuatum, caeteris paribus, absolute loquendo.

R. SECUNDI EST: quia magis gratum datur illud quod ei datur a Deo, i. e. poenitenti: cum enim esset dignus poena, datur ei gratia. – Et sic licet illud donum quod datur innocenti, sit absolute consideratum majus, tamen donum quod datur poenitenti, est majus in comparatione ad ipsum; sicut etiam parvum donum pauperi datum est majus quam diviti magnum.

Art. III. – *Utrum homo teneatur ad gratiarum actiones omni homini beneficienti.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ordo naturalis requirit ut ille qui suscepit beneficium, per gratiarum recompensationem convertatur ad benefactorem, cui, in quantum hujusmodi, debetur honor et reverentia, eo quod habet rationem principii; sed per accidens debetur ei subventio, vel sustentatio, si indigeat. Nam benefactor, in quantum hujusmodi, est causa beneficiati; effectus autem naturaliter ad suam causam convertitur.

NOTANDUM: Sicut beneficium magis in affectu consistit quam in effectu; ita etiam recompensatio, magis in affectu consistere debet (Ad 5m).

Art. IV. – *Utrum homo debeat statim beneficium recompensare.*

RESP. NEG. – *Scil. :* quantum ad affectum, recompensatio statim fieri debet; quantum autem ad donum debet expectari tempus quo recompensatio sit benefactori opportuna.

R. PRIMI EST: quia, ut Seneca dicit (De Benef., lib. ii, in fin.): « Vis reddere beneficium? Accipe benigne ».

R. SECUNDI EST: quia si non convenienti tempore, sed statim velit aliquis munus pro munere reddere, non videtur esse virtuosa recompensatio, sed invita.

NOTANDUM: Debitum legale statim est solvendum; alioquin non esset conservata justitiae aequalitas, si unus retineret rem alterius absque ejus voluntate. Sed debitum morale dependet ex honestate debentis: et ideo oportet reddi debito tempore, secundum quod exigit rectitudo virtutis (Ad 1m).

Art. V. – *Utrum gratiarum actio sit attendenda secundum affectum benefactoris, * an secundum effectum.*

RESP.: secundum affectum beneficientis.

R. EST: quia gratia, seu gratitudo, respicit beneficium secundum quod est gratis impensum, quod quidem pertinet ad affectum; ideo etiam gratiae compensatio attendit magis affectum dantis quam effectum. Beneficium formaliter et principaliter in voluntate consistit (Ad 1m). – Affectus beneficientis autem cognoscitur ex ipso modo quo beneficium tribuitur, puta quia gaudenter et prompte aliquis beneficium impendit (Ad 3m).

Art. VI. – *Utrum oporteat aliquem plus exhibere in recompensatione quam susceperit in beneficio.*

RESP. AFF. – R. EST: quia qui beneficium accipit, obligatur ex debito honestatis, ut benefactori aliquid gratis impendat; sicut benefactor gratis beneficium contulit. Non autem videtur gratis aliquid impendere, nisi excedat quantitatem accepti beneficii; quia quamdiu recompensat minus vel aequale, non videtur facere gratis, sed reddere quod accepit. Et ideo gratiae recompensatio semper tendit ut pro suo posse aliquid majus retribuatur. – Nec esset inconveniens si obligatio gratitudinis sit interminabilis, cum gratitudo ex charitate procedat (Ad 2m).

* Veteres editiones hic et in textu habent *beneficientis*.

QUAESTIO CVII

De ingratitude

Deinde considerandum est de ingratitude; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum ingratitude sit semper peccatum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia gratitudo est quoddam honestatis debitum, quam virtus requirit. Omne autem quod est virtuti contrarium, peccatum est.

NOTANDUM: Debitum gratitudinis ex debito amoris derivatur. Unde quod aliquis invitus hoc debitum debeat, videtur provenire ex defectu amoris (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum ingratitude sit speciale peccatum.*

RESP. AFF. – *Scil.:* in quantum gratitudini opponitur per defectum (virtus enim gratitudinis in aliquid amplius tendit).

R. EST: quia omnis defectus seu privatio speciem sortitur secundum habitum oppositum; sicut caecitas speciem sortitur a visu, et surditas ab auditu. Unde sicut gratitudo est una specialis virtus, ita etiam ingratitude est unum speciale peccatum.

NOTANDUM: Ingratitude alia est privativa, alia contraria. Gradus privativae ingritudinis sunt: a) ut homo beneficium non retribuatur; b) ut dissimulet, quasi non demonstrans se beneficium accepisse; c) quod non recognoscat sive per oblivionem, sive quocumque alio modo, et hic maximus gradus ingritudinis est privativae. – Gradus ingritudinis contrariae sunt: a) quod aliquis retribuatur mala pro bonis; b) quod beneficium vituperet; c) quod beneficium quasi maleficium reputet. – Gradus autem gratitudinis sunt: a) quod homo acceptum beneficium recognoscat; b) quod laudet et gratias agat; c) quod retribuatur pro loco et tempore secundum suam facultatem. (In corp. art.).

Art. III. – *Utrum ingratitude semper sit peccatum mortale.*

RESP. NEG. – *Scil.* : sive ingratitude *privativa*, sive ingratitude *contraria*, quandoque est peccatum veniale, quandoque mortale.

R. EST: quia ingratitude *privativa* quandoque provenit ex negligentia quadam, aut ex aliqua indispositione hominis ad virtutem; quandoque autem est mortale propter interiorem contemptum, vel etiam propter conditionem ejus quod subtrahitur, quod ex necessitate debetur beneficio, sive simpliciter, sive in aliquo necessitatis casu. – Gravitas autem ingritudinis contrariae dependet ex conditione ejus (operis) quod agitur.

Art. IV. – *Utrum ingratis sint beneficia subtrahenda.*

RESP. NEG. – R. EST: quia qui beneficium facit non debet esse facilis ad ingritudinem judicandam; frequenter enim aliquis, qui non reddidit, gratus est. – Item, quia benefactor debet tendere ad hoc quod de ingrato gratum faciat. Si vero ex beneficiis multiplicatis ingritudinem augeat, et pejor fiat, debet a beneficiorum exhibitione cessare. – Notandum est tamen, quod, quantum ad hoc quod ingratus dignus sit, certum est quod meretur beneficii subtractionem.

QUAESTIO CVIII

De vindicatione

Deinde considerandum est de vindicatione; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum vindicatio sit licita.*

RESP. AFF. – *Scil.* : si intentio vindicantis feratur principaliter in malum illius de quo vindic-

tam sumit, et ibi quiescat, est omnino illicita; si vero intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per poenam peccantis potest esse vindicatio licita, aliis debitis circumstantiis servatis.

R. PRIMI EST: quia delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod charitati repugnat; unde dicit Apostolus (Rom. xii, 21): *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.*

R. SECUNDI EST: quia tunc vindicta non est praeter ordinem divinae institutionis (Ad 1m).

NOTANDUM: Injuria quae infertur personae alicui, quandoque redundat in Deum et in Ecclesiam: et tunc debet aliquis propriam injuriam ulcisci. In quantum vero injuria in aliquem illata ad ejus personam pertinet, debet eam tolerare patienter, si expediat; dicitur enim (Rom. xii): *Non vosmetipsos defendentes* (graece ulciscentes), *charissimi, sed date locum irae: scriptum est enim: Mihi vindicta; et ego retribuam, dicit Dominus.* (Ad 4m).

Art. II. - *Utrum vindicatio sit specialis virtus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ad quamlibet inclinationem naturalem determinatam ordinatur aliqua virtus specialis. Vindicatio autem est virtus perficiens inclinationem naturae specialem ad removendum nocumenta. Unde Tullius in sua Rhetorica (lib. ii, circa princ.) vindictam sic definit: « Vindicta est per quam vis, aut injuria, et omnino quidquid obscurum est (id est ignominiosum), defendendo, aut ulciscendo propulsatur ».

NOTANDA: 1. Punitio peccatorum, secundum quod pertinet ad publicam justitiam, est actus justitiae commutativae; secundum autem quod pertinet ad immunitatem alicujus personae singularis, a qua injuria propulsatur, pertinet ad virtutem vindicationis. (Ad 1m).

2. Fortitudo disponit ad vindictam removendo prohibens, scilicet timorem periculi imminientis. Zelus autem, secundum quod importat fervorem

amoris, importat primam radicem vindicationis, prout aliquis vindicat injurias Dei et proximorum, quas ex charitate reputat quasi suas (Ad 2m).

3. Vindicationi opponuntur duo vitia: unum per excessum, scilicet peccatum crudelitatis; aliud per defectum, sicut cum aliquis est nimis remissus in puniendo. Unde dicitur Prov. xiii, 24: *Qui parcit virgæ, odit filium suum* (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum vindicatio debeat fieri per poenas apud homines consuetas.*

RESP. AFF. - *Scil.:* per mortem, verbera et talionem, servitutem et vincula, exilium, damnum et ignominiam, quae sunt octo genera poenarum, secundum Tullium, ut Augustinus refert (De Civ. Dei, lib. xxi, Cap. II).

R. EST: quia vindicatio intantum licita est et virtuosa, inquantum tendit ad cohibitionem maiorum. Cohibentur autem aliqui a peccando, qui affectum virtutis non habent, per hoc quod timent amittere aliqua quae plus amant, quam illa quae peccando adipiscuntur. Haec autem quae homo maxime diligit sunt: vitam, incolumitatem corporis, libertatem sui, et bona exteriora, puta divitias, patriam et gloriam; et haec per supra-dictas poenas amittuntur.

Art. IV. - *Utrum vindicta sit exercenda in eos qui involuntarie peccaverunt.*

RESP. NEG. - *Scil.:* poenae, ut poenae, non nisi in eos qui voluntarie peccaverunt sunt exercendae: nonnunquam tamen poenae, ut medicinae, justis et involuntarie peccantibus sunt infligendae.

R. PRIMI EST: quia poena, ut poena, non debetur nisi peccato; per poenam enim reparatur aequalitas justitiae, inquantum ille qui peccando nimis secutus est suam voluntatem, aliquid contra suam voluntatem patitur.

R. SECUNDI EST: quia medicina quandoque infert nocumentum in minoribus (scilicet temporalibus), ut in melioribus (scil. spiritualibus) auxilium praestet. Cujusmodi sunt plures poenae praesentis vitae divinitus inflictae ad humiliationem vel probationem.

NOTANDA: 1. Quantum ad poenam temporalem quandoque unus punitur pro peccato alterius; et hoc triplici ratione: primo, quia unus homo temporaliter est res alterius, sicut filius patris, servus domini, subditi principum; alio modo in quantum peccatum unius derivatur in alterum, quod fit vel per imitationem, sicut filii imitantur peccata parentum, vel per modum meriti, sicut peccata subditorum merentur praelatum peccatorem, secundum illud Job xxxiv, 30: *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*; tertio, quia omnes quasi unum corpus sumus (Ad 1m).

2. Secundum humanum iudicium aliquis nunquam puniri debet poena flagelli sine culpa; potest tamen puniri poena damni etiam sine culpa, non vero sine causa; et haec est triplex: uno modo ex hoc quod aliquis ineptus redditur sine sua culpa ad aliquod bonum habendum, sicut propter aegritudinem aliquis removetur ab administratione sui officii; quia bonum in quo damnificatur est bonum commune; tertio quia bonum in quo patitur dependet ex alio (Ad 2m).

QUAESTIO CIX

De veritate

Deinde considerandum est de veritate et vitiis oppositis. Circa veritatem autem quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum veritas sit virtus* *

RESP AFF - *Scil* : non secundum quod aliquid

* Agitur hic de veracitate, quae est habitus quo quisquam solet dicere verum; vel quo aliquis in vita et sermone talem se demonstrat qualis est.

veritate dicitur verum; sed secundum quod aliquis verum dicit.

R. PRIMI EST: quia sic accepta veritas non est virtus, sed objectum, seu finis virtutis, scilicet aequalitas quaedam intellectus vel signi ad rem intellectam et signatam, vel etiam rei ad suam regulam.

R. SECUNDA EST: quia hoc ipsum quod est dicere verum, est bonus actus. Virtus autem est « quae bonum facit habentem, et opus ejus bonum reddit ».

NOTANDUM: Veritas, sive veracitas, virtus moralis est inter superfluum et defectum sistens. Superfluum veritatis est si quis importune ea quae sua sunt manifestet; defectus autem est si quis occultet, quando manifestare oportet (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum veritas sit specialis virtus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia per virtutem veracitatis homo perficitur ad hoc quod exteriora sua vel verba, vel facta, debito ordine ordinantur ad aliquid, sicut signum ad signatum. Ubi autem est specialis ordo, ibi est specialis ratio bonitatis, quae facit hominem bonum, et ejus opus bonum reddit. Natura enim boni in ordine, modo et specie consistit.

NOTANDUM: Veracitas excludit duplicitatem, qua homo unum praetendit et aliud intendit. Et secundum hoc idem est veritas ac simplicitas, a qua ratione tantum distinguitur (Ad 4m).

Art. III. – *Utrum veritas sit pars justitiae.*

RESP. AFF. – *Scil.*: est pars annexa justitiae.

R. EST: quia veritas seu veracitas annectitur justitiae ut secundaria principali, cum illa in aliquo conveniens et ab illa in aliquo deficiens. Convenit cum justitia: primo, inquantum etiam

veritas est ad alterum; secundo, in quantum veritas adaequat signa rebus existentibus circa ipsum hominem. Deficit a ratione justitiae, quia veritas non attendit debitum legale, sed debitum morale tantum, in quantum scil. ex honestate unus homo *alteri* debet veritatis manifestationem.

Art. IV. – *Utrum virtus veritatis magis declinet in minus.*

RESP. AFF. – *Scil.* : affirmando.

R. EST: quia declinare in minus a veritate *affirmando*, est cum aliquis non manifestat totum bonum quod in ipso est, puta scientiam, vel sanctitatem, vel aliquid hujusmodi: quod fit sine praejudicio veritatis, quia in majori etiam est minus. Imo, homines qui minora de seipsis dicunt, gratiosi sunt, quasi aliis condiscendentes per quamdam moderationem; dum alii qui majora de seipsis dicunt quam sint, sunt aliis onerosi, quasi excellere alios volentes. – Declinare autem in minus *negando*, scil. ut neget quis sibi inesse quod inest, non pertinet ad hanc virtutem, quia per hoc incurreret falsum.

QUAESTIO CX

De vitiis oppositis veritati, et primo de mendacio

Deinde considerandum est de vitiis oppositis veritati: et primo de mendacio; secundo de simulatione sive hypocrisi; tertio de jactantia et opposito vitio. Circa mendacium quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum mendacium semper opponatur veritati.*

RESP. AFF. – *Scil.* : mendacium directe et formaliter veritatis virtuti opponitur.

R. EST: quia ratio mendacii sumitur a formali (i. e. non a materiali) falsitate, ex hoc scil. quod aliquis habet voluntatem falsum enuntiandi. Unde si aliquis formaliter falsum dicat, habens voluntatem falsum dicendi, licet sit verum id quod dicitur, inquantum tamen hujusmodi actus est voluntarius et moralis, habet per se falsitatem et per accidens veritatem, unde ad speciem mendacii pertingit.

NOTANDUM: Quod aliquis intendat falsitatem in opinione alterius constituere, fallendo ipsum, non pertinet ad speciem mendacii; sed ad quamdam perfectionem ipsius. (In fine art.).

Art. II. – *Utrum mendacium sufficienter dividatur per mendacium officiosum, jocosum et perniciosum.*

RESP. AFF. – *Scil.:* mendacium, inquantum habet rationem culpae secundum ea quae aggravant vel diminuunt culpam mendacii, recte et sufficienter dividitur in perniciosum, jocosum et officiosum.

R. EST: quia sic dividitur ex parte finis intenti. Aggravat enim culpam mendacii, si aliquis per mendacium intendat alterius nocumentum, quod vocatur mendacium *perniciosum*; diminuitur autem culpa mendacii, si ordinetur ad aliquod bonum, vel delectabile, et sic est mendacium *jocosum*; vel utile, et sic est mendacium *officiosum*, quo intenditur juvamentum alterius, vel remotio nocumenti. – Secundum propriam sui rationem tamen, mendacium dividitur secundum quod transcendit veritatem in majus, quod pertinet ad jactantiam; et secundum quod deficit a veritate in minus, quod pertinet ad ironiam.

Art. III. – *Utrum omne mendacium sit peccatum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia mendacium est malum ex genere: est enim actus cadens super inde-

bitam materiam. Cum enim voces naturaliter sint signa intellectuum, innaturale est et indebitum quod aliquis voce significet id quod non habet in mente.

NOTANDUM: In sacra Scriptura, ut Augustinus dicit (Lib. De Mendacio, c. 5), inducuntur aliquorum gesta, quasi exempla perfectae virtutis; de quibus non est aestimandum eos fuisse mentitos. Si qua tamen in eorum dictis appareant quae mendacia videantur, intelligendum est ea figuraliter et prophetice dicta esse (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum omne mendacium sit peccatum mortale.*

RESP. NEG. - R. EST: quia mendacium jocosum, in quo intenditur aliqua levis delectatio, et in mendacio officioso, in quo intenditur etiam utilitas proximi, est tantum peccatum veniale.

NOTANDUM: Mendacium potest considerari; a) secundum se, i. e. secundum suam significationem; et tale mendacium si est circa res divinas, semper est peccatum mortale, quia contrariatur charitati; - si est circa hominis bonum in re gravi, puta quod pertinet ad perfectionem scientiae et informationem morum, est mortale, quia infert grave damnum falsae opinionis proximo; - b) secundum rationem finis intenti, et sic si dicatur in injuriam Dei, semper est peccatum mortale; similiter si dicatur in grave nocumentum hominis; et tale mendacium et perniciosum; - c) in quantum per accidens potest esse peccatum mortale, scil. ratione scandali, vel cujuscumque damni consequenti. (In corp. art.).

QUAESTIO CXI

De simulatione et hypocrisi

Postea considerandum est de simulatione et hypocrisi; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum omnis simulatio sit peccatum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sicut veritati opponitur quod aliquis per verba exteriora aliud signi-

ficet quam habet apud se, quod ad mendacium pertinet; ita etiam opponitur veritati quod aliquis per aliqua signa factorum vel rerum aliquid significet contrarium ejus quod in eo est, quod proprie simulat exterioribus. Unde simulatio est proprie mendacium quoddam in exterioribus signis factorum consistens; ut, e. g., qui tristis est, rebus aut factis exterioribus simulat se gaudentem. - Unde cum fictio refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis, sicut quando Dominus *finxit se longius ire*, in via Emmaus.

Art. II. - *Utrum hypocrisis sit idem quod simulatio.*

RESP. AFF. - *Scil.:* hypocrisis omnis simulatio est, non omnis autem simulatio hypocrisis, sed ea tantum, qua alterius personam quis simulat; sicut cum peccator simulat personam justi.

R. EST: quia nomen hypocritae tractum est a specie eorum qui in spectaculis contacta facie incedunt, simulantes aliarum personarum.

Art. III. - *Utrum hypocrisis opponatur virtuti veritatis.*

RESP. AFF. - *Scil.:* sive directe, sive indirecte.

R. EST: quia cum hypocrisis sit quaedam simulatio, qua quis simulat se habere personam quam non habet (art. praec.), consequens est quod directe opponatur veritati. - Indirecte autem hypocrisis veritati opponitur secundum quodcumque accidens, puta secundum aliquem finem remotum, vel secundum aliquod instrumentum actus, vel quodcumque aliud hujusmodi.

Art. IV. – *Utrum hypocrisis semper sit peccatum mortale.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) si hypocrita dicatur ille qui non curat sanctitatem habere, sed solum sanctus apparere, sic manifestum est quod hypocrisis est peccatum mortale; b) si dicatur hypocrita ille qui intendit simulare sanctitatem, a qua deficit per peccatum mortale, quin velit negligere sanctitatem suam, sic talis simulatio non est semper peccatum mortale.

R. PRIMI EST: quia nullus totaliter privatur sanctitate nisi per peccatum mortale.

R. SECUNDI EST: quia quamvis talis sit in peccato mortali, ex quo privatur sanctitate, non tamen talis simulatio semper repugnat charitati; sed hoc ex fine discernendum est.

QUAESTIO CXII

De jactantia

Postea considerandum est de jactantia et ironia, quae sunt partes mendacii, secundum Philosophum (*Ethic. lib. iv, cap. 7*). Primo autem circa jactantiam quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum jactantia opponatur virtuti veritatis.*

RESP. AFF. – *Scil.:* per modum excessus.

R. EST: quia jactantia proprie dicitur quando homo verbis se extollat, sive loquendo de se supra id quod in se est secundum veritatem; sive loquendo de se supra id quod de eo homines opinantur.

NOTANDUM: Arrogantia, per quam aliquis supra se ipsum extollitur, est species superbiae: non tamen est idem jactantiae, sed ut frequentius ejus arusa (*Ad 2m*).

Art. II. - *Utrum jactantia sit peccatum mortale.*

RESP. NEG. - *Scil.*: jactantia secundum se considerata, ut mendacium, quandoque est peccatum mortale, quandoque veniale tantum; - similiter, si consideratur secundum suam causam, scil. superbiae, inanis gloriae, vel lucri, est quandoque mortale, quandoque veniale.

R. PRIMI EST: quia talis jactantia potest esse contra gloriam Dei, sicut ex persona regis Tyri dicitur Ezech. xxviii, 2: *Elevatum est cor tuum, et dixisti: Deus ego sum*; vel etiam contra charitatem proximi; sicut cum aliquis jactando seipsum, prorumpit in contumelias aliorum, sicut de Pharisæo dicitur (Lc. xviii). Quandoque autem jactantia neque est contra Deum, neque contra proximum.

R. SECUNDI EST: quia jactare se ex superbia, inani gloria, vel lucri importare potest grave damnum proximo. - Unde jactantia si comparetur mendacio pernicioso, est secundum se peccatum mortale; si vero mendacio jocosum vel officiosum, est veniale (Ad 3m).

QUAESTIO CXIII

De ironia *

Deinde considerandum est de ironia, circa quam quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum ironia de qua aliquis de se fingit minora, sit peccatum.*

RESP. AFF. - *Scil.*: ironia per quam aliquis

* Ironia non sumitur hic pro locutione figurata quae irrisorie aliquid per contrarium dicitur, sed pro simulatione qua quispiam vel asserit de se aliquid vile quod in seipso non recognoscit, vel negat de se aliquid magnum quod tamen esse in seipso percipit.

de se fingit minora, quae in se non recognoscit, vel cum negat de se aliquid magnum, quod tamen percipit in seipso esse, semper est peccatum.

R. EST: quia sic fingens a veritate declinat. Unde dicit Gregorius (Moral. lib. xxvi, cap. 3): « Incaute sunt humiles qui se mentiendo illaqueant ».

Art. II. - *Utrum ironia sit minus peccatum quam jactantia.*

RESP. AFF. - *Scil.*: ex parte finis, non vero ex parte materiae.

R. EST: quia ut plurimum jactantia ex turpiori motivo procedit, scil. ex appetitu lucri vel honoris; ironia vero ex hoc quod fugit, licet inordinate, per elationem aliis gravis esse. - Contingit tamen quandoque quod aliquis minora de se fingit ex aliquo alio motivo, puta ad dolose decipiendum; et tunc ironia est gravior. - Ex parte materiae autem sunt aequalia, quia circa idem mentiuntur, scil. circa conditionem personae.

QUAESTIO CXIV

De amicitia, quae affabilitas dicitur

Deinde considerandum est de amicitia, quae affabilitas dicitur, et de vitiis oppositis, quae sunt adulatio et litigium. Circa amicitiam autem seu affabilitatem, quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum amicitia sit specialis virtus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia habet specialem rationem boni; quae in hoc consistit quod homines convenienter ad alios homines ordinantur in communi conversatione tam in factis quam in dictis, ut scil. ad unumquemque se habeant secundum quod decet.

NOTANDUM: Distinguitur haec amicitia, seu affabilitas, ab amicitia proprie dicta, quia amicitia proprie dicta consistit principaliter in affectu, quo unus alium diligit, de qua jam tactatum est supra de charitate (qu. xxiii, xxv, et xxvi). Alia vero amicitia, de qua nunc hic loquimur, consistit in solis exterioribus verbis vel factis, secundum quod similitudinem quamdam habet cum amicitia proprie dicta, inquantum scil. quis decenter habet se ad illos cum quibus conversatur (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum hujusmodi amicitia sit pars justitiae.*

RESP. AFF. – *Scil.:* est pars adjuncta seu annexa.

R. EST: quia in aliquo convenit cum justitia, scil. inquantum est ad alterium; et in aliquo a justitia deficit, scil. inquantum non habet plenam debiti rationem; prout alteri aliquis obligatur vel debito legali, ad cujus solutionem lex cogit, vel etiam aliquo debito proveniente ex aliquo beneficio suscepto; sed solum attendit quoddam *debitum honestatis*, quod magis est ex parte ipsius virtuosi, quam ex parte alterius, ut scilicet faciat alteri quod decet eum facere.

QUAESTIO CXV

De adulatione

Deinde considerandum est de vitiis oppositis praedictae virtuti: et primo de adulatione; secundo de litigio. Circa adulationem quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum adulatio sit peccatum.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia verbis vel factis excedit modum in delectando. Quod si fiat sola intentione delectandi, dicitur *placiditas*; quod si fiat intentione alicujus lucri consequendi, vocatur *blanditio* vel *adulatio*.

NOTANDUM: Etsi principaliter intendat affabilitas delectare eos quibus convivit, tamen ubi necesse est propter aliquod bonum exequendum vel malum vitandum, non veretur contristare (In corp. art.).

Art. II. - *Utrum adulatio sit peccatum mortale.*

RESP. NEG. - *Scil.* : si aliquis ex sola aviditate delectandi alios, vel etiam ad evitandum aliquod malum, vel consequendum aliquid in necessitate alicui adulatus fuerit, est tantum peccatum veniale.

R. EST: quia sic adulatio non est contra charitatem; sed excedit modum tantum (art. praec.).

NOTANDUM: Adulatio contrariatur charitati tripliciter: *a)* ratione *materiae* puta cum aliquis laudat peccatum alicujus; hoc enim contrariatur dilectioni Dei et proximi; *b)* ratione *intentionis*, puta cum quis alicui adulatur ut fraudulenter ei noceat; *c)* per *occasionem*, sicut cum laus adulatoris fit alteri occasio peccandi, etiam praeter adulatoris intentionem (In corp. art.).

QUAESTIO CXVI

De litigio

Postea considerandum est de litigio; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum litigium opponatur virtuti amicitiae seu affabilitatis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia litigium quod proprie consistit in verbis, cum scilicet unus verbis alterius contradicit, oritur ex hoc quod aliquis personam alterius non veretur contristare; et sic praedictae amicitiae vel affabilitati opponitur, ad quam pertinet delectabiliter aliis convivere.

NOTANDUM: Contradictio quae contingit propter personam dicentis, cui contradicens consentire

recusat propter defectum amoris unientis, videtur ad *discordiam* pertinere charitati contrariam (In corp. art.).

Art. II. – *Utrum litigium sit gravius peccatum quam adulatio.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) litigium est per se et secundum suam speciem gravius vitium quam adulatio; b) per accidens tamen ad exteriora motiva comparatum et gravius et levius adulatione esse contingit.

R. PRIMI EST: quia litigium **magis** repugnat oppositae virtuti, scil. amicitiae seu affabilitatis. Nam placiditas vel adulatio opponitur virtuti affabilitatis in delectando; litigium vero in contristando, quod est magis contrarium amicitiae.

R. SECUNDI EST: quia secundum aliqua exteriora motiva quandoque adulatio est gravior, puta quando intendit per deceptionem indebitum honorem vel lucrum acquirere; quandoque vero litigium est gravius, puta quando homo intendit veritatem impugnare, vel dicentem in contemptum adducere.

QUAESTIO CXVII

De liberalitate

Deinde considerandum de liberalitate et vitiis oppositis, scilicet avaritia et prodigalitate. Circa liberalitatem autem quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum liberalitas sit virtus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ad liberalitatem pertinet rebus hujus mundi, nobis ad sustentationem vitae concessis, quibus etiam male uti possumus, bene uti. Nam, ut Augustinus dicit (Serm. 64 de temp.): « bene uti his quibus male uti possumus, pertinet ad virtutem ».

Art. II. - *Utrum liberalitas sit circa pecunias.*

RESP. AFF. - *Scil.* : pecunia liberalitatis propria est materia.

R. EST: quia ea quae emittenda sunt ab uno homine in alium, sunt bona possessa, quae nomine pecuniae significantur.

NOTANDUM: Ad liberalem pertinet emissivum esse. Unde et alio nomine liberalitas *largitas* nominatur. Ad hoc idem pertinere videtur etiam nomen liberalitatis; cum enim aliquis a se emittit, quodammodo illud a sua custodia et dominio liberat, et animum suum ab ejus affectu liberum esse ostendit. (In corp. art.)

Art. III. - *Utrum uti pecunia sit actus liberalitatis.*

RESP. AFF. - *Scil.* : proprius liberalitatis actus est bonus pecuniarum usus.

R. EST: quia objectum sive materia liberalitatis est pecunia, et quidquid pecunia mensurari potest. Species autem sumitur ex objecto. Unde actus liberalitatis proprius versari debet circa hoc suum objectum, quod est pecunia.

NOTANDUM: Ad liberalitatem pertinet non solum uti pecunia, sed etiam eam praeparare et conservare ad idoneum usum (Ad 2m).

Art. IV. - *Utrum ad liberalem maxime pertineat dare.*

RESP. AFF. - *Scil.* : magis proprium est liberali dare, quam accipere vel circa seipsum expendere.

R. EST: quia proprius usus pecuniae est in emissionem ipsius.

Art. V. - *Utrum liberalitas sit pars justitiae.*

RESP. AFF. - *Scil.* : a) non ut species ejus; sed b) ut virtus adnexa.

R. PRIMI EST: quia justitia exhibet alteri quod est ejus; sed liberalitas exhibet id quod suum est.

R. SECUNDI EST: quia liberalitas habet quamdam convenientiam cum justitia; et hoc in duobus: primo, quia principaliter est ad alterum, sicut et justitia; secundo, quia est circa res exteriores, sicut et justitia; licet secundum aliam rationem, ut dictum est in articulis praecedentibus.

Art. VI. - *Utrum liberalitas sit maxima virtutum.*

RESP. NEG. - R. EST: quia bonum ad quod primo et per se liberalitas ordinatur non est maximum bonum; ordinatur enim liberalitas ad propriam affectionem circa possessionem pecuniarum et usum moderandum. Haec autem sunt minima. - Tamen ex consequenti liberalitas habet excellentiam quamdam, quia ex hoc quod homo non est amativus pecuniae, sequitur quod de facili utatur ea et ad seipsum, et ad utilitatem aliorum, et ad honorem Dei; et secundum hoc utilis est liberalitas ad multa.

QUAESTIO CXVIII

De vitiis liberalitati oppositis, et primo de avaritia

Deinde considerandum est de vitiis liberalitati oppositis: et primo de avaritia; secundo de prodigalitate. - Circa primum quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum avaritia sit peccatum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia avaritia est immoderatus amor habendi, quo scil. aliquis supra debitum modum vult res exteriores vel acquirere vel retinere. Modus autem hic assumitur ex ratione finis divitiarum, prout scil. sunt necessariae ad vitam secundum uniuscujusque conditionem.

NOTANDUM: Avaritia inquantum importat quod homo plus debito divitias acquirat vel conservet est directe *peccatum in proximum*, quia in exterioribus divitiis non potest unus homo superabundare, nisi alter deficiat; quia bona temporalia non possunt simul possideri a multis (in magna quantitate). Inquantum importat immoderantiam circa interiores affectiones, quas quis ad divitias habet; puta quod quis immoderate divitias amat, avaritia est *peccatum hominis in seipsum*, quia per hoc deordinatur ejus affectus. Ex consequenti autem est *peccatum in Deum*, sicut et omnia peccata mortalia, inquantum homo propter bonum temporale contemnit aeternum (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum avaritia sit speciale peccatum.*

RESP. AFF. - *Scil.* : avaritia est speciale peccatum inquantum est immoderatus amor habendi possessiones, quae nomine pecuniae designantur, scil. ratione boni utilis.

R. EST: quia secundum hoc habet specialem rationem appetendi bonum inordinate, ut dictum est (art. praec.). - Si vero nomen avaritiae ampliatum est ad omnem immoderatum appetitum habendi quamcumque rem, avaritia non est speciale peccatum.

Art. III. - *Utrum avaritia opponatur liberalitati.*

RESP. AFF. - *Scil.* : inquantum avaritia importat immoderantiam circa interiores affectiones divitiarum.

R. EST: quia tales affectiones moderatur liberalitas. Si autem avaritia importet etiam possessionem rei alienae indebitam, tunc opponatur justitiae.

Art. IV. - *Utrum avaritia semper sit peccatum mortale.*

RESP. NEG. - *Scil.* : avaritia inquantum opponitur justitiae est peccatum mortale ex genere

suo; in quantum opponitur liberalitati, si non opponatur charitati, est veniale tantum.

R. PRIMI EST: quia sic avaritia importat rapinam vel furtum.

R. SECUNDI EST: quia avaritia opponitur liberalitati in quantum importat inordinatum amorem divitiarum. Unde si talis inordinatio amoris repugnat charitati, ut scilicet propter amorem divitiarum aliquis non vereatur facere contra amorem Dei et proximi, erit peccatum mortale. Si autem inordinatio amoris intra hoc sistat, ut scil. homo quamvis superflue divitias amet non tamen praeferat eorum amorem amori divino, ut si propter divitias non velit aliquid facere contra Deum et proximum; sic avaritia est peccatum veniale.

Art. V. - *Utrum avaritia sit maximum peccatorum.*

RESP. NEG. - *Scil.* : Avaritia non est simpliciter maximum peccatorum.

R. EST: quia gravitas peccati magis est iudicanda ex parte boni quod corrumpitur, quam ex parte boni cui subicitur appetitus: corruptio enim vel privatio boni formaliter se habet in peccato, dum autem conversio ad bonum commutabile materialiter. Ex parte boni autem quod corrumpitur, avaritia est minimum peccatorum, quia objectum ejus est bonum rerum externorum, quod est infimum inter bona humana. Ex parte boni cui subicitur appetitus, avaritia habet quodammodo majorem deformitatem quam alia peccata, quia subicitur infimo bono, et in hac subiectione habet similitudinem quamdam idolatriae (Ad 4m).

Art. VI. - *Utrum avaritia sit peccatum spirituale.*

RESP. AFF. - R. EST: quia perficitur in spiritualibus delectationibus. Delectatur enim avarus

in hoc quod considerat se possessorem divitiarum.

NOTANDUM: Inter delectationem pure corporalem et delectationem pure spiritualem datur delectatio *animalis*, quae scil. pertinet ad animam sed ratione corporis. Et talis est avaritia, quae non est pure peccatum carnale, nec pure spirituale, quae est circa excellentiam (Ad 1m).

Art. VII. - *Utrum avaritia sit vitium capitale.*

RESP. AFF. - Scil.: Avaritia, quae consistit in appetitu pecuniae, est vitium capitale.

R. EST: quia ex avaritia alia vitia oriuntur secundum rationem finis. Finis autem avari est ut sit per se sibi sufficiens. Haec autem sui sufficientia conditio est felicitatis. Felicitas autem est maxime appetibilis, et propter ejus appetitum homo procedit ad multa facienda vel bona, vel mala.

NOTANDUM: Pecunia ordinatur quidem ad aliud sicut ad finem; inquantum tamen utilis est ad omnia sensibilia acquirenda, continet quodammodo virtute omnia, et ideo habet quendam similitudinem felicitatis (Ad 2m).

Art. VIII. - *Utrum proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentia et contra misericordiam obduratio, sint avaritiae filiae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia haec ex avaritia oriuntur, et praecipue secundum appetitum finis, scil. habendi divitias propter sui ipsius sufficientiam et felicitatem. - Nam, ex hoc quod avaritia excedit in retinendo oritur *obduratio cordis contra misericordiam*. Inquantum excedit in accipiendo, oritur ex ipsa, quantum ad affectum, *inquietudo*; quantum vero ad effectum, criuntur *violentiae* (in acquirendo aliena per vim), *fallacia* (in verbis), *perjurium* (si addatur confirmatio juramenti), *fraus* (si dolus committitur opere per

res), et *proditio* (si committitur dolus ad personas), sicut de Juda patet, qui ex avaritia prodidit Christum.

NOTANDUM: Praedicta vitia, quamvis non sunt species avaritiae, sunt tamen filiae ejus, ut dictum est. Species autem avaritiae sequentes enumerantur: *parcitas*, inquantum avarus parum det; *tenacitas*, inquantum nihil det; *cuminibilitas*, quasi cumini venditor, quia de parvis magnam vim facit. Sic in retinendo. In accipiendo autem habentur species avaritiae: in *vilia operando*, vel per *actus vitiosos* lucrando, vel ubi non est necesse lucrando, scil. per *usuram*, vel *parva cum magno labore* lucrando, vivos *furando*, mortuos *spoliando*, ab amicis *aufferendo* ludo aleatori utendo (Ad 4m).

QUAESTIO CXIX

De prodigalitate

Deinde considerandum est de prodigalitate; et circa hoc quaeruntur tria:

Art. I. - *Utrum prodigalitas opponatur avaritiae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia avaritia et prodigalitas differunt secundum superabundantiam et defectum: ubi enim avarus superabundat, ibi prodigus deficit; et, e contra, ubi superabundat prodigus, ibi deficit avarus. Nam, in affectione divitiarum avarus superabundat, plus eas diligendo quam debet; ibi autem prodigus deficit, minus debito earum sollicitudinem gerendo. Circa exteriora autem superabundat prodigus excedendo in dando, deficit vero in retinendo; avarus, e contra, deficit in dando, et superabundat in accipiendo et retinendo.

NOTANDUM: Prodigii non semper abundant in dando propter voluptates. Ut frequentius tamen ad intemperantias declinant; tum quia ex quo superflue expendunt in aliis, etiam in rebus voluptuosis expendere non verentur, ad quas magis

inclinat concupiscentia carnis: tum etiam quia ex quo non delectantur in bonis virtutum, quaerunt sibi corporales delectationes (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum prodigalitas sit peccatum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia, sicut per avaritiam, ita et per prodigalitem, medium virtutis corrumpitur, sicut in praec. art. dictum est.

Art. III. - *Utrum prodigalitas sit gravius peccatum quam avaritia.*

RESP. NEG. - *Scil.:* prodigalitas secundum se considerata minus peccatum est quam avaritia.

PRIMA R. EST: quia avaritia magis differt a virtute opposita, scil. a liberalitate, quae ut medium se habet inter avaritiam et prodigalitem.

SECUNDA R. EST: quia prodigus est multis utilis, avarus autem nulli; sed nec sibi ipsi.

TERTIA R. EST: quia prodigalitas est facile sanabilis; sed avarus non facile sanatur. Avaritia enim habet insanabilitatem ex parte defectus humani, in quem scilicet semper procedit humana natura; quia quo aliquis est magis deficiens, eo magis indiget adminiculo exteriorum rerum, et ideo magis in avaritiam labitur (qu. praec., art. 5, ad 3m).

QUAESTIO CXX

De epicheia, seu aequitate

Deinde considerandum est de epicheia, circa quam quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum epicheia sit virtus. **

RESP. AFF. - R. EST: quia epicheia ordinatur

* Ut patet ex responsione, epicheia speciale objectum habet et prae se fert peculiarem difficultatem, ac proinde haec virtus est ab aliis distincta.

ad hoc ut, in casibus ubi malum est sequi legem positam, aliquis, praetermissis verbis legis, sequatur id quod poscit justitiae ratio et communis utilitas, quod bonum est.

Art. II. – *Utrum epicheia sit pars justitiae.*

RESP. AFF. – *Scil.*: est pars subjectiva.

R. EST: quia epicheia subjicitur justitiae (communiter dictae) ut generi.

NOTANDUM: Epicheia proprie correspondet justitiae legali, et quodammodo continetur sub ea, et quodammodo excedit eam. Si enim justitia legalis dicatur quae obtemperat legi sive quantum ad verba legis, sive quantum ad intentionem legislatoris, quae potior est, sic epicheia est pars potior legalis justitiae. Si vero justitia legalis dicatur solum quae obtemperat legi secundum verba legis, sic epicheia non est pars legalis justitiae, sed est pars justitiae communiter dictae, divisa contra justitiam legalem, sicut excedens ipsam (Ad 1m).

QUAESTIO CXXI

De pietate

Deinde considerandum est de dono correspondente justitiae, scil. de pietate; circa quam quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum pietas sit donum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia pietas est habitualis dispositio animae per quam cultum et officium exhibemus Deo, ut patri, per instinctum Spiritus Sancti, secundum illud Rom. viii, 15: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.*

NOTANDUM: Pietas quae exhibet patri carnali officium et cultum, est virtus; pietas autem quae est donum, hoc exhibet Deo ut patri (Ad 1m). - Item, sicut per pietatem, quae est virtus, exhibet homo officium et cultum non solum patri carnali,

sed etiam omnibus sanguine conjunctis, secundum quod pertinent ad patrem; ita etiam pietas, secundum quod est donum, non solum exhibet cultum et officium Deo, sed etiam omnibus hominibus, in quantum pertinent ad Deum (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum dono pietatis respondeat secunda beatitudo, scilicet: beati mites.*

RESP. AFF. – *Scil.*: secundum rationem enumerationis beatitudinum in Evangelio.

R. EST: quia, secundum Augustinum (De serm. Dom. in monte, lib. I, cap. 4), sic (i. e., sec. Mattheum, v, 4), infimo dono, scil. timoris, correspondet prima beatitudo: *Beati pauperes spiritus*; dono pietati autem correspondet secunda beatitudo: *Beati mites*, et sic de aliis. – Sed secundum propriam rationem doni et beatitudinis, dono pietati correspondet quarta beatitudo: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam*, et quinta: *Beati misericordes*.

NOTANDUM: Quantum ad *fructus* Spiritus sancti, bonitas et benignitas attribui possunt directe pietati; mansuetudo autem indirecte, in quantum tollit impedimenta actuum pietatis (Ad 3m).

QUAESTIO CXXII

De praeceptis justitiae

Deinde considerandum est de praeceptis justitiae; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum praecepta decalogi sint praecepta justitiae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia praecepta decalogi sunt ad alterum sub ratione debiti. Nam tria prima praecepta sunt de actibus religionis, quae est potissima pars justitiae: quartum autem praeceptum est de actibus pietatis, quae est pars justitiae secunda; alia vero sex dantur de actibus

justitiae communiter dictae, quae inter aequales attenditur.

Art. II. - *Utrum primum praeceptum decalogi convenienter tradatur.*

RESP. AFF. - R. EST: quia in ordine generationis bonitatis, ad quam (bonitatem) lex attendit, prima pars est in bonitate voluntatis, cujus objectum est finis. Et ideo in eo qui erat per legem instituendus ad virtutem, primo oportuit quasi jacere quoddam fundamentum religionis, per quam homo debite ordinatur in Deum qui est ultimus finis humanae voluntatis. - Alia autem pars est ut contraria et impedimenta tallantur. Praecipuum autem impedimentum religionis est quod homo falso deo inhaereat, secundum illud Matth. vi, 24: *Non potestis Deo servire et mammonae.* Et ideo in secunda parte primi praecepti legis excluditur cultus falsorum deorum.

NOTANDUM: In hoc quod dicitur: *Non habebis deos alienos*, intelliguntur prohiberi omnes superstitiones: quia omnes superstitiones procedunt ex aliquo pacto cum daemonibus inito, tacito vel expresso (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum secundum praeceptum decalogi convenienter tradatur.* *

RESP. AFF. - R. EST: quia dupliciter aliquid opponitur verae religioni, scil. per excessum, i. e., per superstitionem; et per defectum, i. e., per irreligiositatem. Cum igitur in primo praecepto prohibeatur superstitio, convenienter hic, in secundo praecepto, prohibetur (praecipue) perjurium, quod ad irreligiositatem pertinet.

* Illud praeceptum his verbi traditur: *Non assumes nomen Dei tui in vanum. Nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Dei sui frustra.* (Ex. xx, 7).

Art. IV. - *Utrum tertium decalogi praeceptum convenienter tradatur, scil. de sanctificatione sabbati.*

RESP. AFF. - R. EST: quia remotis impedimentis verae religionis per primum et secundum praeceptum Decalogi, consequens fuit ut tertium praeceptum poneretur, per quod homines in vera religione fundarentur. Hoc autem fit per institutionem cultus. Et ideo, sicut ad interiorem cultum, qui consistit in oratione et devotione, magis inducitur homo ex interiori Spiritus sancti instinctu; ita praeceptum legis dandum fuit de exteriori cultu, et quidem sub signo communis beneficii, scil. creationis. Et ideo praemisso praecepto de sanctificatione sabbati (Exod. xx, 11), assignatur ratio, quia *sex diebus fecit Deus coelum et terram, et in septima die requievit.*

NOTANDA: 1. Praeceptum de sanctificatione sabbati, litteraliter intellectum, est partim morale, partim autem caeremoniale. Ut praeceptum morale fundatur in hoc quod inest homini naturalis inclinatio ad hoc quod cuilibet rei necessariae deputetur aliquod tempus. Unde habere aliquod tempus deputatum ad vacandum divinis, cadit sub praecepto morali. Ut praeceptum caeremoniale habet tres significationes: primo, signum creationis mundi; secundo, ut signum quietis Christi in sepulcro; tertio, signum quietis fruitionis Dei, quae erit in patria. (Ad 1m).

2. Quantum ad opera servilia in die Dominico prohibita, considerandum est quod triplex est servitus, scil. servitus peccati, secundum illud Jn. viii, 34: *Qui facit peccatum, servus est peccati*; alia est qua homo homini servit, scil. secundum corporalia; et tertia est servitus Dei, scil. non solum in spiritualibus, sed etiam in corporalibus, prout est opus patriae. Quantum ad servitatem Dei, licet sabbatum violare, et hoc sine crimine, secundum illud Mt. xii, 5: *sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant*, i. e., corporaliter in sabbato operantur; *et sine crimine sunt*; quia hoc non est contrarium fini observationis sabbati. Quantum ad

alias servitutes, quia magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati quam per opus licitum, quamvis sit corporale; ideo magis contra hoc praeceptum agit qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus (aliis diebus) licitum facit. – Quantum ad opera proprie servilia, hoc notandum est, quod opera corporalia (non ergo intellectualia) intantum servilia dicuntur, inquantum proprie pertinent ad servientes: inquantum vero sunt communia servis et liberis servilia non dicuntur (Ad 3m).

Art. V. – *Utrum convenienter tradatur quartum praeceptum de honoratione parentum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia hoc quartum praeceptum ponitur immediate post praecepta ordinationia nos in Deum. Nam sicut Deus est universale principium, ita parentes sunt particulare principium nostri esse; et sic est quaedam affinitas hujus praecepti ad praecepta primae tabulae.

Art. VI. – *Utrum alia sex praecepta decalogi convenienter tradantur.*

RESP. AFF. – R. EST: quia conveniens fuit quod, post praecepta pertinentia ad justitiam in particulari consideratam, secundum quam debitum Deo redditur per religionem et parentibus per pietatem, ut supra dictum est (articulis praec.), ponerentur consequenter alia praecepta pertinentia ad justitiam proprie et communiter dictam, quae indifferenter omnibus debitum reddit. – Unde sex ultima praecepta sunt negativa, quia *communiter* ad hoc obligatur homo ut nulli inferat nocumentum. Ea vera quae sunt proximis exhibenda, diversimode exhibentur diversis: et ideo non fuerunt inter praecepta Decalogi ponenda de his affirmativa praecepta. (Ad 1m).

NOTANDUM: Per praecepta prohibitiva concupiscentiae non intelligitur prohiberi primus motus

concupiscentiae, qui consistit infra limites sensibilitatis; sed prohibetur directe consensus voluntatis, qui est in opus vel in delectationem (Ad 3m).

QUAESTIO CXXIII

De fortitudine *

Consequenter post justitiam considerandum est de fortitudine: et primo de ipsa virtute fortitudinis; secundo de partibus ejus; tertio de dono ei correspondente; quarto de praeceptis ad ipsam pertinentibus. Circa fortitudinem autem consideranda sunt tria: primo quidem de ipsa fortitudine; secundo de actu praecipuo ejus, scil. de martyrio; tertio de vitiis oppositis ipsi fortitudini. Circa primum quaeruntur duodecim:

Art. I. - *Utrum fortitudo sit virtus.***

RESP. AFF. - R. EST: quia fortitudo (mentis) facit hominem secundum rationem esse, in quantum scil. tollit impedimentum et resistit difficultatibus quibus voluntas ab eo quod est secundum rationem repellitur. Hoc autem est formale virtutis fortitudinis.

NOTANDA: 1. Ut homo secundum rationem sit, et ideo bonus secundum virtutem, tria requirit: a) ut ipsa ratio sua rectificetur, quod fit per virtutes intellectuales; b) ut ipsa rectitudo rationis instituat in rebus humanis, quod pertinet ad justitiam; c) ut impedimenta tollantur hujus rectitudinis in rebus humanis ponendae, quod fit per temperantiam, quae moderatur delectationes; et per fortitudinem, ut dictum est in responsione. (In corp. art.).

2. Quidam actus sunt tantum similitudinarie fortes; illi scil. qui non ex propria virtute fortitu-

* Vide nostram «*Divisionem Schematicam*»; Tab. XXIV.

** Juxta mentem Divi Thomae fortitudo defini potest: «*Virtus moderans motus animi circa quaecumque terribilla, praesertim circa pericula mortis sustinenda vel repellenda*».

dinis procedunt, sed ex alia causa, puta ex desiderio honoris, et alia hujusmodi (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum fortitudo sit virtus specialis.*

RESP. AFF. - *Scil.* : secundum quod importat firmitatem tantum in sustinendis et repellendis his in quibus maxime difficile est firmitatem habere.

R. EST: quia secundum hoc fortitudo habet materiam sibi propriam et determinatam. - In quantum vero importat quamdam animi firmitatem, quae ad omnem virtutem requiritur ut firmiter et immobiliter operetur, sic fortitudo non est specialis virtus, sed generalis.

Art. III. - *Utrum fortitudo sit circa timores et audacias.*

RESP. AFF. - *Scil.* : fortitudo est circa timores et audacias, quasi cohibitiva timorum, et audaciarum moderativa.

R. EST: quia ad virtutem fortitudinis pertinet remove impedimentum quo retrahitur voluntas a sequela rationis. Quod autem aliquis retrahatur ab aliquo difficili, pertinet ad rationem timoris. Et ideo fortitudo principaliter est circa timores difficilium rerum. Oportet autem hujusmodi rerum difficilium impulsum non solum firmiter tolerare cohibendo timorem, sed etiam moderate aggredi, quando scilicet oportet ea exterminare ad securitatem in posterum habendam, quod videtur pertinere ad rationem audaciae.

Art. IV. - *Utrum fortitudo sit solum circa pericula mortis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia qui stat firmus contra majora, consequens est quod stet firmus contra minora; sed non convertitur. Et hoc etiam

ad rationem virtutis pertinet ut respiciat ultimum.

NOTANDUM: Extremum in virtutibus attenditur secundum excessum rationis rectae; et ideo si aliquis maxima pericula subeat secundum rationem, non est virtuti contrarium (Ad 3m).

Art. V. - *Utrum fortitudo proprie consistat circa pericula mortis quae sunt in bello.*

RESP. AFF. - *Scil.:* sive in bello communiter dicto, sive in privato.

R. EST: quia pericula mortis quae sunt in bellicis, directe imminere homini propter aliquod bonum, inquantum videlicet defendit bonum commune per justum bellum. Pericula autem mortis quae sunt ex aegritudine, vel ex tempestate maris, vel ex incursu latronum, vel si qua alia sunt hujusmodi, non videntur alicui directe imminere ex hoc quod prosequatur aliquod bonum, quamvis et circa hujusmodi pericula fortis bene se habet; praesertim quia cujuscumque mortis homo potest periculum subire propter virtutem.

Art. VI. - *Utrum sustinere sit principalis actus fortitudinis.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Sustinere, et immobiliter in periculis sistere, principalior est actus fortitudinis, quam aggredi pericula.

R. EST: quia aggredi pertinet ad fortitudinem, secundum quod moderatur audaciam; sed sustinere sequitur repressionem timoris. Fortitudo autem est magis circa timores reprimendos, quam circa audacias moderandas. Quia difficilius est timorem reprimere quam audaciam moderari, eo quod ipsum periculum, quod est objectum audaciae et timoris, de se confert aliquid ad repressionem audaciae, sed operatur ad augmentum timoris.

NOTANDUM: Sustinere est difficilius quam aggredi triplici ratione: primo, quia sustinere videtur aliquis ab aliquo fortiore invadente; secundo, quia ille qui sustinet, jam sentit pericula imminencia, ille autem qui aggreditur, habet ea ut futura; tertio, quia sustinere importat diurnitatem temporis; sed aggredi potest aliquis ex subito motu (Ad 1m).

Art. VII. - *Utrum fortis operetur propter bonum proprii habitus.*

RESP. AFF. - *Scil.:* fortis operatur propter bonum sui habitus, ut propter proximum finem; ut scilicet in actu similitudinem sui habitus exprimat; quanquam propter beatitudinem et Dei amorem fortes, ut propter ultimum finem, operentur.

R. EST: quia finis proximus uniuscujusque agentis est ut similitudinem suae formae in alterum inducat; sicut finis aedificatoris est ut inducat similitudinem suae artis in materia. Sic ergo dicendum est quod fortis sicut proximum finem intendit ut similitudinem sui habitus exprimat in actu, intendit enim agere secundum convenientiam sui habitus.

Art. VIII. - *Utrum fortis delectetur in suo actu.*

RESP. NEG. - *Scil.:* fortis ex una parte, videlicet ex consideratione sui actus, ejusque finis secundum animam delectatur; ex alia parte vero, videlicet ex perpessione tristium et molestorum in quibus existit, dolorem sentit atque tristatur.

R. EST: quia in consideratione sui actus fortis considerat bonum rationis, quod delectat secundum animam; sed principali actus fortitudinis est sustinere aliqua tristitia secundum apprehensionem animae, et ex hoc fortis habet unde doleat et animaliter, i. e., secundum animam,

et corporaliter. Tamen virtus fortitudinis facit ut ratio non absorbeatur a corporalibus doloribus.

NOTANDUM: Opera virtutum sunt delectabilia praecipue propter finem; possunt autem ex sui natura esse tristitia, et praecipue hoc contingit in fortitudine. Unde Philosophus dicit, quod « non in omnibus virtutibus operari delectabiliter existit, praeter quam in quantum finem attingit » (Ad 2m).

Art. IX. – *Utrum fortitudo maxime consistat in repentinis.*

RESP. AFF. – *Scil.*: fortitudo quantum ad id quod in ipsa electione est, non est circa repentina, quamvis repentina magis fortitudinis habitum in anima firmatum patefaciant.

R. PRIMI EST: quia, ut dicit Gregorius (Hom. xxxv in Evang.): « jacula quae praevidentur, minus feriunt; et nos mala mundi facilius ferimus, si contra ea clypeo praescientiae praemunimur ».

R. SECUNDI EST: quia habitus agit in modum naturae. Unde quod aliquis absque praemeditatione faciat ea quae sunt virtutis, cum necessitas imminet propter repentina pericula, hoc maxime manifestat quod sit fortitudo habitualis in animo confirmata.

Art. X. – *Utrum fortis utatur ira in suo actu.*

RESP. AFF. – *Scil.*: utitur ira ratione moderata.

R. EST: quia secundum peripateticos (nam, stoici considerabant passiones ut malum, i. e., ut aegritudines animae) ira et aliae passiones animae assumendae sunt a virtuositate; appetitus enim sensitivus movetur per imperium rationis, ad hoc quod cooperetur ad promptius agendum.

NOTANDUM: Ratio non assumit iram ad suum actum, quasi auxilium ab ea accipiens, sed quia utitur appetitu sensitivo ut instrumento, sicut

et membris corporis (Ad 2m). Item, fortitudo non assumit iram ad actum sustinendi, quia hunc actum sola ratio per se facit; sed ad actum aggrediendi, ad quem magis assumit iram quam alias passiones, quia ad iram pertinet insilire in rem contristantem; et sic directe cooperatur fortitudini in aggrediendo (Ad 3m).

Art. XI. - *Utrum fortitudo sit virtus cardinalis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia virtutes cardinales sive principales dicuntur quae praecipue sibi vindicant id quod pertinet communiter ad virtutes. Fortitudo autem sibi potissime vindicat laudem *firmitatis*, quae est conditio communis omnium virtutum.

Art. XII. - *Utrum fortitudo praecellat inter omnes alias virtutes.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Inter virtutes cardinales est potior prudentia, secunda justitia, tertia fortitudo, quarta temperantia.

R. EST: quia bonum rationis, quod est bonum hominis, *essentialiter* habet prudentia, quae est perfectio rationis; justitia autem est hujus boni factiva (i. e., *effectiva*), in quantum scilicet ad ipsam pertinet ordinem rationis ponere in omnibus rebus humanis. Aliae autem virtutes sunt *conservativae* hujus boni. Et in ordine harum fortitudo tenet locum praecipuum, quia timor periculorum mortis maxime est efficax ad hoc quod hominem faciat recedere a bono rationis: postquam ordinatur temperantia, quia etiam delectationes tactus maxime inter caetera impediunt bonum rationis.

NOTANDA sunt verba S. Ambrosii, in responsione ad 3m citata: «fortitudo sine justitia, iniquitatis est materia: quo enim validior est, eo promptior et inferiorem opprimat». Et similiter illa Philosophi, in responsione ad 5m: «Justi et fortes maxime amantur, quia sunt maxime utiles in bello et in pace».

QUAESTIO CXXIV

De martyrio

Deinde considerandum est de martyrio: et circa hoc quaeruntur quinque:

Art. I. - *Utrum martyrium sit actus virtutis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ad rationem martyrii pertinet ut aliquis firmiter stet in veritate et iustitia contra persequentium impetus. Hoc autem pertinet ad virtutem. Nam ad virtutem pertinet quod aliquis in bono rationis conseruetur.

NOTANDUM: Bonum rationis, quantum ad obiectum proprium, consistit in veritate; quantum ad effectum proprium, consistit in iustitia (In corp. art.).

Art. II. - *Utrum martyrium sit actus fortitudinis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ad fortitudinem pertinet ut confirmet hominem in bono virtutis, et maxime contra pericula, et praecipue contra pericula mortis, et maxime ejus quae est in bello. Manifestum est autem quod in martyrio homo firmiter confirmatur in bono virtutis, dum fidem et iustitiam non deserit propter imminencia pericula mortis, quae etiam in quodam certamine particulari a persecutoribus imminet.

NOTANDUM: Martyrium comparatur ad fidem sicut ad finem, in quo aliquis confirmatur; ad fortitudinem autem sicut ad habitum elicentem. Caritas vero ad actum martyrii inclinatur sicut primum et principale motivum, per modum virtutis imperantis. Quod autem sit meritorium, hoc habet ex charitate, sicut et quilibet virtus actus. Et ideo sine charitate non valet. (Ad 2m et 3m passim).

Art. III. - *Utrum martyrium sit actus maxime perfectionis.*

RESP. AFF. - *Scil.:* non secundum speciem actus; sed secundum quod comparatur ad primum motivum, quod est amor charitatis.

R. PRIMI EST: quia sic martyrium consistit in debita tolerantia mortis. Tolerare autem mortem non est laudabile secundum se, sed solum secundum quod ordinatur ad aliquod bonum, quod consistit in actus virtutis, puta ad fidem et dilectionem Dei: unde ille actus virtutis, cum sit finis, melior est.

R. SECUNDI EST: quia martyrium inter omnes actus virtuosos maxime demonstrat perfectionem charitatis: quia tanto magis ostenditur aliquis aliquam rem amare, quanto pro ea rem magis amatam contemnit, et rem magis odiosam eligit pati, secundum illud Jn. xv, 13: *Majorem charitatem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Art. IV. - *Utrum mors sit de ratione martyrii.*

RESP. AFF. - R. EST: quia martyr (graece μάρτυρ) dicitur quasi testis, scilicet fidei christianae, per quam nobis visibilia pro invisibilibus contemnenda proponuntur, ut dicitur Hebr. xi. Quamdiu autem homini remanet vita corporalis, nondum se opere ostendit corporalia cuncta despiciere. - Contingit tamen quandoque quod aliquis post mortalia vulnera pro Christo suscepta, vel quascumque alias tribulationes continuatas usque ad mortem, quas a persecutoribus patitur pro fide Christi, diu vivat: in quo statu actus martyrii meritorius est, et etiam ipso eodem tempore quo hujusmodi afflictiones patitur (Ad 4m).

Art. V. – *Utrum sola fides sit causa martyrii.*

RESP. NEG. – *Scil.* : professio fidei non est sola causa martyrii.

R. EST: quia exterior fidei protestatio fit non solum per verba, quibus aliquis confitetur fidem, sed etiam per facta, quibus aliquis fidem se habere ostendit. Et ideo omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quaedam protestationes fidei, et sic possunt esse martyrii causa.

QUAESTIO CXXV

De timore

Deinde considerandum est de vitiis oppositis fortitudini; et primo de timore; secundo, de intimiditate; tertio, de audacia. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum timor sit peccatum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : timor inordinatus habet rationem peccati.

R. EST: quia timor inordinatus hic habetur quando appetitus fugit ea quae ratio dictat esse sustinenda, ne desistat ab aliis quae magis prosequi debet. Quando autem appetitus timendo refugit id quod est secundum rationem fugiendum, tunc appetitus non est inordinatus, nec peccatum.

Art. II. – *Utrum peccatum timoris opponatur fortitudini.*

RESP. AFF. – *Scil.* : timor praecipuus periculorum mortis opponitur proprie fortitudini.

R. EST: quia circa talia pericula est fortitudo. Et propter hoc antonomastice dicitur timiditas fortitudini opponi. – Timor autem inordinatus

communiter sumptus includitur in quolibet peccato, sicut et amor inordinatus a quo procedit. Sic avarus timet amissionem pecuniae, intemperatus amissionem voluptatis, et sic de aliis.

Art. III. - *Utrum timor sit peccatum mortale.*

RESP. AFF. - *Scil.* : potest esse peccatum mortale.

R. EST: quia aliquis propter timorem, quo refugit periculum mortis vel quodcumque aliud temporale malum, potest esse sic dispositus ut faciat aliquid prohibitum, vel praetermittat aliquid quod est praeceptum sub gravi in lege divina; et talis timor est peccatum mortale: alioquin erit peccatum veniale.

Art. IV. - *Utrum timor excusat a peccato.*

RESP. AFF. - R. EST: quia timor est peccatum quando est voluntarie inordinatus; timor autem ordinatus non est peccatum. Sic quicumque ut fugiat mala quae secundum rationem sunt magis fugienda, non refugit mala quae sunt minus fugienda, non incurrit peccatum. Unde si quis propter timorem mortis latronibus aliquid promitteret, aut daret, excusaretur a peccato.

QUAESTIO CXXVI

De intimiditate

Deinde considerandum est de vitio intimiditatis, et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum intimiditas sit peccatum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia intimiditas, seu inordinate impavidum esse, contingit vel ex defectu amoris; nam est unicuique naturaliter inditum ut propriam vitam amet, et ea quae ad ipsam

ordinantur, cum debito modo; – vel ex animi elatione, cum scilicet aliquis, ex superbia animi de se praesumentis et alios contemnentis, aestimat mala opposita bonis quae amat, sibi superveniri non posse; – vel ex stoliditate, cum impavidum esse ex defectu rationis provenit. Unde dicitur Prov. xiv, 16: *Sapiens timet et declinat a malo.*

Art. II. – *Utrum esse impavidum opponatur fortitudini.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia ad fortitudinem pertinet timor moderatus secundum rationem, ut scilicet homo timeat quod oportet, et quando oportet. Unde sicut timiditas opponitur fortitudini per excessum timoris, inquantum scilicet homo timet quod non oportet; ita etiam impaviditas opponitur ei per defectum timoris, inquantum scilicet aliquis non timet quod oportet timere. – Sic impaviditas ex sua specie corrumpit medium fortitudinis, et ideo directe opponitur fortitudini (Ad 2m).

QUAESTIO CXXVII

De audacia

Deinde considerandum est de audacia; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum audacia sit peccatum.*

RESP. AFF. – *Scil. :* ut passio vitiosa per superabundantiam.

R. EST: quia ut talis audacia caret moderatione rationis.

Art. II. – *Utrum audacia opponatur fortitudini.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia audacia, secundum quod sonat vitium, importat excessum passio-

nis, qui *audacia* dicitur (tanquam vitium innotatum). Unde manifestum est quod opponitur virtuti fortitudinis quae est contra timores et audacias.

QUAESTIO CXXVIII

De partibus fortitudinis

Art. Unicus. – *Utrum partes fortitudinis convenienter enumerentur.*

RESP. AFF. – *Scil.:* partes quasi integrales, et partes potentiales.

R. EST: quia partes quasi integrales alicujus virtutis assignantur ei secundum ea quae oportet concurrere ad actum ipsius. Actus autem fortitudinis est duplex: scil. aggredi et sustinere. Ad primum duo requiruntur: praeparatio animi, et quantum ad hoc ponitur *fiducia*; et executio operis, ne scilicet aliquis deficiat in executione illorum quae fiducialiter inchoavit, et quantum ad hoc ponitur *magnificentia*. – Ad alium autem actum fortitudinis, qui est sustinere, duo requiruntur: quorum primum est ne difficultate imminetium malorum animus frangatur per tristitiam, et decidat a sua magnitudine; et quantum adhuc ponitur *patientia*. Aliud autem est ut ex diuturna difficilium passione homo non fatigetur usque ad hoc quod desistat; et quantum ad hoc ponitur *perseverantia*. – Partes autem potentiales alicujus virtutis assignantur ei secundum quod observant circa quasdam alias materias minus difficiles ipsius virtutis. Et secundum hoc partes supra indicatae fortitudinis, inquantum referuntur circa pericula mortis, sunt integrales; inquantum vero observant circa alias materias minus difficiles, sunt potentiales, seu fortitudini adnexae, sicut secundariae principali.

NOTANDUM: Fortitudini, secundum quod est specialis virtus, non possunt assignari partes subiectivae, eo quod non dividitur in multas virtutes specie differentes, quia est circa materiam valde specialem, (scil. pericula mortis quae omnia sunt ejusdem generis, etiamsi alia sint aliis majora). - (In corp. art.).

QUAESTIO CXXIX

De magnanimitate

Deinde considerandum est de singulis fortitudinis partibus, ita tamen ut sub quatuor principalibus, quas Tullius ponit, alias comprehendamus; nisi quod magnanimitatem, de qua etiam Aristoteles tractat, loco *fiduciae* ponemus. Primo ergo considerandum erit de magnanimitate; secundo de magnificentia; tertio de patientia; quarto de perseverantia. Circa primum considerandum est de magnanimitate; secundo de vitiis oppositis. Circa primum quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum magnanimitas sit circa honores.*

RESP. AFF. - R. EST: quia aliquis dicitur magnanimus ex his quae sunt magna absolute et simpliciter, sicut dicitur aliquis fortis ex his quae sunt difficilia simpliciter. Nam magnanimitas, ut ex suo nomine significat, quamdam extensionem animi ad magna importat. In rebus autem exterioribus, absolute et simpliciter maximus est honor, tum quia propinquissimus est virtuti, utpote testificatio quaedam existens de virtute alicujus, tum quia Deo et optimis exhibetur, tum etiam quia homines propter honorem consequendum et ut vituperium vitandum, alia omnia postponunt. - Sic magnanimitas respicit honorem inquantum honor habet rationem magni vel ardui (Ad 1m).

NOTANDUM: Illi qui contemnunt honores hoc modo quod pro eis adipiscendis nil inconueniens faciunt, nec eos nimis appetiantur, laudabiles

sunt. Si quis autem hoc modo contemneret honores, quod non curaret facere ea quae sunt digna honore, hoc vituperabile esset. Et hoc modo magnanimitas est circa honores, ut videlicet studeat facere ea quae sunt honore digna, non tamen sic ut pro magno aestimet humanum honorem (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum magnanimitas de sui ratione habeat quod sit circa magnum honorem.*

RESP. AFF. - R. EST: quia circa mediocres honores est alia virtus, quae innominata est; nominatur tamen ex suis extremis, quae sunt *philotimia*, i. e., amor honoris; et *aphilotimia*, i. e., sine amore honoris: laudatur enim quandoque qui amat honorem, quandoque autem qui non curat de honore, prout scil. utrumque moderate fieri potest. Magnanimus autem ad ea, quae sunt magno honore digna, attendit. Nam objectum alicujus virtutis, ratione ejus perfectionis, est ut sit difficile et magnum.

NOTANDUM: Cum virtus, cui honor debetur a Deo, non possit sufficienter ab hominibus honorari, sequitur quod magnanimus non extollitur ex honoribus, etiam si sint magni; quia non reputat eos supra se, sed magis eos contemnit. Et similiter, dehonorationibus non frangitur, sed eas contemnit, utpote quas reputat sibi indigne offerri (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum magnanimitas sit virtus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia magnanimitas ponit modum rationis circa magnos honores. Ad rationem enim virtutis humanae pertinet ut in rebus humanis bonum rationis, quod est bonum hominis, servetur.

NOTANDUM: En quaedam qualitates magnanimi: Magnanimus intendit solum ad magna, quae pauca sunt, quae etiam indigent magna attentione, et ideo habet *motum tardum*, et non intromittit se nisi de magnis; se magnis dignificat secundum

considerationem donorum quae possidet ex Deo, et contemnit alios secundum quod deficiunt a donis Dei (Ad 3m et ad 4m passim). Item, magnanimus non est planctivus, quia exterioribus malis non succumbit (Art. iv, hujus quae., ad 2m); et non est *microkindynos*, i. e., pro parvis periclitans; sed est *megalokindynos*, i. e., pro magnis periclitans; unde pro his quae vere sunt magna se ipsum periculis promptissime exponit (art. v, hujus q., ad 2m).

Art. IV. - *Utrum magnanimitas sit virtus specialis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ponit modum rationis circa determinatam materiam, scil. circa honores. Honor autem secundum se consideratus, est quoddam speciale bonum.

Art. V. - *Utrum magnanimitas sit pars fortitudinis.*

RESP. AFF. - *Scil.* : ut habitus, magnanimitas adjungitur fortitudini sicut secundaria principali, i. e., ut pars potentialis seu adnexa.

R. EST: quia pars potentialis alicujus virtutis, in aliquo convenit cum ipsa virtute cujus est pars, in aliquo vero ab ea deficit. Magnanimitas autem convenit cum fortitudine, inquantum confirmat animum circa aliquod arduum; deficit autem ab ea in hoc quod confirmat animum in eo circa quod facilius est firmitatem servare, i. e., non in periculis mortis, quod est objectum proprium fortitudinis.

Art. VI. - *Utrum fiducia pertineat ad magnanimitatem.*

RESP. AFF. - quia fiducia importat quoddam robur spei, proveniens ex aliqua consideratione, quae facit vehementem opinionem de bono assequendo, inde est quod fiducia ad magnanimitatem

pertinet, quia magnanimitas est proprie circa spem alicujus ardui (Art. 1 hujus q.).

NOTANDUM: Quamvis nomen fiduciae ex fide sit assumptum, tamen fiducia ad spem pertinet, securdum illud Job. xi, 18: *Habebis fiduciam proposita tibi spe*. Unde nomen fiduciae hoc principaliter significare videtur, quod aliquis spem concipiat ex hoc quod credit verbis alicujus auxilium promittentis, vel ex aliquo considerato, sive in seipso, sive in alio, uti potente. Unde est quod fiducia ex consequenti ad fortitudinem pertinet sicut pars integralis, nisi assumatur pro magnanimitate, sicut Tullius facit. (Passim in art. et in resp.).

Art. VII. - *Utrum securitas ad magnanimitatem pertineat.*

RESP. AFF. - *Scil.*: securitas immediate pertinet ad fortitudinem; ex consequenti autem pertinet etiam ad magnanimitatem.

R. PRIMI EST: quia securitas dicitur per remotionem curae, prout debet, quam timor ingerit: et ideo securitas importat quamdam perfectam quietem animi a timore. Timor autem directe pertinet ad fortitudinem; et sic securitas immediate pertinet ad fortitudinem.

R. SECUNDI EST: quia securitas repellit causam desperationis, scil. timorem; et ideo securitas indirecte roborat spem, quae directe et immediate pertinet ad magnanimitatem. Inde est quod securitas ex consequenti pertinet ad magnanimitatem. - E contra, fiducia, quae est spes roborata ex aliqua firma opinione, immediate pertinet ad magnanimitatem; ex consequenti vero ad fortitudinem, quia utitur audacia.

Art. VIII. - *Utrum bona fortunae conferant ad magnanimitatem.*

RESP. AFF. - *Scil.*: ad hoc ut expeditius operetur.

R. EST: quia magnanimitas ad duo respicit: ad honorem sicut ad materiam, et ad aliquid magnum operandum sicut ad finem. Ad utrumque autem istorum bona fortunae cooperantur: ad honorem quidem, quia ab hominibus major honor exhibetur his quibus adsunt exteriora bonae fortunae; ad operandum autem aliquid magnum, quia per divitias et potentias et amicos datur nobis facultas operandi. Et sic manifestum est quod bona fortunae conferunt ad magnanimitatem.

QUAESTIO CXXX

De praesumptione *

Deinde considerandum est de vitiis oppositis magnanimitati: et primo de illis quae opponuntur ei per excessum, quae sunt tria, scil. praesumptio, ambitio, et inanis gloria; secundo de pusillanimitate, quae opponitur ei per modum defectus. Et circa primum quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum praesumptio sit peccatum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia vitiosum est et peccatum, quasi contra ordinem naturalem existens, quod aliquis assumat ad agendum ea quae praeferuntur suae virtuti.

Art. II. – *Utrum praesumptio opponatur magnanimitati per excessum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia magnanimus non tendit in majora quam sibi convenient; in hoc

* Praesumptio de qua hic agitur, non est ea qua quis ex nimia divinae misericordiae confidentia expectat a Deo veniam peccatorum absque poenitentia aut gloriam sine meritis, quae est peccatum in Spiritum sanctum; sed quaestio est de praesumptione qua quis aggreditur vel aggredi contendit id quod vires illius superat.

enim est medium hujus virtutis, quod est medium proportionis ad propriam facultatem. Praesumptuosus autem excedit proportionem suae facultatis. Et in hoc opponitur magnanimitati per excessum.

QUAESTIO CXXXI

De ambitione

Deinde considerandum est de ambitione, et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum ambitio sit peccatum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ambitio importat inordinatum appetitum honoris.

NOTANDUM: Appetitum honoris contingit esse inordinatum tripliciter: uno modo appetendo testimonium de excellentia quam quis non habet; alio modo per hoc quod aliquis honorem sibi cupit, non referendo in Deum; tertio per hoc quod appetitus ejus in ipso honore quiescit, non referens honorem ad utilitatem aliorum (In corp. art.).

Art. II. - *Utrum ambitio opponatur magnanimitati per excessum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia magnanimitas est circa honores, et utitur eis secundum quod oportet; ambitio autem importat appetitum honoris inordinatum, ut dictum est (Art. 1).

NOTANDUM: Praesumptio opponitur magnanimitati per excessum ratione finis, quod est aliquod magnum opus secundum proportionis facultatis; ambitio autem opponitur magnanimitati per excessum, ratione materiae circa quam, scil. honores, quibus ambitiosus indebite utitur (Ad 1m).

QUAESTIO CXXXII

De inani gloria

Deinde considerandum est de inani gloria; et circa hoc quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum appetitus gloriae sit peccatum.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Appetitus gloriae de se non est peccatum; sed appetitus inanis vel vanae gloriae vitium importat.

R. PRIMI EST: quia glorificari, quod est idem quod clarificari, aliud non est nisi bonum alicujus in multorum notitiam et approbationem devenire, quod secundum se, non est malum, dicitur enim Matth. v, 16: *Luceat lux vestra coram hominibus.*

R. SECUNDI EST: quia quodlibet vanum appetere vitiosum est, secundum illud Ps. iv, 3: *Ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?*

NOTANDUM: Gloria dicitur vana tripliciter: uno modo ex parte rei; puta cum quis gloriam quaerit de eo quod non est, vel de eo quod non est gloria dignum, sicut de aliqua re fragili et caduca; alio modo ex parte ejus a quo quis gloriam quaerit, puta hominis, cujus iudicium non est certum; tertio modo, ex parte ipsius qui gloriam appetit, qui videlicet appetitum gloriae suae non refert in debitum finem, puta ad honorem Dei, vel proximi salutem. (In corp. art.).

Art. II. – *Utrum inanis gloria magnanimitati opponatur.*

RESP. AFF. – *Scil.:* directe.

R. EST: quia magnanimitas, quae moderate utitur honore, ut dictum est (quaes. cxxix, art. 1 et 2), etiam moderate utitur gloria. Nam gloria est quidam effectus honoris et laudis; aliquis enim redditur clarus in notitia aliorum ex hoc

quod laudatur, vel ei reverentia exhibeatur. Et ideo inordinatus appetitus gloriae directe opponitur magnanimitati.

Art. III. - *Utrum inanis gloria sit peccatum mortale.*

RESP. NEG. - R. EST: quia inanis gloria, secundum se considerata, non contrariatur charitati, quae proximo debetur. - Potest tamen inanis gloria Dei charitati contrariari, et sic mortale peccatum esset. Contrariari potest Dei charitati, vel ex parte materiae; puta si quis gloriatur de aliquo facto, quod contrariatur divinae reverentiae, sicut cum aliquis gloriatur de donis Dei quasi ea non accepisset, secundum illud I. Cor. iv, 7: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Vel ex parte ipsius gloriantis, si scilicet intentionem suam referat ad gloriam tanquam ad ultimum finem.

NOTANDUM: Nullus peccando meretur vitam aeternam; unde opus virtuosum amittit vim merendi vitam aeternam, si propter inanem gloriam fiat, etiamsi illa inanis gloria non sit peccatum mortale. Si autem inanis gloria sit peccatum mortale, tunc peccans amittit aeternam mercedem simpliciter, et non solum quantum ad unum actum (Ad 1m).

Art. IV. - *Utrum inanis gloria sit vitium capitale.*

RESP. AFF. - R. EST: quia propter suam propinquitatem ad excellentiam, quam homines maxime desiderant, consequens est quod gloria sit multum appetibilis. Inde est quod ex ejus inordinato appetitu multa vitia oriuntur, et ideo inanis gloria est vitium capitale.

NOTANDUM: Quidam ponunt superbiam unum de vitiis capitalibus; et hi non ponunt inanem gloriam inter vitia capitalia. Gregorius autem superbiam ponit reginam et matrem omnium

vitiorum, et inanem gloriam, quae immediate ab ipsa oritur, ponit vitium capitale. Et hoc rationabiliter; quia fines omnium vitiorum ordinantur in finem superbiae, ut infra dicitur, scil. quaest. clxii, art. 1 et 2. (In corp. art.).

Art. V. – *Utrum convenienter dicantur filiae inanis gloriae esse inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia, et novitatum praesumptio.*

RESP. AFF. – R. EST: quia filiae alicujus virtutis capitalis dicuntur illa vitia quae de se nata sunt ordinari ad finem ejus. Finis autem inanis gloriae est inordinata manifestatio propriae excellentiae. Et ad hanc manifestationem concurrunt praedicta vitia: vel directe, per verba, et sic habetur *jactantia*; sive per facta, et si sint vera habetur *praesumptio novitatum*, quae excitat admirationem, si autem sunt falsa, habetur *hypocrisis*; – vel indirecte, cum aliquis ostendit se non esse alio minorem, quod fit quadrupliciter, scil. ex parte intellectus, per *pertinaciam*; ex parte voluntatis, per *discordiam*; verbis, per *contentionem*; et factis, per *inobedientiam*.

QUAESTIO CXXXIII

De pusillanimitate

Deinde considerandum est de pusillanimitate; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum pusillanimitas sit peccatum.**

RESP. AFF. – R. EST: quia contrariatur legi naturali, sicut et praesumptio. Nam, sicut per praesumptionem aliquis excedit proportionem

* Pusillanimitas est vitium quo quispiam refugit ea aggredi vel tentare quae ipsius facultatem non superant.

suae potentiae, dum nititur ad majora quam possit; ita pusillanimus etiam deficit a proportionem suae potentiae, dum recusat in id tendere quod est suae potentiae commensuratum.

NOTANDUM: Pusillanimus dicitur non esse malus, quia nulli per se infert nocumentum; per accidens tamen malus est, inquantum deficit ab operationibus quibus posset alios juvare. Inde dicit Gregorius in Pastoralis (Part. I, c. 5): « Illi qui prodesse utilitati proximorum in praedicatione refugiant, si directe judicentur ex tantis procul dubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt ». - Item, pusillanimitas oriri potest etiam ex superbia: dum scilicet aliquis nimis proprio sensu innititur, quo reputat se insufficientem ad ea respectu quorum sufficientiam habet (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum pusillanimitas opponatur magnanimitati.*

RESP. AFF. - *Scil.:* secundum propriam rationem pusillanimitas directe opponitur magnanimitati.

R. EST: quia sicut magnanimus ex animi magnitudine tendit ad magna, ita pusillanimus ex animi parvitate se retrahit a magnis.

NOTANDA: 1. Causa pusillanimitatis, quae est ex parte intellectus, est ignorantia propriae conditionis, quae oritur ex pigritia considerandi suam facultatem; ex parte autem appetitus est timor deficiendi in his quae falso aestimat excedere suam facultatem (In corp. art.).

2. Pusillanimitas est gravius peccatum, secundum propriam speciem, quam praesumptio, quia per ipsam recedit homo a bonis: quod est pessimum ut dicitur (Ethic. lib. iv). Sed praesumptio dicitur esse nequissima ratione superbiae, ex qua procedit (Ad 4m).

QUAESTIO CXXXIV

De magnificentia *

Deinde considerandum est de magnificentia et vitiis oppositis. Circa magnificentiam autem quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum magnificentia sit virtus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia operari aliquid magnum, ex quo magnificentiae nomen sumitur, proprie pertinet ad rationem virtutis. Nam virtus dicitur « per comparisonem ad ultimum (per excessum) in quod potentia potest ».

Art. II. – *Utrum magnificentia sit specialis virtus.*

RESP. AFF. – *Scil.:* magnificentia est specialis virtus prout *facere* proprie dicitur; non autem si communiter dicitur.

R. EST: quia *proprie facere* dicitur operari aliquid in exteriori materia, sicut facere domum, vel aliquid aliud hujusmodi factibile. Opus autem factibile producitur ab arte: in cujus quidem usu potest attendi una specialis ratio bonitatis, quod ipsum opus factum per artem sit magnum, scil. in quantitate, pretiositate, vel dignitate, quod facit magnificentia. Et secundum hoc magnificentia est specialis virtus. – *Communiter* autem dicitur *facere* pro quacumque actione, sive transeat in exteriorem materiam, sive maneat in ipso agente, sicut intelligere et velle. Et sic magnificentia non est specialis virtus, sed est cujuslibet virtutis status perfectus (Ad 1m). – Sic ergo, sicut magnanimitas intendit aliquid magnum in

* Ad magnificentiam pertinet facere aliquid magnum, ut ex ipso nomine patet.

omni materia, ita et magnificentia in aliquo opere factibili (Ad 2m), praecipue in honorem Dei (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum materia magnificentiae sint sumptus magni.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ad hoc quod opus magnum convenienter fiat, requiruntur proportionati sumptus, i. e., quaedam pecuniae emissiones, quibus utitur magnificus ad opus magnum faciendum.

NOTANDUM: Usus pecuniae pertinet ad liberalem et ad magnificum, sed aliter et aliter. Ad liberalem enim pertinet, secundum quod procedit ex ordinato affectu circa pecunias: et ideo omnis usus debitus pecuniae, pertinet ad liberalitatem, scilicet dona et sumptus. Sed usus pecuniae pertinet ad magnificum in ordine ad aliquod magnum opus, quod faciendum est: et talis usus non potest esse sine sumptu, sive expensa. (Ad 2m). - Et quia principalis actus virtutis est interior electio, quam virtus potest habere absque exteriori fortuna, inde est quod etiam pauper potest esse magnificus (Ad 4m).

Art. IV. - *Utrum magnificentia sit pars fortitudinis.*

RESP. AFF. - *Scil. :* Ut specialis virtus, magnificentia non potest poni pars subjectiva fortitudinis; sed ponitur ut pars potentialis.

R. PRIMI EST: quia magnificentia non convenit in materia cum fortitudine.

R. SECUNDI EST: quia pars potentialis, seu adnexa, alicujus virtutis illa est quae cum ipsa virtute in aliquo convenit, et in aliquo deficit ab ipsa. Magnificentia autem convenit cum fortitudine, quia tendit in aliqua ardua et difficilia, scilicet in dispendium rerum; deficit autem a fortitudine, quia multo minus est difficultas in dispen-

dio rerum, quam in periculo quod imminet personae, quod est id in quod fortitudo tendit.

NOTANDUM: Magnificentia respicit sumptum per comparisonem ad spem, attingendo ad aliquid arduum, non simpliciter, sicut magnanimitas, sed in determinata materia, scilicet in sumptibus: unde magnificentia videtur esse in irascibili, sicut et magnanimitas. Liberalitas autem est in concupiscibili, quia respicit sumptus per comparisonem ad amorem et concupiscentiam pecuniarum (Ad 1m).

QUAESTIO CXXXV

De parvificentia *

Deinde considerandum est de vitiis oppositis magnificentiae, et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum parvificentia sit vitium.*

RESP. AFF. - R. EST: quia parvificus deficit a proportione, quae debet esse secundum rationem inter sumptus et opus.

Art. II. - *Utrum parvificentiae aliquod vitium opponatur.*

RESP. AFF. - R. EST: quia parvum et magnum relative dicuntur; sicut igitur vitium est parvificentia, qua aliquis deficit a debita proportione expensarum ad opus; ita etiam vitium est, huic contrarium, quod aliquis plus expendat quam sit operi proportionatum. - Et hoc vitium graece quidem dicitur βαναυσία a furno dicta, quia videlicet ad modum ignis, qui est in furno, omnia consumit. Vel dicitur ἀπυροκαλία, i. e., sine

* Parvificentia definiri potest vitium quo aliquis deficit a debita proportione expensarum ad opus, intendens minus expendere quam dignitas operis requirat.

bono igne, quia ad modum ignis omnia consumit non propter bonum. Unde latine hoc vitium potest nominari *consumptio*.

QUAESTIO CXXXVI

De patientia

Deinde considerandum est de patientia; et circa hoc quaeruntur quinque:

Art. I. - *Utrum patientia sit virtus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia patientia est per quam bonum rationis conservatur contra impetus passionis, scil. tristitiae, ne ratio tristitiae succumbat. Unde Augustinus dicit (Lib. De Patientia, cap. 2): « patientia hominis est qua mala aequo animo toleramus, i. e., sine perturbatione tristitiae, ne animo iniquo bona deseramus, per quae ad meliora perveniamus ».

NOTANDUM: Patientia quantum ad habitum ponitur virtus; quantum autem ad delectationem quam habet in actu, ponitur fructus; et praecipue quantum ad hoc quod per patientiam animus praeservatur, ne obruatur tristitia (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum patientia sit potissima virtutum.*

RESP. NEG. - R. EST: quia potiores sunt illae virtutes quae sunt constitutivae boni (rationis), quam illae quae impeditivae eorum quae abducunt a bono. Patientia autem non est virtus constitutiva, sed impeditiva. Et inter impeditivas virtutes, ultimum locum habet patientia, scil. post fortitudinem et temperantiam, quae retrahunt a majoribus impedimentis, quam patientia.

NOTANDUM: Quantum ad illa verba Jacobi, I, 4: *patientia habet opus perfectum*, notandum est quod patientia opus perfectum habet in adversis tolerandis. Nam, primo ex his procedit tristitia, quam

moderatur patientia; secundo ira, quam moderatur mansuetudo; tertio odium, quod tollit charitas; quarto injustum nocumentum, quod prohibet justitia. Tollere autem principium uniuscujusque (mali) est perfectius. Et secundum hoc patientia est perfectior; non tamen est perfectior simpliciter (Ad 1m). - Item quantum ad verba Luc. xxi, 19: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*, dicendum est quod per patientiam dicitur homo suam animam possidere, inquantum radicatus evellit passiones adversitatum, quibus anima inquietatur (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum patientia possit haberi sine gratia.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Patientia perfecta, seu ut virtus, non potest esse sine gratia habituali.

R. EST: quia patientia, secundum quod est virtus, causatur a charitate. Nam patientia, ut virtus, tolerat amissionem bonorum naturalium, ex qua causatur dolor, quia praefert bonum gratiae omnibus naturalibus bonis. Hoc autem pertinet ad charitatem, secundum illud I. Corinth. xiii, 4: *Charitas patiens est.* - *Charitas autem diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Non datur autem Spiritus sanctus sine gratia.

NOTANDUM: Potest homo propter bona temporalia adversa per patientiam tolerare; sed haec non est illa patientia de qua hic loquimur, quae scilicet omnia sustinet propter Dei amorem, et ut vitam aeternam non amittat, quod ex motivo supernaturali procedit (In responsionibus passim).

Art. IV. - *Utrum patientia sit pars fortitudinis.*

RESP. AFF. - *Scil.:* pars potentialis, quae adjungitur fortitudini sicut virtus secundaria principali.

R. EST: quia in malis quae ab aliis inferuntur, praecipua sunt et difficillima ad sustentandum illa

quae pertinet ad pericula mortis, circa quae proprie et principaliter est fortitudo. Unde patet quod in ista materia principalitatem tenet fortitudo; patientia autem adjungitur ei sicut secundaria virtus principali. - Unde ad fortitudinem pertinet non qualiacumque sustinere, sed illud quod est summe difficile in sustinendo, scilicet pericula mortis; ad patientiam autem potest pertinere sustinentia quorumcumque malorum (Ad 1m), ad hoc scilicet ut non inordinate ex eis tristetur; principaliter est enim patientia circa tristitias: et propter hoc patientia est in concupiscibili; dum fortitudo, quae principaliter est circa timores, est in irascibili (Ad 2m).

NOTANDUM: Patientia potest quantum ad aliquid sui poni pars *integralis* fortitudinis, prout scilicet aliquis patienter *sustinet* mala, quae pertinent ad pericula mortis *. Nec est contra rationem patientiae quod aliquis, quando opus fuerit, insiliat in eum qui mala facit, quia, ut Chrysostomus (vel alius) dicit super illud Matth, iv: *Vade, Satana*, « in injurias propriis patientem esse, laudabile est; injurias autem Dei patienter sustinere nimis est impium ». (Ad 3m).

Art. V. - Utrum patientia sit idem quod longanimitas.

RESP. NEG. - R. EST: quia longanimitas, quae est illa virtus per quam aliquis habet animum tendendi in aliquid quod in longinquum distat, magis respicit spem tendentem in bonum, quam audaciam, vel timorem, vel tristitiam, quae respiciunt malum. Unde longanimitas majorem convenientiam videtur habere cum magnanimitate quam cum patientia. - Convenit tamen patientia cum longanimitate, primo in hoc quod patientia sustinet mala propter aliquod bonum; quod si illud bonum in longinquum differatur,

* Partes integrales alicujus virtutis respiciunt *actum* ipsius.

difficilius est mala in praesenti sustinere; – secundo, quia hoc ipsum quod est differri bonum speratum, natum est causare tristitiam, secundum illud Prov. xiii, 12: *Spes quae differtur, affligit animam.*

QUAESTIO CXXXVII

De perseverantia *

Deinde considerandum est de perseverantia et de vitiis oppositis. Circa perseverantiam autem quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum perseverantia sit virtus.*

RESP. AFF. – *Scil.*: est virtus specialis.

R. EST: quia bonitas et difficultas, circa quas est virtus, possunt esse ex duobus: scil. ex ipsa specie actus, quae accipitur secundum rationem proprii objecti; et ex ipsa diuturnitate temporis; nam hoc ipsum quod est diu insistere alicui difficili, specialem difficultatem habet. Et ideo diu persistere in aliquo bono usque ad consummationem, quod est perseverantiae, pertinet ad specialem virtutem. – Et quia perfectio virtutis magis attenditur secundum rationem boni quam secundum rationem difficili, inde est quod perseverantia, ut virtus perfecta, consistit in persistendo in bono magis perfecto, etiamsi persistere sit minus difficile. (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum perseverantia sit pars fortitudinis.*

RESP. AFF. – *Scil.*: est pars potentialis, seu adnexa.

* Perseverantia sumitur hic pro continuatione virtuosi operis, qualecumque sit, usque ad finem quem ratio praescripserit: sicut, v. g., quod miles usque ad finem certaminis perseveret. In art. IV agitur de perseverantia qua quid pervenit ad vitam aeternam.

R. EST: quia cum fortitudo sit principalis virtus in his in quibus difficillimum est firmiter persistere (est enim circa pericula mortis), sequitur quod omnis alia virtus, cujus laus consistit in sustinendo firmiter aliquod difficile, adjungitur fortitudini sicut secundaria virtus principali. Sustinere autem difficultatem quae provenit ex diuturnitate boni operis, dat laudem perseverantiae. Et ideo perseverantia adjungitur fortitudini, ut secundaria virtus principali, seu ut pars potentialis ejus; et est in irascibili, sicut et fortitudo. (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum constantia pertineat ad perseverantiam.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Perseverantia et constantia conveniunt in fine.

R. EST: quia ad utrumque pertinet firmiter persistere in aliquo bono. Differunt tamen secundum ea quae difficultatem afferunt ad persistendum in bono: nam virtus perseverantiae proprie facit firmiter persistere hominem in bono contra difficultatem quae provenit ex ipsa diuturnitate actus; constantia autem facit firmiter persistere in bono contra difficultatem quae provenit ex quibuscumque aliis exterioribus impedimentis.

NOTANDUM: Constantia pertinet etiam ad patientiam, scil. secundum illa exteriora impedimenta quae difficultatem inferunt, quia haec gerunt tristitiam, circa quam est patientia. Sed quia finis potior est, ideo constantia magis pertinet ad perseverantiam quam ad patientiam (Ad 1m).

Art. IV. - *Utrum perseverantia indigeat auxilio gratiae.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Perseverantia ut habitus infusus, indiget gratia habituali; ut actus perse-

verantiae autem indiget etiam gratuito Dei auxilio conservantis hominem in bono usque ad finem vitae.

R. PRIMI EST: quia non dantur virtutes infusae sine gratia habituali.

R. SECUNDI EST: quia, ut dictum est (I-II, qu. cix, art. 10), cum liberum arbitrium de se sit vertibile, et hoc ei non tollatur per habitualem gratiam praesentis vitae, non subest potestati liberi arbitrii etiam per gratiam reparati, ut se immobiliter in bono statuatur, licet sit in potestate ejus quod hoc eligat: plerumque enim cadit in nostram potestatem electio, sed non executio.

QUAESTIO CXXXVIII

De vitiis oppositis perseverantiae

Deinde considerandum est de vitiis oppositis perseverantiae; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum mollities opponatur perseverantiae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ad rationem mollitiei pertinet quod aliquis de facili recedat a bono propter aliqua difficilia; nam molle dicitur quod facile cedit tangenti. Hoc autem bono perseverantiae opponitur, ut ex supradictis de perseverantia patet.

NOTANDA: 1. Non reputatur aliquis mollis, si cedat aliquibus valde graviter impellentibus. Unde Philosophus dicit (Eth. lib. vii, c. 7): « si quis a fortibus et superexcellentibus delectationibus vincitur, vel tristitiis, non est admirabile, sed condonabile, si contra tendat ». Tamen Tullius dicit (De offic. lib. i.): « Non est consentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate, nec qui invictum se a labore praestiterit, vinci a voluptate ».

2. Mollities potest ex duobus causari: uno modo ex consuetudine: cum aliquis consuetus est voluptatibus frui, difficilius potest earum absentiam sustinere: et hoc est proprium mollitiei: alio modo ex naturali dispositione, quia videlicet habet animum minus constantem propter fragilitatem complexionis. Et hoc modo comparantur feminae ad masculos, ut Philosophus dicit (l. c.). Et ideo illi qui muliebria patiuntur, molles dicuntur, quasi muliebres effecti (Ad 1m). - Contra mollities ordinatur labor, qui opponitur voluptati corporali, et impedit voluptates (Ad 2m). - Remissio ordinata a labore sive ludo sive quiete pertinet ad eutrapeliam; sed nimis appetere remissionem ludi, vel quamcumque aliam quietem pertinet ad mollities. (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum pertinacia opponatur perseverantiae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia pertinax, quasi omnino tenax impudenter, plus quam oportet in propria sententia perseverat. Unde, sicut mollis vituperatur secundum defectum, ita et pertinax secundum excessum medii. Perseverans autem laudatur in medio rationis existens.

QUAESTIO CXXXIX

De dono fortitudinis

Deinde considerandum est de dono quod respondet fortitudini, quod est fortitudinis donum; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum fortitudo sit donum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* illa fortitudo qua homo perducitur ad vitam aeternam, quae est finis omnium bonorum operum, et evasio omnium periculorum.

R. EST: quia quod animus hominis moveatur ad hoc quod perveniat ad finem cujuslibet operis

inchoati, et evadat quaecumque pericula imminetia, excedit naturam humanam. Hujus rei ergo Spiritus sanctus infundit menti quamdam fiduciam, contrarium timorem excludens; et secundum hoc fortitudo donum Spiritus sancti ponitur.

NOTANDUM: Actus hujus doni in patria erit perfrui plena securitate a laboribus et malis. (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum quarta beatitudo, scil.: « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam » respondeat dono fortitudinis*

RESP AFF - *Scil* : propter quamdam convenientiam

R. EST: quia valde arduum est quod aliquis non solum opera virtuosa faciat, sed quod faciat ea cum insatiabili quodam desiderio. In arduis autem fortitudo consistit.

NOTANDUM: Inter *Fructus* Spiritus sancti qui sufficienter dono fortitudinis respondent, ponuntur duo: patientia, quae respicit sustinentiam malorum; et longanimitas, quae respicere potest diurnam expectationem et operationem bonorum. (Ad 3m).

QUAESTIO CXL

De praeceptis fortitudinis

Deinde considerandum est de praeceptis fortitudinis; et primo, de praeceptis ipsius fortitudinis; secundo, de praeceptis partium ejus.

Art. I. - *Utrum convenienter in lege divina praecepta fortitudinis tradantur.*

RESP. AFF. - R. EST: quia praecepta legis divinae de fortitudine, sicut et de aliis virtutibus, dantur secundum quod convenit ordinationi mentis humanae in Deum: hoc autem conveniens

est, quia est secundum finem legis divinae, quod est ut homo Deo inhaereat. Propter hoc dicitur Deuter. xx, 3: *Non formidetis eos, quia Dominus Deus vester in medio vestri est, et pro vobis contra adversarios dimicabit*; similiter in novo Test., Luc. xii, 4: *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post haec non habent amplius quid faciant.*

Art. II. - *Utrum convenienter tradantur praecepta in lege divina de partibus fortitudinis.*

RESP. AFF. - *Scil.:* de patientia et de perseverantia.

R. EST: quia homo ad recte vivendum, non solum virtutibus principalibus, sed etiam virtutibus secundariis et adjunctis indiget; et ideo in lege divina sicut dantur convenientia praecepta de actibus virtutum principalium, ita etiam dantur convenientia praecepta de actibus secundariorum virtutum et adjunctarum.

NOTANDUM: Non dantur praecepta de magnificentia et de magnanimitate, quae sunt partes fortitudinis, sed solum de patientia et de perseverantia, quia magnificentia et magnanimitas sunt circa ea quae pertinent ad excellentiam. Hujusmodi autem magis cadunt sub consilio quam sub praecepto. Ad patientiam et ad perseverantiam, e contra, pertinent afflictiones et labores praesentis vitae, et quidem non ratione alicujus magnitudinis in eis consideratae, sed ratione ipsius generis. Et ideo de patientia et perseverantia fuerunt danda praecepta. (Ad 1m).

DE TEMPERANTIA *

Consequenter considerandum est de temperantia: et primo quidem de ipsa temperantia; secundo de partibus ejus; tertio, de praeceptis ipsius. Cir-

* Videatur nostra « Divisio Schematica Summae Theologicae » Tab. XXV.

ca temperantiam autem primo considerare oportet de ipsa temperantia; secundo de vitiis oppositis. Circa primum quaeruntur octo:

QUAESTIO CXLI

De ipsa temperantia *

Art. I. - *Utrum temperantia sit virtus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia temperantia inclinatur hominem ad id quod est secundum rationem; nam in ejus nomine importatur quaedam moderatio seu temperies quam ratio facit.

NOTANDA: 1. Temperantia, cum sit virtus, non contrariatur inclinationi naturae humanae, sed convenit cum ea. Contrariatur tamen inclinationi naturae bestialis non subjectae rationi (Ad 1m).

2. Temperantiae correspondet *donum timoris*, quo aliquis refrenatur a delectationibus carnis, secundum illud Psal. cxviii, 120: *Confige timore tuo carnes meas*. Donum autem timoris principaliter quidem respicit Deum, cujus offensam vitat; et secundum hoc correspondet virtuti spei; secundario autem potest respicere quaecumque aliquis refugit ad vitandam Dei offensam. Maxime autem homo indiget timore divino ad fugiendum ea quae maxime alliciunt, circa quae est temperantiae: et ideo temperantiae etiam correspondet donum timoris. (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum temperantia sit specialis virtus.*

RESP. AFF. - *Scil.*: non secundum communitatem suae significationis; sed secundum quod antonomastice consideratur.

R. PRIMI EST: quia sic temperantia est virtus generalis, et significat quamdam temperiem, i. e.,

* Temperantia, quae est inter virtutes cardinales ultima, defini potest: « Virtus moderans appetitum circa delectationes tactus ».

moderationem quam ratio ponit in humanis operationibus et passionibus, quod est commune in omni virtute morali.

R. SECUNDI EST: quia antonomastice sumpta, temperantia habet specialem materiam, secundum quod refrenat appetitum ab his quae maxime alliciunt hominem.

NOTANDUM: Quamvis pulchritudo conveniat cuilibet virtuti, excellenter tamen attribuitur temperantiae; et hoc propter duo: primo quidem secundum rationem communem temperantiae, ad quam pertinet quaedam moderata et conveniens proportio, in qua consistit ratio pulchritudinis. Alio modo quia ea a quibus refrenat temperantia, sunt infima in homine, convenientia ei secundum naturam bestialem; et ideo temperantia tollit praecipue turpitudinem hominis. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum temperantia sit solum circa concupiscentias et delectationes.*

RESP. AFF. - *Scil.:* temperantia praecipue consistit circa passiones tendentes in bona sensibilia, scilicet circa concupiscentiam et delectationem, ex consequenti autem circa tristitias, quae contingunt ex absentia talium delectationum.

R. EST: quia temperantia importat moderatorem quamdam passionum. Passiones autem animae quae proprie moderatione indigent, sunt illae quarum appetitus *prosequitur* sensibilia et corporalia bona, i. e., concupiscentias et delectationes; nam illae passiones quarum motus appetitivus *refugit* mala sensibilia, praecipue contrariantur rationi, non quidem secundum suam immoderatiam, sed maxime secundum suum discessum, prout scilicet aliquis refugiendo mala sensibilia et corporalia quae interdum concomitantur bonum rationis, per consequens discedit ab ipso bono rationis. Circa tales passiones praec-

cipue est fortitudo, quae firmitatem praestat in bono.

Art. IV. - *Utrum temperantia sit solum circa concupiscentias et delectationes tactus.*

RESP. AFF. - *Scil.* : principaliter.

R. EST: quia temperantia est principaliter circa concupiscentiam maximarum delectationum, sicut fortitudo principaliter est circa timorem maximorum malorum. Maxime autem delectationes sensibilibum sunt illae, quae consequuntur operationes maxime naturales. Hae autem sunt illae quibus natura conservatur; scilicet delectationes ciborum et potuum, quibus conservatur natura individui; et delectationes venereorum, quibus conservatur natura speciei. Tales autem delectationes consequuntur sensum tactus. Unde temperantia est principaliter circa delectationes tactus, secundario vero et ex consequenti, circa delectationes aliorum sensuum, et maxime gustus. (Ad 3m).

Art. V. - *Utrum circa proprias delectationes gustus sit temperantia.*

RESP. NEG. - *Scil.* : circa delectationes gustus (vel olfactus, vel visus) est temperantia vel intemperantia secundario.

R. EST: quia sensibilia horum sensuum non conferunt ad ipsum usum necessariorum rerum ad conservationem individui et speciei; sed conferunt ad hoc ut usus sit magis delectabilis. Tamen quia gustus propinquior est tactui quam alii sensus, ideo temperantia magis est circa gustum quam circa alios sensus.

NOTANDUM: Ad gustum pertinet discretio saporum, qui conferunt ad delectationem alimenti, in quantum sunt signa convenientis nutrimenti. (Ad 1m).

Art. VI. – *Utrum regula temperantiae sit sumenda secundum necessitatem praesentis vitae.*

RESP. AFF. – *Scil.*: temperantia accipit necessitatem hujus vitae sicut regulam delectabilium, quibus utitur, ut scilicet tantum eis utatur, quantum necessitas hujus vitae requirit.

R. EST: quia regula eorum quae sunt ad finem est ipse finis. Omnia autem delectabilia circa quae est temperantia, quae in usum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam hujus vitae necessitatem sicut ad finem. Unde temperantia accipit regulam delectabilium quibus utitur, secundum necessitatem hujus vitae, ut scilicet tantum eis utatur, quantum necessitas hujus vitae requirit.

NOTANDUM: Per necessitatem hujus vitae intelligendum est non tantum, ea necessitas qua dicitur necessarium id sine quo res absolute esse non potest, sed etiam qua dicitur id necessarium sine quo res non potest convenienter esse, spectatis nimirum omnibus circumstantiis honestatis, status, officii, dignitatis, fortunae, etc. (Ad 2m et ad 3m).

Art. VII. – *Utrum temperantia sit virtus cardinalis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia virtus principalis seu cardinalis dicitur quae principaliter laudatur ex aliquo eorum quae communiter requiruntur ad rationem virtutis. Ad rationem autem virtutis (moralis) communiter requiritur moderatio in delectationibus tactus; nam tales delectationes sunt nobis naturales, et objecta earum sunt necessaria praesentis vitae. Moderatio autem haec ad temperantiam pertinet; et ideo temperantia est virtus cardinalis seu principalis.

Art. VIII. – *Utrum temperantia sit maxima virtutum.*

RESP. NEG. – R. EST: quia quanto magis virtus pertinet ad bonum multitudinis, tanto melior

est. **Justitia** autem et fortitudo magis pertinent ad bonum multitudinis quam temperantia; quod patet ex supra dictis de justitia et de fortitudine: **justitia** enim est ad alterum, et fortitudo est circa pericula mortis, praecipue bellorum. **Temperantia** autem moderatur solum concupiscentias et delectationes eorum quae pertinent ad ipsum hominem.

NOTANDUM: Inter virtutes primum locum tenent virtutes theologicae; prudentia est omnium virtutum moralium excellentissima, justitia in secundo loco, fortitudo in tertio, et temperantia in ultimo collocanda est.

QUAESTIO CXLII

De vitiis quae adversantur temperantiae

Deinde considerandum est de vitiis oppositis temperantiae; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum insensibilitas sit vitium.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia ad vitium insensibilitatis pertinet ut quis intantum delectationem refugeret quod praetermitteret ea quae sunt necessaria ad conservationem naturae. Hoc autem ordini naturali repugnat; natura enim delectationem apposit operationibus necessariis ad vitam hominis. - Unde delectatio fugienda est utique ad vitandum peccatum, non tamen totaliter; sed ut ultra non quaeratur quam necessitas requirat. (Ad 3m). Quandoque autem laudabile vel etiam necessarium est ab hujusmodi delectationibus abstinere, scil. propter aliquem finem honestum; sicut propter sanitatem corporalem; vel etiam propter alicujus officii executionem. Similiter ad recuperandam animae sanitatem per poenitentiam; et homines volentes

contemplationi et rebus divinis vacare, oportet quod se magis a carnalibus desideriis abstrahant.

Art. II. - *Utrum intemperantia sit puerile peccatum.*

RESP. AFF. - *Scil.*: non quia convenit pueri, ac si puerus fuerit proprie intemperatus; sed secundum quamdam similitudinem.

R. EST: quia, ut Philosophus dicit (Eth. iii, cap. ult.), similitudinem habet intemperantia ad puerilia peccata; et hoc propter tria: primo, quantum ad id quod appetitur; nam sicut puer, ita et concupiscentia appetit aliquid turpe: et hujus ratio est, quia puer, sicut et concupiscentia, non attendit ad ordinem rationis; secundo, quantum ad eventum. Puer enim, si suae voluntati dimittatur crescit in propria voluntate. Ita et concupiscentia, si ei satisfiat, majus robur accipit; tertio, quantum ad remedium quod utrique praebetur. Puer enim emendatur per hoc quod coercetur. Et similiter dum concupiscentiae resistitur, reducitur ad debitum honestatis modum.

Art. III. - *Utrum timiditas sit majus vitium quam intemperantia.*

RESP. NEG. - *Scil.*: intemperantia gravius est peccatum quam timiditas, cum ex parte objecti seu materiae, tum ex parte peccantis.

R. PRIMI EST: quia quanto illud quod commovet ad peccatum videtur magis esse necessarium, tanto peccatum levius est. Timiditas autem inordinate refugit pericula mortis, propter conservationem ipsius vitae; intemperantia vero est circa delectationes, quarum appetitus non est adeo necessarius ad vitae conservationem: nam intemperantia magis est circa quasdam appositae

delectationes seu concupiscentias (sicut curiose praeparatio cibi, ornamentum mulierum, et alia hujusmodi), quam circa concupiscentias seu delectationes naturales.

R. SECUNDI EST: a) quia timores et tristitiae graves, et maxime in periculis mortis, stupefaciunt mentem: quod non facit delectatio, quae movet ad intemperantiam: unde in timiditate peccatum est minus voluntarium; b) quia ea quae per timorem fiunt, principium habent ab exteriori impellente, unde non sunt simpliciter voluntaria, sed mixta: ea autem quae per delectationem fiunt, sunt simpliciter voluntaria. – Item, quia ea quae sunt intemperati, sunt magis voluntaria in singularibus quam in universali; dum, e contra, in his quae pertinent ad timiditatem, minus sunt voluntaria in singularibus, quae imminet, quam universalialia, puta fugiendo salvari. Quod autem est magis voluntarium in singularibus, in quibus est actus, est simpliciter magis voluntarium; c) quia contra intemperantiam magis de facili invenitur remedium quam contra timiditatem, quae est circa pericula mortis. – Et ideo intemperantia est simpliciter majus peccatum quam timiditas.

Art. IV. – *Utrum peccatum intemperantiae sit maxime exprobrabile.*

RESP. AFF. – R. EST: quia exprobratio opponi videtur honori et gloriae. Intemperantia autem maxime opponitur honori et gloriae. Unde peccatum intemperantiae est maxime exprobrabile. Intemperantia enim maxime repugnat excellentiae, cui debetur honor, et claritati, quam gloria importat. Nam intemperantia est circa delectationes quae sunt communes nobis et brutis; unde homo intemperatus «*comparatus est jumentis*

insipientibus, et similis factus est illis » (Ps. xlviii, 21). Hoc est contra excellentiam hominis. Maxime autem repugnat claritati, quia in delectationibus circa quas est intemperantia minus apparet de lumine rationis, ex qua est tota claritas et pulchritudo virtutis: unde et hujusmodi delectationes dicuntur maxime serviles. – Inde est quod Gregorius dicit (Moral. lib. xxxiii, cap. 2): « Vitia carnalia, quae sub intemperantia continentur, etsi sint minoris culpa, sunt tamen majoris infamiae ». (Ad 1m).

NOTANDUM: Intemperantia est maxime exprobrabilis inter vitia humana, quae scilicet attenduntur secundum passiones humanae naturae aequaliter conformes. Sed illa vitia quae excedunt modum humanae naturae, sicut comestio carnum humanarum, aut coitus bestiarum, aut masculorum, sunt magis exprobrabilia; et ad genus intemperantiae reducuntur secundum quemdam excessum. (Ad 3m).

QUAESTIO CXLIII

De partibus temperantiae (in generali)

Deinde considerandum est de partibus temperantiae: et primo, de ipsis partibus in generali; secundo de singulis earum in speciali.

Art. Unicus. – *Utrum Tullius convenienter assignet partes temperantiae, continentiam, clementiam et modestiam.*

RESP. AFF. – *Scilicet:* a) partes integrales temperantiae sunt: verecundia et honestas; b) partes subjectivae sunt: abstinētia et sobrietas, castitas et pudicitia; c) Partes potentiales sunt: continentia, humilitas et mansuetudo sive clementia; modestia (sub qua veniunt bona ordinatio ornatus et austeritas); et ultimo parcitas et moderatio sive simplicitas.

R. PRIMI EST: quia partes integrales alicujus virtutis principalis sunt conditiones requisitae ad actum virtutis integre exercendum. Officium autem temperantiae in duobus consistit, nempe in fuga turpitudinis (quod fit per *verecundiam*), et in amore decoris (de quo est *honestas*).

R. SECUNDI EST: quia partes subjectivae alicujus virtutis principalis dicuntur species ejus. Species autem diversificantur secundum materiam vel objectum. Genus materiae temperantiae est duplex: circa nutrimentum; et sic habetur *abstinentia* moderans cibum, et *sobrietas* potum; – et circa generationem: et in hoc quantum ad coitum est *castitas*, et quantum ad delectationes circumstantes, quae sunt in osculis, tactibus et amplexibus, habetur *puccitia*.

R. TERTII EST: quia partes potentiales alicujus virtutis principalis sunt virtutes quae principali adjunguntur ut secundariae, propter principalem materiam. Contingit autem tripliciter ut sic secundariae virtutes temperantiae adjungantur: primo, ad moderationem interiorum motuum animi; secundo, ad moderationem exteriorum motuum et actuum corporis; tertio, ad moderationem rerum exteriorum. – Quantum ad primum sunt tria: *continentia*, qua motus voluntatis ex impetu passionis commotae moderatur ne vincatur a passione; *humilitas*, quae motum spei et audaciae moderatur; *clementia* sive *mansuetudo*, quae refrenat motum irae tendentem in vindictam. – Quantum ad secundum est *modestia*, ad quam pertinet *bene ordinare* quid faciendum et quid dimittendum, etc.; decentiam observare, scil. per *ornatum*; et *austeritas*, per quam modestiam servatur in colloquiis amicorum vel quibuscumque aliis. – Quantum ad tertium sunt duo: *parcitas* sive *per se sufficientia*, per quam

superflua non requirantur; et *moderatio* sive *simplicitas*, per quam homo non nimis exquisita requirat.

QUAESTIO CXLIV

De partibus temperantiae in speciali, et primo de verecundia

Deinde considerandum est de partibus temperantiae in speciali; et primo de partibus quasi integralibus, quae sunt *verecundia* et *honestas*, Circa verecundiam quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum verecundia sit virtus.*

RESP. NEG. - *Scil.* : a) verecundia non est virtus proprie dicta; sed b) communiter dici potest virtus.

R. PRIMI EST: quia verecundia, cum sit timor turpitudinis et exprobrationis, non est electiva, sed passionem nominat, procedit enim ex impetu quodam passionis. (Ad 1m), consequenter deficit a perfecta virtutis ratione.

R. SECUNDI EST: quia *communiter* dicitur virtus omne quod est bonum et laudabile in humanis actibus, vel passionibus: et secundum hoc quandoque verecundia dicitur virtus, cum sit quaedam laudabilis passio.

NOTANDUM: Ex hoc quod inverecundia sit vitium, non sequitur quod verecundia sit virtus proprie dicta. Nam quilibet defectus causat vitium; non autem quodlibet bonum sufficit ad rationem virtutis. Et ideo non oportet quod omne illud cui directe opponitur vitium, sit virtus; quamvis omne vitium opponatur alicui virtuti, secundum suam originem. (Ad 4m).

Art. II. - *Utrum verecundia sit de turpi actu.*

RESP. AFF. - *Scil.* : verecundia, quae timor est turpitudinis, primo et principaliter vitupe-

rium respicit, secundario autem vitiosam turpitudinem.

R. EST: quia *turpitudine vitiosa* consistit in deformitate actus voluntarii. Actus autem voluntarius cum in sola voluntate consistat, non habet rationem ardui, consequenter neque timoris. Unde verecundia, quae est timor turpitudinis, non respicit turpitudinem vitiosam primo et principaliter. Sed vituperium, quod est *turpitudine quasi poenalis*, habet rationem mali ardui. Et hoc verecundia respicit directe et principaliter; turpitudinem autem vitiosam ex consequenti.

NOTANDUM: Verecundia respicit culpam dupliciter: uno modo, ut aliquis *desinat vitiosa agere* propter timorem vituperii; alio modo, ut homo in turpibus quae agit, *vitel* conspectus publicos propter timorem vituperii; quorum primum, secundum Greg. Nyssenum (Orth. sid. lib. ii, c. 15), pertinet ad *erubescientiam* alterum ad *verecundiam*. (In corp. art.).

Art. III. - *Utrum homo magis verecundetur a personis magis conjunctis.*

RESP. AFF. - *Scil.*: cum propter rectitudinem iudicii, tum propter effectum.

R. PRIMI EST: quia personae nobis conjunctae facta nostra magis considerant. Unde a peregrinis, a pueris, et ab aliis ad quos facta nostra non sufficienter perveniunt, nullo modo verecundamur.

R. SECUNDI EST: quia vituperium hominis effectum habet detrimentum perpetuum apud personas sibi conjunctas, cum quibus semper est conversaturus.

Art. IV. - *Utrum etiam in virtuosis hominibus possit esse verecundia.*

RESP. NEG. - *Scil.*: in virtuosis perfectis.

R. EST: quia virtuosus, ut tales, prout sunt totaliter immunes a malo (Ad 1m), non apprehen-

dunt turpitudinem ut possibilem sibi, vel quasi non facile vitabilem: sunt tamen sic dispositi, ut si in eis esset aliquid turpe, de hoc verecundarentur.

NOTANDA: 1. Homines in peccato profundati, quibus sua peccata non displicent, sed magis de eis gloriantur, etiam carent verecundia. (In corp. art.).

2. Virtuosus non multum verecundatur de infamationibus et opprobriis, quia ea contemnit quasi ipsis non dignus. Est tamen aliquis motus verecundiae praeveniens rationem, sicut et caeterarum passionum. (Ad 3m).

QUAESTIO CXLV

De honestate

Deinde considerandum est de honestate; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum honestum sit idem virtuti.*

RESP. AFF. - R. EST: quia aliquid videtur dici honestum, quod est honore dignum. Honor autem excellentiae debetur. Excellentia autem hominis maxime consideratur secundum virtutem, quae est «dispositio perfecti ad optimum», ut dicitur (Phys. lib. vii, text 17 et 18). Et ideo honestum, proprie loquendo, in idem refertur cum virtute.

Art. II. - *Utrum honestum sit idem quod decorum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia pulchritudo spiritualis sive spiritualis decor consistit in hoc quod conversatio hominis sive actio ejus sit bene proportionata secundum spirituales rationis claritatem. Hoc autem pertinet ad rationem honesti, quod, ut diximus (art. praec.), in idem refertur cum virtute, quae secundum rationem moderatur omnes res humanas.

Art. III. – *Utrum honestum differat ab utili et delectabili.*

RESP. AFF. – *Scil.:* honestum concurrit in idem subjectum cum utili et delectabili, a quibus tamen differt ratione.

R. PRIMI EST: quia honestum est quod habet quemdam decorem ex ordinatione rationis. Quod autem est secundum rationem ordinatum est homini delectabile et utile: delectabile quidem, quia est naturaliter homini conveniens; utile vero, quia ad finem ordinatur, scil. ad felicitatem.

R. SECUNDI EST: quia honestum dicitur secundum quod aliquid habet quamdam excellentiam dignam honore propter spiritualem pulchritudinem; delectabile autem, inquantum quietat appetitum; utile autem, inquantum refertur ad aliud.

NOTANDUM: Omne utile et honestum est aliquantulum delectabile, sed non convertitur; quia aliquid potest esse delectabile quin sit honestum et utile: potest enim aliquid esse homini conveniens secundum sensum, et non secundum rationem. (In corp. art.).

Art. IV. – *Utrum honestas debeat poni pars temperantiae.*

RESP. AFF. – *Scil.:* pars integralis.

R. EST: quia cum honestas sit quaedam spiritualis pulchritudo, quae turpe et indecens repellit, quaedam conditio temperantiae est, et ideo pars ejus integralis, quia concurrit ad perfectionem actus temperantiae. Nam temperantiae est moderari et temperare concupiscentias pravas, quae, ut brutales voluptates, turpissimae et indecentissimae sunt homini.

QUAESTIO CXLVI

De abstinentia

Deinde considerandum est *de partibus subjectivis* temperantiae: et primo de his quae sunt circa delectationes ciborum; secundo de his quae sunt circa delectationes venereorum. Circa primum considerandum est de abstinentia, quae est circa cibos et potus; et de sobrietate, quae est circa potum. - Circa abstinentiam autem considerata sunt tria: primo, de ipsa abstinentia; secundo, de actu ejus, qui est jejunium; tertio, de opposito vitio, quod est gula. - Circa abstinentiam autem quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum abstinentia sit virtus.*

RESP. AFF. - *Scil.* : prout est ratione regulata.

R. EST: quia secundum se considerata abstinentia non habet rationem virtutis, sed est indifferens, et ad regnum Dei non pertinet. Dicit enim Apostolus (I. Cor. viii, 8): *Esca nos non commendat Deo; neque enim si non manducaverimus, deficiemus; neque si manducaverimus, abundabimus, scilicet spiritualiter.* Utrumque autem eorum secundum quod fit rationabiliter, virtutem nominat, et si ex fide et dilectione Dei fiat, ad regnum Dei pertinet. (Ad 1m).

NOTANDUM: Abstinentia est ratione regulata, cum fit prout oportet pro congruentia hominum cum quibus aliquis vivit, et personae suae, et pro valetudinis suae necessitate. (In corp. art.). Et secundum hoc dicitur (II Pet. i, 5): *In scientia esse abstinentiam ministrandam.*

Art. II. - *Utrum abstinentia sit specialis virtus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia cum virtus moralis conservet bonum rationis contra impetus passionum, sequitur quod ubi invenitur specialis ratio qua passio abstrahit a bono rationis, ibi necesse est esse specialem virtutem. Delectationes autem

ciborum natae sunt abstrahere hominem a bono rationis, propter specialem rationem, scil. propter earum magnitudinem, et ciborum necessitatem: homo enim his indiget ad vitae conservationem, quam maxime homo desiderat. Et ideo abstinentia est specialis virtus.

QUAESTIO CXLVII

De jejuniis

Deinde considerandum est de jejuniis; et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum jejunium sit actus virtutis.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia jejunium ordinatur ad aliquod bonum honestum. Hoc autem est proprium actui virtuoso. – Ordinatur enim jejunium ad tria: primo, ad concupiscentias carnis reprimendas. Unde dicit Apostolus (II. Cor., vi, 5): *in jejuniis, in castitate*, etc.; et Heironymus dicit (Cont. Jovin. lib. ii, cap. 6, in fin.): « sine Cerere et Baccho friget Venus », i. e., per abstinentiam cibi et potus tepescit luxuria. – Secundo, ad hoc quod mens liberius elevetur ad sublimia contemplanda: unde dicitur Dan. x, quod post jejunium trium hebdomadarum revelationem accepit a Deo. – Tertio, ad satisfaciendum pro peccatis; unde dicitur Joel ii, 12: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejuniis, in fletu et planctu.*

NOTANDUM: Jejunium naturae, quo quis dicitur jejunus, antequam comedat, consistit in pura negatione, unde non potest poni actus virtutis; sed solum illud jejunium quo quis ex rationabili proposito a cibis *aliqua* abstinet. Unde primum dicitur jejunium jejuni; secundum vero jejunium jejunantis, quasi ex proposito aliquid agentis. (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum jejunium sit actus abstinentiae.*

RESP. AFF. - *Scil.* : proprie est actus abstinentiae.

R. EST: quia medium rationis in cibis sumendis, in quibus jejunium attenditur, adinvenitur ab abstinentia. Et ideo jejunium est actus abstinentiae: conveniunt enim in eadem materia. Secundum finem tamen, jejunium potest etiam pertinere ad alias virtutes, puta ad religionem vel ad castitatem. (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum jejunium sit in praecepto.*

RESP. AFF. - *Scil.* : jejunium in communi cadit sub praecepto legis naturae, et dicitur jejunium naturae; sed determinatio temporis et modi jejunandi secundum convenientiam et utilitatem populi christiani, cadit sub praecepto juris positivi quod est a praelatis Ecclesiae institutum: et hoc est jejunium Ecclesiae.

R. PRIMI EST: quia cum jejunium sit utile ad deletionem et cohibitionem culpaе, et ad elevationem mentis in spiritualia, unusquisque *ex naturali ratione* tenetur tantum jejuniiis uti quantum sibi necessarium est ad praedicta.

R. SECUNDI EST: quia sicut ad saeculares principes pertinet praecepta legalia juris naturalis determinativa tradere de his quae pertinent ad utilitatem communem in temporalibus rebus; ita etiam ad praelatos ecclesiasticos pertinet ea statutis praecipere, quae ad utilitatem communem fidelium pertinent in spiritualibus bonis.

NOTANDUM: Jejunium non est absolute de necessitate praecepti; sed est de necessitate praecepti unicuique tali remedio indigenti. Et quia multitudo hominum ut plurimum indiget tali remedio, tum quia *in multis omnes offendimus*, ut dicitur Jacobi iii, 2, tum etiam quia *caro concupiscit adversus spiritum*, ut dicitur Galatas v, 17, conveniens fuit

ut Ecclesia aliqua jejunia statueret ab omnibus communiter observanda, non quasi praecepto subjiciens id quod simpliciter ad supererogationem pertinet, sed quasi in speciali determinans id quod est necessarium in communi (Ad 1m).

Art. IV. – *Utrum omnes ad jejunia Ecclesiae teneantur.*

RESP. NEG. – R. EST: quia legislator in statuendo communia praecepta secundum quod multitudini conveniunt, attendit id quod communiter habetur et in pluribus accidit. Si quis ergo ex speciali causa in aliquo inveniatur, quod observantiae statuti repugnet, non intendit talem legislator ad statuti observantiam obligare. Quod si causa sit evidens potest homo per seipsum licite statuti observantiam praeterire. Si vero causa sit dubia, debet aliquis ad superiorem recurrere, qui habet potestatem in talibus dispensandi.

Art. V. – *Utrum convenienter determinantur tempora jejunii Ecclesiae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia jejunium ad duo ordinatur, scil. ad deletionem culpae et ad elevationem mentis in superna. Et ideo illis temporibus specialiter fuerunt jejunia indicenda, in quibus oportebat homines a peccato purgari, et mentem fidelium elevari in Deum per devotionem; quae quidem praecipue imminent ante paschalem solemnitatem, et in vigiliis praecipuarum festivitatum, in quibus praeparari nos oportet ad festa futura devote celebranda. – Similiter etiam consuetudo ecclesiastica habet ut in singulis quartis anni, sacri ordines conferantur; ad quorum susceptionem oportet per jejunium praeparari et eos qui ordinant, et illos qui ordinandi sunt, et etiam totum populum pro cuius utilitate ordinantur,

Art. VI. – *Utrum requiratur ad jejunium quod homo tantum semel comedat.*

RESP. AFF. – R. EST: quia jejunium ab Ecclesia instituitur ad concupiscentiam refrenandam, ita tamen quod natura salvetur. Ad hoc autem sufficere videtur unica comestio, per quam homo potest naturae satisfacere, et tamen concupiscentiae aliquid detrahit, diminuendo comestionum vices. Et ideo Ecclesiae moderatione statutum est ut semel in die a jejunantibus comedatur.*

Art. VII. – *Utrum hora nona (3 p. m.) convenienter taxetur ad comedendum his qui jejunant.*

RESP. AFF. – R. PRIMA EST: ut jejunans, qui secundum communem consuetudinem circa horam sextam (i. e., ad meridiem) comedit, aliquam afflictionem sentiat pro culpa satisfactione, quin tamen per hoc natura multum gravetur.

R. SECUNDA EST: quia ista hora convenit mysterio passionis Christi, quae completa fuit hora nona, quando *inclinatio capite tradidit spiritum*. Jejunantes enim, dum suam carnem affligunt, passioni Christi conformantur. (Gal. v, 24).

Art. VIII. – *Utrum convenienter jejunantibus indicatur abstinentia a carnibus, et ovis, et lactiniis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia jejunantibus Ecclesia interdicit illos cibos qui et in comedendo maxime habent delectationem, et iterum maxime hominem ad venerea provocant. Hujusmodi autem (secundum naturam) sunt carnes anima-

* Diu ignota fuit in Ecclesia caenacula vespertina, quae dicitur *collatio*. Videtur quod tempore D. Thomae ad an. 1274, nondum erat in usu. – Ad praxim jejunii hodie vigentem, videndus est Codex Juris Canonici.

lium, et ea quae ab eis procedunt, sicut lactinia ex gressilibus, et ova ex avibus. Hujusmodi enim magis conformantur humano corpori; et ideo plus delectant et magis conferunt ad humani corporis nutrimentum: unde ex eorum comestione plus superfluit, ut vertatur in materiam seminis, cujus multiplicatio est maximum incitamentum luxuriae. Et ideo ab his cibis praecipue jejunantibus Ecclesia statuit esse abstinendum.

QUAESTIO CXLVIII

De gula

Deinde considerandum est de gula; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum gula sit peccatum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia gula non nominat quemlibet appetitum edendi et bibendi, sed inordinatum, i. e., ab ordine rationis recedentem; vitium enim gulae consistit in concupiscentia cibi et potus non regulata ratione. – Unde non agitur de appetitu naturali, ad quem pertinent esuries et sitis; sed de appetitu sensitivo, qui rationi subordinatur. (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum gula sit peccatum mortale.*

RESP. AFF. – *Scil.:* quando homo inhaeret delectationi gulae tanquam fini, propter quem Deum contemnit, paratus scilicet contra praecepta Dei agere, ut delectationes hujusmodi assequatur.

R. EST: quia sic inordinatio concupiscentiae accipitur in gula secundum aversionem a fine ultimo in qua peccatum mortale consistit. – Si vero talis concupiscentia sit tantum secundum ea quae

sunt ad finem, utpote quia quis nimis concupiscit delectationes ciborum, non tamen ita quod propter hoc faceret aliquid contra legem Dei, est peccatum veniale.

Art. III. - *Utrum gula sit maximum peccatorum.*

RESP. NEG. - *Scil.:* quanquam gula occasionem praebeat multorum peccatorum, ipsa tamen non est peccatorum maximum, neque ex parte materiae, neque ex parte peccantis.

R. EST: quia ex parte materiae in qua peccatur, peccata quae sunt circa res divinas, sunt maxima. Ex parte autem peccantis peccatum gulae magis alleviatur quam aggravetur, tum propter necessitatem assumptionis ciborum, tum etiam propter difficultatem discernendi et moderandi id quod in talibus convenit.

NOTANDUM: Aliquando peccata quae ex gula occasionantur sunt etiam graviora quam ipsa gula. Nec in hoc est aliquid inconveniens, quia non oportet quod causa sit potior suo effectu, nisi in causis per se. Gula autem est causa aliorum vitiorum non per se, sed per accidens et per occasionem. (Ad 2m).

Art. IV. - *Utrum convenienter species gulae distinguantur secundum has quinque conditiones: praepropere, laute, nimis, ardentem, studiosam.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia inordinatio gulae potest attendi et circa ipsum cibum, et circa comestionem cibi. Inordinatio quantum ad ipsum cibum potest esse tripliciter: primo, quantum ad substantiam vel speciem cibi, scil. cum aliquis quaerit cibos *lautos*, i. e., pretiosos; secundo, quantum ad qualitatem, cum aliquis quaerit cibos nimis accurate praeparatos, i. e., *studiosam*; tertio, quantum ad quantitatem, cum quis excedit *nimis* in edendo. Quantum autem ad comestionem sive

sumptionem cibi inordinatio potest esse dupliciter: vel quia quis praevenit debitum tempus comedendi, quod est *praepropere*; vel quia non servat modum debitum in edendo, quod est *ardenter*.

Art. V. – *Utrum gula sit vitium capitale.*

RESP. AFF – R. EST: quia vitium capitale dicitur ex quo alia vitia oriuntur secundum rationem causae finalis, inquantum scilicet habet finem multum appetibilem. Aliquis finis autem redditur multum appetibilis ex hoc quod habet aliquam de conditionibus felicitatis. Pertinet autem ad rationem felicitatis delectatio. Et ideo vitium gulae, quod est circa delectationes tactus, quae sunt praecipue inter alias, convenienter ponitur inter vitia capitalia.

Art. VI. – *Utrum convenienter assignentur gulae quinque filiae, scilicet inepta laetitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium et hebetudo mentis circa intelligentiam.*

RESP. AFF. – R. EST: quia cum gula sit circa immoderatam delectationem in cibis et potibus, filiae ejus ex immoderata delectatione cibi et potus consequuntur. Haec autem accipiuntur vel ex parte animae, vel ex parte corporis. Ex parte animae quadrupliciter: primo quidem quantum ad rationem, cujus acies hebetatur ex immoderatione cibi et potus: et quantum ad hoc ponitur filia gulae « *hebetudo* sensus circa intelligentiam »; propter fumositates ciborum perturbantes caput. Secundo, quantum ad appetitum, et quantum ad hoc ponitur *inepta laetitia*, quia omnes aliae inordinatae passiones ad laetitiam et tristitiam ordinantur. Tertio, quantum ad inordinatum verbum; et sic ponitur *multiloquium*. Quarto,

quantum ad inordinatum actum, et sic ponitur *scurrilitas*, i. e., jocularitas quaedam proveniens ex defectu rationis quae sicut non potest cohibere verba, ita non potest cohibere exteriores gestus. – Ex parte autem corporis ponitur *immunditia*, quae potest attendi sive secundum inordinatam emissionem quarumcumque superfluitatum, vel specialiter quantum ad emissionem seminis.

QUAESTIO CXLIX

De sobrietate

Deinde considerandum est de sobrietate et de vicio opposito, scilicet ebrietate; et circa sobrietatem quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum materia sobrietatis sit potus.*

RESP. AFF. – *Scil.*: potus est materia sobrietatis proprie dictae.

R. EST: quia illam materiam specialiter sibi sobrietas adscribit, in qua maxime laudabile est mensuram servare; nam nomen sobrietatis a mensura sumitur: dicitur enim aliquis sobrius, quasi *briam*, i. e., mensuram, servans. Talis autem materia est potus inebriare valens, quia ejus usus mensuratus multum confert, et modicus excessus multum laedit; impedit enim usum rationis magis etiam quam excessus cibi. – Communiter autem sumendo nomen sobrietatis potest in quacumque materia dici.

Art. II. – *Utrum sobrietas sit per se virtus specialis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sobrietas specialiter ordinatur ad conservandum bonum rationis: scilicet removendo speciale impedimentum rationis, quod ex immoderato potu inebriante provenit.

Art. III. – *Utrum usus vini totaliter sit illicitus.*

RESP. NEG. – *Scil.:* secundum se loquendo, bibere vinum non est illicitum; potest tamen multipliciter reddi illicitum per accidens.

R. PRIMI EST: quia sententia Domini est: *Non quod intrat in os coinquinat hominem.*

R. SECUNDI EST: quia quandoque bibens de facile laeditur vino; quandoque vero aliquis obligatur ex voto ad vinum non bibendum; et quandoque redditur hoc illicitum ex parte aliorum, scilicet si ex hoc scandalizentur.

NOTANDUM: Aliquando totalis abstinencia a vino requiritur propter studium perfectionis (evangelicae) secundum conditiones quorundam personarum et locorum. (Ad 1m et 3m passim).

Art. IV. – *Utrum sobrietas magis requiratur in majoribus personis.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) ad refrenandum concupiscentias et ad tollendum vitia, sobrietas magis requiritur in juvenibus et in mulieribus quam in senjoribus et majoribus; b) quantum vero ad operationem virtutis, sobrietas magis requiritur in majoribus.

R. PRIMI EST: quia in juvenibus magis viget concupiscentia delectabilis propter fervorem aetatis; in mulieribus autem non est sufficiens robor mentis ad hoc quod concupiscentiis resistent. Unde, secundum Valerium Maximum (Lib. ii, cap. 1), mulieres apud Romanos antiquitus non bibebant vinum.

R. SECUNDI EST: quia operatio virtutis per sobrietatem magis est necessaria ad propriam operationem majorum, scilicet seniorum, in quibus ratio debet vigere ad aliorum eruditionem, et episcoporum, seu quorumlibet Ecclesiae mini-

strorum, qui mente devota debent spiritualibus officiis insistere, et regum, qui per sapientiam debent populum subditum gubernare.

QUAESTIO CL

De ebrietate

Deinde considerandum est de ebrietate; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum ebrietas sit peccatum.**

RESP. AFF. – R. EST: quia, prout hic sumitur, ebrietas importat inordinatam concupiscentiam et immoderatum usum vini (vel omnis alius potus inebriantis). – Unde ebrietas prout significat ipsum defectum hominis, qui accidit ex multo vino potato, ex quo fit ut non sit compos rationis, non nominat culpam, sed defectum poenalem consequentem ex culpa. Similiter, in quantum nominat actum quo quis in hunc defectum incidit, si hoc accidat ex nimia vini fortitudine praeter opinionem bibentis, sic etiam ebrietas potest accidere sine peccato, praecipue si non ex negligentia hominis contingat, sicut, ut creditur, Noe inebriatus fuit, ut legitur Gen. ix.

NOTANDUM: Ebrietas, et alia vitia quae diversis speciebus temperantiae opposita sunt per excessum, habent vitia sibi opposita per defectum, quae tamen remanent *innominata*, sicut dictum est de insensibilitate (quaes. cxlii). – (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum ebrietas sit peccatum mortale.*

RESP. AFF. – *Scil.*: si contingat quod aliquis bene advertat potum esse immoderatum et in-

* Juxta mentem Divi Thomae, ita ebrietatem definit Billuart: « Voluntarius excessus in potu inebriante usque ad defectum usus rationis ». Et secundum hoc patet ebrietatem esse peccatum.

briantem, et tamen magis vult ebrietatem incur-
rere quam a potu abstinere.

R. EST: quia secundum hoc homo volens et
sciens privat se usu rationis, quo secundum vir-
tutem operatur et peccata declinat; et sic peccat
mortaliter, periculo peccandi se committens. –
Unde ebrietas, per se loquendo, est peccatum mor-
tale.

Art. III. – *Utrum ebrietas sit gravissimum pecca-
torum.*

RESP. NEG. – R. EST: quia peccata quae sunt
directe contra Deum, et ideo bono divino oppo-
sita, graviora sunt peccato ebrietatis, quod directe
opponitur bono rationis humanae.

Art. IV. – *Utrum ebrietas excuset a peccato.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) ex parte defectus con-
sequentis, ebrietas habet excusare a culpa; b)
ex parte actus praecedentis, excusat a culpa si
talis actus est sine culpa; secus non excusat.

R. PRIMI EST: quia ex parte defectus conse-
quentis, in quo ligatur usus rationis, ebrietas
causat involuntarium per ignorantiam: (consi-
derando hunc defectum secundum se).

R. SECUNDI EST: quia si actus praecedens fuit
culpabilis, sic peccatum sequens redditur volun-
tarium ex voluntate praecedentis actus, inquan-
tum scilicet aliquis dans operam rei illicitae inci-
dit in sequens peccatum. – Diminuitur tamen
peccatum sequens, sicut et diminuitur ratio vo-
luntarii.

QUAESTIO CLI

De castitate

Deinde considerandum est de castitate; et primo de ipsa virtute castitatis; secundo de virginitate, quae est pars castitatis; tertio de luxuria, quae est ejus vitium oppositum. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum castitas sit virtus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia castitas est per quam ratione, concupiscentia castigatur, ut scilicet secundum judicium rationis et electionem voluntatis aliquis moderate utatur corporalibus membris in venereis.

NOTANDUM: Castitas enumeratur etiam inter Fructus Spiritus sancti. Est enim virtus in quantum est operans secundum rationem; fructus autem, in quantum habet delectationem in suo actu (Ad 4m).

Art. II. - *Utrum castitas sit virtus generalis.*

RESP. NEG. - *Scil.:* a) castitas proprie dicta est specialis virtus; b) metaphorice dicta, pro castitate spirituali, est virtus generalis.

R. PRIMI EST: quia castitas proprie dicta habet materiam specialem, scilicet concupiscentias delectabilium, quae sunt in venereis.

R. SECUNDI EST: quia castitas spiritualis seu metaphorice dicta delectatur in spirituali conjunctione ad Deum, et abstinere se ne delectabiliter aliis jungatur contra debitum divini ordinis. Hoc autem ad quamlibet virtutem pertinet ne mens humana rebus illicitis delectabiliter jungatur. Et secundum hoc castitas est virtus generalis. - Contra hanc spirituales castitatem

habetur *fornicatio spirituolis*, per quam mens quibuscumque aliis rebus delectabiliter contra debitum divini ordinis conjungitur. (Specialiter tamen fornicatio spiritualis dicitur de apostasia a vera fide).

NOTANDUM: Sicut supra dictum est (quaes. cxlii, art. 2), concupiscentia delectabilis maxime assimilatur puero, eo quod appetitus delectabilis est nobis connaturalis, et praecipue delectabilium secundum tactum, quae ordinantur ad conservationem naturae. Et inde est quod si nutriatur horum delectabilium concupiscentia, per hoc quod ei consentiatur, maxime augebitur: sicut puer, qui suae voluntati relinquitur. Et sic concupiscentia horum delectabilium maxime indiget castigari; et ideo circa hujusmodi concupiscentias antonomastice dicitur castitas, quamvis quilibet motus appetitivae partis debet castigari a ratione etiam per alias virtutes morales. (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum castitas sit virtus distincta ab abstinentia.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia castitas est circa delectationes venereorum; dum abstinentia est circa delectationes ciborum. Est enim alia ratio utendi cibus, et potibus, et venereis. Et ideo oportet esse diversas virtutes, licet sint unius sensus, scilicet tactus. (Ad 1m).

Art. IV. – *Utrum pudicitia pertineat specialiter ad castitatem.*

RESP. AFF. – **Scil.:** pudicitia ad castitatem ordinatur, non quasi virtus ab ipsa distincta, sed sicut exprimens castitatis circumstantiam quamdam. (Interdum tamen unum pro alio ponitur).

R. EST: quia pudicitia, quae a pudore dicitur, maxime verecundatur de actibus veneris; et ideo pudicitia attenditur proprie circa signa exteriora

veneorum, sicut sunt aspectus impudici, oscula et tactus. Castitas autem magis attenditur circa ipsam veneream commixtionem.

QUAESTIO CLII

De virginitate

Deinde considerandum est de virginitate; et circa hoc quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum virginitas consistat in integritate carnis.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Virginitas consistit *per accidens* in integritate carnis; *materialiter* in immunitate a delectatione quae provenit ex resolutione seminis; *formaliter* et *completive* in proposito perpetuo se abstinendi a delectatione venereorum.

R. EST: quia ratio moralium in eo consistit formaliter et completive quod est rationis: est enim virtus moralis in medio rationis. Conservatio autem signaculi virginitatis, quae *ex parte corporis* exigitur ad virginitatem, per accidens se habet; unde, si signaculum virginitatis per violentiam corrumpitur, firmo manente proposito animae non peccandi, virginitas ipsa per accidens violabitur, formaliter autem remanebit integra (Ad 3m). Delectatio autem quae est in resolutione seminis, in qua conjungitur *aliquid animae cum eo quod est corporis*, est quid sensibile passionis: passiones autem sunt materia actuum moralium. Unde talis delectatio, si fiat praeter propositum mentis, sicut in dormiendo, vel per violentiam illatam, cui mens non consentit, non minuit virginitatem, nisi materialiter tantum.

Art. II. - *Utrum virginitas sit illicita.*

RESP. NEG. - *Scil.*: virginitas non solum non est illicita, sed est etiam laudabilis.

R. EST: quia virginitas ad hoc ordinatur ut anima liberius vacet divinae contemplationi, secundum illud Apostoli (I. Cor. vii, 34): *Mulier innupta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu.* Contemplatio autem divina maximum hominis bonum est in hac vita, ad quod caetera alia bona recte ordinari debent.

NOTANDUM: Quantum ad praeceptum legis naturae, quod ponitur Genes. i, 28: *Crescite. et multiplicamini, et replete terram,* considerandum est quod hoc praeceptum non respicit homines individualiter, sicut praeceptum de comestione, et alia hujusmodi, quae requiruntur ad conservationem vitae individuorum; sed tantum multitudinem hominum. Huic autem necessarium est non solum quod multiplicetur corporaliter, sed etiam quod spiritualiter proficiat. Et ideo sufficienter providetur humanae multitudini, si quidam carnali generationi operam dent; quidam vero ab haec abstinentes, contemplationi divinorum vacent ad totius humani generis pulchritudinem et salutem: non omnia enim quae sunt multitudini debita, impleri possunt per unum. (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum virginitas sit virtus.*

RESP. AFF. - *Scil.*: est virtus specialis.

R. EST: quia virginitas habet specialem materiam boni, scilicet immunitas ab *experimento* venereae voluptatis; et in hoc est specialis excellentia virginitatis. Differt igitur virginitas a castitate, cujus proprium est se conservare immunem ab *inordinatione* venereae voluptatis.

NOTANDUM: Ille qui peccando virginitatem amisit, per poenitentiam non recuperat virginitatis materiam, sed recuperat virginitatis propositum. (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum virginitas sit excellentior matrimonio.* *

RESP. AFF. - R. EST: tum quia bonum divinum est potius humano bono; tum quia bonum animae praefertur bono corporis; tum etiam quia bonum contemplativae vitae praefertur bono activae. Virginitas autem ordinatur ad bonum animae secundum vitam contemplativam, quod est *cogitare ea quae sunt Dei*; conjugium autem ordinatur ad bonum corporis, quod est corporalis multiplicatio generis humani; et pertinet ad vitam activam, quia vir et mulier in matrimonio viventes necesse habent cogitare quae sunt mundi, ut patet per Apostolum (I. Cor. VII). Unde indubitanter virginitas praeferenda est continentiae conjugali.

NOTANDA: 1. Licet virginitas sit melior quam continentia conjugalis, potest tamen conjugatus melior esse quam virgo: tum ex parte ipsius castitatis, si scilicet ille qui est conjugatus habeat animum magis paratum ad virginitatem servandam, si oporteret, quam ille qui est actu virgo; tum quia forte ille qui non est virgo, habet aliquam excellentiorem virtutem. (Ad 2m).

2. Ad objectionem quod bonum commune melius est bono privato, considerandum est quod bonum commune potius est bono privato, si sit ejusdem generis; sed potest esse quod bonum privatum sit melius secundum suum genus. Et hoc modo virginitas Deo dicata praefertur fecunditati carnali. (Ad 3m).

* Lutherus Joviniano pejor non solum tantum virginitati matrimonium adaequavit, sed praetulit; quod his verbis a Concilio Tridentino profligatum est (Sess. xxiv, can. 10): « Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel caelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate, aut caelibatu, quam conjungi matrimonio, anathema sit ».

Art. V. - *Utrum virginitas sit maxima virtutum.*

RESP. NEG. - *Scil. : a) in genere suo, i. e., castitatis, virginitas est excellentissima; sed b) simpliciter loquendo non est talis.*

R. PRIMI EST: quia virginitas transcendit et castitatem vidualem et conjugalem. Et ex eo quod castitati attribuitur antonomastice decor, inde est quod virginitati per consequens attribuitur excellentissima pulchritudo.

R. SECUNDI EST: quia semper finis excellit id quod est ad finem; et quanto aliquid efficacius ordinatur ad finem, tanto melius est. Finis autem, ex quo virginitas laudabilis redditur, est vacare rebus divinis. Unde ipsae virtutes theologicae, et etiam virtus religionis, quarum actus est ipsa occupatio circa res divinas, praeferuntur virginitati. Similiter etiam vehementius operantur ad hoc quod inhaereant Deo martyres, qui ad hoc postponunt propriam vitam; et viventes in monasteriis, qui ad hoc postponunt propriam voluntatem, et omnia quae possunt habere, quam virgines, quae ad hoc postponunt veneream voluptatem. Et ideo virginitas non simpliciter est maxima virtutum.

QUAESTIO CLIII

De vitio luxuriae

Deinde considerandum est de vitio luxuriae, quod opponitur castitati; et primo de ipsa in generali; secundo de speciebus ejus. Et circa primum quaeruntur quinque:

Art. I. - *Utrum materia luxuriae sint solum concupiscentiae, et delectationes venereae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia, sicut Isidorus dicit (Etymol. lib. x, ad litt L): «Luxoriosus aliquis

dicitur quasi solutus in voluptates ». Maxime autem voluptates venereae animum hominis solvunt; et ideo circa voluptates venereas *maxime* luxuria consideratur. – Secundario autem dicitur in quibuscumque aliis ad excessum pertinentibus. Unde Galat. v dicit Glossa, quod «luxuria est quaelibet superfluitas ».

Art. II. – *Utrum nullus actus venereus possit esse sine peccato.*

RESP. NEG. – R. EST: quia in actibus humanis peccatum est quod est contra ordinem rationis. Debitus autem usus venereorum, quae naturaliter ad honestum finem ordinantur, non est contra ordinem rationis. Sicut igitur usus ciborum potest esse absque peccato, si fiat debito modo et ordine, secundum quod competit saluti corporis, ita etiam et usus venereorum potest esse absque omni peccato, si fiat debito modo et ordine, secundum quod est conveniens ad finem generationis humanae. – Quantum autem ad abundantiam delectationis, quae est in actu venereo, ad virtutem non pertinet, quantum sensus exterior delectetur, quod consequitur corporis dispositionem, sed quantum appetitus interior ad hujusmodi delectationes afficiatur. (Ad 2m).

NOTANDUM: Quod concupiscentia et delectatio venereorum non subjacet imperio et moderationi rationis, provenit ex poena primi peccati, inquantum scilicet ratio rebellis Deo meruit habere suam carnem rebellem. Unde non sequitur quod actus ille venereus sit peccatum, sed quod in illo actu sit aliquid poenale a peccato primo, seu originali, derivatum. (Ad 2m et 3m passim).

Art. III. – *Utrum luxuria quae est circa actus venereos, possit esse peccatum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ad rationem luxuriae pertinet ut ordinem et modum rationis exce-

dat circa venerea. Et ideo absque dubio luxuria est peccatum.

NOTANDUM: Quamvis semen humani corporis sit aliquid superfluum, tamen non potest qualitercumque emitti, quia indiget. Dicitur enim superfluum ex eo quod residuum est operationis virtutis nutritivae, tamen indiget eo ad opus virtutis generativae. Unde emissio seminis taliter debet fieri, ut conveniat fini, ad quem indiget (Ad 1m), secundum Dei ordinationem, qui est actor naturae. Ex eo ergo quod aliquis inordinate suo corpore utitur per luxuriam, injuriam facit Deo, qui est principalis dominus corporis nostri. (Ad 2m).

Art. IV. - *Utrum luxuria sit vitium capitale.*

RESP. AFF. - R. EST: quia finis luxuriae est multum appetibilis, tum propter vehementiam delectationis, tum propter connaturalitatem hujusmodi concupiscentiae. Et ideo ex ejus appetitu homo procedit ad multa peccata perpetranda, quae omnia ex illo vitio tanquam ex principaliori oriri dicuntur.

Art. V. - *Utrum convenienter dicantur esse filiae luxuriae, caecitas mentis, inconsideratio, praecipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus praesentis saeculi, et horror futuri.*

RESP. AFF. - R. EST: quia cum per vitium luxuriae maxime appetitus inferior vehementer intendat suo objecto, scilicet delectabili, propter vehementiam passionis et delectationis, consequens est quod per luxuriam maxime superiores vires deordinantur, scilicet ratio et voluntas. Sunt autem rationis quatuor actus in agendis. Primo quidem simplex intelligentia, quae apprehendit aliquem finem ut bonum; et hic actus impeditur per luxuriam. Et quantum ad hoc ponitur *caecitas mentis*. Secundus actus est consilium de his quae sunt agenda propter finem. Hic etiam

impeditur per concupiscentiam luxuriae. Et quantum ad hoc ponitur *praecipitatio*. Tertius actus est iudicium de agendis: ei hic etiam impeditur per *inconsiderationem*, quae provenit ex luxuria. Quartus actus est praeceptum rationis de agendo, qui etiam impeditur per *inconstantiam*, quae ex luxuria causatur. – Ex parte autem voluntatis consequitur duplex actus inordinatus: quorum unus est appetitus finis; et quantum ad hoc ponitur *amor sui*, quantum scilicet ad delectationem, quam inordinate appetit; et per oppositum ponitur *odium Dei*, in quantum scilicet (Deus) prohibet delectationem concupitam. Alius autem est appetitus eorum quae sunt ad finem; et quantum ad hoc ponitur *affectus praesentis saeculi*; in quo scilicet aliquis vult frui voluptate; et per oppositum ponitur *desperatio futuri saeculi*, quia dum nimis detinetur carnalibus delectationibus, non curat pervenire ad spirituales, sed fastidit eas.

NOTANDUM: Quantum ad effectus luxuriae in locutione notantur quatuor; scilicet *turpiloquia*, quia *ex abundantia cordis os loquitur* (Mt. xii, 34); *scurrilia*, quae sunt verba leviter et inconsiderate dicta; *ludicra*, i. e., verba ad delectationem luxuriosam ordinata; et *stultiloquia*, quae ex caecitate mentis proveniunt (Ad 4m).

QUAESTIO CLIV

De luxuriae partibus

Deinde considerandum est de luxuriae partibus; et circa hoc quaeruntur duodecim.

Art. I. – *Utrum convenienter assignentur sex spes luxuriae, scilicet fornicatio simplex, adulterium, incestus, stuprum, raptus et vitium contra naturam.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia illud quod dat speciem actui morali sumitur ab objecto, quod est

materia actus. Haec autem potest non conveniri rationi rectae dupliciter: uno modo, quia habet *repugnantiam ad finem* venerei actus: et sic inquantum impeditur generatio prolis, est *vitium contra naturam*, quod est in omni actu venereo, ex quo generatio sequi non potest; inquantum autem impeditur debita educatio, et promotio prolis natae, est *fornicatio simplex*, quae est soluti cum soluta. Alio modo *per comparisonem ad alios homines*; et hoc dupliciter. Primo quidem ex parte ipsius feminae cui aliquis commiscetur, quia ei debitus honor non servatur: et sic est *incestus*, qui consistit in abusu mulierum consanguinitate vel affinitate junctarum. Secundo, ex parte ejus in cujus potestate est femina; quae si est in potestate viri, est *adullerium*; si autem est in potestate patris, est *stuprum*, si non inferatur violentia; *raptus* si inferatur.

NOTANDUM: Peccatum conjugati cum sua uxore non est secundum indebitam materiam, sed secundum alias circumstantias, quae non constituunt speciem moralis actus. (Ad 4m).

Art. II. – *Utrum fornicatio simplex sit peccatum mortale.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia simplex fornicatio, i. e., concubitus soluti cum soluta, fit per vagum concubitum, quod est contra naturam humanam et vitam prolis. Nam inest humanae naturae, sicut etiam omnibus avibus, ut concubitus non sit vagus, sed quod maris sit ad determinatam feminam, cum qua, propter vitam et bonum prolis, permaneat non per modicum tempus, sed diu, vel etiam per totam vitam; et secundum hoc matrimonium dicitur de jure naturali. Nec obstat, si aliquis fornicando aliquam cognoscens sufficienter provideat proli de educatione; quia id quod cadit sub legis determinatione, judicatur

secundum id quod communiter accidit, et non secundum id quod in aliquo casu potest accidere.

NOTANDUM: Apud Gentiles fornicatio simplex non reputabatur illicita propter corruptionem naturalis rationis; Judaei autem ex lege divina instructi, eam illicitam reputabant. (Ad 1m). - Quantum autem ad sic dictam fornicationem Osee cum meretrice, considerandum est quod haec facta fuit ex mandato divino (Osee, i. 2). Quod autem homo facit ex voluntate Dei, ejus praecepto obediens, non est contra rationem rectam, quamvis videatur esse contra communem ordinem rationis: sicut etiam non est contra naturam quod miraculose fit virtute divina, quamvis sit contra communem cursum naturae. Et ideo sicut Abraham non peccavit, filium innocentem volendo occidere, propter hoc quod obedivit Deo, quamvis hoc secundum se consideratum sit communiter contra rectitudinem rationis humanae. (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum fornicatio sit gravissimum peccatorum.*

RESP. NEG. - **R. EST:** quia fornicatio est contra bonum hominis nascituri; quod est minus bonum quam bonum divinum, vel etiam quam bonum vitae hominis jam nati: est tamen maius quam aliquod aliud bonum hominis externum. Et ideo fornicatio, secundum se et ratione speciei suae, gravius peccatum est quam peccata quae sunt contra bona exteriora, sicut furtum et alia hujusmodi.

Art. IV. - *Utrum in tactibus et osculis consistat peccatum mortale.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) secundum suam speciem, osculum, amplexus vel tactus, non sunt peccata mortalia; b) si autem fiant propter delectationem luxuriae, sunt peccata mortalia, et libidinosa dicuntur.

R. PRIMI EST: quia haec possunt absque libidine fieri vel propter consuetudinem patriae, vel propter aliquam necessitatem aut rationabilem causam.

R. SECUNDI EST: quia non solum consensus in actum, sed etiam consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale. Et ideo cum oscula et amplexus hujusmodi propter delectationem hujusmodi fiant, consequens est quod sint peccata mortalia; et sic solum dicuntur libidiosa. – (Unde sunt mortalia, si immediate ordinantur ad fornicationem).

Art. V. – *Utrum pollutio nocturna sit peccatum.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) nocturna pollutio secundum se non habet rationem peccati; b) sed potest esse peccatum per comparisonem ad suam causam, si haec est culpabilis.

R. PRIMI EST: quia homo dormiens non habet liberum iudicium, ex quo omne peccatum dependet.

R. SECUNDI patet ex supra dictis de voluntario in causa (I-II, q. lxxvii, art. 7): – Causae autem nocturnae pollutionis possunt esse tres: una *corporalis*, scilicet ex superabundantia humoris seminalis in corpore, vel ex humoris resolutione per nimiam calefactionem corporis, vel per quamcumque aliam commotionem; altera est *animalis* et interior; puta cum ex cogitatione praecedenti contingit aliquem dormientem pollui; – ultima est *spiritualis* et extrinseca; puta cum ex operatione daemonis commoventur phantasmata dormientis in ordinem ad talem effectum. – Sic igitur patet quod nocturna pollutio nunquam est peccatum, sed quandoque est sequela peccati praecedentis.

Art. VI. – *Utrum stuprum debeat poni una species luxuriae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ubi circa materiam alicujus vitii occurrit aliqua specialis deformitas, ibi debet poni determinata species illius vitii. Stuprum autem, quod illicitam virginum deflorationem importat, specialem deformitatem habet luxuriae, tum ex parte puellae, quia ex hoc quod, violatur nulla pactione conjugali praecedente, et impeditur a legitimo matrimonio consequendo, et ponitur in via meretricandi; tum etiam ex parte patris, qui de ejus custodia sollicitudinem gerit, secundum illud Eccli. xlii, 11: *Super filiam luxuriosam confirma custodiam, ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis.* Unde stuprum est determinata luxuriae species.

Art. VII. – *Utrum raptus sit species luxuriae distincta a stupro.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ad rationem raptus requiritur violentia, quam non importat nomen stupri. Unde juxta Divum Thomam raptus definiiri potest: « Vis illata cuicumque personae aut ejus parentibus causa explendae libidinis ».

Art. VIII. – *Utrum adulterium sit determinata species luxuriae ab aliis distincta.*

RESP. AFF. – R. EST: quia adulterium specialem deformitatem habet circa actus venereos. Nam adulterium, ut ipsum nomen sonat, est accessus ad alienum torum; ex quo, praeter peccatum commune contra sextum praeceptum, *non moechaberis*, importat alias duas deformitates, quarum prima est contra certitudinem propriae prolis (legitimae), altera autem est contra bonum prolis alienae. – Item, adulterium specialiter

matrimonio contrariatur, inquantum violat matrimonii fidem, quam quis conjugii debet. (Ad 2m).

Art. IX. – *Utrum incestus sit determinata species luxuriae.**

RESP. AFF. – R. EST: quia ibi necesse est inveniri determinatam speciem luxuriae, ubi invenitur aliquid repugnans usui debito venereorum. In usu autem consanguinearum vel affinium invenitur aliquid incongruum commixtioni venereae; et hoc ex triplici ratione: primo quidem quia naturaliter homo debet quamdam honorificentiam parentibus; secundo, quia personas sanguine conjunctas necesse est ad invicem simul conversari: unde si homines non arcerentur a commixtione venerea, nimia opportunitas daretur hominibus venereae commixtionis; et sic animi hominum nimis emollescerent per luxuriam; tertio, quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum. Dum enim homo uxorem extraneam accipit, junguntur ei quadam speciali amicitia omnes consanguinei uxoris, ac si essent consanguinei ejus.

NOTANDUM: Commixtio inter parentes et filios est secundum se indecens et repugnans naturali rationi; nam filii naturaliter honorem debent parentibus, et etiam aliquibus animalibus inest naturaliter talis reverentia ad parentes. Commixtiones autem inter alias personas, quae ordinem habent ad parentes, sicut inter sorores et fratres, non habent ita ex seipsis indecentiam: sed variatur haec decetia vel indecentia secundum consuetudinem et legem humanam et divinam; quia, ut dictum est (art 2 hujus quaes.), usus venereorum,

* Definiri potest incestus: «Concubitus cum consanguinea vel affini intra gradus prohibitos». Nomen *incestus* videtur derivari a cesto, i. e., cingulo, quod in honestis nuptiis nova uxor marito tradebat: hinc consuetum vocari nuptias incestas, quae sine cesto fiunt. De quo ritus Catullus, carm. xi et lxvii.

qui ordinatur ad bonum commune, subjacet legi. Et ideo Augustinus dicit (De Civ. Dei, lib. xv, c. 16), « commixtio sororum et fratrum quanto fuit antiquior compellente necessitate, tanto postea facta est damnabilior, religione prohibente ». (Ad 3m).

Art. X. - *Utrum sacrilegium possit esse species luxuriae.*

RESP. AFF. - *Scil.*: in quantum luxuria ordinari potest ad violationem alicujus rei sacrae.

R. EST: quia actus unius virtutis, vel vitii ordinatus ad finem alterius, assumit speciem illius; sicut furtum quod propter adulterium committitur, transit in speciem adulterii. Unde manifestum est quod etiam luxuria, secundum quod violat aliquid ad divinum cultum pertinens, pertinet ad speciem sacrilegii, et secundum hoc sacrilegium potest poni species luxuriae.

NOTANDUM: Si aliquis abutatur persona conjuncta sibi secundum spiritualem cognationem, committit sacrilegium ad modum incestus. Si autem abutatur virgine Deo sacrata, in quantum est sponsa Christi, est sacrilegium per modum adulterii. In quantum vero est sub spiritualis patris cura constituta, erit quoddam spirituale stuprum; et si violentia inferatur, erit spiritualis raptus; qui etiam secundum leges civiles gravius punitur quam alius raptus. (Ad 2m).

Art. XI. - *Utrum vitium contra naturam sit species luxuriae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia in vitio contra naturam est specialis ratio deformitatis et indecentiae actus venerei. Nam vitium contra naturam non solum repugnat rationi rectae, quod est commune in omni vitio luxuriae; sed etiam super hoc repugnat ipsi ordini naturali actus venerei. Quod quidem potest fieri quadrupliciter: scilicet per pollutionem solitariam, quod est peccatum

immunditiae sive *mollities*; per concubitus ad rem non ejusdem speciei, quod est *bestialitas* (et hoc est gravissimum peccatum inter vitia quae sunt contra naturam); per concubitus ad non debitum sexum, puta masculi ad masculum, vel feminae ad feminam; quod dicitur *Sodomiticum vitium*; et ultimo, per hoc quod non servetur naturalis modus concumbendi aut quantum ad instrumentum non debitum, aut quantum ad alios monstruosos et bestiales concumbendi modos.

Art. XII. – *Utrum vitium contra naturam sit maximum peccatum inter species luxuriae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia in quolibet genere corruptio principii, ex quo alia dependent, est pessima, sive in speculativis sive in practicis. Sicut igitur in speculativis error circa ea quorum cognitio est homini naturaliter indita, est gravissimus et turpissimus; ita in agendis agere contra ea quae sunt secundum naturam determinata, est gravissimum et turpissimum. In vitiis autem quae sunt contra naturam transgreditur homo id quod est secundum naturam determinatum circa usum venereorum; et inde est quod in tali materia hoc peccatum est gravissimum. – Inter haec vitia autem infimum locum tenet peccatum immunditiae, quod consistit in sola omissione concubitus ad alterum. Gravissimum autem est peccatum bestialitatis, quia non servetur debita specie. Post hoc autem est vitium Sodomiticum, cum ibi non servetur debitus sexus. Post hoc autem est peccatum ex eo quod non servatur debitus modus concumbendi; magis autem si non sit debitum vas, quam si sit inordinatio secundum aliqua alia pertinentia ad modum concubitus. (Ad 3m).

QUAESTIO CLV

**De partibus potentialibus temperantiae,
et primo de continentia**

Postea considerandum est de partibus potentialibus temperantiae; et primo de continentia; secundo de clementia; tertio de modestia. Circa primum considerandum est de continentia et de incontinentia. Circa continentiam quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum continentia sit virtus.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) continentia perfecta, prout significat abstinentiam ab omni delectatione venerea, est virtus; b) si vero significat resistantiam concupiscentiis pravis, sicut a Philosopho sumitur (*Ethic.*, Lib. viii), est « virtus mixta ».

R. PRIMI EST: quia sic sumpta, continentia identificatur cum virginitate, de qua supra (quaes. clii, art. 3); vel cum viduitate perfecta.

R. SECUNDI EST: quia inquantum continentia, sic sumpta, firmat rationem contra passiones, habet ratione virtutis; inquantum vero passiones vehementes insurgunt rationi contrariae, sic continentia deficit a ratione virtutis. Et ideo Philosophus dicit (*Ethic.* lib. iv, cap. ult.), quod « continentia non est virtus sed quaedam mixta » - Largius tamen accipiendo nomen virtutis pro quolibet principio laudabilium operum, possumus dicere continentiam esse virtutem.

Art. II. - *Utrum materia continentiae sint concupiscentiae delectationum tactus.*

RESP. AFF. - *Scil.:* continentia et incontinentia *proprie* dicuntur circa concupiscentias delectationum tactus.

R. EST: quia continentia importat quamdam refrenationem, inquantum scilicet tenet se aliquis

ne passiones sequatur. Passiones autem tanto vehementius impellunt, quanto magis sequuntur inclinationem naturae. Haec autem praecipue inclinatur ad ea quae sunt sibi necessaria vel ad conservationem individui, sicut sunt cibi; vel (et magis) ad conservationem speciei, sicut sunt actus venerei, quorum delectationes ad tactum pertinent. Et ideo materia propria continentiae et incontinentiae est concupiscentia delectationum tactus, non sicut quas continentia moderetur (quod pertinet ad temperantiam), sed sicut eis resistens (art. seq. ad 1m).

Art. III. – *Utrum subjectum continentiae sit vis concupiscibilis.*

RESP. NEG. – R. EST: quia virtus in aliquo subjecto existens facit illud differre a dispositione quam habet, dum subjicitur opposito vitio. Continentia autem non facit hanc differentiam in concupiscibili, quia concupiscibilis eodem modo se habet in eo qui est continens, et in eo qui est incontinens, quia in utroque prorumpit in concupiscentias pravas vehementes. Unde manifestum est quod continentia non est in concupiscibili sicut in subjecto. – Sed differentia inter continentem et incontinentem est in electione; nam continens, quamvis patiatur vehementes concupiscentias, tamen *eligit* non sequi eas propter rationem; incontinens autem *eligit* sequi eas, non obstante contradictione rationis. Continentiam ergo oportet esse, sicut in subjecto, in illa vi animae cujus actus est electio: et haec est voluntas, ut supra dictum est (I-II, qu. xiii, art. 1).

NOTANDUM: Voluntas igitur media est inter rationem et concupiscibilem, et potest ab utroque moveri. In eo autem qui est continens, movetur a ratione; in eo autem qui est incontinens, movetur a concupiscibili. Et ideo continentia po-

test attribui rationi sicut primo moventi, et incontinentia concupiscibili; quamvis utrumque immediate pertineat ad voluntatem sicut ad proprium subjectum. (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum continentia sit melior quam temperantia.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) continentia, secundum quod importat resistentiam rationis ad concupiscentias pravas, quae sunt in homine vehementes, non est melior temperantia, sed temperantia est multo potior quam continentia; b) continentia perfecta, secundum quod importat cessationem ab omnibus delectationibus venereis, est potior temperantia simpliciter dicta.

R. PRIMI EST: quia plus viget bonum rationis in eo qui est temperatus, in quo etiam ipse appetitus sensitivus est subjectus rationi, quam in eo qui est continens, in quo appetitus sensitivus vehementer resistit rationi per concupiscentias pravas. Unde continentia comparatur ad temperantiam sicut imperfectum ad perfectum, et temperantiae adjungitur sicut secundarium principali.

R. SECUNDI EST: quia continentia perfecta identificatur cum virginitate, quae praeceminentiam habet ad castitatem simpliciter dictam. Virginitas enim se abstinet ab omni usu venereorum.

QUAESTIO CLVI

De incontinentia

Postea considerandum est de incontinentia, et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum incontinentia pertineat ad animam, an ad corpus.*

RESP. – Incontinentia pertinet ad animam. – *Scil.:* per se causa incontinentiae est ex parte

animae, quae ratione passionibus non resistit; corpus autem solam occasionem praebet incontinentiae.

R. EST: quia passiones, quantumcumque vehementes, quae ex dispositione corporis insurgunt in appetitu sensitivo, non sunt sufficiens causa incontinentiae, sed occasio sola; eo quod durante usu rationis, semper homo potest passionibus resistere. - Quod autem anima ratione passionibus non resistit potest contingere dupliciter: uno modo, quando anima passionibus cedit, antequam ratio consilietur: quae quidem vocatur *irrefrenata incontinentia*, vel *praeuolatio*, sicut accidit in cholericis et in melancholicis; alio modo, quando non permanet homo in his quae consiliata sunt, eo quod debiliter est firmatus in eo quod ratio iudicavit: unde haec continentia vocatur *debilitas*, et est propria feminarum, et mollium et phlegmaticorum (Ad 1m et 2m).

NOTANDUM: Quia femina secundum corpus habet quamdam debilem complexionem, quae confert etiam in opera illa animae quae sunt sine corporis instrumentis, i. e., ad actum intellectus et voluntatis, fit ut in pluribus quod etiam debiliter inhaereat quibuscumque inhaeret; etsi raro in aliquibus aliter accidat (Ad 1m). Idem etiam dicitur de mollibus et de phlegmaticis, propter eandem causam (Ad 2m).

Art. II. - Utrum incontinentia sit peccatum.

RESP. AFF. - Scil.: a) incontinentia proprie et simpliciter dicta est peccatum ex duplici ratione; b) incontinentia proprie sed secundum quid dicta, est peccatum ex una ratione tantum; c) incontinentia non proprie et per similitudinem dicta, non est peccatum, sed pertinet ad perfectionem virtutis.

R. PRIMI EST: quia incontinentia proprie et simpliciter dicta attenditur circa concupiscentias

delectationum tactus; unde est peccatum tum ex eo quod incontinens recedit ab eo quod est secundum rationem; tum ex eo quod se immergit quibusdam turpibus delectationibus. Unde dicit Philosophus (Ethic. lib. vii, cap. 8): «incontinentia vituperatur non solum sicut peccatum, sed sicut malitia quaedam», in quantum scilicet pravas concupiscentias sequitur.

R. SECUNDI EST: quia incontinentia proprie quidem sed secundum quid dicta, consistit in hoc quod aliquis non servet modum debitum rationis in concupiscentia rerum per se appetendarum.

R. TERTII EST: quia incontinentia non proprie, sed tantum secundum similitudinem dicta, est circa concupiscentias eorum quibus non potest aliquis male uti, puta circa concupiscentias virtutum. Et talis incontinentia, quae tantum per similitudinem dicitur, non est peccatum, sed pertinet ad perfectionem virtutis.

Art. III. – *Utrum incontinens plus peccet quam intemperatus.*

RESP. NEG. – R. EST: quia major est inclinatio voluntatis ad peccatum in intemperato, quam in incontinente. Nam, in eo qui est intemperatus, voluntas inclinatur ad peccandum ex propria electione, quae procedit ex habitu per consuetudinem acquisito; in eo autem qui est incontinens, voluntas inclinatur ad peccandum ex aliqua passione. Et quia passio cito transit, habitus autem est qualitas difficile mobilis; inde est quod incontinens statim poenitet, transeunte passione: quod non accidit de intemperato: quinimo gaudet se peccasse, eo quod operatio peccati est sibi facta connaturalis secundum habitum. Unde Philosophus dicit (Ethic. lib. vii, c. 7), quod «incontinens est melior intemperato quia salvatur in eo

optimum principium », scilicet recta aestimatio de fine. (Ad 1m).

NOTANDUM: Ad sanationem incontinentis non sufficit sola cognitio, sed requiritur interius auxilium gratiae concupiscentiam mitigantis; et adhibetur etiam exterius remedium admonitionis et correctionis, ex quibus aliquis incipit concupiscentiis resistere, ex quo concupiscentia debilitatur* (Ad 2m).

Art. IV. – Utrum incontinens irae sit peior quam incontinens concupiscentiae.

RESP. NEG. – Scil. : a) ex parte passionis, ex qua ratio superatur, incontinentia concupiscentiae est turpior; b) ex parte autem mali in quod quis incidit ex incontinentia, ut in plurimum, gravior est incontinentia irae.

R. PRIMI EST: quia motus concupiscentiae habet majorem inordinationem quam motus irae. Nam, primo: motus irae participat aliquantulum rationem, inquantum scilicet iratus tendit ad vindicandum injuriam sibi factam; sed motus concupiscentiae totaliter est secundum sensum, et nullo modo secundum rationem. Secundo, quia motus irae magis consequitur corporis complexionem propter velocitatem motus cholerae. Quod autem provenit ex naturali corporis dispositione, reputatur magis venia dignum. Tertio, quia ira quaerit manifeste operari, sed concupiscentia quaerit latebras et dolose subintrat. Quarto, quia concupiscens delectabiliter operatur; sed iratus quasi quadam tristitia praecedente coactus.

* Ad diminuendum concupiscentiam pravam optimum est ut quis bene consideret quanta mala ex incontinentia sibi proveniunt, et sic se movet ut sancte in odium habeat omnes concupiscentias pravas: sic odio enim concupiscentia valde diminuitur, amore autem et complacentia accenditur.

R. SECUNDI EST: quia incontinentia irae ducit in ea quae pertinent ad proximi nocumentum.

NOTANDUM: Concupiscentia dicitur esse sine ratione, non quia totaliter auferat usum rationis, sed quia in nullo procedit secundum iudicium rationis: et ex hoc est turpior. (Ad 2m).

QUAESTIO CLVII

De clementia et mansuetudine

Postea considerandum est de clementia, et mansuetudine, et vitiis oppositis. Circa ipsas virtutes quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum clementia et mansuetudo sint penitus idem.*

RESP. NEG. - R. EST: quia clementia est moderativa exterioris punitionis; mansuetudo autem proprie diminuit passionem irae. - (Unde clementia proprie est in iis qui habent auctoritatem puniendi; et sic latius patet mansuetudo quam clementia; quia haec ad publicas personas tantum spectat, illa etiam ad privatas).

NOTANDUM: Ex passione irae provocatur aliquis ad hoc quod graviorem inferat poenam, quam debet; ad clementiam autem pertinet directe quod sit diminutiva poenarum; quod quidem impediri posset per excessum irae. Et ideo mansuetudo, inquantum refrenat impetum irae, concurrat in eundem effectum cum clementia. (In corp. art.).

Art. II. - *Utrum tam clementia quam mansuetudo sit virtus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia clementia, diminuendo poenas, respicit ad rationem. Similiter etiam mansuetudo secundum rationem rectam moderatur iras. Unde manifestum est quod tam clementia quam mansuetudo est virtus.

NOTANDUM: Proprie loquendo severitas non opponitur clementiae; quia utraque est secundum rationem, et non sunt circa idem. Nam severitas inflexibilis est circa inflictionem poenarum, quando hoc recta ratio requirit; clementia autem diminutiva est poenarum, etiam secundum rationem rectam, quando scilicet oportet, et in quibus oportet. Similiter, severitas non directe opponitur mansuetudini; quia mansuetudo est circa iras, severitas autem attenditur circa exteriorem inflictionem poenarum. (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum praedictae virtutes sint partes temperantiae.*

RESP. AFF. - *Scil.:* partes potentiales seu annexae.

R. EST: quia tam clementia quam mansuetudo assignantur temperantiae, uti virtutes secundariae principali, quam imitantur in materiis secundariis quantum ad modum, ex quo principaliter dependet laus temperantiae. Nam temperantia consistit in quadam refrenatione, in quantum scil. refrenat concupiscentias vehementissimas delectationum tactus. Clementia autem et mansuetudo similiter in quadam refrenatione consistunt, quia scil. clementia est diminutiva poenarum, mansuetudo vero est mitigativa irae.

NOTANDUM: Diminutio poenarum quae fit secundum intentionem legislatoris, licet non secundum verba legis, pertinet ad epicheiam; moderatio autem affectus, ut homo non utatur sua potestate in inflictione poenarum, pertinet proprie ad clementiam. (Ad 1m).

Art. IV. - *Utrum clementia et mansuetudo sint potissimae virtutes.*

RESP. NEG. - *Scil.:* a) clementia et mansuetudo non sunt potentissimae virtutes simpliciter; b) sed secundum quid nihil prohibet clemen-

tiam et mansuetudinem habere quamdam excellentiam inter virtutes quae resistunt affectionibus pravis.

R. PRIMI EST: quia laus clementiae et mansuetudinis attenditur in hoc quod retrahunt a malo, inquantum scilicet diminuunt iram vel poenam. Perfectius est autem consequi bonum quam carere malo. Et ideo virtutes quae simpliciter ordinant in bonum, sunt simpliciter majores.

R. SECUNDI EST: quia ira, quam mitigat mansuetudo, propter suum impetum maxime impedit animum hominis ne libere judicet veritatem: et propter hoc mansuetudo maxime facit hominem esse compotem sui. Unde dicitur Eccli. x, 31: *Fili, in mansuetudine serva animam tuam*. Clementia vero in hoc quod diminuit poenas, maxime videtur accedere ad charitatem, quae est potissima virtutum.

NOTANDUM: Mansuetudo et clementia reddunt hominem Deo et hominibus acceptum, secundum quod concurrunt in eundem effectum cum charitate, scilicet insubtrahendo mala proximorum. (Ad 2m).

QUAESTIO CLVIII

De iracundia

Postea considerandum est de vitiis oppositis: primo de iracundia, quae opponitur mansuetudini; secundo de crudelitate, quae opponitur clementiae. Circa iracundiam quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum irasci sit licitum.*

RESP. AFF. – *Scil.:* secundum rectam rationem irasci laudabile est.

R. EST: quia malum passionis irae non est secundum suam speciem, sicut, e. g., accidit in invidia, quae est tristitia de bono aliorum, et

ideo secundum se repugnat rationi: est enim ira appetitus vindictae, quae potest bene vel male appeti. - Malum autem potest esse in ira secundum quantitatem; quia aliquis potest plus vel minus irasci quam oportet. Unde dicit Gregorius (Moral. lib. v, cap. 30): « tunc robustius ira contra vitia erigitur, cum subdita rationi famulatur ». (Ad 4m).

Art. II. - *Utrum ira sit peccatum.*

RESP. AFF. - *Scil.* : ira peccatum est, si modum rationis excedat.

R. EST: quia passio appetitus sensitivi intantum est bona, inquantum ratione regulatur.

NOTANDA: 1. Ordo rationis in ira potest attendi quantum ad duo: primo quidem *quantum ad appetibile* in quod tendit, quod est vindicta; et secundum hoc, aliquis per iram peccare potest si appetat puniri eum qui non meruit, vel ultra quam meruit, vel etiam non secundum legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui est conservatio iustitiae et correctio culpae. Alio modo peccat aliquis per iram *quantum ad modum irascendi*, quando scilicet motus irae immoderate fervescet sive interius sive exterius.

2. Homo est dominus suorum actuum per arbitrium rationis; et ideo motus qui praeveniunt iudicium rationis non sunt in potestate hominis in generali, ut scil. nullus eorum insurgat; quamvis ratio possit quemlibet *singulariter* impedire si insurgat. Et secundum hoc dicitur quod motus irae non est in potestate hominis, ita scilicet quod nullus insurgat. Quia tamen aliquo modo est in hominis potestate, non totaliter perdit rationem peccati, si sit inordinatus. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum omnis ira sit peccatum mortale.*

RESP. NEG. - *Scil.* : a) ex parte appetibilis, seu vindictae, si haec est injusta, ira est peccatum mortale ex genere suo; b) ex parte motus, potest ira contingenter esse peccatum mortale.

R. PRIMI EST: quia sic ira contrariatur charitati et justitiae. Potest tamen contingere quod talis appetitus sit peccatum veniale propter imperfectionem actus, tum ex parte appetentis, puta cum motus irae praeventit iudicium rationis; tum ex parte appetibilis, puta cum aliquis appetit in aliquo modico se vindicare, quod quasi nihil est reputandum; puta si aliquis parum trahit aliquem puerum per capillos vel aliquid hujusmodi.

R. SECUNDI EST: quia aliquis potest ex vehementia irae a dilectione Dei et proximi excidere.

NOTANDUM: Quantum ad verbum Domini (Mt. v): « *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*, notandum est quod illud verbum dixit de ira, quasi superaddens ad illud verbum legis: *Qui occiderit, reus erit iudicio*. Unde loquitur ibi Dominus de motu irae in quo quis appetit proximi occisionem, aut quamcumque gravem laesionem: cui appetitui si consensus rationis superveniat, absque dubio erit peccatum mortale. (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum ira sit gravissimum peccatum.*

RESP. NEG. – *Scil. : a)* ex parte appetibilis seu vindictae, ira convenit cum illis peccatis quae appetunt malum proximi, i. e., cum odio et invidia, et inter ipsa minimum est peccatum; *b)* ex parte boni, sub cuius ratione iratus appetit malum convenit ira cum peccato concupiscentiae, et est minus peccatum; *c)* ex parte modi irascendi, habet ira quamdam excellentiam.

R. PRIMI EST: quia ira appetit malum poenae sub ratione boni justitiae. Odium autem appetit malum proximi sub ratione mali, et invidia sub ratione propriae gloriae seu excellentiae.

R. SECUNDI EST: quia melius est bonum justitiae, quod appetit iratus, quam bonum delectabile vel utile, quod appetit concupiscens.

R. TERTII EST: propter vehementiam et velocitatem sui motus, secundum illud Prov. xxvii, 4:

*Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor :
et impetum concitati spiritus ferre quis poterit ?*

Art. V. – *Utrum philosophus convenienter determinet species iracundiae, dicens quod iracundorum quidam sunt acuti, quidam amari, et quidam difficiles.*

RESP. AFF. – R. EST: quia inordinatio irae ex duobus attendi potest: primo quidem ex ipsa irae origine; et hoc pertinet ad *acutos*, qui nimis cito irascuntur, et ex qualibet levi causa. Alio modo ex ipsa irae duratione, eo scil. quod ira nimis perseverat: quod quidem potest esse dupliciter. Uno modo, quia causa irae, scil. injuria illata, nimis manet in memoria hominis: unde ex hoc homo diutinam tristitiam concipit: et ideo sunt sibi ipsis *graves et amari*. Alio modo contingit ex parte ipsius vindictae, quam aliquis obstinato appetitu quaerit: et hoc pertinet ad *difficiles* sive *graves*, qui non dimittunt iram, quousque puniant.

NOTANDUM: Praedicta distinctio potest referri etiam ad passionem irae, ut supra habitum est Ia-IIae, quaes. xlvi, art. 8.

Art. VI. – *Utrum ira debeat poni inter vitia capitalia.*

RESP. AFF. – R. EST: quia multa vitia ex ira oriri possunt: nam vindicta appetitur ab irato sub ratione justitiae et honesti, quod sua dignitate allicit; et ex suo modo impetuoso, mentem suam iratus praecipitat ad inordinata quaecumque agenda.

Art. VII. – *Utrum convenienter assignentur sex filiae irae, scilicet rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio et blasphemia.*

RESP. AFF. – Scil.: prout ira est in corde, in ore, et in opere.

R. EST: quia ex ira quae est in corde, procedit *indignatio*, scilicet contra quem homo irascitur prout reputat ipsum indignum ut sibi tale quid faciat; et *tumor mentis*, ex parte ipsius irati, in quantum cogitationibus vindictae animum suum replet. – Ex ira quae est in ore, procedit *clamor*, prout homo in modo loquendi iram suam demonstrat, scilicet per inordinatam et confusam locutionem, sicut qui iratus dicit fratri suo *Racha*; et *blasphemia* et *contumelia*, prout aliquis prorumpit in verba injuriosa contra Deum, vel contra proximum. – Ex ira autem quae est in factis, oriuntur *rixae*; per quas intelliguntur omnia nocumenta quae facto proximis inferuntur ex ira.

NOTANDUM: Blasphemia in quam aliquis prorumpit deliberata mente, procedit ex superbia hominis contra Deum se erigentis; quia, ut dicitur Eccli. x, 14, *Initium superbiae hominis apostatare a Deo*; id est, recedere a veneratione ejus, est prima superbiae pars: et ex hoc oritur blasphemia. Sed blasphemia in quam aliquis prorumpit ex commotione animi, procedit ex ira (Ad 1m).

Art. VIII. – *Utrum sit aliquod vitium oppositum iracundiae proveniens ex defectu irae.*

RESP. AFF. – *Scil.*: sive si ira accipiatur pro simplici motu voluntatis, sive si accipiatur pro motu appetitus sensitivi.

R. EST: quia defectus irae consequentis rectum iudicium rationis, vitiosus est, sive talis defectus, sit in sola voluntate, sive in passione: motus enim irae non potest totaliter deficere in appetitu sensitivo, nisi per subtractionem, vel debilitatem voluntarii motus: naturaliter enim appetitus inferior sequitur motum appetitus superioris, nisi aliquid repugnet. Et ideo ex consequenti etiam defectus passionis irae vitiosus est.

NOTANDUM: Qui cum causa irascitur, ira illius jam non est ex passione: et ideo iudicare dicitur,

non irasci (quantum ad voluntatem). Et ideo ille qui totaliter non irascitur, cum debet irasci, imitatur quidem Deum quantum ad carentiam passionis, non autem quantum ad hoc quod Deus ex iudicio punit (Ad 1m). Tamen etiam ut passio ira utilis est, sicut et omnes alii motus appetitus sensitivi: natura enim nihil frustra facit (Ad 2m).

QUAESTIO CLIX

De crudelitate

Deinde considerandum est de crudelitate; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum crudelitas opponatur clementiae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia clementia importat quamdam animi lenitatem, sive dulcedinem, per quam aliquis est diminutivus poenarum. Crudelitas vero, quae a cruditate dicitur, indicat aliquid quasi crudum, horribile, et asperum saporis habens. Unde directe crudelitas clementiae opponitur.

NOTANDUM: Diminutio poenarum, quae est secundum rationem, pertinet ad epicheiam; ipsa autem dulcedo affectus, ex qua homo ad hoc inclinatur, pertinet ad clementiam. Superexcessus poenarum, quantum ad id quod exterius agitur, pertinet ad injustitiam; quantum vero ad austeritatem animi, per quam aliquis fit promptus ad poenas augendas, pertinet ad crudelitatem (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum crudelitas a saevitia sive feritate differat.*

RESP. AFF. – *Scil.:* crudelitas differt a saevitia sive feritate, sicut malitia humana differt a bestialitate, ut Philosophus dicit (Ethic. lib. vii, cap. 5).

R. EST: quia saevitia sive feritas proprie de animalibus est, quae non ex aliqua iustitiae causa, cujus consideratio pertinet ad solam rationem,

sed ut ex eorum corporibus pascantur, hominibus nocent. Unde saevitia sive feritas de homine dicitur secundum quam aliquis in poenis inferendis non considerat aliquam culpam ejus qui punitur, sed solum hoc quod delectatur in hominum cruciatu. Talis enim delectatio non est humana, sed bestialis. Crudelitas vero attendit culpam in eo qui punitur, sed excedit modum in puniendo. - Unde crudelitas directe opponitur clementiae, saevitas sive feritas dono pietatis. (Ad 1m).

QUAESTIO CLX

De modestia

Deinde considerandum est de modestia: et primo, de ipsa in communi; secundo de singulis quae sub ea continentur. Circa primum quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum modestia sit pars temperantiae.*

RESP. AFF. - *Scil.:* est pars potentialis seu annexa temperantiae.

R. EST: quia modestia adjungitur temperantiae tanquam virtuti principali. Nam, ubicumque est aliqua virtus specialiter circa aliquod maximum, oportet esse aliam virtutem circa ea quae mediocriter se habent, eo quod oportet quantum ad omnia vitam hominis secundum virtutes esse regulatam. Sicut igitur magnificentiae, quae est circa magnos sumptos pecuniarum, adjungitur liberalitas, quae fit circa mediocres sumptus; ita necesse est ut temperantiae adjungatur modestia, quae est moderativa delectationem in mediocribus.

NOTANDUM: Modestia, prout a *modo* dicitur, idem est ac moderatio; et secundum hoc in omnibus virtutibus requiritur (Ad 1m et 3m).

Art. II. - *Utrum modestia sit solum circa exteriores actiones.*

RESP. NEG. - R. EST: quia sub modestia continentur etiam diversae virtutes, quae circa interiores hominis actus versantur (Ad 1m). Sic Tullius clementiam, humilitatem et studiositatem; Andronicus mansuetudinem, simplicitatem et alia hujusmodi; et Aristoteles eutropeliam, quae est circa delectationem ludorum, modestiae substaxerunt, secundum quod in talibus virtutibus, secundum rationem moderationis, non attenditur nisi una virtus. (Ad 2m). - Quantum ad actus modestiae exteriores enumerantur, secundum Tullium, (De invent. lib. ii), illi qui pertinent ad corporales motus et actiones; ut scilicet decenter et honeste fiant tam in his quae serio quam in his quae ludo aguntur; et illi qui pertinent ad exteriorem apparatus, puta in vestibus et in aliis hujusmodi. (In corp. art.).

QUAESTIO CLXI

De speciebus modestiae, et primo de humilitate

Postea considerandum est de speciebus modestiae: et primo, de humilitate et superbia, quae ei opponitur; secundo, de studiositate et curiositate ipsi opposita; tertio, de modestia, secundum quod est in verbis vel in factis; quarto, de modestia, secundum quod est circa exteriorem cultum. Circa humilitatem quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum humilitas sit virtus.*

RESP. AFF. - Scil.: est virtus qua animus firmatur ne inordinate extollatur.

R. EST: quia, sicut supra dictum est (I-II, q. xxiii, art. 2), cum de passionibus ageretur, bo-

num arduum habet aliquid unde attrahit appetitum, scilicet ipsam rationem boni; et habet aliquid retrahens, scilicet ipsam difficultatem adipiscendi. Unde circa appetitum boni ardui necessaria est duplex virtus. Una quidem quae temperet et refrenet animum, ne immoderate tendat in excelsa: et hoc pertinet ad virtutem humilitatis. Alia vero quae firmet animum contra desperationem, et impellat ipsum ad prosecutionem magnorum secundum rationem rectam; et haec est magnanimitas. Et sic patet quod humilitas est quaedam virtus.

NOTANDUM: Sicut Isidorus dicit (Etymol. lib. x, ad litt. H), «humilitas dicitur quasi humi acclivis», id est imis inhaerens. Quod quidem contingit dupliciter: uno modo ex principio extrinseco, puta cum aliquis ab alio dejicitur, et sic humilitas est *poena*; alio modo a principio intrinseco; et hoc potest fieri quandoque quidem bene, puta cum aliquis considerans suum defectum tenet se in infimis secundum suum modum, sicut Abraham dixit ad Dominum (Gen. xviii, 27): *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis*; et hoc modo humilitas ponitur virtus: et sic humilitas importat quamdam laudabilem dejectionem in ima, quae in comparatione ad Deum cuilibet homini convenire potest; imo et propter Deum etiam aliis potest laudabiliter se humiliando subjicere. — Quandoque autem potest fieri male, puta cum homo honorem suum non intelligens, comparat se jumentis insipientibus, et similis fit illis (Ad 1m, 2m. 4m et 5m passim).

Art. II. — *Utrum humilitas consistat circa appetitum.*

RESP. AFF. — *Scil.*: humilitas magis consistit circa appetitum quam circa iudicium rationis seu aestimationem.

R. EST: quia cognitio proprii defectus pertinet ad humilitatem, sicut regula quaedam directiva appetitus. Sed in ipso appetitu consistit

humilitas essentialiter. Est enim humilitas electiva, scilicet ad hoc ut quis reprimat se ipsum, ne feratur in ea quae sunt supra se. Et ideo dicendum est quod humilitas proprie est directiva et moderativa motus appetitus.

Art. III. – *Utrum homo debeat se omnibus per humilitatem subjicere.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) quilibet homo secundum id quod suum est, debet se cuilibet proximo subjicere quantum ad id quod est Dei in ipso; b) non autem hoc requirit humilitas ut aliquis id quod est Dei in seipso, subjiciat ei quod apparet esse Dei in altero; c) similiter, humilitas non requirit ut aliquis id quod est suum in seipso, subjiciat ei quod est hominis in proximo.

R. PRIMI EST: quia humilitas proprie respicit reverentiam, qua homo Deo subjicitur. Non debemus autem solum Deum revereri in seipso, sed etiam id quod est ejus, debemus revereri in quolibet, quamvis non eodem modo quo Deum reveremur (In corp. art. et ad 1m).

R. SECUNDI EST: quia absque praejudicio humilitatis, possunt illi qui dona Dei acceperunt, ea praeferre donis Dei quae aliis apparent collata; sicut Apostolus dicit (Ephes. iii, 5): *Aliis generationibus non est agnatum filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis apostolis ejus.*

R. TERTII EST: quia alioquin oporteret ut quilibet reputaret se magis peccatorem quolibet alio; cum tamen Apostolus absque praejudicio humilitatis dicat (Gal. ii, 15): *Nos natura Judaei, et non ex gentibus peccatores.* – Potest tamen aliquis reputare aliquid boni esse in proximo quod ipse non habet, vel aliquid mali in se esse quod in alio non est, ex quo se potest subjicere per humilitatem; saltem secundum interiorum actum animae (In fine art. et ad 3m).

Art. IV. - *Utrum humilitas sit pars modestiae, vel temperantiae.*

RESP.: humilitas est pars temperantiae, sicut modestia, sub qua continetur.

R. EST: quia omnes virtutes refrenantes sive reprimentes impetus aliquarum affectionum, vel actiones moderantes, ponuntur partes temperantiae. Temperantia enim ex hoc maxime habet laudem, quod refrenat, vel reprimit impetus passionum. Humilitas autem reprimit motum spei, qui est motus spiritus in magna tendentis. Et ideo humilitas ponitur pars temperantiae. Humilitas autem in quantum est quaedam moderatio spiritus, continetur sub modestia, ut dictum est (quaes. praec., art. 1). Unde humilitas est pars (scil. potentialis) temperantiae, et sub modestia continetur.

NOTANDUM: Humilitas, cum versetur circa bonum arduum, est in irascibili, sicut in subjecto; tamen ponitur pars modestiae et temperantiae propter modum formalem, secundum quem convenit cum ipsis. Nam partes (potentiales) assignantur principalibus virtutibus, non secundum convenientiam in subjecto vel in materia, sed secundum convenientiam in modo formali (Ad 2m). Sic licet magnanimitas et humilitas in materia convenient, differunt tamen in modo, ratione cujus magnanimitas ponitur pars fortitudinis, humilitas autem pars temperantiae (Ad 3m).

Art. V. - *Utrum humilitas sit potissima virtutum.*

RESP. NEG. - *Scil.:* post virtutes theologicas et intellectuales, et post justitiam legalem, humilitas est virtutum excellentissima et potissima.

R. EST: quia virtutes theologicae habent pro objecto ipsum ultimum finem; ordo autem rationis, in quo bonum humanae virtutis consistit, principaliter attenditur respectu finis. Unde virtutes theologicae sunt potissimae. Aliae autem

virtutes ordinantur ad ea quae sunt ad finem; et inter has potiores sunt illae quae respiciunt ipsam rationem, in qua ordinatio essentialiter consistit, scilicet virtutes intellectuales, quam illae quae respiciunt appetitum, in quo participative est ordinatio. Inter has autem primum locum tenet justitia, praesertim legalis, quae hanc ordinationem universaliter facit. Deinde venit humilitas, quae hominem facit ordinationi bene subjectum in universali quantum ad omnia; quaelibet enim alia virtus quantum ad aliquam materiam specialem.

NOTANDUM: Humilitas dicitur spiritualis aedificii fundamentum, quia, in acquisitione virtutum, primum locum tenet, ut removens scilicet prohibens, in quantum expellit superbiam, cui Deus resistit, et praebet hominem subditum, et patulum ad suscipiendum influxum divinae gratiae. Unde dicitur Jacobi IV, 6, quod *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Quantum autem ad id quod primum in virtutibus directe se habet, per quod scilicet ad Deum acceditur, fundamentum ponitur fides, et quidem modo nobiliori quam humilitas (Ad 2m).

Art. VI. - *Utrum convenienter distinguantur secundum B. Benedictum duodecim gradus humilitatis, scilicet corde et opere semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus, etc.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia humilitas, ut diximus (art. 2 hujus quaes.) essentialiter consistit in appetitu; sed regulam habet in cognitione; et utriusque principium et radix est reverentia quam quis habet ad Deum. Quantum autem ad radicem humilitatis ponitur duodecimus gradus, qui est « ut homo Deum timeat, et memor sit omnium quae praecipit ». Quantum ad appetitum, ne scilicet in propriam excellentiam inordinate tendat, ponuntur tria: primo, ut homo

non sequatur propriam voluntatem (undecimus gradus); secundo, ut regulet voluntatem secundum superioris arbitrium (decimus gradus); tertio, ut ab hoc non desistat propter dura et aspera, quae occurrunt (nonus gradus). Quantum autem ad existimationem hominis recogniscentis suum defectum, ponuntur etiam tria: primo quidem, quod proprios defectus recognoscat et confiteatur (octavus gr.); secundo, ut ex consideratione sui defectus aliquis insufficientem se existimet ad majora (septimus gr.); tertio, ut quantum ad hoc alios sibi praeferat (sextus gr.). Haec autem referuntur ad actus humilitatis interiores: quantum vero ad exteriores actus seu signa humilitatis, unum est in factis, ut scilicet homo non recedat in suis operibus a via communi (quintus gr.). Alia duo sunt in verbis, ut scilicet homo non praeripiat tempus loquendi, quod pertinet ad quartum gradum; nec excedat modum in loquendo, quod pertinet ad secundum. Alia vero consistunt in exterioribus gestibus; puta in reprimendo extollentiam oculorum, quod pertinet ad primum; et in cohibendo exterius risum et alia ineptae laetitiae signa, quod pertinet ad tertium. *

* Secundum S. Thomam gradus humilitatis B. Bernardi cum vitii oppositis sic ponuntur in quaestione sequenti, art. 4, ad 4m: – Primus gradus humilitatis est « corde et corpore semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus »; cui opponitur *curiositas*, per quam aliquis curiose ubique et inordinate circumspicit. Secundus gradus est « ut pauca verba et rationalia loquatur aliquis non clamosa voce »; contra quem opponitur *levitas mentis*, per quam scilicet homo superbe se habet in verbo. Tertius est, « ut non sit facilis et promptus in risu »; cui opponitur *inepta letitia*. Quartus est « taciturnitas usque ad interrogationem », cui opponitur *jactantia*. Quintus gradus est « tenere quod communis regula monasterii habet »; cui opponitur *singularitas*, per quam scilicet aliquis sanctior vult apparere. Sextus est « credere et pronuntiare se omnibus villorem »;

NOTANDA: 1. Aliquis potest absque falsitate se credere et pronuntiare omnibus viliores secundum defectus occultos, quos in se recognoscit; et dona Dei, quae in aliis latent. Similiter etiam absque falsitate potest aliquis confiteri et credere ad omnia se inutilem esse, et indignum per proprias vires, ut sufficientiam suam totam in Deum referat, secundum illud II. Corinth. iii, 5: *Non quod sufficientes simus aliquid cogitare a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (Ad 1m).

2. Homo pervenit ad humilitatem per duo. Primo quidem et principaliter per gratiae donum: et quantum ad hoc interiora (de quibus in responsione) praecedunt exteriora. Aliud autem est humanum studium, per quod homo prius exteriora cohibet, postmodum pertingit ad extirpandum interiorum radicem; et secundum hunc ordinem assignantur hic humilitatis gradus (exteriores ante interiores gradus). - (Ad 2m).

QUAESTIO CLXII

De superbia

Postea considerandum est de superbia: et primo de superbia in communi; secundo de peccato primi hominis, quod ponitur esse superbia. Circa primum quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum superbia sit peccatum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia superbia importat

cui opponitur *arrogantia*, per quam scilicet homo se aliis praefert. Septimus gradus est « ad omnia inutilem et indignum se confiteri et credere »; cui opponitur *praesumptio*, per quam scilicet aliquis reputat se sufficientem ad malora. Octavus est « confessio peccatorum »; cui opponitur *defensio eorumdem*. Nonus gradus est « in duris et asperis patientiam amplecti »; cui opponitur *simulata confessio*, per quam scilicet aliquis non vult subire poenam pro peccatis, quae simulate confitetur. Decimus est « obedientia »; cui opponitur *rebellio*. Undecimus est « ut homo non delectetur facere propriam voluntatem »; cui opponitur *libertas*, per quam scilicet homo delectatur libere facere quod vult. Ultimus autem gradus humilitatis est « timor Dei »; cui opponitur *peccandi consuetudo*, quae implicat Dei contemptum.

aliquid quod adversatur rationi rectae; superbia enim nominatur ex hoc quod aliquis per voluntatem tendit supra id quod (ipse) est. Unde Isidorus dicit (Etym. lib. x, ad litt. S.): « Superbus dictus est, quia super vult videri quam est ».

NOTANDA: 1. Superbia dupliciter accipi potest: uno modo ex eo quod supergreditur regulam rationis, et sic dicimus eam esse peccatum: alio modo potest superbia nominari simpliciter a superexcessu; et secundum hoc omne superexcedens potest nominari superbia; et in hoc sensu repromittitur a Deo superbia quasi quidam superexcessus bonorum, cum dicitur (Isa. lx, 15): *Ponam in te superbiam saeculorum, gaudium in generationem et generationem*, et alia hujusmodi (Ad 1m).

2. Secundum superexcessum superbia opponitur et magnanimitati et humilitati secundum diversas rationes: humilitati quidem, secundum quod subjectionem aspernatur; magnanimitati autem, secundum quod inordinate ad magna se extendit. — Sed quia superbia superioritatem quamdam importat, directius opponitur humilitati (Ad 3m).

Art. II. — *Utrum superbia sit speciale peccatum.*

RESP. AFF. — *Scil.:* secundum quod consideratur ex ratione proprii objecti; inquantum autem importat redundantiam quamdam in alia peccata, non est peccatum speciale, sed habet quamdam generalitatem.

R. PRIMI EST: quia hoc modo superbia habet speciale objectum; est enim inordinatus appetitus propriae excellentiae.

R. SECUNDI EST: quia sic ex superbia oriri possunt omnia peccata, et quidem dupliciter: uno modo per se, inquantum scilicet alia peccata ordinantur ad finem superbiae, qui est propria excellentia, ad quam potest ordinari omne id quod quis inordinate appetit; alio modo indirecte, et quasi per accidens, scilicet removendo prohibens, inquantum scilicet homo per superbiam contem-

nit divinam legem, per quam prohibetur a peccando. – Sciendum tamen quod ad hanc generalitatem superbiae pertinet quod omnia vitia *interdum* ex superbia oriri possunt; non autem ad eam pertinet quod omnia vitia semper ex superbia oriuntur: quandoque enim ex ignorantia, quandoque ex infirmitate proveniunt. – Unde secundum *affectum* (i. e., secundum intentionem), transgredi praeceptum Dei, non semper est, sed secundum *effectum* semper est, contra Deum superbiri. (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum superbia sit in irascibili sicut in subjecto.*

RESP. AFF. – *Scil.*: subjectum superbiae est irascibilis non solum proprie sumpta, prout irascibilis est pars appetitus sensitivi, sed etiam communius accepta, prout invenitur in appetitu intellectivo.

R. EST: quia arduum, quod respicit superbia, scil. appetitus (inordinatus) propriae excellentiae invenitur et in sensibilibus, et sic est objectum appetitus sensitivi, et proprie ad passionem irae pertinet; et in spiritualibus rebus; et secundum hoc ad appetitum intellectivum pertinet, et sic ira communius accipitur, prout dicitur de Deo et de angelis. Secundum hoc etiam, superbia in daemonibus ponitur.

Art. IV. – *Utrum convenienter a Gregorio assignentur quatuor superbiae species, scilicet aestimare bonum a seipso habere, sibi datum desuper credere pro suis accepisse meritis, jactare se habere quod non habet, et despectis caeteris singulariter videri appetere habere quod habet.*

RESP. AFF. – R. EST: quia excellentia, quam superbus inordinate appetit consequitur aliquod

bonum habitum. * Bonum autem potest considerari tripliciter: uno modo secundum se, et sic quanto majus est bonum quod quis habet, tanto per hoc excellentiam majorem consequitur. Et ex hoc tertia species superbiae habetur, cum scilicet aliquis jactat se habere quod non habet. Alio modo ex parte causae, prout scilicet excellentius est quod aliquod bonum insit alicui a seipso quam quod insit ei ab alio. Est autem dupliciter aliquis causa sui boni, uno modo efficienter, alio modo meritorie: et secundum hoc sumuntur duae primae superbiae species, scilicet cum quis a semetipso habere aestimat quod a Deo habet vel cum propriis meritis sibi datum desuper credit. Tertio modo ex parte modi habendi, prout excellentior aliquis redditur ex hoc quod bonum aliquod excellentius caeteris possidet: et secundum hoc sumitur quarta superbiae species, quae est cum aliquis, aliis despectis, singulariter vult videri.

NOTANDUM: Jactantia ponitur species mendacii quantum ad exteriorem actum, quo quis falso sibi attribuit quod non habet; sed quantum ad interiorem cordis arrogantiam ponitur a Gregorio species superbiae. (Ad 2m).

Art. V. – *Utrum superbia sit peccatum mortale.*

RESP. AFF. – R. EST: quia in hoc radix superbiae consideratur quod homo aequaliter non subjicitur Deo et regulae ipsius. Manifestum est autem quod hoc ipsum quod est non subjici Deo, habet rationem peccati mortalis, hoc enim est averti a Deo: unde consequens est quod superbia secundum genus suum sit peccatum mortale. Unde aliqui motus superbiae sunt peccata venialia, si scilicet ratio eis non (complete) consentiat.

* *Habitum* hic sumitur ut participium verbi *habere*.

Art. VI. – *Utrum superbia sit gravissimum peccatorum.*

RESP. AFF. – Scil.: non ex parte conversionis ad bonum commutabile; sed ex parte aversionis a bono incommutabili.

R. PRIMI EST: quia celsitudo, quam superbus inordinate appetit, secundum suam rationem non habet maximam repugnantiam ad bonum virtutis.

R. SECUNDI EST: quia in aliis peccatis homo a Deo avertitur, vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, sive per desiderium cujuscumque alterius boni; sed superbia habet aversionem a Deo ex hoc ipso quod non vult Deo et ejus regulae subjici. – Unde averti a Deo et ejus praeceptis, quod est quasi consequens in aliis peccatis, per se ad superbiam pertinet, cujus actus est Dei contemptus. Et quia id quod est per se, semper potius est eo quod est per aliud, consequens est quod superbia sit gravissimum peccatorum secundum suum genus, quia excedit in aversione, quae formaliter complet peccatum.

NOTANDA: 1. Peccatum superbiae difficile est vitare propter ejus latentiam; quia etiam ex ipsis bonis occasionem sumit, ut Augustinus dicit (in Regula), quod etiam « bonis operibus insidiatur, ut pereant ». Et ideo motus superbiae occulte subrepens non habet maximam gravitatem antequam per iudicium rationis deprehendatur; sed postquam deprehensus fuerit per rationem, tunc facile evitatur, tum ex consideratione propriae infirmitatis, secundum illud Eccli. x, 9: *Quid superbis terra et cinis?* tum etiam ex consideratione magnitudinis divinae, secundum illud Job xv, 13: *Quid timet contra Deum spiritus tuus?* (Ad 1m).

2. Sicut in syllogismis ducentibus ad impossibile quandoque aliquis vincitur per hoc quod ducitur ad inconveniens magis manifestum; ita etiam ad

convincendum superbiam hominum Deus aliquos punit, permittens eos ruere in peccata carnalia; quae etsi sint minora, tamen manifestiorem turpitudinem continent. Unde Isidorus dicit (De summo bono, lib. vii, cap. 38) quod « qui detinetur superbia, et non sentit, labitur in carnis luxuriam, ut per hanc humiliatus a confusione exurgat ». (Ad 3m).

Art. VII. - *Utrum superbia sit primum omnium peccatorum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia illud quod est per se, est primum in quolibet genere. Dictum est autem supra (art. praec.), quod aversio a Deo quae formaliter complet rationem peccati, pertinet ad superbiam per se, ad alia autem peccata ex consequenti: et inde est quod superbia habet rationem primi peccati (i. e. gravissimi), et est etiam principium omnium peccatorum, ut supra dictum est (I-IIae, q. lxxxiv, art. 2).

NOTANDA: 1. Superbia dicitur esse omnis peccati initium, non quia quodlibet peccatum singulariter ex superbia oriatur, sed quia quodlibet genus peccati natum est ex superbia oriri. (Ad 1m).

2. Superbia est causa per quam alia peccata aggravantur, si fiant ex superbia. Et quia id quod est primum in causando peccata, est etiam ultimum in recedendo, ideo super illud Psal. xviii: *Emundabor a delicto maximo*, dicit Glossa interlinealis, « hoc est a delicto superbiae, quod est ultimum redeuntibus ad Deum, et primum recedentibus a Deo ». (Ad 4m).

Art. VIII. - *Utrum superbia debeat poni vitium capitale.*

RESP. NEG. - *Scil.:* secundum S. Gregorium; Aff. secundum alios (uti Cassianum, Evagrium, sanctum Nilum et sanctum Joannem Damascenum).

R. EST: quia S. Gregorius considerat superbiam et recte quidem secundum ejus quamdam influen-

tiam universalem in omnia peccata. Et secundum hoc superbia est regina et mater omnium peccatorum. « Cum (enim) devictum plene cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus, devastandum tradit, ex quibus vitiorum multitudines oriuntur ». – Alii autem superbiam considerant ut vitium speciale. Et sic secundum Greg. enumerantur septem vitia capitalia, secundum alios autem octo.

NOTANDUM: Superbia non est idem inani gloriae, sed causa ejus. Nam superbia inordinate excellentiam appetit; sed inanis gloria appetit excellentiae manifestationem. (Ad 2m).

QUAESTIO CLXIII

De peccato primi hominis

Deinde considerandum est de peccato primi hominis, quod fuit per superbiam; et primo de peccato ejus; secundo de poena peccati; tertio de tentatione, qua inductus est ad peccandum. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum primi hominis primum peccatum fuerit superbia.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia inter motus qui concurrere possunt ad aliquod peccatum, ille habet rationem primi peccati in quo primo inordinatio invenitur. Inordinatio autem in moralibus (sicut et ordinatio) prius invenitur in motu appetitus in finem, quam in id quod quaeritur propter finem. Unde ibi fuit primum peccatum hominis, ubi potuit esse primus appetitus inordinati finis. Talis autem inordinatio finis non potuit esse in aliquod sensibile bonum, quia in statu innocentiae nulla fuit rebellio carnis (concupiscentiae) ad spiritum. Relinquitur igitur quod prima inordinatio appetitus humani fuit ex hoc

quod aliquod bonum spirituale inordinate appetiit, inquantum scilicet appetiit quoddam spirituale bonum supra suam mensuram; quod pertinet ad superbiam. - Unde manifestum est quod primum peccatum primi hominis fuit superbia; et, ut Augustinus dicit (Ad Orosium, in Dialog., q. 65): « homo elatus superbia, suasioni serpentis obediens, praecepta Dei contempsit ». (Ad 1m). Unde inobedientia fuit causata ex superbia: et idem dicendum est de peccato gulae et de inordinato scientiae appetitu primorum parentum. (Ad 2m et 3m).

Art. II. - *Utrum superbia primi hominis fuerit in hoc quod appetierit divinam similitudinem.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) primus homo non appetiit similitudinem aequiparantiae ad Deum; sed b) similitudinem imitationis, quae fundatur in hoc quod bonum in creatura existens est quaedam participata similitudo primi boni.

R. PRIMI EST: quia talis similitudo (aequiparantiae) ad Deum non cadit in apprehensione, praecipue sapientis.

R. SECUNDI EST: quia homo in primo creationis principio *principaliter* appetiit similitudinem Dei quantum ad scientiam boni et mali, sicut serpens ei suggestit, ut scilicet per virtutem propriae naturae determinaret sibi quid esset bonum et quid malum ad agendum; vel etiam ut per seipsum praecognosceret quid sibi boni vel mali esset futurum; et *secundario* peccavit appetendo similitudinem Dei quantum ad propriam potestatem operandi; ut scilicet virtute propriae naturae operaretur ad beatitudinem consequendam. Et sic homo appetiit aliquod bonum spirituale supra suam mensuram, et consequens est quod similitudinem divinam inordinate appetiit.

NOTANDA: Bonum spirituale, secundum quod creatura rationalis divinam participat similitudinem, potest secundum tria attendi. Primo quidem secundum ipsum esse naturae: et talis similitudo ab ipso creationis principio fuit impressa et homini et angelo. Secundo vero quantum ad cognitionem: et hanc etiam similitudinem in sui creatione angelus accepit, scilicet actu, homo vero solum in potentia. Tertio, quantum ad potestatem operandi: et hanc similitudinem nondum erant in actu assecuti neque angelus, neque homo in ipso creationis principio, quia utrique restabat aliquid agendum per quod ad beatitudinem pervenirent. — Et ideo cum uterque (scil. diabolus et primus homo) inordinate divinam similitudinem appetierit, neuter eorum peccavit appetendo similitudinem naturae, sed appetendo similitudinem operandi: diabolus quidem appetendo similitudinem Dei quantum ad potestatem, homo vero principaliter appetendo scientiam boni et mali, ut dictum est supra.

Art. III. — *Utrum peccatum primorum parentum fuerit caeteris gravius.*

RESP. NEG. — *Scil. :* secundum speciem peccati, peccatum primorum parentum, non fuit caeteris gravius; sed secundum conditionem perscrnarum peccantium, peccatum illud maximam habuit gravitatem.

R. PRIMI EST: quia etsi superbia secundum suum genus habeat quamdam excellentiam inter alia peccata; major tamen est superbia qua quis Deum negat, vel blasphemat, quam superbia quam quis inordinate divinam similitudinem appetit, qualis fuit superbia primorum parentum, ut dictum est (art. praec.).

R. SECUNDI EST: quia status primorum parentum ante peccatum fuit perfectus. — Unde magnitudo poenae quae consecuta est ad illud primum peccatum, non correspondet ei secundum quantitatem propriae speciae, sed in quantum fuit primum:

quia ex hoc interrupta est innocentia primi status, qua subtracta, deordinata est tota natura humana (Ad 2m).

Art. IV. - *Utrum peccatum Adae fuerit gravius quam peccatum Evae.*

RESP. NEG. - *Scil.* : a) quantum ad conditionem personae, peccatum Adae fuit gravius; b) sed quantum ad genus peccati, utriusque peccatum aequaliter dicitur; c) quantum autem ad speciem peccati (*scil.* superbiae) gravius peccavit mulier.

R. PRIMI EST: quia vir perfectior erat muliere.

R. SECUNDI EST: quia utriusque peccatum fuit superbia.

R. TERTII EST: primo, quia major elatio fuit mulieris quam viri; mulier enim credidit serpenti, et superbia in hoc se erexit, quod *contra* Dei voluntatem similitudinem Dei obtinere voluit. Adam vero serpenti non credidit * (*scil.* quod Deus noluit eos esse similes sibi); sed in hoc superbivit, quod voluit similitudinem divinam consequi per seipsum, ut dictum est (art. 2); - Secundo, quia mulier non solum ipsa peccavit, sed etiam viro peccatum suggessit: unde peccavit et in Deum et in proximum; - Tertio, Adam in peccatum consensit amicabili quadam benevolentia, ut Augustinus dicit (Super Gen. ad litt. lib. xi, cap. ult.).

* Attamen, ut animadvertit Sylvius, valde probabillis veterum Patrum sententia est, quod non sola Eva, sed etiam Adamus crediderit serpentinum illud, *Eritis sicut dii*, esse verum, fueritque etiam ipse deceptus ac seductus.

QUAESTIO CLXIV

De poenis peccati primi hominis

Deinde considerandum est de poena primi peccati; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum mors sit poena peccati primorum parentum.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia, ut dictum est (qu. xcvi, art. 1, et qu. xcvi, art. 1) mors et alii corporales defectus consecuti sunt rebellionem carnalis appetitus ad rationem et carentiam subjectionis corporis animae. Vita enim et incolumitas corporis consistit in hoc quod subjiciatur animae, sicut perfectibile suae perfectioni. Unde per oppositum mors, et aegritudo, et quilibet corporalis defectus pertinet ad defectum subjectionis corporis ad animam. Unde patet quod sicut rebellio carnalis appetitus ad spiritum est poena peccati primorum parentum; ita etiam et mors et omnes corporales defectus.

NOTANDUM: Corpus hominis, cum sit ex contrariis compositum, naturaliter morte corrumpitur. In quantum tamen formae adaptum, quae est anima incorruptibilis, oporteret potius corpus incorruptibile esse. Sic Deus, suo beneficio, ab homine primitus constituto, necessitatem moriendi ex tali materia consequentem ademit, (scilicet per formam). Hoc tamen beneficium subtractum est per peccatum primorum parentum. Et sic mors et est naturalis propter conditionem materiae, et est poenalis propter amissionem divini beneficii praeservantis a morte. (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum convenienter particulares poenae primorum parentum determinentur in scriptura.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia primi parentes dupliciter puniti sunt: primo quidem quantum ad hoc quod subtractum fuit eis id quod integrita-

tis statui competebat, scil. locus terrestris paradisi; quod significatur Gen. iii, 23, cum dicitur: *Et emisit eum Deus de paradiso voluptatis*. Et ne rediret ad ea quae primo statui competeabant, collocavit Deus ante paradisum Cherubim et flammeum gladium. * Secundo autem puniti fuerunt quantum ad hoc quod attributa sunt eis ea quae naturae conveniunt tali beneficio destitutae: et hoc quidem et quantum ad corpus, et quantum ad animam. Quantum ad corpus, alia poena attributa est mulieri, alia viro. Mulieri quidem quantum ad generationem prolis, et quantum ad domesticam conversationem. Quantum ad primum punita fuit dupliciter: primo quantum ad taedia, quae sustinet portando prolem conceptam; et hoc significatur cum dicitur (Gen. iii, 16): *Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos*; et quantum ad dolorem quem patitur in pariendo, et quantum ad hoc dicitur: *In dolore paries*. ** Viro autem attributa est poena in his quae ad ipsum pertinent ut necessaria vitae procuret. Et circa hoc punitur tripliciter. Primo quidem per sterilitatem terrae, cum dicitur: *Maledicta terra in opere tuo*. Secundo per laboris anxietatem, sine qua fructus terrae non percipit; unde dicitur: *In labore comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae*. Tertio quantum ad impedimenta quae proveniunt terram colentibus; unde dicitur: *Spinas et tribulos germinabit tibi*. - Similiter, ex parte animae triplex poena describitur: primo quidem quantum ad confusionem, quam passi sunt de

* Quidam theologi putant vestigia loci paradisi terrestris perierunt in diluvio.

** In statu innocentiae partus fuisset absque dolore (Ad 1m). Talis fuit partus B.M.V., quia ejus conceptio (scil. divini infantis) non fuit secundum legem naturae a primis parentibus derivata. (Ad 3m).

rebellionem carnis ad spiritum; unde dicitur: *Aperti sunt oculi amborum, et cognoverunt se esse nudos.* Secundo, quantum ad increpationem propriae culpae, per hoc quod dicitur: *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis.* Tertio, quantum ad commemorationem futurae mortis, secundum quod ei dictum est: *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Ad quod etiam pertinet quod Deus fecit eis tunicas pelliceas in signum mortalitatis eorum.

NOTANDUM: Subjectio mulieris ad virum intelligenda est in poenam mulieris esse inducta, non quantum ad regimen (quia etiam ante peccatum vir caput mulieris fuisset, et ejus gubernator extitisset), sed prout mulier contra propriam voluntatem nunc necesse habet viri voluntati parere. Spinās autem et tribulos terra germinasset, si homo non peccasset, in cibum animalium, non autem in hominis poenam. (Ad 1m).

QUAESTIO CLXV

De tentatione primorum parentum

Deinde considerandum est de tentatione primorum parentum; circa quam quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum fuerit conveniens ut homo a diabolo tentaretur.*

RESP. AFF. – *Scil.:* decuit ut Deus hominem in statu innocentiae et tentare per malos angelos permetteret, et per bonos eum juvari faceret.

R. EST: quia ad conditionem humanae naturae pertinet ut ab aliis creaturis juvari vel impediri possit; nam, ut dicitur Eccli. xxxiv, 11, *Qui tentatus non est, qualia scit?* Ex speciali tamen beneficio gratiae hoc erat homini in statu innocentiae collatum ut nulla creatura exterior ei posset nocere contra propriam voluntatem, per quam etiam tentationi daemonis resistere poterat.

NOTANDUM: Ad difficultatem tam communiter agitatam, quod scil. non fuerit conveniens quod Deus permetteret hominem tentari, cum ipse bene sciret hominem per tentationem daemone in peccatum dejectus fuisset, respondet S. D., quod sicut Deus sciebat quod homo per tentationem in peccatum esset dejiciendus; ita etiam sciebat quod per liberum arbitrium resistere poterat tentatori. Hoc autem requirebat conditio naturae ipsius ut propriae voluntati relinqueretur, secundum illud Eccli. xv, 14: *Deus reliquit hominem in manu consilii sui*. Unde Augustinus dicit (Sup. Gen. ad litt. lib. xi, cap. 4): « Non mihi videtur magnae laudis futurum fuisse hominem, si propterea posset bene vivere, quia nemo male vivere suaderet; cum et in natura posse, et in potestate haberet, velle non consentire suadenti ». (Ad 2m). Insuper, homo in statu innocentiae poterat absque omni difficultate tentationi resistere. (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum fuerit conveniens modus et ordo primae tentationis.*

RESP. AFF. – *Scil. :* tentationis ordo et modus quo primus homo per serpentis suggestionem, et Evae incitamentum tentatus est, conveniens fuit.

R. EST: quia cum homo sit ex duplici natura, scil. intellectiva et sensitiva, compositus; conveniens fuit ut a diabolo tentaretur, cum ex parte intellectus, in quantum promisit Divinitatis similitudinem per scientiae adeptionem, quam homo naturaliter desiderat: tum ex parte sensus, in quantum usus est his sensibilibus rebus, quae maximam habent affinitatem ad hominem, partim quidem in eadem specie tentans virum per mulierem, partim vero ex genere propinquo (scil. « viventis »), proponens pomum ligni vetiti ad edendum.

NOTANDA: 1. Suggestio, qua spiritualiter diabolus homini aliquid suggerit, ostendit diabolum plus habere potestatis in homine quam habeat

suggestio exterior: quia per suggestionem interiorem immutatur a diabolo saltem hominis phantasia; sed per suggestionem exteriorem immutatur sola exterior creatura. Diabolus autem minimum potestatis habebat in hominem ante peccatum: et ideo non potuit eum interiori suggestione, sed solum exteriori tentare. (Ad 2m).

2. In resp. ad 4m exponitur interpretatio S. Augustini circa verba Dei serpentem (i. e., diabolum in serpente) maledicentis.

QUAESTIO CLXVI

De studiositate

Postea considerandum est de studiositate et curiositate sibi opposita. Circa studiositatem autem quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum materia studiositatis sit proprie cognitio.*

RESP. AFF. – R. EST: quia virtutes proprie sibi attribuunt illam materiam circa quam primo et principaliter sunt, sicut fortitudo pericula mortis. Studiositas autem primo et principaliter est circa cognitionem. Nam, studium proprie importat vehementem applicationem mentis ad aliquid. Mens autem non applicatur ad aliquid, nisi cognoscendo illud.

Art. II. – *Utrum studiositas sit pars temperantiae.*

RESP. AFF. – *Scil.:* ut pars potentialis temperantiae, sicut virtus secundaria ei adjuncta, ut principali virtuti.

R. EST: quia ad temperantiam pertinet moderari motum appetitus, ne superflue tendat in id quod naturaliter concupiscitur, sive secundum corpus, sive secundum animam, ne superflue desideret aliquid cognoscere: nam, « omnes homines naturaliter scire desiderant ». Moderatio au-

tem hujusmodi appetitus pertinet ad virtutem studiositatis; et secundum hoc comprehenditur sub modestia, ratione superius dicta (qu. clx, art. 2).

NOTANDUM: Ex parte animae inclinatur homo ad hoc quod cognitionem rerum desideret. Ex parte vero naturae corporalis homo inclinatur ad hoc ut laborem inquirendi scientiam vitet. Quantum ergo ad primum, studiositas consistit in refrenatione. Sed quantum ad secundum, laus virtutis hujusmodi consistit in quadam vehementia intentionis ad scientiam rerum percipiendam: et ex hoc nominatur. Primum autem est essentialius huic virtuti quam secundum: nam appetitus cognoscendi per se respicit cognitionem, ad quam ordinatur studiositas; sed labor addiscendi est impedimentum quoddam cognitionis: unde respicitur ab hac virtute per accidens, quasi removendo prohibens. (Ad 3m).

QUAESTIO CLXVII

De curiositate

Postea considerandum est de curiositate; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum circa cognitionem intellectivam possit esse curiositas.* *

RESP. AFF. - R. EST: quia ipse appetitus vel studium cognoscendae veritatis potest habere perversitatem, in quo est proprie curiositas. Haec perversitas haberi potest: uno modo, prout aliquis tendit suo studio in cognitionem veritatis, prout *per accidens* conjungitur ei malum; sicut illi qui student ad scientiam veritatis ut exinde superbiunt. Similiter etiam illi qui student addiscere aliquid ad pec-

* Curiositas, de qua hic agitur, defini potest: *Nitius aut superfluus sciendi appetitus.*

candum. Alio autem modo potest esse vitium *ex ipsa inordinatione appetitus* et studii ad discendam veritatem; et hoc quadrupliciter: *a)* inquantum per studium minus utile retrahantur a studio quod eis ex necessitate incumbit; unde Hieronymus dicit (Epis. 146, ad Damasum, De filio prodige, ante medium): « Sacerdotes, dimissis Evangeliiis et prophetis, videmus comoedias legere et amatoria bucolicorum versuum verba cantare »; *b)* inquantum studet aliquis addiscere ab eo a quo non licet, sicut patet de his qui aliqua futura a daemonibus perquirunt; quae est superstitiosa curiositas; *c)* quando homo appetit cognoscere veritatem circa creaturas, non referendo ad debitum finem, scilicet ad cognitionem Dei; *d)* inquantum aliquis studet ad cognoscendam veritatem supra proprii ingenii facultatem; quia per hoc homines de facili in errores labuntur; unde dicitur Eccli. iii, 22: *Altiora te ne quaesieris...*

Art. II. – *Utrum vitium curiositatis sit circa sensitivam cognitionem.*

RESP. AFF. – *Scil.* : dupliciter.

R. EST: quia vitium curiositatis circa sensitivam cognitionem potest esse uno modo inquantum cognitio sensitiva non ordinatur in aliquid utile, sed potius avertit hominem ab aliqua utili consideratione; alio modo inquantum cognitio sensitiva ordinatur ad aliquod noxium; sicut inspectio mulieris ordinatur ad concupiscendum; et diligens inquisitio eorum quae ab aliis fiunt, ordinatur ad detrahendum. – Si quis autem cognitioni sensibilium intendit ordinate propter necessitatem sustentandae naturae, vel propter studium intelligendae veritatis, est virtuosa studiositas circa sensibilium cognitionem.

NOTANDUM: Curiositas sensum vocatur *concupiscentia oculorum*, quia oculi sunt ad cognoscendum in sensibus principales, unde omnia sensibilia videri dicuntur. (Ad 1m).

QUAESTIO CLXVIII

De modestia, secundum quod consistit in exterioribus corporis motibus

Postea considerandum est de modestia, secundum quod consistit in exterioribus motibus corporis; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum in exterioribus motibus corporis sit aliqua virtus.*

RESP. AFF. – *Scil.:* cum secundum convenientiam propriae personae, tum secundum convenientiam ad alias personas, negotia et loca.

R. EST: quia motus hominis exteriores sunt per rationem ordinabiles; exteriora enim membra moventur ad imperium rationis. Virtus autem moralis consistit in hoc quod ea quae sunt hominis, per rationem ordinantur.

NOTANDUM: Exteriores motus sunt quaedam signa interioris dispositionis, quae praecipue attenditur secundum animae passiones: et ideo moderatio exteriorum motuum requirit moderationem interiorum passionum. Haec autem moderatio potest reduci ad duas virtutes: inquantum enim per exteriores motus ordinamur ad alios, pertinet ad *amicitiam* vel *affabilitatem*, quae attenditur circa delectationes et tristitias, quae sunt in verbis et factis in ordine ad alios quibus homo convivit: inquantum vero exteriores motus sunt signa interioris dispositionis, pertinet eorum moderatio ad virtutem *veritatis*, secundum quam aliquis talem se exhibet in verbis et factis qualis est interius. (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum in ludis possit esse aliqua virtus.*

RESP. AFF. – *Scil.:* circa ludos et jocos, qui nonnunquam ad animi solamen utiles sunt, illa virtus versatur quam *eutrapeliam* vocant.

R. EST: quia sicut fatigatio corporalis solvitur per corporis quietem, ita etiam oportet fatigatio animalis (i. e. animae) solvatur per animae quietem. Quies autem animae est delectatio (I-II, qu. xxv, art. 2). Et ideo oportet remedium contra fatigationem animalem adhiberi per aliquam delectationem, intermissa intensione ad insistentium studio rationis: animus enim hominis frangeretur, si nunquam a sua intensione relaxaretur. Haec autem relaxatio fit per dicta et facta quae ludicra vel jocososa vocantur. Unde Philosophus dicit (Ethi. iv, cap. 8), quod « in hujus vitae conversatione quaedam requies cum ludo habetur ». Et cum hujusmodi secundum regulam rationis ordinantur, ad *eutrapeliam* reducuntur, qua quis bene convertit aliqua dicta, vel facta in solatium; et inquantum per hanc virtutem homo refrenatur ab immoderantia ludorum, sub modestia continetur.

NOTANDUM: Tria sunt praecipue cavenda in ludis: primo, ut delectatio non quaeratur in operationibus vel verbis turpibus, vel nocivis; secundo, ne gravitas animae non totaliter resolvatur; tertio, ut delectatio congruat personae, tempori et loco, et secundum alias circumstantias debite ordinetur (In corp. art.).

Art. III. – *Utrum in superfluitate ludi possit esse peccatum.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia superfluum in ludo accipitur quod excedit regulam rationis: quod quidem potest esse dupliciter: uno modo ex ipsa specie actionum quae assumuntur in ludum, quando scilicet utitur aliquis causa ludi turpibus

verbis, vel factis, vel etiam his quae vergunt in proximi nocumentum, quae de se sunt peccata mortalia; alio modo, secundum defectum debitarum circumstantiarum; puta cum aliqui utuntur ludo, vel temporibus, vel in locis inditis, aut etiam praeter convenientiam negotii, seu personae. Et hoc quidem potest esse quandoque peccatum mortale, puta si aliquis ita vehementer afficitur ad ludum, ut propter hoc velit aliquid contra Deum committere; secus est peccatum veniale.

Art. IV. – *Utrum in defectu ludi consistat aliquod peccatum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia contra rationem est quod aliquis se aliis onerosum exhibeat, puta dum nihil delectabile exhibet, et etiam aliorum delectationes impedit. Tales autem vitiosi sunt, et dicuntur *duri* et *agrestes*, ut dicit Philosophus (Ethic. iv, cap. 8).

NOTANDA sunt haec Philosophi verba (Ethic. ix, cap. 10): « Pauci amici propter delectationem sunt habendi, quia parum de delectatione sufficit ad vitam quasi pro condimento, sicut parum de sale sufficit in cibo ». (In fine art.).

QUAESTIO CLXIX

De modestia in exteriori apparatu

Deinde considerandum est de modestia, secundum quod consistit in exteriori apparatu, et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum circa exteriorem ornatum possit esse virtus et vitium.*

RESP. AFF. – *Scil.:* non in ipsis rebus exterioribus, sed ex parte hominis.

R. EST: quia potest homo exteriori ornatu immoderate uti. Quae quidem immoderatio potest esse dupliciter: uno quidem modo per comparisonem ad consuetudinem hominum cum quibus aliquis vivit. Alio modo ex inordinato affectu utentis. Contigit autem ista inordinatio affectus et quantum ad superabundantiam et quantum ad defectum. Quantum ad primum tripliciter. Primo, per hoc quod aliquis ex superfluo cultu vestium hominum gloriam quaerit, prout scilicet vestes et alia hujusmodi pertinent ad quaedam ornatum. Secundo, per hoc quod homo per superfluum cultum vestium quaerit delicias, secundum quod vestis ordinatur ad corporis fomentum. Tertio, secundum quod nimiam sollicitudinem apponit ad exteriorum vestium cultum, etiamsi non sit aliqua inordinatio ex parte finis. – Ex parte autem defectus potest esse duplex inordinatio per affectum. Uno quidem modo ex negligentia hominis, qui non adhibet studium vel laborem ad hoc quod exteriori cultu utatur secundum quod oportet. Alio modo ex eo quod ipsum defectum exterioris cultus ad gloriam ordinat, secundum quod etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse jactantiam, et eo periculosiorem quod sub nomine servitutis Dei decipit.

NOTANDUM: Hujusmodi exterior cultus indicium quoddam est conditionis humanae: et ideo excessus et defectus, et medium in talibus reduci possunt ad virtutem veritatis, quam Philosophus ponit (l. c., in arg.) circa facta et dicta, quibus aliquid de statu hominis significatur. (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum ornatus mulierum sit sine peccato mortali.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) mulier conjugata si ad hoc se ornet ut viro suo placeat, potest hoc facere absque peccato; b) illae autem mulieres quae

viros non habent, nec volunt habere, vel sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorum aspectibus ad concupiscendum.

R. PRIMI EST: quia, ut Apostolus dicit (I ad Corinth. vii, 34), *mulier quae nupta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro.*

R. SECUNDI EST: quia hoc est dare viris incentivum peccandi. Et si quidem hac intentione se ornent ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant; si autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale. Et eadem ratio quantum ad hoc est de viris. - Regula autem mulierum ornatus haec est, ut dicit Apostolus (I. Tim., ii, 9): *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa; per quod datur intelligi quod sobrius et moderatus ornatus non prohibetur mulieribus, sed superfluus, et inverecundus, et impudicus. (Ad 1m).*

NOTANDA: 1. Fucari pigmentis, quo rubicundior vel candidior aliquis appareat, adulterina fallacia est, et non est sine peccato. Quando autem fit propter lasciviam vel in Dei contemptum, non est sine peccato mortali. Tamen aliud est fingere pulchritudinem non habitam, et aliud occultare turpitudinem ex aliqua causa proveniente, puta aegritudine vel aliquo hujusmodi: hoc enim est licitum, quia, secundum Apostolum (I. Cor. xii, 23), *quae putamus ignobiliora membra corporis esse, his honorem abundantiorum circumdamus. (Ad 2m).*

2. Cultus exterior debet competere conditioni personae secundum communem consuetudinem. Et ideo de se vitiosum est quod mulier utatur veste virili, aut e converso: et praecipue quia hoc potest esse causa lasciviae; et specialiter prohibetur in lege (Deut. xxii), quia Gentiles tali mutatione habitus utebantur ad idololatriae super-

stitutionem. Potest tamen quandoque hoc fieri sine peccato propter aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti, vel propter aliquid aliud hujusmodi. (Ad 3m).

QUAESTIO CLXX

De praeceptis temperantiae

Postea considerandum est de praeceptis temperantiae; et 1. de praeceptis temperantiae; - 2. de praeceptis partium ejus.

Art. I. - *Utrum praecepta temperantiae convenienter in lege divina tradantur.*

RESP. AFF. - *Scil.*: inter praecepta Decalogi debuit temperantiae praeceptum, praecipue de adulterio, apponi, non modo secundum quod opere exercetur, sed etiam secundum quod corde concupiscitur.

R. EST: quia *finis praecepti est charitas* (I. Tim. I. 5), quae ad dilectionem Dei et proximi ordinatur. Inter vitia autem temperantiae opposita, maxime dilectioni proximi videtur opponi adulterium. Et ideo convenienter inter praecepta Decalogi praecipue prohibetur adulterium, non solum secundum quod opere exercetur, sed etiam secundum quod corde concupiscitur, secundum Christi verba (Mt. V): *Dictum est antiquis: Non moechaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo.*

Art. II. - *Utrum convenienter tradantur in divina lege praecepta de virtutibus annexis temperantiae.*

RESP. AFF. - *Scil.*: de virtutibus annexis a) non quidem consideratis secundum se; sed b) secundum suos effectus.

R. PRIMI EST: quia virtutes temperantiae annexae secundum se non habent directam habitudinem ad dilectionem Dei vel proximi; sed magis respiciunt quamdam moderationem eorum quae ad ipsum hominem pertinent.

R. SECUNDI EST: quia secundum effectus suos virtutes temperantiae annexae, possunt respicere dilectionem Dei vel proximi: et secundum hoc aliqua praecepta in Decalogo convenienter ponuntur pertinentia ad prohibendum effectus vitiorum temperantiae partibus oppositorum. Sic ponitur praeceptum de mansuetudine contra iram, ex qua interdum procedit aliquis ad homicidium (quod in Decalogo prohibetur), aut ad subtrahendum debitum honorem parentibus.

NOTANDUM: Inordinatio exteriorum motuum non pertinent ad offensam proximi secundum ipsam speciem actus, sicut homicidium, adulterium et furtum, quae in Decalogo prohibentur; sed solum secundum quod sunt signa interioris inordinationis, ut supra dictum est (qu. clxviii, art. 1 ad 1m). - (Ad 3m).

DE HIS QUAE PERTINENT AD DETERMINATOS STATUS; ET PRIMO DE PROPHETIA *

Postquam dictum est de singulis virtutibus et vitiis, quae pertinent ad omnium hominum conditiones et status, nunc considerandum est de his quae specialiter ad aliquos homines pertinent. Invenitur autem differentia inter homines secundum ea quae ad habitus et actus animae rationalis pertinent, tripliciter: uno quidem modo secundum diversas gratias gratis datas; quia, ut dicitur I. Cor. xii, *divisiones gratiarum sunt: et alii datur per spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae*, etc. Alia vero differentia est secundum diversas vitas, activam scilicet et contemplativam,

* Vide nostram «Divisionem Schematicam», Tab. XXVI, apud Marietti, Romae.

quae accipiuntur secundum diversa operationum studia: unde et ibidem dicitur quod *divisiones operationum sunt*. Aliud est enim studium operationis in Martha, quae *sollicita erat et laborabat circa frequens ministerium*, quod pertinet ad vitam activam; aliud autem est in Maria, quae *sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius*, quod pertinet ad contemplativam, ut habetur Lucae x. Tertio modo, secundum diversitatem officiorum et statuum, prout dicitur Ephes. iv, 11: *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores*, quod pertinet ad diversa ministeria, de quibus dicitur I. Cor. xii, 5: *Divisiones ministracionum sunt*. Est autem attendendum circa gratias gratis datas, de quibus occurrit consideratio prima, quod quaedam earum pertinent ad cognitionem, quaedam vero ad locutionem, quaedam vero ad operationem. Omnia vero quae ad cognitionem pertinent, sub prophetia comprehendi possunt. Nam prophetica revelatio se extendit non solum ad futuros hominum eventus, sed etiam ad res divinas, et quantum ad ea quae proponuntur omnibus credenda, quae pertinent ad fidem, et quantum ad altiora mysteria, quae sunt perfectorum, quae pertinent ad sapientiam. Est etiam prophetica revelatio de his quae pertinent ad spirituales substantias, a quibus vel ad bonum vel ad malum inducimur; quod pertinet ad discretionem spirituum. Extendit etiam se ad directionem humanorum actuum, quod pertinet ad scientiam, ut infra patebit (q. clxxvii). Et primo occurrit considerandum de prophetia et de raptu, qui est quidem prophetiae gradus. De prophetia autem quadruplex consideratio occurrit: quarum prima est de essentia ejus; secunda de causa ipsius; tertia de modo propheticae cognitionis; quarta de divisione prophetiae. Circa primum quaeruntur sex:

QUAESTIO CLXXI

De essentia prophetiae

Art. I. - *Utrum prophetia pertineat ad cognitionem.*

RESP. AFF. - *Scil. : primo et principaliter prophetia consistit in cognitione; secundario con-*

sistit in locutione; *tertio* ad prophetiam pertinet operatio miraculorum.

R. EST: quia prophetae primo et principaliter *cognoscunt* ea quae sunt procul et remota ab hominum cognitione. Sed quia, ut dicitur I. Cor. xii, 7, *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem*; et infra cap. xiv, 12 dicitur: *Ad aedificationem Ecclesiae quaerite ut abundetis*; inde est quod prophetia secundario consistit in locutione, prout prophetae ea quae divinitus edocti cognoscunt, ad aedificationem aliorum annuntiant. Ed secundum hoc Isidorus dicit (Etymol. lib. vii, cap. 8), quod possunt dici *Prophetae*, quasi *Praefatores*, eo quod *porro fantur*, id est, a remotis fantur, et de futuris vera praedicunt. Ea autem quae supra humanam cognitionem divinitus revelantur, non possunt confirmari ratione humana, quam excedunt, sed operatione virtutis divinae, secundum illud Marci ult., 20: *Praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermone confirmante sequentibus signis*: unde tertio ad prophetiam pertinet operatio miraculorum, quasi confirmatio quaedam propheticae enuntiationis.

NOTANDUM: In prophetia requiritur quod intentio mentis elevetur ad percipienda divina, et postquam intentio mentis elevata est ad superna, percipiat divina. Sic igitur ad prophetiam requiritur *inspiratio* quantum ad mentis elevationem, et *revelatio* quantum ad ipsam perceptionem divinorum. (Ad 4m).

Art. II. - *Utrum prophetia sit habitus.*

RESP. NEG. - R. EST: quia lumen propheticum non inest intellectui prophetae per modum formae permanentis: alias oporteret quod semper prophetae adesset facultas prophetandi: quod patet esse falsum. Relinquitur ergo quod lumen propheticum insit animae prophetae per modum

cujusdam passionis vel impressionis transeuntis, et hoc significatur III. Regum xix, 11, ubi dicitur ad Eliam: *Egredere, et sta in monte coram Domino, et ecce Dominus transit*, etc. Habitus autem est forma permanens. Unde manifestum est quod prophetia, proprie loquendo, non est habitus. - Tamen, sicut in rebus corporalibus, abeunte passione, remanet quaedamabilitas ad hoc quod iterum patiantur, sicut lignum semel inflammatum facilius iterum inflammatur; ita etiam in intellectu prophetae, cessante actuali illustratione, remanet quaedamabilitas ad hoc quod facilius iterato illustretur. (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum prophetia sit solum futurorum contingentium.*

RESP. NEG. - *Scil.:* prophetia est omnium eorum quae per lumen divinum cognosci possunt; sed propriissime est futurorum eventuum.

R. PRIMI EST: quia manifestatio quae fit per aliquod lumen, se extendere potest ad omnia illa, quae illi lumini subjiciuntur. Cognitio autem prophetica est per lumen divinum, cui subjiciuntur omnia tam divina quam humana, tam spiritualia quam corporalia; et ideo revelatio prophetica ad omnia hujusmodi se extendit.

R. SECUNDI EST: quia cum prophetia sit de his quae procul a nostra cognitione sunt, tanto aliqua magis proprie ad prophetiam pertinent, quanto longius ab humana cognitione existunt. Inter haec autem maxime a cognitione humana distant illa quorum veritas non est determinata, et ideo procul est a cognitione omnium hominum. Haec autem sunt futura contingentia. Unde ad ista prophetia propriissime pertinet.

Art. IV. - *Utrum propheta per divinam revelationem cognoscat omnia quae possunt propheticè cognosci.*

RESP. NEG. - R. EST: quia principium eorum quae divino lumine propheticè manifestantur, est ipsa veritas prima, quam prophetae in seipsa non vident. Et ideo non oportet quod omnia prophetabilia cognoscant; sed quilibet eorum cognoscit ex eis aliqua secundum specialem revelationem hujus vel illius rei.

Art. V. - *Utrum propheta discernat semper quid dicat per spiritum proprium, et quid per spiritum prophetiae.*

RESP. NEG. - R. EST: quia propheta non omnia per spiritum propheticum cognoscit, sed quaedam per instinctum divinum: de his autem quae spiritu propheticò cognoscit, maximam certitudinem habet, et pro certo habet quod haec sunt divinitus sibi revelata (Jer. xxvi, 15); sed ad ea quae cognoscit per instinctum, aliquando sic se habet, ut non plene discernere possit, utrum haec cogitaverit aliquo divino instinctu, vel per spiritum proprium: talis enim instinctus est quidam imperfectum in genere prophetiae.

Art. VI. - *Utrum ea quae propheticè cognoscuntur vel annuntiantur, possint esse falsa.*

RESP. NEG. - R. EST: quia, sicut in naturalibus forma generati est similitudo quaedam formae generantis, ita ea quae propheticè cognoscuntur vel annuntiantur sunt signa divinae praescientiae. Eadem autem est veritas cognitionis in discipulo et in docente. Unde impossibile est prophetiae subesse falsum.

NOTANDA: 1. Certitudo divinae praescientiae non excludit contingentiam singularium futuro-

rum, quia fertur in ea, secundum quod sunt praesentia et jam determinata ad unum. Et ideo etiam propheta, quae est divinae praescientiae similitudo impressa vel signum, sua immobili veritate futurorum contingentiam non excludit. (Ad 1m).

2. Quandoque revelatio prophetica est impressa quaedam similitudo divinae praescientiae, prout respicit ipsa futura contingentia in seipsis; et talia sic eveniunt sicut prophetantur, sicut illud Isa. vii, 14: *Ecce virgo concipiet*. Quandoque vero prophetica revelatio est impressa similitudo divinae praescientiae, prout scilicet cognoscit ordinem causarum ad effectus: et tunc quandoque aliter evenit quam prophetetur; nec tamen prophetiae subest falsum: nam sensus prophetiae est quod inferiorum causarum dispositio sive naturalium, sive humanorum actuum, hoc habet ut talis effectus eveniat. Et secundum hoc intelligitur verbum Jonae iii, 4: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur*: i. e., hoc merita ejus exigunt ut subvertatur. (Ad 2m).

QUAESTIO CLXXII

De causa prophetiae

Deinde considerandum est de causa prophetiae. Circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum prophetia possit esse naturalis.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) praecognoscere futura secundum quod sunt in seipsis non potest esse a natura, sed solum ex revelatione divina; b) futura vero in suis causis possunt praecognosci naturali cognitione etiam ab homine; c) haec tamen praecognitio futurorum differt a prima, quae habetur ex revelatione divina.

R. PRIMI EST: quia praecognoscere futura, secundum quod in seipsis sunt, proprium est divini intellectus, cujus aeternitati sunt omnia praesentia, ut dictum est (P. I., qu. xiv, art. 13).

R. SECUNDI EST: quia homines talium cognitionem futurorum, scil. in suis causis, acquirere possunt sive arte, sicut medicus praecognoscit sanitatem vel mortem futuram in aliquibus causis, quarum ordinem ad tales effectus experimento praecognovit, sive per viam experimentalem in qua juventur per naturalem dispositionem, secundum quod in homine invenitur perfectio virtutis imaginativae, et claritas intelligentiae.

R. TERTII EST: quia: a) prima potest esse quorumcumque eventuum et infallibiliter: haec autem praecognitio quae naturaliter haberi potest, est circa quosdam effectus, ad quos se potest extendere experientia humana; b) quia prima prophetia est secundum immobilem veritatem, non autem secunda; sed potest ei subesse falsum. Prima autem praecognitio proprie pertinet ad prophetiam, non autem secunda: prophetica enim cognitio est eorum quae naturaliter excedunt humanam cognitionem, quamvis etiam ad directiones humanorum actuum lumen propheticum se extendit. (Ad 4m).

Art. II. - *Utrum prophetica revelatio fiat per angelos.*

RESP. AFF. - *Scil.:* illuminatio et revelatio divina in prophetis fit mediantibus angelis.

R. EST: quia Divinitatis ordo hoc habet, ut infima per media disponat. Angeli autem medii sunt inter Deum et homines. Et ideo illuminationes et revelationes divinae a Deo ad homines per angelos deferuntur.

NOTANDUM: Charitas, secundum quam fit homo amicus Dei, est perfectio voluntatis, in quam solus Deus imprimere potest; sed prophetia est perfectio intellectus, in quem etiam angelus potest imprimere, uti causa instrumentalis seu ministerialis Dei. (Ad 1m et 2m).

Art. III. - *Utrum ad prophetiam requiratur dispositio naturalis.*

RESP. NEG. - R. EST: quia, sicut Deus, qui est causa universalis in agendo, non praeexigit materiam nec aliquam materiae dispositionem in corporalibus effectibus; sed simul potest et materiam, et dispositionem, et formam inducere: ita etiam in effectibus spiritualibus non praeexigit aliquam dispositionem; sed potest simul cum effectu spirituali inducere dispositionem convenientem, qualis requiritur secundum ordinem naturae. Et ulterius, posset etiam simul per creationem producere ipsum subjectum, ut scilicet et animam in ipsa sui creatione disponeret ad prophetiam et daret ei gratiam prophetalem.

Art. IV. - *Utrum bonitas morum requiratur ad prophetiam.*

RESP. NEG. - *Scil.:* a) quantum ad radicem bonitatis morum, quae est charitas, potest esse prophetia sine bonitate; b) quantum vero ad bonitatem morum secundum passiones et actiones exteriores, secundum hoc impeditur aliquis a prophetia per morum malitiam.

R. PRIMI EST: primo, quia prophetia pertinet ad intellectum, cujus actus praecedit actum voluntatis, quam perficit charitas; - secundo quia prophetia non ordinatur directe ad hoc quod affectus ipsius prophetae jungatur Deo, ad quod ordinatur charitas; sed ordinatur ad utilitatem Ecclesiae, sicut et aliae gratiae gratis datae. Unde prophetia esse potest sine radice bonitatis.

R. SECUNDI EST: quia ad prophetiam requiritur maxima mentis elevatio ad spiritualium contemplationem, quae quidem impeditur per vehementiam passionum, et per inordinatam occupationem rerum exteriorum.

NOTANDUM: Donum prophetiae aliquando datur homini et propter utilitatem aliorum, et propter propriae mentis illustrationem, (sicut accidit in quibusdam sanctis): et hi sunt in quorum animas sapientia divina per gratiam gratum facientem se transferens, amicos Dei, et prophetas eos constituit. (Ad 1m).

Art. V. – *Utrum aliqua prophetia sit a daemonebus.*

RESP. NEG. – *Scil.*: prophetia proprie et simpliciter dicta fit per solam divinam revelationem; sed ipsa revelatio facta per daemones potest secundum quid dici prophetia.

R. EST: quia simpliciter et maxime remota, quae sunt proprium prophetiae objectum, sunt quae solus Deus cognoscit. Quaedam autem quae sunt ab hominum cognitione remota, nota sunt daemonebus etiam naturali cognitione, et haec possunt hominibus revelare.

NOTANDUM: Daemones ea quae sciunt, hominibus manifestant, non quidem per illuminationem intellectus, sed per aliquam imaginariam visionem, aut etiam sensibiliter colloquendo: et in hoc deficit haec prophetia a vera. (Ad 2m). Item, prophetia daemonebus potest etiam discerni a vera et divina ex aliquibus signis exterioribus praesertim ex mendaciis. (Ad 3m).

Art. VI. – *Utrum prophetae daemonebus aliquando praedicant verum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia, ut Beda dicit (In Lucam, cap. 17): « nulla est falsa doctrina, quae non aliquando aliqua vera falsis intermisceat ». Unde et ipsa doctrina daemonebus, qua suos prophetas instruunt, aliqua vera continent per quae receptibilis redditur, ut sic intellectus ad falsum deducatur per apparentiam veritatis.

NOTANDUM: Prophetae daemonebus non semper loquuntur ex daemonebus revelatione, sed inter-

dum ex inspiratione divina; sicut manifeste legitur de Balaam (Num. xxii); quia Deus utitur etiam malis ad utilitatem bonorum. (Ad 1m).

QUAESTIO CLXXIII

De modo propheticae cognitionis

Deinde considerandum est de modo propheticae cognitionis; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum prophetae videant ipsam Dei essentiam.*

RESP. NEG. – R. EST: quia hoc proprium beatis est ut ipsam Dei essentiam videant, secundum illud Psalmi cxxxix, vers. 14: *Habitabunt recti cum vultu tuo.* Unde quaecumque in Deo vident, ex propinquo vident. E contra de prophetis dicitur Hebr. xi, quod *erant a longe aspicientes*, quasi a remotis videntes. – Et ideo dicendum est quod visio prophetica non est visio ipsius divinae essentiae, neque in ipsa divina essentia vident ea quae vident, sed in quibusdam similitudinibus, secundum illustrationem divini luminis; quae illustratio potest dici speculum, inquantum resultat ibi similitudo veritatis divinae praescientiae, et propter hoc dicitur *speculum aeternitatis*, quasi repraesentans Dei praescientiam, qui in sua aeternitate omnia praesentialiter videt.

Art. II. – *Utrum in prophetica revelatione imprimantur divinitus menti prophetae novae rerum species, an solum novum lumen.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Per donum prophetiae confertur aliquid humanae menti supra id quod pertinet ad naturalem facultatem, et quantum ad iudicium per influxum luminis intellectualis, et quantum ad acceptionem, seu repraesentationem rerum quae fit per aliquas species.

R. EST: quia cognitio prophetica maxime ad mentem pertinet. Circa cognitionem autem humanae mentis duo oportet considerare; scilicet acceptionem, sive repraesentationem rerum, et iudicium de rebus repraesentatis. Per donum autem prophetiae confertur aliquid humanae menti supra id quod pertinet ad naturalem facultatem, quantum ad utrumque, ut dictum est in responsione. – Non semper tamen haec duo in prophetia habentur simul; sed, ut Augustinus dicit (Sup. Gen. ad litt. lib. xii, cap. 9, in med.), « maxime propheta est qui utroque praecellit, ut scil. videat in spiritu corporalium rerum significativas similitudines, et eas vivacitate mentis intelligat ».

Art. III. – *Utrum visio prophetica semper fiat cum abstractione a sensibus.*

RESP. NEG. – R. EST: quia prophetica revelatio fit secundum quatuor, scilicet secundum influxum intelligibilis luminis, secundum immissionem intelligibilium specierum, secundum impressionem, vel ordinationem imaginabilium formarum, et secundum expressionem formarum sensibilium. In istis casibus autem solum quando fit revelatio prophetica secundum formas imaginarias, necesse est fieri abstractionem a sensibus; quia tunc abstractio est necessaria ut talis apparitio phantasmatum non referatur ad ea quae exterius sentiuntur. Haec autem abstractio a sensibus quandoque fit perfecte, ut scilicet nihil homo sensibus percipiat; quandoque imperfecte. Talis tamen alienatio a sensibus non fit in prophetis cum aliqua inordinatione naturae (sicut in arreptitiis vel in furiosis), sed per aliquam causam ordinatam, vel naturalem (sicut per somnium), vel spirituales (sicut per contemplationis vehementiam).

Art. IV. – *Utrum prophetae semper cognoscant ea quae prophetant.*

RESP. NEG. – R. EST: quia mens prophetae est instrumentum deficiens respectu principalis agentis, qui est Spiritus sanctus. Unde etiam veri prophetae non omnia cognoscunt quae in eorum visis, aut verbis, aut etiam factis Spiritus sanctus intendit; sed illa cognoscunt quae Spiritus sanctus dat eis ad cognoscendum. – Cum tamen aliquis cognoscit se moveri a Spiritu sancto ad aliquid aestimandum vel significandum verbo vel facto, hoc *proprie* ad prophetiam pertinet; cum autem movetur, sed non cognoscit, non est perfecta prophetia, sed quidam instinctus propheticus.

QUAESTIO CLXXIV

De divisione prophetiae

Deinde considerandum est de divisione prophetiae; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum convenienter dividatur prophetia in Prophetiam Praedestinationis Dei, Praescientiae et Comminationis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia haec divisio est secundum diversas species objecti prophetiae: secundum enim diversas species objecti distinguuntur habitus et actus in moralibus. Objectum autem prophetiae est (futurum) quod est in cognitione divina supra humanam facultatem existens. Futurum autem est in divina cognitione dupliciter: uno modo, prout est in sua causa: et sic accipitur *prophetia comminationis*, quae non semper impletur; sed per eam praenuntiatur ordo causae ad effectum, qui quandoque aliis supervenientibus impeditur; alio modo praecognoscit

Deus aliqua in seipsis, vel ut fienda ab ipso, et horum est *prophetia praedestinationis*, quia secundum Damascenum (Orth. fid. lib. ii, cap. 30), « Deus praedestinat ea quae non sunt in nobis »; vel ut fienda per liberum arbitrium hominis: et sic est *prophetia praescientiae*, quae potest esse bonorum et malorum: quod non contigit de prophetia praedestinationis, quae est bonorum tantum.

NOTANDUM: Divisio prophetiae potest sumi etiam secundum modum prophetandi; et sic potest distingui vel secundum potentias cognoscitivas in homine; quae sunt sensus, imaginatio et intellectus; vel secundum differentiam prophetici influxus: et secundum hoc prophetiae genera sunt septem, ut Isidorus dicit (Etymol. lib. vii, cap. 8), scilicet extasis, visio, somnium, per nubem, vox de caelis, accepta parabola, et repletio Spiritus sancti. (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum excellentior sit prophetia quae habet visionem intellectualem et imaginariam, quam ea quae habet visionem intellectualem tantum.*

RESP. NEG. – *Scil.:* prophetia quae habet visionem intellectualem tantum excellentior est secundum veritatem intellectualem.

R. EST: quia manifestatio divinae veritatis quae fit per nudam contemplationem ipsius veritatis, potior est quam illa quae fit sub similitudine corporalium rerum; magis enim appropinquat ad visionem patriae. – Tamen quando aliqua supernaturalis veritas revelanda est per similitudines corporales, tunc magis est propheta qui utrumque habet, scilicet lumen intellectualem et imaginariam visionem, quam ille qui habet alterum tantum, quia perfectior est prophetia: et quantum ad hoc dicit Augustinus (Super Gen. ad litt. lib. xii, cap. 9) quod « maxime propheta est qui in utroque praecellit ». (Ad 1m).

NOTANDUM: Illustratio divini radii in vita praesenti non fit sine velaminibus phantasmatum qualicumque, quia connaturale est homini secundum statum praesentis vitae ut non intelligat sine phantasmate. Quandoque tamen sufficiunt phantasmata quae communi aliquo modo a sensibus abstrahuntur; nec exigitur aliqua visio imaginaria divinitus procurata: et sic dicitur revelatio prophetica fieri sine imaginaria visione. (Ad 4m).

Art. III. - *Utrum gradus prophetiae possint distinguī secundum visionem imaginariam.*

RESP. AFF. - R. EST: quia, secundum gradus prophetiae, tria sunt genera prophetiae: Prima prophetia est in qua per lumen intelligibile *absque imaginaria visione* dirigitur homo ad ea cognoscenda quae pertinent ad humanam conversationem; secunda est illa in qua manifestatur *supernaturalis veritas* per imaginariam visionem; tertia est illa in qua intelligibilis veritas et supernaturalis absque imaginaria visione ostenditur. Prima autem prophetia est infra prophetiam proprie dictam, quia non attingit ad supernaturalem veritatem. Tertia vero excedit rationem prophetiae proprie dictae, ut dictum est art. praec. ad 2m. Unde prophetiae propriae acceptae gradus distinguuntur secundum imaginariam visionem. Et hi gradus sunt (incipiendo ab infimo): somnii, visionis (i. e. in vigilando), signorum (per res significativas, et per verba), per visionem alicujus sibi loquentis aut demonstrantis, sive in specie angeli sive in specie Dei.

Art. IV. - *Utrum Moyses fuerit excellentior omnibus prophetis.*

RESP. AFF. - *Scil.:* licet quantum ad aliquid aliquis alius prophetarum Veteris Testamenti fuerit major Moysē, simpliciter tamen Moyses fuit omnibus aliis major.

R. EST: quia, quantum ad visionem intellectualem, Moyses vidit ipsam Dei essentiam, ut Augustinus dicit (Super Gen. ad litt. lib. xii, cap. 27) super illud Num. xii, 8, quod *palam, et non per aenigmata Deum vidit*; quantum ad imaginariam visionem, Moyses talem visionem quasi ad nutum habebat in omnibus ejus perfectioribus, secundum illud Ex. d. xxxiii, 11: *Loquebatur ei Dominus facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*; quantum ad denuntiationem Moyses loquebatur toti populo fidelium ex persona Dei, quasi de novo legem proponens: alii prophetae loquebantur ad populum in persona Dei, quasi inducentes ad observantiam legis Moysi, secundum illud Malachiae iv, 4: *Mementote legis Moysi servi mei*; quantum ad operationem miraculorum, quae fecit toti populo infidelium (i. e. Aegyptio), ut dicitur (Deut. ult. 10): *Non surrexit ultra propheta in Israel, sicut Moyses, etc.*

NOTANDUM: Quantum ad cognitionem divinitatis prophetia Moysis fuit excellentior; sed David plenius cognovit, et expressit mysteria incarnationis Christi. (Ad 1m). Sic etiam de Isaia dici potest, qui apertissime Christi passionem narrat.

Art. V. - *Utrum aliquis gradus prophetiae sit etiam in beatis.*

RESP. NEG. - R. EST: quia prophetia importat visionem quamdam alicujus supernaturalis veritatis, *ut procul existentis*. Hoc autem contingere nequit in beatis, cum sint totaliter Deo conjuncti.

Art. VI. - *Utrum gradus prophetiae varientur secundum temporis processum.*

RESP. NEG. - *Scil. :* a) si loquamur de prophetia in quantum ordinatur ad fidem Deitatis, sic quidem crevit secundum tres temporum distinctiones; scilicet ante legem, sub lege, et sub gra-

tia; b) quantum ad fidem incarnationis Christi, sic etiam crevit prophetia per temporum successionem; c) quantum vero ad directionem humanorum actuum, prophetica revelatio diversificata est, non secundum temporis processum, sed secundum conditionem negotiorum.

R. PRIMI EST: quia ante legem, Abraham et alii Patres propheticè sunt instructi de his quae pertinent ad fidem Deitatis. Unde et prophetae nominantur secundum illud Psal. civ, 15: *In prophetis meis nolite malignari*, quod specialiter dicitur propter Abraham et Isaac.

R. SECUNDI EST: quia prophetae quanto fuerunt Christo propinquiores, sive ante, sive post, ut plurimum plenius de hoc (de incarnatione) instructi fuerunt; post tamen plenius quam ante, ut Apostolus dicit (Ephes. iii).

R. TERTII EST: quia, ut dicitur Proverb. xxix, 18, *Cum defecerit prophetia, dissipabitur populus*. Et ideo quolibet tempore instructi sunt homines divinitus de agendis, secundum quod erat expediens ad salutem electorum.

QUAESTIO CLXXV

De raptu *

Deinde considerandum est de raptu; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum anima hominis rapiatur ad divina.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ex divina virtute potest aliquis elevari ad aliqua supernaturalia cum abstractione a sensibus, secundum illud

* Raptus. de quo hic agitur, definiri potest: «Elevatio ab eo quod est secundum naturam in id quod est supra naturam, vi superioris naturae».

Ezech. viii, 3: *Spiritus elevavit me inter caelum et terram, et adduxit me in Jerusalem in visione Dei.* - Sic raptus potest dici coactio, si attendatur modus quo fit, inquantum scilicet mens elevatur a Deo per raptum supra facultatem naturae, non autem si attendatur terminus operationis, quia raptus non est contra naturam. (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum raptum magis pertineat ad vim cognoscitivam quam ad vim appetitivam.*

RESP.: a) quantum ad id in quod aliquis rapitur, raptus, proprie loquendo, non potest pertinere ad vim appetitivam, sed solum ad vim cognoscitivam; b) quantum ad causam, potest habere causam ex parte appetitivae virtutis.

R. PRIMI EST: quia, ut dictum est (art. praec.), raptus est praeter propriam inclinationem ejus quod rapitur; ipse autem motus appetitivae virtutis est quaedam inclinatio ab bonum appetibile. Unde, proprie loquendo, ex hoc quod homo appetit aliquid, non rapitur, sed per se movetur.

R. SECUNDI EST: quia ex hoc ipso quod appetitus ad aliquid vehementer afficitur, potest contingere quod ex violentia affectus homo ab omnibus aliis alienetur.

NOTANDUM: Raptus addit aliquid supra extasim. Nam extasis importat simpliciter excessum a seipso, secundum quem scilicet aliquis extra suam ordinationem ponitur; sed raptus super hoc addit violentiam quamdam. (Ad 1m). - Dupliciter potest autem homo secundum appetitum extra seipsum fieri. Uno modo quando appetitus intellectivus totaliter in divina tendit, praetermissis his ad quae inclinat appetitus sensitivus; et sic Dionysius dicit (De Div. Nom., cap. 4), quod « Paulus ex virtute divini amoris extasis faciente dicit: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus* ». Alio modo quando praetermisso appetitu superiori, homo totaliter fertur in ea quae pertinent ad

appetitum inferiorem, et sic « ille qui porcos pavit, sub semetipso cecidit »; et iste excessus vel extasis plus appropinquat ad rationem raptus quam primus, quia scilicet appetitus superior est magis homini proprius. (Ad 2m).

Art. III. – Utrum Paulus in raptu viderit Dei essentiam.

RESP. AFF. – *Scil.* : convenientius dicitur Deum per essentiam vidit, et quidem per modum cujusdam passionis transeuntis (Ad 2m).

R. EST: quia ipsa verba Apostoli designant ipsum Dei essentiam vidisse. Nam ipse dicit se audivisse ineffabilia verba, quae non licet homini loqui. Hujusmodi autem videntur ea esse quae pertinent ad visionem beatorum, quae excedit statum viae, secundum illud Isa. lxiv, 4: *Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti diligentibus te.* – Talis fuit etiam raptus Mysis, et quidem congruenter; nam sicut Myses fuit primus doctor Judaeorum, ita Paulus fuit primus doctor gentium (Ad 1m). Visio haec autem fuit non per modum formae permanentis, ut est in beatis, sed per modum cujusdam passionis transeuntis, et ideo talis raptus ad prophetiam pertinet (Ad 2m).

NOTANDUM: Nomini tertii caeli, ut glossa dicit (II Cor. xii) designatur caelum spirituale, ubi angeli et sanctae animae fruuntur Dei contemplatione. (Ad 4m).

Art. IV. – Utrum Paulus in raptu fuerit alienatus a sensibus.

RESP. AFF. – R. EST: quia essentia Dei non potest videri per aliquod phantasma, quinimo nec per aliquam speciem intelligibilem creatam: essentia Dei enim in infinitum excedit non solum omnia corpora, quorum sunt phantasmata, sed

etiam omnem intelligibilem creaturam. Oportet igitur, cum intellectus hominis elevatur ad altissimam Dei essentiae visionem, ut tota mentis intentio illuc advocetur, ita scilicet quod nihil intelligat aliud ex phantasmatis, sed totaliter feratur in Deum. Unde impossibile est quod homo in statu viae videat Deum per essentiam sine abstractione a sensibus.

NOTANDUM: Post resurrectionem in beatis Dei essentiam videntibus flet redundantia ab intellectu ad inferiores vires, et usque ad corpus; unde secundum ipsam regulam divinae visionis anima intendet phantasmatis et sensibilibus. Talis autem redundantia non fit in his qui rapiuntur. Et ideo non est similis ratio. (Ad 1m). - Quantum ad animam Christi intellectus ejus erat glorificatus per habituale lumen gloriae, quo divinam essentiam videbat multo amplius quam aliquis angelus vel homo. Erat autem viator propter corporis passibilitatem, secundum quam paulo minus ab angelis minorabatur, ut dicitur ad Hebraeos. II, *dispensative*, et non propter aliquem defectum ex parte intellectus. Unde non est similis ratio de eo et de aliis viatoribus. (Ad 2m).

Art. V. - *Utrum anima Pauli in statu illo fuerit totaliter a corpore separata.*

RESP. NEG. - R. EST: quia in raptu, de quo hic loquimur, non aufertur ab anima divina virtute naturalis *habitus* ad hoc quod intelligat per conversionem ad phantasmata; non enim mutatur status animae in raptu: sed aufertur ab anima *actualis* conversio ad phantasmata et sensibilia, ne impediatur ejus elevatio in id quod excedit omnia phantasmata, ut dictum est (art. praec.). Et ideo in raptu non fuit necessarium quod anima sic separaretur a corpore, ut ei non uniretur quasi forma; fuit autem necessarium, intellectum ejus abstrahi a phantasmatis et sensibilium perceptione.

Art. VI. – *Utrum Paulus ignoraverit an anima ejus fuerit a corpore separata.*

RESP. AFF. – R. EST: quia hujusmodi quaestionis veritatem accipere oportet ex ipsis Apostoli verbis, quibus dicit se scivisse esse raptum usque ad tertium caelum, sed adjunxit, *sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit* (II. Cor. xii, 3). Haec autem verba significare non possunt, secundum Augustinum (Super Gen. ad litt. lib. xii, c. 2, 3, 4 et 28), an corpus ejus fuerit simul raptum cum anima; quia non poterat corpus ad tertium caelum, i. e., spirituale et incorporeum rapi: sed oportet ea secundum alium sensum intelligere, ut scilicet Apostolus sciverit quod fuerit raptus secundum animam et non secundum corpus, nesciverit tamen qualiter se haberet anima ad corpus, utrum scilicet fuerit sine corpore vel non. Unde relinquitur quod nescivit Apostolus utrum anima ejus fuerit conjuncta corpori ut forma, vel a corpore separata per mortem.

QUAESTIO CLXXVI

De gratiis gratis datis quae pertinent ad locutionem; et primo de gratia linguarum

Deinde considerandum est de gratiis gratis datis, quae pertinent ad locutionem: et primo de gratia linguarum; secundo de gratia sermonis sapientiae seu scientiae. Circa primum quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum illi qui consequabantur donum linguarum, loquebantur omnibus linguis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia non erat conveniens ut qui mittebantur ad alios instruendos, indige-

rent ab aliis instrui, qualiter aliis loquerentur, vel qualiter quae alii loquerentur, intelligerent: praesertim quia isti qui mittebantur, erant unius gentis, imo et pauperes et impotentes, nec de facili a principio reperissent qui eorum verba aliis fideliter interpretarentur, vel verba aliorum eis exponerent, maxime quia ad infideles mittebantur. Et ideo necessarium fuit ut super hoc eis divinitus provideretur per donum linguarum, sicut dicitur Act. Ap., ii, 4, quod *repleti sunt omnes Spiritu sancto, et caeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.*

NOTANDUM: Quamvis utrumque fieri potuisset quod per unam linguam loquentes ab omnibus intelligerentur, aut quod omnibus linguis loquerentur; tamen convenientius fuit quod ipsi omnibus linguis loquerentur, quia hoc pertinebat ad perfectionem scientiae ipsorum, per quam non solum loqui, sed intelligere poterant quae ab aliis dicebantur; unde Paulus dicit: *Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor.* (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum donum linguarum sit excellentius quam gratia prophetiae.*

RESP. NEG. - *Scil.*: triplici ratione.

PRIMA R. EST: quia donum linguarum refertur ad diversas voces proferendas, quae sunt signa alicujus intelligibilis veritatis, cujus etiam signa sunt quaedam ista phantasmata, quae secundum imaginariam visionem apparent. Donum autem prophetiae consistit in ipsa illuminatione mentis ad cognoscendam intelligibilem veritatem. Unde sicut prophetica illuminatio excellentior est quam imaginaria visio, ita etiam excellentior est prophetia quam donum linguarum, secundum se consideratum.

SECUNDA R. EST: quia donum prophetiae pertinet ad rerum notitiam quae est nobilior quam notitia vocum, ad quam pertinet donum linguarum.

TERTIA R. EST: quia donum prophetiae est utilius, ut probat Apostolus (I. Cor. xiv).

NOTANDUM: Interpretatio sermonum potest reduci ad donum prophetiae, inquantum scilicet mens illuminatur ad intelligendum et exponendum quaecumque sunt in sermonibus obscura. Unde interpretatio sermonum est potior quam donum linguarum, ut patet per illud quod Apostolus dicit (I. Cor. xiv, 5): *Major est qui prophetat quam qui loquitur linguis, nisi forte interpretetur.* (Ad 4m).

QUAESTIO CLXXVII

De gratia gratis data, quae consistit in sermone

Deinde considerandum est de gratia gratis data, quae consistit in sermone, de qua dicit Apostolus: *Alii datur per Spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae* (I. Cor. xii, 8); et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. – Utrum in sermone consistat aliqua gratia gratis data.

RESP. AFF. – R. EST: quia Spiritus sanctus non deficit in aliquo quod pertineat ad Ecclesiae utilitatem: unde providet membris Ecclesiae etiam in locutione; ut scilicet non solum aliquis sic loquatur ut a diversis possit intelligi, quod pertinet ad donum linguarum; sed etiam quod *efficaciter* loquatur, quod pertinet ad gratiam sermonis. Haec autem efficacia tria habet: scilicet quod ali-

quis sic loquitur quod doceat, delectet, et auditores flectat. Ad quod quidem efficiendum Spiritus sanctus utitur lingua hominis quasi quodam instrumento; ipse autem est qui perficit operationem interius.

Art. II. - *Utrum gratia sermonis, sapientiae et scientiae pertineat etiam ad mulieres.*

RESP. NEG. - *Scil.:* ut mulieres publice loquantur ad totam Ecclesiam.

R. EST: quia gratia sermonis potest quidem mulieribus competere ut privatim ad unum vel paucos, familiariter colloquantur; publice autem ad totam Ecclesiam aliqui mulieribus non conceditur: primo, quia sunt naturaliter viro inferiores, ut patet Gen. III. Docere autem et persuadere publice in Ecclesia non pertinet ad subditos, sed ad Praelatos; secundo, ne animi hominum alliciantur ad libidinem; dicitur enim Eccli. ix, 11: *Colloquium illius quasi ignis exardescit*; tertio, quia communiter mulieres non sunt in sapientia perfectae, ut eis possit convenienter publica doctrina committi.

QUAESTIO CLXXVIII

De gratia miraculorum

Deinde considerandum est de gratia miraculorum; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum sit aliqua gratia gratis data ad miracula facienda.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sicut oportet quod notitia quam quis divinitus accipit, in notitiam aliorum deducatur per donum linguarum et per gratiam sermonis; ita necesse est quod sermo

prolatus confirmetur ad hoc quod credibilis fiat. Hoc autem fit per operationem miraculorum, secundum illud Marc. ult. 20: *Et sermonem confirman- te sequentibus signis.*

NOTANDA: 1. Cum causa miraculorum sit divina omnipotentia, quae nulli creaturae communicari potest, impossibile est quod principium operandi miracula sit aliqua qualitas habitualiter manens in anima. Sed hoc contingere potest quod mens miracula facientis moveatur ad faciendum aliquid ad quod sequitur effectus miraculi, quod Deus sua virtute facit. (Ad 1m).

2. Miracula dicuntur *virtutes* secundum quod sunt aliquid excedens facultatem naturae. Dicuntur *signa*, inquantum manifestant aliquid supernaturalis. *Portenta* autem vel *prodigia* dicuntur quasi procul aliquid ostendentia, scil. propter excellentiam (Ad 3m).

3. Operatio miraculorum attribuitur fidei propter duo: primo quidem, quia ordinatur ad fidei confirmationem; secundo, quia procedit ex Dei omnipotentia, cui fides innititur. (Ad 5m).

Art. II. - *Utrum mali possint miracula facere.*

RESP. AFF. - *Scil.:* vera miracula, quae sola virtute divina fieri possunt, possunt quidem a malis operari tantummodo ad confirmationem veritatis.

R. EST: quia, ut Hieronymus dicit super illud Mt. vii: *Nonne in nomine tuo prophetavimus?* etc., « Prophetare vel virtutes facere, et daemones ejicere, interdum non est ejus meriti qui operatur; sed invocatione nominis Christi hoc agit, ut homines Deum honorent, ad cujus invocationem fiunt tanta miracula ». - Unde Augustinus dicit (Quaest. lib. lxxxiii, qu. 79): « Aliter magi faciunt miracula, aliter boni christiani, aliter mali. Magi per privatos contractus cum daemonibus, boni christiani per publicam justitiam (scil. sanctitatis eorum), mali christiani per signa justitiae (scil. veritatis divinae) ». (Ad 3m).

QUAESTIO CLXXIX

**De divisione vitae in activam
et contemplativam**

Consequenter considerandum est de vita activa et contemplativa, ubi quadruplex consideratio occurrit, quarum prima est de divisione vitae per activam et contemplativam; secunda de vita contemplativa; tertia de vita activa; quarta de comparatione vitae activae ad contemplativam. Circa primum quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum vita convenienter dividatur per activam et contemplativam.*

RESP. AFF. - R. EST: quia illud maxime convenit alicui per seipsum, quod est proprium ei, et ad quod maxime inclinatur: operatio autem maxime homini propria est in hoc quod *intelligat* et secundum rationem *agat*; et ideo quidam homines praecipue intendunt contemplationi veritatis, quidam vero principaliter intendunt exterioribus actionibus: inde est quod vita hominis convenienter per activam, et contemplativam dividitur.

Art. II. - *Utrum vita sufficienter dividatur per activam et contemplativam.*

RESP. AFF. - R. EST: quia operatio maxime homini propria est illa quae est secundum intellectum. Finis autem intellectivae cognitionis vel est ipsa cognitio veritatis, quod pertinet ad intellectum contemplativum; vel est aliqua exterior actio, quod pertinet ad intellectum practicum sive activum. Et ideo vita humana etiam sufficienter dividitur per activam et contemplativam.

NOTANDUM: Vita voluptuosa ponit finem in delectatione corporali, quae communis est nobis et brutis. Unde, sicut Philosophus dicit (Ethic. lib. i, c. 5), est vita bestialis. Propter quod non comprehenditur sub praesenti divisione, prout vita humana dividitur in activam et contemplativam (Ad 1m).

QUAESTIO CLXXX

De vita contemplativa

Deinde considerandum est de vita contemplativa et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum vita contemplativa nihil habeat in affectu, sed totum in intellectu.*

RESP. NEG. – *Scil.:* quantum ad ipsam essentiam actionis (seu operatio, quae dicitur *contemplatio*) pertinet ad intellectum; quantum autem ad id quod movet ad exercendam talem operationem, pertinet ad voluntatem.

R. PRIMI patet, contemplatio enim est essentialiter actus intellectus.

R. SECUNDI EST: quia finis est objectum voluntatis, ad quam pertinet movere omnes alias potentias, et etiam intellectum ad suum actum (I-II, q. ix, art. 1).

NOTANDUM: Vis appetitiva movet ad aliquid inspiciendum dupliciter: quandoque propter amorem rei visae, et secundum hoc Gregorius (Hom. xiv in Ezech.) constituit vitam contemplativam in charitate Dei, inquantum scilicet aliquis ex dilectione Dei inardescit ad ejus pulchritudinem conspiciendam; quandoque autem propter amorem ipsius cognitionis quam quis ex inspectione consequitur, (sicut accidit apud philosophos). In primo casu contemplatio terminatur ad delectationem, quae est in affectu, ex quo etiam amor intenditur. (In fine art.).

Art. II. - *Utrum virtutes morales pertineant ad vitam contemplativam.*

RESP. NEG. - *Scil.*: non pertinent essentialiter ad vitam contemplativam; sed dispositive tantum.

R. PRIMI EST: quia finis vitae contemplativae est consideratio veritatis. «Ad virtutes autem morales scire quidem, quod pertinet ad considerationem veritatis, parvam potestatem habet», ut Philosophus dicit (*Ethic. x, cap. 7*). Unde et ipse virtutes morales dicit pertinere ad felicitatem activam, non autem ad contemplativam.

R. SECUNDI EST: quia virtutes morale impediunt vehementiam passionum et sedant exteriorum occupationum tumultus, quibus actus contemplationis impeditur. Et ideo virtutes morales ad vitam contemplativam disponunt.

Art. III. - *Utrum ad vitam contemplativam pertineant diversi actus.*

RESP. NEG. - *Scil.*: vita contemplativa unum quidem actum habet in quo finaliter perficitur, scil. contemplationem veritatis, a quo habet unitatem; habet autem multos actus, quibus pervenit ad hunc actum finalem.

R. EST: quia haec est differentia inter hominem et angelum, quod angelus simplici apprehensione veritatem intuetur, homo autem quodam processu ex multis pertingit ad intuitum simplicis veritatis. - Hi autem actus sunt: quidam qui pertinent ad *acceptiorem principiorum*, ex quibus proceditur ad contemplationem (ad hoc opus est auditione, lectione ac praesertim oratione); alii pertinent ad *deductionem principiorum* (meditatio, speculatio, etc.) in veritatem ejus cujus cognitio inquiritur; ultimus autem

contemplativus actus est ipsa contemplatio veritatis.

NOTANDUM: Ut Richardus de Sancto Victore dicit (De Contempl. lib. i, c. 4), « contemplatio est perspicax et liber contuitus animi in res perspicandas; meditatio autem est intuitus animi in veritatis inquisitione occupatus; cogitatio autem est animi respectus ad evagationem pronus ». (Ad 1m).

Art. IV. – *Utrum vita contemplativa solum consistat in contemplatione Dei, an etiam in consideratione cujuscumque veritatis.*

RESP.: vita contemplativa *principaliter* consistit in contemplatione divinae veritatis; contemplatio autem divinorum effectum pertinet ad vitam contemplativam *secundario*.

R. PRIMI EST: quia hujusmodi contemplatio est finis totius humanae vitae, quae nunc quidem imperfecta est, tunc vero in patria perfecta erit.

R. SECUNDI EST: quia per considerationem divinorum effectuum homo manuducitur in Dei cognitionem.

NOTANDUM: Sic, quatuor ordine quodam ad vitam contemplativam pertinent: a) virtutes morales; b) alii actus praeter contemplationem; c) contemplatio divinorum effectuum; d) ipsa contemplatio divinae veritatis. (In fine art.).

Art. V. – *Utrum vita contemplativa secundum statum hujus vitae possit pertingere ad visionem divinae essentiae.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) secundum actum hujus vitae nullo modo potest contemplatio pertingere ad videndum Dei essentiam; b) potentialiter tamen, inquantum scil. anima est quidem corpori unita ut forma, ita tamen quod non utatur corporeis sensibus, aut imaginatione; potest contem-

platio hujus vitae pertingere ad visionem divinae essentiae.

R. PRIMI EST: quia impossibile est quod aliquis, actualiter sensibus corporis utendo, Dei essentiam videat, ut dictum est in quaestione de raptu (qu. clxxv, art. 4 et 5), et in primo (qu. xii, art. 11).

R. SECUNDI EST: quia hoc accidit etiam in raptu Sancti Pauli, ut dictum est (qu. clxxv, art. 3). - Unde supremus gradus contemplationis praesentis vitae est, qualem habuit Paulus in raptu, secundum quem fuit medio modo se habens inter statum praesentis vitae et futurae.

NOTANDUM: Contemplatio humana secundum statum praesentis vitae non potest esse absque phantasmatibus; quia connaturale est homini ut species intelligibiles in phantasmatibus videat. Sed tamen intellectualis cognitio non consistit in ipsis phantasmatibus; sed in eis contemplatur puritatem intelligibilis veritatis: et hoc non solum in cognitione naturali, sed etiam in eis quae per revelationem cognoscimus. (Ad 2m).

Art. VI. - *Utrum operatio contemplationis convenienter distinguatur per tres motus, circularem, rectum et obliquum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* figuraliter ad motus locales, qui sunt primi et perfectiores in motibus corporalibus.

R. EST: quia motuum corporalium localium tres sunt differentiae: quidam est *circularis*, secundum quem aliquid movetur uniformiter circa idem centrum: alius autem est *rectus*, secundum quem aliquid procedit ab uno in aliud; tertius autem est *obliquus*, quasi compositus ex utroque. Cum autem operationis intelligibiles quasi motus quidam describantur, et secundum similitudinem diversorum motuum earum differentia assignetur, id quod simpliciter habet uniformitatem attri-

buitur motui circulari; operatio autem intelligibilis, secundum quam proceditur de uno in aliud, attribuitur motui recto; operatio autem intelligibilis habens aliquid uniformitatis simul cum processu ad diversa attribuitur motui obliquo. In contemplatione autem illa operatio animae dicitur *circularis*, quae, praetermissis omnibus, scil. rebus exterioribus a quibus anima ad seipsam redit; et variis ratiocinationibus quibus de uno ad aliud discurrit, - in sola Dei contemplatione persistit: et hoc est quod Dionysius dicit (De Div. Nom. c. 4, p. 1, lect. 7): «Deinde sic uniformis facta unite, id est, conformiter, unitis viribus, ad pulchrum et bonum manuducitur». Motus autem *rectus* contemplationis est ille, secundum quem intellectus in considerando ab uno in aliud procedat, i. e., ab exterioribus sensibilibus ad cognitionem intelligibilium. Motus autem *obliquus* in anima ponitur prout illuminationibus divinis ratiocinando utitur, in quo est motus ex recto et circulari compositus. (Ad 2m).

Art. VII. - *Utrum contemplatio delectationem habeat.*

RESP. AFF. - *Scil.:* in vita contemplativa non solum est delectatio ratione ipsius contemplationis; sed etiam ratione ipsius divini amoris: et quantum ad utrumque ejus delectatio omnem delectationem humanam excedit.

R. PRIMI EST: quia unicuique delectabilis est operatio sibi conveniens secundum propriam naturam vel habitum. Contemplatio autem veritatis competit homini secundum suam naturam, prout est animal rationale; et adhuc magis fit hoc delectabile habenti habitum sapientiae et scientiae, ex quo accidit quod sine difficultate aliquis contemplatur.

R. SECUNDI EST: quia contemplatio redditur delectabilis etiam ex parte objecti, inquantum aliquis rem amatam contemplatur. Vita autem contemplativa praecipue consistit in contemplatione Dei, ad quam movet charitas.

R. TERTII EST: quia delectatio spiritualis potior est quam carnalis (I-II, q. xxxi, art. 5); et ipse amor quo ex charitate Deus diligitur, omnem amorem excedit. Unde et Psal. xxxiii, 9 dicitur: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus*. Unde ultima perfectio contemplativae vitae est ut non solum divina veritas videatur, sed etiam ut ametur. (Ad 1m).

Art. VIII. - *Utrum vita contemplativa sit diuturna.*

RESP. AFF. - *Scil.:* cum secundum se, tum quoad nos vita contemplativa diuturna est.

R. PRIMI EST: a) quia vita contemplativa versatur circa incorruptibilia et immobilia; b) quia non habet contrarium: delectationi enim quae est in considerando, nihil est contrarium.

R. SECUNDI EST: quia vita contemplativa competit nobis secundum actionem incorruptibilis partis animae, scil. secundum intellectum, unde potest post hanc vitam durare. Item, quia in operibus contemplativae corporaliter non laboramus, unde magis in huiusmodi operibus continue persistere possumus.

NOTANDUM: Nulla actio potest diu durare in sui summo. Summum autem contemplationis est ut attingat ad uniformitatem divinae contemplationis. Unde etsi quantum ad hoc contemplatio diu durare non possit, tamen quantum ad alios contemplationis actus potest diu durare. (Ad 2m).

QUAESTIO CLXXXI

De vita activa

Deinde considerandum est de vita activa; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum omnes actus virtutum moralium pertineant ad vitam activam.*

RESP. AFF. – *Scil.* : essentialiter virtutes morales pertinent ad vitam activam.

R. EST: quia virtutes morales ordinantur principaliter ad operandum. Unde dicit Philosophus (*Ethic. lib. ii, cap. 2*): « ad virtutem quidem scire, parum aut nihil prodest ». Unde et Philosophus virtutes morales ordinat ad felicitatem activam.

Art. II. – *Utrum prudentia pertineat ad vitam activam.*

RESP. AFF. – *Scil.* : si prudentia proprie sumatur.

R. EST: quia cognitio prudentiae, quae est « recta ratio agibilium », de se ordinatur ad operationes virtutum moralium; et ideo directe pertinet ad vitam activam. Si autem sumatur communius, prout scil. comprehendit qualemcumque humanam cognitionem, sic prudentia quantum ad aliquam sui partem pertinet ad vitam contemplativam.

NOTANDUM: Prudentia dicitur media inter virtutes intellectuales et morales quantum ad hoc quod in subjecto convenit cum virtutibus intellectualibus, in materia autem totaliter convenit cum moralibus. Illum autem tertium vivendi genus medium est inter activam vitam et contem-

plativam, quantum ad ea circa quae occupatur; quia quandoque occupatur in contemplatione veritatis, quandoque autem occupatur circa exteriora. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum docere sit actus vitae activae an contemplativae.*

RESP.: a) quantum ad objectum doctrinae *ex parte locutionis*, docere quandoque pertinet ad vitam activam, quandoque ad contemplativam; b) quantum ad objectum doctrinae *ex parte sermonis audibilis*, docere pertinet ad vitam activam tantum.

R. PRIMI EST: quia in loquendo homo potest interius concipere aliquam veritatem, ut per eam in exteriori actione dirigatur, et hoc pertinet ad vitam activam. Quando autem interius concipit aliquam veritatem intelligibilem, in cujus consideratione et amore delectatur, hoc pertinet ad vitam contemplativam.

R. SECUNDI EST: quia ex parte sermonis audibilis objectum doctrinae est ipse audiens; et quantum ad hoc objectum omnis doctrina pertinet ad vitam activam, ad quam pertinent exteriores actiones.

Art. IV. - *Utrum vita activa maneat post hanc vitam.*

RESP. NEG. - R. EST: quia in futura vita beatorum cessabit occupatio exteriorum actuum: et si qui actus exteriores sint, referuntur ad finem contemplationis. Unde Aug. dicit (in fine De Civitate Dei): « Ibi Deus sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur: hoc munus, hic affectus, hic actus erit omnibus ».

QUAESTIO CLXXXII

**De comparatione vitae activae
ad contemplativam**

Deinde considerandum est de comparatione vitae activae ad contemplativam; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum vita activa sit potior quam contemplativa.*

RESP. NEG. – *Scil.*; vita contemplativa est *simpliciter* melior, et quidem propter novem rationes.

R. PRIMA EST: quia vita contemplativa convenit homini secundum illud quod est optimum in ipso, scil. secundum intellectum, et respectu propriorum objectorum, scil. intelligibilium; vita autem activa occupatur circa exteriora.

SECUNDA R. EST: quia vita contemplativa potest esse magis continua, licet non quantum ad summum contemplationis gradum.

TERTIA R. EST: quia major est delectatio vitae contemplativae quam activae: unde Augustinus dicit (Lib. De verbis Domini, serm. 26, cap. 2): « Martha turbabatur, Maria epulabatur ».

QUARTA R. EST: quia in vita contemplativa est homo magis sibi sufficiens: paucioribus enim ad eam indiget; unde dicitur Luc. x, 41: *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima.*

QUINTA R. EST: quia vita contemplativa magis propter se diligitur, vita autem activa ad aliud ordinatur.

SEXTA R. EST: quia vita contemplativa consistit in quadam vocatione et quiete, secundum

illud Psal. xlv, 11: *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus.*

SEPTIMA R. EST: quia vita contemplativa est secundum divina, vita autem activa est secundum humana.

OCTAVA R. EST: quia vita contemplativa est secundum id quod est magis proprium homini, scil. secundum intellectum; in operationibus autem vitae activae communicant etiam inferiores vires, quae sunt nobis et brutis communes.

NONA R. EST: quia est Dominus ipse qui dicit: *Optimam partem elegit Maria, quae non auferetur ab ea*; quod exponens Augustinus (l. c.) dicit: « Non tu malam, sed illa meliorem. Audi unde meliorem: quia non auferetur ab ea; a te autem auferetur aliquando onus necessitatis: aeterna est dulcedo veritatis ». – Secundum quid tamen et in casu est magis eligenda vita activa propter necessitatem praesentis vitae; sicut etiam Philosophus dicit (Tobiae. lib. iii, cap. 2), quod « philosophari est melius quam ditari, sed ditari melius est necessitatem patienti ».

NOTANDUM: Ad praelatos non solum pertinet vita activa, sed etiam debent esse excellentes in vita contemplativa; unde Gregorius dicit in Pastoralis (P. 2, cap. 1): « Sit praesul actione praecipuus, prae cunctis in contemplatione suspensus ». (Ad 1m). – Unde cum aliquis a contemplativa vita ad activam vocatur, non hoc fit per modum subtractionis, sed per modum additionis (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum vita activa sit majoris meriti quam contemplativa.*

RESP. NEG. – R. EST: quia vita contemplativa directe et immediate pertinet ad dilectionem Dei; vita autem activa directius ordinatur ad dilectionem proximi: et ideo ex suo genere con-

templativa vita est majoris meriti quam activa: radix enim meriti est charitas (I-II, qu. ult., art. 4). – Potest tamen contingere quod aliquis in *operibus* vitae activae plus mereatur quam alius in *operibus* vitae contemplativae; puta si propter abundantiam divini amoris, ut Dei voluntas impleatur, propter ipsius gloriam, interdum sustinet a dulcedine divinae contemplationis *ad tempus* separari; sicut Apostolus dicebat (Rom. ix, 3): *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.*

NOTANDUM: Labor exterior operatur ad augmentum praemii accidentaliter; sed augmentum meriti respectu praemii essentialis consistit principaliter in charitate, cujus quoddam signum est labor exterior toleratus propter Christum; sed multo expressius ejus signum est quod aliquis, praetermissis omnibus quae ad hanc vitam pertinent, soli divinae contemplationi vacare delectetur. (Ad 1m). – Unde contemplatio praesentis vitae non tollit rationem meriti, sed augmentum meriti facit propter majus exercitium charitatis divinae. (Ad 2m). – Et per hoc quod Gregorius dicit (Super Ezech., hom. xii, ante finem) quod « nullum sacrificium est Deo magis acceptum quam zelus animarum », non praefertur meritum vitae activae merito vitae contemplativae; sed ostenditur magis esse meritorium, si quis offerat Deo animam suam et aliorum, quam quaecumque alia exteriora dona; quod maxime fit per contemplationem. (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum vita contemplativa impediatur per vitam activam.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) quantum ad ipsum studium et exercitium exteriorum actionum, vita activa contemplativam impedit; b) quantum vero ad hoc quod interiores animae passiones componit et ordinat, vita activa contemplativam adjuvat.

R. PRIMI EST: quia impossibile est quod aliquis simul occupetur circa exteriores actiones, et divinae contemplationi vacet.

R. SECUNDI EST: quia contemplatio impeditur per inordinationem interiorum passionum. Unde exercitium vitae activae, per quod interiores passiones, ex quibus phantasmata proveniunt, quietantur, ad contemplativam vitam confert.

Art. IV. – *Utrum vita activa sit prior quam contemplativa.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) secundum suam naturam vita contemplativa est prior; b) quoad nos seu in via generationis prior est activa.

R. PRIMI EST: quia vita contemplativa prioribus et melioribus insistit, unde et activam vitam movet et dirigit. Ratio enim superior, quae contemplationi deputatur, comparatur ad inferiorem, quae deputatur actioni, sicut vir ad mulierem, quae est per virum regenda, ut Augustinus dicit (De Trin., lib. xii, cap. 12).

R. SECUNDI EST: quia vita activa disponit ad contemplativam (qu. clxxxi, art. 1 ad 3m). – Dispositio enim in via generationis praecedit formam, quae simpliciter et secundum suam naturam est prior.

NOTANDUM: Illi qui sunt prони ad passiones propter earum impetum ad agendum, sunt simpliciter magis apti ad vitam activam propter spiritus inquietudinem. Quidam vero habent naturaliter animi puritatem et quietem, per quam ad contemplationem sunt apti; qui si totaliter actionibus deputentur, detrimentum sustinebunt. Sed illi qui sunt magis apti ad activam vitam, possunt per exercitium activae ad contemplationem praeparari; et illi nihilominus qui sunt magis ad contemplativam apti, possunt exercitia vitae activae subire, ut per hoc ad contemplationem paratiores reddantur. (Ad 3m).

QUAESTIO CLXXXIII

**De officiis et variis statibus hominum
in generali**

Consequenter considerandum est de diversitate statuum et officiorum humanorum: et primo considerandum est de officiis et statibus hominum in generali; secundo specialiter de statu perfectorum. Et circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum status in sui ratione importet conditionem libertatis vel servitutis.*

RESP. AFF. - *Scil.:* status in sui ratione importat conditionem libertatis vel servitutis sive in spiritualibus sive in civilibus.

R. EST: quia solum id videtur ad statum hominis pertinere quod respicit obligationem personae hominis, prout aliquis est sui juris vel alieni; et hoc non ex aliqua causa levi, vel de facili mutabili, sed ex aliquo permanente: status enim, proprie loquendo, significat quamdam positionis differentiam, secundum quam aliquid disponitur, sive in spiritualibus sive in civilibus, quasi in quadam immobilitate.

Art. II. - *Utrum in Ecclesia debeat esse diversitas officiorum seu statuum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) propter perfectionem ipsius Ecclesiae; b) propter necessitatem actionum quae sunt in Ecclesia; c) propter ejus decorem et pulchritudinem.

R. PRIMI EST: quia sicut perfectio quae in Deo simpliciter et uniformiter invenitur, in universitate creaturarum inveniri non potest, nisi difformiter et multipliciter; ita etiam plenitudo

gratiae, quae in Christo sicut in capite adunatur, ad membra ejus diversimode redundat, ad hoc ut corpus Ecclesiae sit perfectum. Et hoc est quod Apostolus dicit (Ephes. iv, 11): *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas...*

R. SECUNDI EST: quia oportet ad diversas actiones diversos homines deputari, ad hoc quod expeditius et sine confusione omnia peragantur: et hoc est quod Apostolus dicit (Rom. xii, 4): *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo.*

R. TERTII EST: quia dignitas et pulchritudo in ordine consistit. Unde Apostolus dicit (II Tim. ii, 20), quod *in magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia.*

NOTANDUM: Haec diversitas statuum et officiorum, in Ecclesia non impedit ejus unitatem, quae perficitur per unitatem fidei, et charitatis, et mutuae subministrationis, secundum illud Apostoli (Ephes. iv, 16): *Ex quo totum corpus est compactum, scilicet per fidem, et connexum, scilicet per charitatem, per omnem conjuncturam subministrationis, dum scilicet unus alii servit (Ad 1m).* Unde Apostolus dicit (I. Cor. xii, 24): *Deus temperavit nos, ut non sit schisma in corpore, sed pro invicem sollicita sint membra.*

Art. III. - *Utrum officia distinguantur per actus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia dicuntur in diversis officiis esse qui sunt ad diversas actiones deputati, non quidem secundum diversitatem actionum materiale, quae est infinita, sed secundum diversitatem formalem, quae accipitur secundum diversas species actuum. (Ad 1m).

Art. IV. – *Utrum differentia statuum attendatur secundum incipientes, proficientes et perfectos.* *

RESP. AFF. – *Scil.* : status spiritualis servitutis vel libertatis distinguitur secundum incipientes, proficientes et perfectos.

R. EST: quia in omni humano studio est accipere principium, medium, et terminum: et ideo consequens est quod status spiritualis, qui contingit per humanum studium, scilicet servitutis justitiae secundum habitum ad bonum, seu libertatis a peccato, secundum quod homo ab inclinatione peccati non superatur, distinguatur secundum tria, scilicet secundum principium, ad quod pertinet statum incipientium; et medium ad quod pertinet status proficientium; et terminum ad quem pertinet status perfectorum.

QUAESTIO CLXXXIV

De his quae pertinent ad statum perfectionis in communi

Deinde considerandum est de his quae pertinent ad statum perfectionis, ad quem alii status ordinantur. Nam consideratio officiorum, quantum quidem ad alios actus, pertinet ad legis positores: quantum autem ad sacra ministeria, pertinet ad considerationem ordinum, de quibus in tertia parte agetur. Circa statum autem perfectorum triplex consideratio occurrit: primo de statu perfectionis in communi; secundo de his quae pertinent ad perfectionem episcoporum; tertio de his quae pertinent ad perfectionem religiosorum. Circa primum quaeruntur octo:

* Proficientes sunt qui, primis initiis superatis, jam sunt in profectu. Perfecti autem sunt qui, quantum fert vitae mortalis conditio, perfectionem in hac vita consecuti sunt.

Art. I. - *Utrum perfectio christianae vitae attendatur specialiter secundum charitatem.*

RESP. AFF. - R. EST: quia charitas est quae nos specialiter Deo unit, qui est ultimus finis humanae mentis; *qui enim manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (I. Jn. iv, 16). Unumquodque autem dicitur perfectum esse in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio. Et ideo secundum charitatem specialiter attenditur perfectio christianae vitae, quae in perfecta unione cum Deo consistit. Inde dicit Apostolus (Coloss. iii, 14): *Super omnia charitatem habete, quae est vinculum perfectionis.*

NOTANDUM: Dupliciter potest dici aliquis perfectus: uno modo *simpliciter*; quae quidem perfectio attenditur secundum id quod pertinet ad ipsam rei naturam; puta si dicatur animal perfectum, quando nihil ei deficit ex dispositione membrorum, et aliis hujusmodi, quae requiruntur ad vitam animalis. Alio modo dicitur aliquid perfectum *secundum quid*: quae quidem perfectio attenditur secundum aliquid exterius adjacens, puta in albedine, vel nigredine, vel aliquo hujusmodi. Vita autem christiana specialiter in charitate consistit, per quam anima Deo conjungitur; unde dicitur I. Jn. iii, 14: *Qui non diligit, manet in morte.* Et ideo secundum charitatem attenditur *simpliciter* perfectio christianae vitae, sed secundum alias virtutes *secundum quid*. Et quia id quod est simpliciter, est principalissimum et maximum respectu aliorum, inde est quod perfectio charitatis est principalissima respectu perfectionis, quae attenditur secundum alias virtutes. (Ad 2m). Sic, e. g., patientia opus perfectum dicitur habere in ordine ad charitatem, in quantum scil. ex abundantia charitatis provenit quod aliquis patienter toleret adversa. (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum aliquis in hac vita possit esse perfectus.*

RESP. AFF. - *Scil. : a) non secundum perfectionem absolutam; b) neque secundum totali-*

tatem absolutam ex parte diligentis; c) sed quantum ad hoc quod excludantur ea quae repugnant motui dilectionis in Deum.

R. PRIMI EST: quia perfectio absoluta attenditur non solum secundum totalitatem ex parte diligentis, sed etiam ex parte diligibilis, prout scil. Deus tantum diligitur, quantum diligibilis est; et talis perfectio non est possibilis alicui creaturae, sed competit soli Deo, in quo bonum integraliter et essentialiter invenitur.

R. SECUNDI EST: quia sic affectus diligentis secundum totum suum posse semper *actualiter* tendit in Deum; et talis perfectio non est possibilis in via, sed erit in patria.

R. TERTII EST: quia talis perfectio possibilis est in hac vita, et quidem dupliciter: uno modo inquantum ab affectu hominis excluditur omne illud quod contrariatur charitati, sicut est peccatum mortale, et hoc est de necessitate salutis; alio modo inquantum ab affectu hominis excluditur etiam omne illud quod impedit ne affectus mentis totaliter dirigatur ad Deum; sine qua perfectione charitas esse potest, puta in incipientibus et proficientibus.

Art. III. - *Utrum perfectio consistat in praeceptis an in consiliis.*

RESP.: charitatis perfectio principaliter et essentialiter consistit in praeceptis, secundario autem et instrumentaliter in consiliis.

R. EST: quia dilectio Dei et proximi, in quo charitas consistit, non cadit sub praecepto secundum aliquam mensuram, ita quod id quod est plus, sub consilio remaneat; et hoc patet ex ipsa forma praecepti, quae perfectionem demonstrat. Et hoc ideo est, quia *finis praecepti charitas est*, ut Apostolus dicit (I. Tim. i). In fine autem non

adhibetur aliqua mensura, sed solum in his quae sunt ad finem.

NOTANDA: 1. Cum praecepta tum consilia ordinantur ad charitatem; sed aliter et aliter. Nam praecepta alia a praeceptis charitatis ordinantur ad removendum ea quae sunt charitati contraria, cum quibus scil. charitas esse non potest; consilia autem ordinantur ad removendum impedimenta actus charitatis, quae tamen charitati non contrariantur, sicut est matrimonium, occupatio negotiorum saecularium, et alia hujusmodi. (In corp. art.).

2. Cum id quod cadit sub praecepto, diversimode possit impleri, scil. secundum diversos gradus, non efficitur transgressor praecepti aliquis ex hoc quod non optimo modo implet, sed sufficit quod quocumque modo impleat illud, dum scilicet saltem ultimus gradus servetur. Est autem infimus divinae dilectionis gradus, ut nihil supra Deum, aut contra eum, aut aequaliter ei diligatur. (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum quicumque est perfectus sit in statu perfectionis.*

RESP. NEG. – *Scil.:* nihil prohibet aliquos esse perfectos, qui non sunt in statu perfectionis, et aliquos esse in statu perfectionis, qui tamen non sunt perfecti.

R. EST: quia de statibus nunc loquimur prout ex diversitate statuum quaedam Ecclesiae pulchritudo consurgit. Sic ergo in statu perfectionis proprie dicitur aliquis esse, non ex hoc quod habet actum dilectionis perfectae, sed ex hoc quod obligat se perpetuo cum aliqua solemnitate ad ea quae sunt perfectionis. Contingit autem quod aliqui se obligant ad id quod non servant, sicut mali religiosi, qui opera perfectionis quibus votis se astrinxerunt non implent; et aliqui implent ad quod se non obligaverunt, sicut quidam christiani et ecclesiastici, qui virtutes eminenter in hoc mundo colunt.

Art. V. – *Utrum religiosi et praelati sint in statu perfectionis.*

RESP. AFF. – *Scil.*: religiosi professionis solemnis et episcopi.

R. EST: quia ad statum perfectionis, de quo nunc loquimur, requiritur obligatio perpetua ad ea quae sunt perfectionis, cum aliqua solemnitate. Utrumque horum competit religiosis et episcopis. Religiosi enim se voto astringunt ad hoc quod a rebus saecularibus se abstineant, quibus licite uti poterant, ad hoc quod liberius Deo vacent. – Similiter etiam episcopi se obligant ad ea quae sunt perfectionis, pastorale assumentes officium; ad quod pertinet *ut animam suam ponat pastor pro ovibus suis* (Jn. x, 15). Cum hac etiam professione adhibetur quaedam solemnitas consecrationis, secundum illud II. Tim. i, 6: «*Resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum*»; quod Glossa interl. exponit de gratia episcopali.

Art. VI. – *Utrum omnes praelati ecclesiastici sint in statu perfectionis.*

RESP. NEG. – *Scil.*: non omnes praelati sunt in statu perfectionis, sed soli episcopi.

R. EST: quia ratione sacri ordinis quam presbyteri et diaconi suscipiunt, non ponuntur simpliciter in statu perfectionis; cum, in Ecclesia occidentali, solum votum continentiae emittant. Ex parte autem curae animarum presbyteri et diaconi non obligantur vinculo perpetui voti. Episcopi autem, quia sunt in statu perfectionis (art. praec.), non nisi auctoritate summi pontificis, ad quam etiam solum pertinet in votis perpetuis dispensare, possunt episcopalem curam deserere, et ex certis causis, ut infra dicitur (quaes. clxxxv, art. 4).

Art. VII. - *Utrum status religiosorum sit perfectior quam status praelatorum.*

RESP. NEG. - R. EST: quia, ut Dionysius dicit (De cael. hier. c. 5), ad episcopos et praelatos pertinet actio, ad religiosos autem passio: semper autem agens praestantius est patiente, ut dicit Augustinus (Super Gen. ad litt., lib. xii, c. 16). Unde episcopi se habent ut perfectiores, religiosi autem ut perfecti.

NOTANDUM: Perfectio non consistit essentialiter in abrenuntiatione propriarum facultatum in actu, sed in praeparatione animi, ut scil. homo sit paratus, si fuerit opus, omnia dimittere vel distribuere: et ad hoc maxime tenentur episcopi, quod omnia sua pro honore Dei et salute sui gregis contemnant, cum opus fuerit, vel pauperibus sui gregis largiendo vel rapinam bonorum suorum cum gaudio sustinendo. (Ad 1m). - (Insuper episcopi tenentur vitam suam dare pro ovibus suis, quod est perfectionis summum, juxta illud Apostoli, II. Cor. xii, 15: *Ego autem libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris*).

Art. VIII. - *Utrum praebyteri curati et archidiaconi sint majoris perfectionis quam religiosi.*

RESP. NEG. - *Scil.:* religiosi, ratione bonitatis status, caeteris paribus cum praesbyteris et diaconis quantum ad ordinem et curam animarum, sunt majoris perfectionis.

R. EST: quia religiosus, ratione status, totam suam vitam obligat ad perfectionis studium; presbyter autem aut curatus vel archidiaconus non obligat totam vitam suam ad curam animarum, sicut episcopus. Et ideo comparatio status religionis ad officium presbyterorum et archidiaconorum est sicut universalis ad particulare, et sicut holocausti ad sacrificium, quod est minus holocausto. - Si vero attendatur difficultas bene conversandi in religione et in officio habentis cu-

ram animarum; sic difficilius est bene conversari cum cura animarum propter exteriora pericula: quamvis conservatio religionis sit difficilior quantum ad ipsum genus operis, propter arctitudinem observantiae regularis. – Si vero religiosus careat ordine, tunc manifestum est praeeminentiam ordinis excellere quantum ad dignitatem; ad quam major sanctitas interior requiritur, quam requirat etiam religionis status. Unde gravius peccat, caeteris paribus, clericus in sacris ordinibus consitutus, si aliquid contrarium sanctitati agat, quam aliquis religiosus qui non habet ordinem sacrum; quamvis laicus religiosus teneatur ad observantias regulares, ad quas illi qui sunt in sacris ordinibus non tenentur.

QUAESTIO CLXXXV

De his quae pertinent ad statum episcoporum

Deinde considerandum est de his quae pertinent ad statum episcoporum; et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum liceat episcopatum appetere.*

RESP. NEG. – R. EST: quia quamvis appetere proximis prodesse, est secundum se laudabile et virtuosum; tamen, quia episcopalis actus habet annexam gradus celsitudinem, praesumptuosum videtur quod aliquis praeesse appetat ad hoc quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente. – Potest tamen absque praesumptione quilibet appetere talia opera facere, si eum contingeret in tali officio esse, vel etiam se esse dignum ad talia opera exequenda; ita quod opus bonum cadat sub desiderio, non autem primatus dignitatis. Unde Chrysostomus (?) dicit (Sup.

Matth. hom. xxxv, in Oper. imperf.): « Opus quidem desiderare bonum, bonum est; primatum autem honoris concupiscere, vanitas est. Primatus enim fugientem se desiderat, desiderantem se horret ».

NOTANDUM: Quantum ad verba Apostoli, « *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* », dicendum est quod, sicut Gregorius dicit (Pastor. part. I, c. 8), « in illo tempore hoc dixit Apostolus quo ille qui plebibus praeerat, primus ad martyrii tormenta ducebatur »; et sic nihil aliud erat quod in episcopatu appeti posset, nisi bonum opus. (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum liceat episcopatum injunctum omnino recusare.*

RESP. NEG. - R. EST: quia pertineret ad inordinationem voluntatis quod aliquis omnino contra superioris (legitimam) injunctionem, praedictum gubernationis officium finaliter recuset; et hoc cum quia repugnat charitati proximorum, quorum utilitati se aliquis debet exponere pro loco et tempore; tum quia repugnat humilitati, per quam aliquis superiorum mandatis se subjicit.

NOTANDUM: Potest aliquis licite impedimentum apponere, ne episcopatum suscipiat, antequam fiat praeceptum superioris, dummodo tale impedimentum non sit de his quae per se necessaria sunt ad salutem: alioquin non liceret alicui transire ad secundas nuptias, ne per hoc impediretur a susceptione episcopatus vel sacri ordinis. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum oporteat eum qui ad episcopatum assumitur, esse caeteris meliorem.*

RESP. NEG. - *Scil.:* neque ex parte ejus qui aliquem debet in episcopum eligere, vel de eo providere, tenetur assumere meliorem simpliciter, i. e., secundum charitatem; neque ex parte

ejus qui assumitur requiritur quod reputet se aliis meliorem.

R. PRIMI EST: quia ex parte ejus qui assumit vel eligendo, vel providendo, requiritur quod talem eligat qui fideliter divina mysteria dispenset, quae quidem dispensari debent ad utilitatem Ecclesiae, secundum illud I. Cor. xiv, 12: *Ad aedificationem Ecclesiae quaerite ut abundetis*: ut scilicet possit Ecclesiam et instruere, et defendere, et pacifice gubernare. Unde contra quosdam Hieronymus dicit (Super illud cap. i ad Tit.: *Et constituas per civitates*, etc.): «quidam non quaerunt eos in Ecclesia columnas erigere, quod plus cognoscunt Ecclesiae prodesse; sed quos plus ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti vel dediti, etc.». Hoc autem pertinet ad acceptionem personarum, quae in talibus est grave peccatum.

R. SECUNDI EST: quia hoc esset superbum et praesumptuosum: sed sufficit quod (ille qui assumitur) nihil in se inveniatur per quod illicitum ei reddatur assumere praelationis officium.

Art. IV. – *Utrum episcopus possit licite curam episcopalem deserere, ut ad religionem se transferat.*

RESP. AFF. – *Scil.*: ex legitima causa, et summi pontificis auctoritate.

R. EST: quia episcopus tamdiu obligatur ad hoc quod curam pastoralem retineat, quamdiu potest subditis sibi commissis proficere ad salutem: quam quidem negligere non debet, neque propter divinae contemplationis quietem, neque propter quaecumque adversa vitanda, vel lucra conquirenda. – Contingit tamen quod episcopus impeditur procurare subditorum salutem

quandoque propter defectum proprium, sive conscientiae, sive corporis, sive mentis, vel etiam irregularitatis; quandoque propter defectum subditorum, in quibus non potest proficere; quandoque autem ex parte aliorum, puta cum de praelevatione alicujus personae scandalum suscitatur, dum tamen scandalum non oriatur ex malitia aliquorum volentium fidem aut justitiam Ecclesiae conculcare; propter hujusmodi enim scandalum non est cura pastoralis dimittenda, secundum illud Mt. xv, 14: *Sinite illos, scilicet qui scandalizabantur de veritate doctrinae Christi, caeci sunt, et duces caecorum.* – Oportet tamen quod sicut curam regiminis assumit aliquis per providentiam superioris praelati, ita etiam per ejus auctoritatem ex causis praedictis deserat susceptam. Soli autem papae competit dispensare in voto perpetuo, quo quis se ad curam subditorum adstrinxit, episcopatum suscipiens.

NOTANDUM: Potest episcopus, impedimento cessante, iterato ad episcopatum assumi, puta per correctionem subditorum, vel per seditionem scandalii, vel per curationem infirmitatis, aut depulsa ignorantia per instructionem sufficientem; vel etiam si simoniace sit promotus, eo ignorante, si se ad regularem vitam episcopatu dimisso transtulerit, poterit iterato ad alium episcopatum promoveri. Si vero aliquis propter culpam sit ab episcopatu depositus, et in monasterium detrusus ad poenitentiam peragendam, non potest iterato ad episcopatum revocari, juxta canonicum jus (Decretali 7 Innoc. III, quaes. 1.). (Ad 2m).

Art. V. – *Utrum liceat episcopo propter aliquam persecutionem corporalem deserere gregem sibi commissum.*

RESP. AFF. – *Scil. : a) ubi subditorum salus exigit personae pastoris praesentiam, non debet pastor personaliter suum gregem deserere, neque*

propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens; b) si vero subditorum saluti possit sufficienter in absentia pastoris per alium provideri, tunc licet pastori vel propter aliquod commodum Ecclesiae, vel propter personae periculum corporaliter gregem deserere.

R. PRIMI EST: quia bonus pastor animam suam ponere tenetur pro ovibus suis.

R. SECUNDI EST: quia, ut Augustinus dicit (In Ep. ad Honoratum 228, al. 180): « Fugiant de civitate in civitatem servi Christi (scil. secundum praeceptum Domini, apud Mt. x, 23), quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus quaeritur; ut ab aliis, qui non ita quaeruntur, non deseratur Ecclesia ». – Ille autem qui ad evitandum periculum recedit absque detrimento gregis, non tanquam mercenarius fugit. (Ad 1m). Ille enim qui spondet pro aliquo, si per se implere non possit, sufficit ut per alium impleat. (Ad 2m).

Art. VI. – *Utrum liceat episcopo aliquid proprium habere.*

RESP. AFF. – R. EST: quia episcopi in sua ordinatione non se obligant ad hoc ut absque proprio vivant; neque etiam vivere absque proprio ex necessitate requiritur ad pastorale officium, ad quod se obligant.

NOTANDA: 1. Perfectio christianae vitae non consistit essentialiter in voluntaria paupertate; sed voluntaria paupertas *instrumentaliter* operatur ad perfectionem vitae. Unde non oportet quod ubi major paupertas est, ibi sit major perfectio; quinimo potest esse summa perfectio cum magna opulentia; nam Abraham, cui dictum est (Gen. xvii, 1): *Ambula coram me, et esto perfectus*, legitur fuisse dives. (Ad 1m).

2. Quantum ad verba Domini (Mt. x, 9): « *No-
lite possidere aurum, etc.* », et illa Petri (Mt. xix,
27): « *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus
te* »; dicendum est, secundum expositionem Chry-
sostomi, ut intelligatur illa Dominum praecipisse
discipulis quantum ad illam missionem qua mit-
tebantur ad praedicandum Judaeis; ut per hoc
excitarentur ad confitendum de virtute ipsius qui
eis absque sumptibus provideret. Ex quo tamen
non obligabantur ipsi, vel successores eorum ut
absque propriis sumptibus Evangelium praedica-
rent. Stultum autem videtur dicere quod tot sancti
pontifices, sicut Athanasius, Ambrosius et Augu-
stinus, illa praecepta transgressi fuissent, si ad ea
servanda se crederent obligari (Ad 2m).

Art. VII. – *Utrum episcopi mortaliter peccent,
si bona ecclesiastica quae procurant, pauperibus
non largiantur.*

RESP. NEG. – *Scil.:* si hujusmodi res eorum
dominio sunt deputatae; secus autem si eccle-
siasticorum bonorum sunt dispensatores vel pro-
curatores.

R. EST: quia episcopi priorum bonorum
verum dominium habent. Unde de his quae sunt
specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem
ratio, quae est de propriis bonis, ut scilicet pro-
pter immoderatum affectum et usum peccet epi-
scopus si immoderate sibi retineat, et aliis non
subveniat, sicut requirit debitum charitatis. –
Si vero non sunt praedicta bona distincta, eorum
distributio fidei ejus committitur: haec enim
sunt pauperibus eroganda, vel etiam in usum
ministorum, aut in cultum divinum expendenda.
Et si aliquid de his sibi retinuerit episcopus, et
multus sit excessus, non est dubium quin contra
fidem dispensationis agat, et mortaliter peccet,
et ad restitutionem teneatur.

Art. VIII. – *Utrum religiosi qui promoventur in episcopos, teneantur ad observantias regulares.*

RESP. AFF. – *Scil.:* si qua sunt in regularibus observantiis quae non impediunt pontificale officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam, sicut est continentia, paupertas et alia hujusmodi, ad haec remanet religiosus etiam factus episcopus obligatus, et per consequens ad portandum habitum suae religionis, qui est signum hujus obligationis.

R. EST: quia status religionis se habet ad statum episcopalem sicut dispositio ad perfectionem, et sicut disciplina ad magisterium. Nam status religionis via est in perfectionem tendendi; status autem episcopalis ad perfectionem pertinet, tanquam quoddam perfectionis magisterium. Dispositio autem non tollitur, perfectione adveniente, nisi forte quantum ad id in quo perfectioni repugnat; quantum autem ad id quod perfectioni congruit, magis confirmatur; sicut discipulo, cum ad magisterium pervenerit, non congruit quod sit auditor; congruit tamen ipsi quod legat et meditetur etiam magis quam ante. Unde ille qui fit de monacho episcopus, absolvitur a jugo monasticae professionis non quantum ad omnia, sed quantum ad illa quae officio pontificali repugnant, sicut solitudo, silentium et aliquae abstinenciae, vel vigiliae graves, ex quibus impotens corpore redderetur ad exequendum pontificale officium. (Ad 1m). – Testamentum igitur nullo modo facere potest monachus in episcopatum evector, quia ei sola dispensatio committitur rerum ecclesiasticarum, quae morte finitur, ex qua incipit testamentum valere. Si tamen ex concessione papae testamentum faciat, non intelligitur ex proprio facere testamentum; sed apostolica auctoritate intelligitur esse ampliata pote-

stas suae dispensationis, ut ejus dispensatio possit valere post mortem. (Ad 3m). - (Haec autem omnia confirmantur C. J. C. hodie vigente, cc. 627, 628).

QUAESTIO CLXXXVI

De his in quibus religionis status praecipue consistit

Deinde considerandum est de his quae pertinent ad statum religionis. Circa quod occurrit quadruplex consideratio. Quarum prima est de his in quibus principaliter consistit religionis status. Secunda de his quae religiosis licite convenire possunt. Tertia de distinctione religionum. Quarta de religionis ingressu. Circa primum quaeruntur decem:

Art. I. - *Utrum religio importet statum perfectionis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia antonomastice religiosi dicuntur illi qui se totaliter mancipant divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes. Unde Gregorius dicit (Super Ezech. hom. xx): «Sunt quidam qui nihil sibimetipsis reservant: sed sensum, linguam, vitam atque substantiam, quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant». Hoc autem statum perfectionis importat; perfectio enim hominis in hoc consistit quod totaliter Deo inhereat (qu. clxxxiv, art. 2).

NOTANDUM: Religio nominat statum perfectionis ex intentione finis. Unde non oportet quod quicumque est in religione, jam sit perfectus, sed quod ad perfectionem tendat. Et hoc modo in religione non omnes sunt perfecti, sed quidam incipientes, quidam proficientes. (Ad 3m). Est enim religionis status principaliter institutus ad perfectionem adipiscendam per quaedam exercitia, quibus tolluntur impedimenta perfectae charitatis. (Ad 4m).

Art. II. - *Utrum quilibet religiosus teneatur ad omnia consilia.*

RESP. NEG. - R. EST: quia sicut religiosus non tenetur habere perfectam charitatem, sed quod tendat et operam det ut habeat perfectam charitatem; ita non tenetur ad hoc quod illa impleat omnia consilia seu exercitia quibus ad perfectionem pervenitur, sed ad illa quae determinate sunt ei taxata secundum regulam quam professus est; caetera autem tenetur ut ad ea implenda intendat: unde non peccat si ea praetermittat, sed si ea contemnat. - Sunt enim quaedam consilia de quibusdam melioribus particularibus actibus, quae praetermitti possunt absque hoc quod vita hominis saecularibus actibus implicetur: unde non oportet quod ad omnia talia religiosi teneantur. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum paupertas requiratur ad perfectionem religionis.*

RESP. AFF. - *Scil.:* ad perfectionem charitatis acquirendam primum fundamentum est voluntaria paupertas, ut aliquis absque proprio vivat, secundum illud (Mt. xix, 21): *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus, et veni, sequere me.*

R. EST: quia ad exercitium et disciplinam status religionis, per quae ad perfectionem charitatis pervenitur (art. praec.), necessarium est quod aliquis affectum suum totaliter abstrahat a rebus mundanis. Dicit enim Augustinus (Confess. lib. x, 29), quod « nutrimentum charitatis est diminutio cupiditatis, perfectio, nulla cupiditas ». Nam ex hoc quod aliquis res mundanas possidet, allicitur animus ejus ad earum amorem.

NOTANDUM: Ad futuram beatitudinem ordinatur aliquis per charitatem. Et quia voluntaria paupertas est efficax exercitium perveniendi ad perfectam charitatem, ideo multum valet ad caelestem beatitudinem consequendam. Unde et Dominus dicit (Mt. xix, 21): *Vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo*. Divitiae autem habitae per se quidem natae sunt perfectionem charitatis impedire, principaliter alliciendo animum et distrahendo: unde dicitur (Mt. xiii, 22): *sollicitudo saeculi, et fallacia divitiarum suffocant verbum Dei*. Et ideo difficile est charitatem inter divitias conservare: unde Dominus dicit (Mt. xix), quod *dives difficile intrabit in regnum caelorum*: quod quidem intelligendum est de eo qui actu habet divitias; nam de eo qui affectum in divitiis ponit, dicit hoc esse impossibile, secundum expositionem Chrysostomi (Hom. lxiv in Mt.), cum subdit: « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum ». (Ad 4m). – Quantum autem ad statum episcopalem, considerandum est quod talis status non ordinatur ad perfectionem adipiscendam, sed potius ut ex perfectione quam quis habet, alios gubernet, non solum ministrando spiritualia, sed etiam temporalia; quod pertinet ad vitam activam, in qua multa operanda occurrunt instrumentaliter per divitias. Et ideo ab episcopis non exigitur ut proprio careant, sicut exigitur a religiosis qui profitentur disciplinam perfectionis acquirendae. (Ad 5m).

Art. IV. – *Utrum perpetua continentia requiratur ad perfectionem religionis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ad statum religionis requiritur substractio eorum per quae homo impeditur ne feratur totaliter in Dei servitium. Usus autem carnalis copulae retrahit animum ne totaliter feratur in Dei servitium, cum propter vehementiam delectationis, ex cujus frequenti experientia augetur concupiscentia, tum propter sollicitudinem, quam ingerit homini de gubernatione uxoris, et filiorum, et rerum temporalium, quae ad eorum sustentationem sufficiant.

NOTANDUM: Perfectio continentiae introducta est per Christum, qui dicit (Mt. xix, 12): *Sunt eunuchi qui castraverunt se ipsos propter regnum caelorum*; et postea subdit: *Qui potest capere capiat*. Et ne alicui spes perveniendi ad perfectionem tolleretur, assumpsit ad perfectionis statum etiam illos quos invenit matrimonio junctos. Non autem poterat absque injuria fieri quod viri et uxores desererent. Et ideo Petrum, quem invenit matrimonio junctum, non separavit ab uxore. (Ad 1m).

Art. V. - *Utrum obedientia pertineat ad perfectionem religionis.*

RESP. AFF. - *Scil.*: oportet quod religiosi in his quae pertinent ad religiosam vitam, alicujus instructioni et imperio subdantur.

R. EST: quia status religionis est quaedam disciplina vel exercitium tendendi in perfectionem. Quicumque autem instruuntur vel exercitantur, ut perveniant ad aliquem finem, oportet quod directionem alicujus sequantur, secundum cujus arbitrium instruuntur, vel exercitentur, ut perveniant ad illum finem, quasi discipuli sub magistro.

NOTANDA: 1. Votum obedientiae ad religionem pertinens, se extendit ad dispositionem totius humanae vitae, et secundum hoc votum obedientiae habet quamdam universalitatem, licet non se extendat ad omnes particulares actus, quorum quidam ad religionem non pertinent, quidam vero etiam contrariantur religioni. (Ad 4m).

2. Necessitas coactionis facit involuntarium, et ideo excludit rationem laudis et meriti; sed necessitas consequens obedientiam non est necessitas coactionis, sed liberae voluntatis, inquantum homo vult obedire, licet forte non vellet id quod mandatur, secundum se consideratum, implere. Et ideo quia necessitati aliqua faciendi quae secundum se non placent, per votum obedientiae homo se subjicit propter Deum, ex hoc ipso ea quae facit, sunt Deo magis accepta, etiamsi sint minora; quia nihil majus potest homo Deo dare

quam quod propriam voluntatem propter ipsum voluntati alterius subjiciat. - Unde in Collationibus Patrum (Coll. 18, cap. 7) dicitur, «deterri- mum genus monachorum esse Sarabaitas, quia suas necessitates curantes, absoluti a seniorum jugo, habent libertatem agendi quid libitum fue- rit; et tamen magis quam hi qui in coenobiis de- gunt, in operibus diebus ac noctibus consumun- tur». (Ad 5m).

Art. VI. - *Utrum requiratur ad perfectionem reli- gionis quod paupertas, continentia et obedientia cadant sub voto.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ad statum perfec- tionis requiritur *obligatio* ad ea quae sunt perfec- tionis. Paupertas autem, continentia et obe- dientia sunt perfectionis, ut dictum est (art. 3, 4 et 5 huj. qu.). Obligatio vero fit per votum, per quod immobilitas firmatur sequelae Christi. (Ad 1m).

NOTANDUM: Ad objectionem quod ea, quae licet nobis non impendere, tamen causa dilectionis impendimus, sunt gratiora quam ea quae cadunt sub voto, respondetur: Inter alia quae licet nobis non impendere, est etiam propria libertas, quam homo caeteris rebus chariorem habet. Unde cum aliquis propria sponte voto sibi adimit libertatem abstinendi (ita ut non possit amplius se abstinere) ab his quae ad Dei servitium pertinent, hoc fit Deo acceptissimum. Unde Augustinus dicit, (In Ep. ad Armentar. et Paulinam, 127): «Non te vovisse poeniteat; imo gaude jam tibi non licere, quod tuo detrimento licuisset. Felix necessitas, quae in meliora compellit». (Ad 3m).

Art. VII. - *Utrum convenienter dicatur, in his tribus votis consistere religionis perfectionem.*

RESP. AFF. - *Scil.:* status religionis conve- nienter ex his tribus votis integratur.

R. EST: quia status religionis integratur, primo per hoc quod est quoddam exercitium tendendi in perfectionem charitatis; secundo per hoc quod

quietat animum humanum ab exterioribus sollicitudinibus; tertio per hoc quod est quoddam holocaustum, per quod aliquis totaliter se et sua offert Deo. Unumquodque autem horum per tria vota, scil. paupertatis, continentiae et obedientiae attingitur.

Art. VIII. - *Utrum votum obedientiae sit potissimum inter tria vota religionis.*

RESP. AFF. - *Scil.*: propter tria.

PRIMA R. EST: quia per votum obedientiae aliquid majus homo offert Deo, scil. ipsam voluntatem; quae est potior quam corpus proprium, quod offert homo per continentiam, et quam res exteriores, quas offert homo Deo per votum paupertatis. Unde illud quod fit ex obedientia, est magis Deo acceptum quam id quod fit per propriam voluntatem.

SECUNDA R. EST: quia votum obedientiae continet sub se alia vota, sed non convertitur.

TERTIA R. EST: quia votum obedientiae proprie se extendit ad actus propinquos fini religionis. Quanto autem aliquid propinquius est fini, tanto melius est. Et inde est quod votum obedientiae est religioni essentialius.

Art. IX. - *Utrum religiosus semper peccet mortaliter transgrediendo ea quae sunt in regula.*

RESP. NEG. - *Scil.*: a) quantum ad ea quae pertinet ad finem regulae, transgressio obligat ad mortale quantum ad ea quae cadunt communiter sub praecepto, non vero quantum ad ea quae excedunt communiter necessitatem praecepti, nisi propter contemptum; - b) quantum ad ea quae pertinet ad religionis exterius exercitium, transgressio illorum ad quae obligatur religiosus ex voto professionis obligat ad mortale,

aliorum autem transgressio non obligat ad mortale, nisi propter contemptum regulae, vel propter praeceptum.

R. PRIMI EST: quia, sicut supra dictum est (art. 2 huj. qu.), religiosus non tenetur esse perfectus, sed ad perfectionem tendere, cui contrariatur perfectionis contemptus.

R. SECUNDI EST: quia talis transgressio directe contrariatur professioni, per quam aliquis vovit regularem vitam. - Unde ille qui proficitur regulam, non vovet servare omnia quae sunt in regula; sed vovet regularem vitam, quae essentialiter consistit in tribus praedictis. Unde et in quibusdam religionibus cautius aliqui profitentur non quidem regulam, sed vivere secundum regulam, id est, tendere ad hoc ut aliquis mores suos informet secundum regulam, sicut secundum quoddam exemplar: et hoc tollitur per contemptum. (Ad 1m). - Tunc autem committit aliquis, vel transgreditur, ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis vel regulae; et ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel regulam; quando autem e converso propter aliquam particularem causam, puta concupiscentiam vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis vel regulae, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa; etiamsi frequenter ex eadem causa vel alia simile peccatum iteret. Frequentia tamen peccati dispositive inducit ad contemptum. (Ad 3m).

Art. X. - *Utrum religiosus eodem genere peccati gravior peccet quam saecularis.*

RESP. AFF.- *Scil.:* peccatum quod a religionis committitur potest esse gravior peccato saecularium ejusdem speciei tripliciter.

R. EST: quia: a) potest esse idem peccatum non solum contra praeceptum divinae legis, sed etiam contra votum, puta si religiosus fornicetur vel furetur; b) potest esse peccatum ex contemptu, tunc enim videtur esse magis ingratus religiosus divinis beneficiis, quibus est sublimatus ad statum perfectionis; c) potest esse majus propter scandalum, quia ad vitam religiosi plures respiciunt. – Si vero religiosus non ex contemptu, sed ex infirmitate, vel ex ignorantia aliquod peccatum quod non est contra votum suae professionis, committat absque scandalo, puta in occulto, levius peccat eodem genere peccati quam saecularis, quia peccatum ejus si sit leve, quasi absorbetur ex multis operibus bonis quae facit; et si sit mortale, facilius ab eo resurgit. Primo quidem propter intentionem rectam quam habet ad Deum: quae etsi ad horam intercipiatur, de facili ad pristina reparatur; secundo quia etiam a sociis ad resurgendum juvatur secundum illud Eccle. iv, 10: *Si unus ceciderit, ab altero fulciatur. Vae soli, quia, cum ceciderit, non habet sublevantem se.*

QUAESTIO CLXXXVII

De his quae competunt religiosis

Deinde considerandum est de his quae competunt religiosis; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum religiosis liceat docere, praedicare et alia hujusmodi facere.*

RESP. AFF. – R. EST: quia docere, praedicare et alia hujusmodi facere nihil contrarium habet in se, neque ratione praecepti, non enim contrariatur regulae, neque ratione peccati, ex aliquo enim peccato commisso non redduntur religiosi minus idonei ad hoc, sed magis idonei ex exerci-

tio sanctitatis, quod assumpserunt; «quanto (enim) quisque est excellentior, tanto et in spiritualibus operibus potentior». - Tamen, quia status religionis non dat eis potestatem hujusmodi faciendi, non licet monachis et aliis religiosis talia facere, nisi ordinem accipiant vel ordinariam jurisdictionem, aut nisi eis committantur ea quae sunt jurisdictionis.

Art. II. - *Utrum religiosis liceat saecularia negotia tractare.*

RESP. AFF. - *Scil.* : causa charitatis, cum debita moderatione, et secundum superioris licentiam; non vero causa cupiditatis.

R. EST: quia status religionis est ordinatus ad perfectionem charitatis consequendam; ad quam quidem principaliter pertinet Dei dilectio, secundario autem dilectio proximi. Et ideo religiosi praecipue et propter se debent intendere ad hoc quod Deo vacent. Si autem necessitas proximi immineat, eorum negotia ex charitate agere debent, secundum illud Galat. vi, 2: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.*

Art. III. - *Utrum religiosi manibus operari teneantur.*

RESP. NEG. - *Scil.* : non magis tenentur religiosi ad manualia opera, quam saeculares, qui ad ea tenentur vel ad victum quaerendum, vel otium fugandum, vel ad refrenationem concupiscentiae, vel ad sustentationem aliorum.

R. EST: quia praeceptum de opere manuali *communiter omnibus* proponitur, ut patet II Thess. iii, 6-15.

NOTANDA: 1. Secundum quod labor manualis ordinatur *ad victum* quaerendum, cadit sub necessitate praecepti, prout est necessarius ad talem finem. Et hoc significant verba Apostoli dicentis:

Qui non vult operari, nec manducet, quasi diceret: Ea necessitate aliquis tenetur ad operandum manibus, qua tenetur ad manducandum. Quantum ad otium tollendum, vel ad corporis macerationem, non cadit sub necessitate praecepti secundum se consideratum, quia multis aliis modis potest vel caro macerari, vel etiam otium tolli, quam per opus manuale: scil. per jejunia et vigiliis, et per meditationes sacrarum Scripturarum et per laudes divinas. Inquantum vero opus manuale ordinatur ad eleemosynas faciendas, non cadit sub necessitate praecepti; nisi forte in aliquo casu, in quo ex necessitate aliquis eleemosynas facere teneretur et non posset alias habere unde pauperibus subveniret. (In corp. articuli).

2. Sub opere manuali intelliguntur omnia humana officia, ex quibus homines licite victum lucrantur, sive manibus, sive pedibus, sive lingua fiant. Vigiles enim et cursores, et alii hujusmodi de suo labore viventes, intelliguntur de operibus manuum vivere. Quia enim manus est organum organorum, per opus manuum omnis operatio intelligitur, de qua aliquis victum licite potest lucrari. (In corp. art.). - Secundum hoc intelligitur praeceptum Apostoli. (I. Thess. iv, 11): *Operamini manibus vestris, sicut praecepimus vobis, quod est de jure naturali. (Ad 1m).*

Art. IV. - *Utrum religiosis liceat de eleemosynis vivere.*

RESP. AFF. - R. EST: quia unicuique licet vivere de eo quod suum est, vel sibi debitum. Aliquid autem est religiosus ex liberalitate donantium: ad hoc scilicet ut religiosi liberius actibus religionis insistere possint. Aliquid autem est religioni debitum cum propter necessitatem quam ipsi (religiosi) patiuntur, tum propter ea quae ipsi exhibent ad proximorum utilitatem.

Art. V. - *Utrum religiosis liceat mendicare.*

RESP. AFF. - *Scil. :* causa humilitatis et exempli, non autem, ut patet, ad otium fovendum, vel ad lucri cupiditatem, vel alia hujusmodi.

R. EST: quia ille actus mendicationis habet quamdam abjectionem sibi conjunctam. Illi enim videntur abjectissimi inter homines esse qui non solum sunt pauperes, sed intantum sunt egentes, quod necesse habent ab aliis victum accipere; et secundum hoc causa humilitatis aliqui laudabiliter mendicant; sicut et alia assumunt quae ad abjectionem quamdam pertinent, quasi efficacissimam medicinam contra superbiam, quam vel in seipsis, vel etiam in aliis per exemplum extinguere volunt. - Item, licet etiam mendicare ex necessitate vel utilitate. Ex necessitate quidem, sicut cum aliquis non potest aliunde habere unde vivat, nisi mendicet; ex utilitate autem, sicut cum aliquis intendit ad aliquid utile perficiendum, quod sine eleemosynis fidelium facere non potest.

Art. VI. - *Utrum liceat religiosis vilioribus vestibus uti quam caeteri utantur.*

RESP. AFF. - *Scil.:* ut signum poenitentiae et contemptus divitiarum et mundi fastus, non vero ut signum quoddam tristitiae, vel avaritiae vel falsae humilitatis, quod patet.

R. EST: quia religio est status poenitentiae et contemptus mundanae gloriae.

QUAESTIO CLXXXVIII

De differentia religionum

Deinde considerandum est de differentia religionum, et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum sit tantum una religio.*

RESP. NEG. - *Scil.:* quamquam omnes religiones in hoc conveniunt quod aliquis totaliter se debeat praebere ad serviendum Deo (Ad 1m);

tamen religiones diversificantur ex earum fine proprio et ex proprio exercitio.

R. EST: quia exercitium et opera charitatis ad cuius perfectionem status religionis ordinatur, possunt esse diversa. Talis diversitas sumitur praecipue ex diversitate finium ad quos religiones ordinantur, prout aliqua religio ordinatur ad peregrinos hospitio suscipiendos, alia ad visitandos vel redimendos captivos, et sic de aliis. Alia distinctio religionum consideratur ex diversitate exercitiorum; puta quod in una religione castigatur corpus per abstinentias ciborum, in alia per exercitium operum manualium, et per aliquod aliud hujusmodi.

NOTANDUM: Confusio opponitur distinctioni et ordini. Sic ergo ex multitudine religionum induceretur confusio, si ad idem et eodem modo diversae religiones essent absque necessitate et utilitate. Unde, ut hoc non fiat, salubriter institutum est ne nova religio, nisi auctoritate summi pontificis, instituat. (Ad 4m).

Art. II. - *Utrum aliqua religio institui debeat ad opera vitae activae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia perfectio charitatis ad quam status religionis ordinatur, se extendit ad dilectionem Dei et proximi. Sicut ergo ad dilectionem Dei directe pertinet contemplativa vita, quae soli Deo vacare desiderat; ita ad dilectionem proximi directe pertinet vita activa, quae deservit necessitatibus proximorum: et sicut ex charitate diligitur proximus propter Deum, ita etiam obsequium delatum in proximos redundat in Deum, secundum illud Mt. xxv, 40: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Et secundum hoc religiosi vitae activae non privantur omnino fructu contemplativae vitae. (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum aliqua religio ordinari possit ad militandum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia officium militare potest ordinari ad subventionem proximorum, non solum quantum ad privatas personas, sed etiam quantum ad totius reipublicae defensionem. Ordinari etiam potest ad conservationem divini cultus. Unde militare propter aliquid mundanum est omni religioni contrarium, non autem militare propter obsequium Dei. (Ad 2m). Quod autem Dominus dicit (Mt. v, 39): *Non resistere malo; sed qui percusserit te in unam maxillam, praebe ei et alteram*, dicendum est quod hoc de condonatione propriae injuriae dicitur, quod ad perfectionem pertinet; non autem de vitiosa tollerantia injuriarum aliorum, praesertim Dei, quas dissimulare nimis est impium. (Ad 1m).

Art. IV. - *Utrum aliqua religio possit institui ad praedicandum, vel confessiones audiendum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* convenientissimum est, ad praedicandum, et ad alia hujusmodi quae pertinent ad salutem animarum, aliquam religionem institui.

R. EST: quia magis procuratur utilitas proximorum per ea quae pertinent ad spiritualem animae salutem, quam per ea quae pertinent ad subveniendum corporali necessitati. Et hoc etiam pertinet magis ad obsequium Dei, cui nullum sacrificium est magis acceptum quam zelus animarum. - Talia autem officia non pertinent ad religiosos auctoritate propria, sed auctoritate praelatorum, ad quos ex officio pertinent: subservire autem praelatis in tali ministerio, est hujusmodi religionis proprium. (Ad 2m).

Art. V. – Utrum sit instituenda aliqua religio ad studendum.

RESP. AFF. – R. EST: quia studium religioni congruit cum ad vitam contemplativam tum ad vitam activam. Ad vitam contemplativam quidem directe coadjuvando ad contemplandum, illuminando scilicet intellectum; et indirecte removendo contemplationis pericula, scil. errores qui in contemplatione divinorum frequenter accidunt his qui Scripturas ignorant. Ad vitam activam autem studium litterarum necessarium est religiosi instituti ad praedicandum, et alia huiusmodi exercendum. Ultimo studium litterarum religioni congruit quantum ad id quod est omni religioni commune: valet enim ad vitandum carnis lasciviam; unde et Hieronymus dicit ad Rusticum monachum (circa med.): « Ama Scripturarum scientiam, et carnis vitia non amabis ». Avertit enim animum a cogitatione lasciviae, et carnem macerat propter studii laborem. – Valet etiam ad auferendam cupiditatem divitiarum, secundum illud I. Mach. xii, 8: *Nos autem nullo horum indignimus*, scil. exteriorum subsidiorum, *habentes solatio sanctos libros, qui in manibus nostris sunt*. – Valet etiam ad obedientiae documentum, (quia in sacris litteris plurima promptae obedientiae exempla, documenta et praemia inveniuntur).

NOTANDUM: Religiosis competit principaliter intendere studio litterarum pertinentium ad doctrinam quae secundum pietatem est, ut dicitur Tit. i. Aliis autem doctrinis intendere non pertinet ad religiosos, quorum tota vita divinis obsequiis mancipatur, nisi in quantum ordinantur ad sacram doctrinam. (Ad 3m).

Art. VI. - *Utrum religio quae vacat vitae contemplativae, sit potior ea quae vacat operibus vitae activae.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) vita activa quae ex plenitudine contemplationis derivatur praefertur simplici contemplationi; b) vita activa quae totaliter consistit in occupatione exteriori minor est vita contemplativa.

R. PRIMI EST: quia sicut majus est illuminare quam lucere solum, ita majus est contemplata aliis tradere quam solum contemplari.

R. SECUNDI patet ex dictis in quaes. clxxxii, ubi de comparatione vitae activae ad contemplativam agitur.

Sic ergo summum gradum in religionibus tenent quae ordinantur ad docendum et praedicandum, quae et propinquissimae sunt perfectioni episcoporum. Secundum autem gradum tenent illae quae ordinantur ad contemplationem. Tertius est earum quae occupantur circa exteriores actiones.

Art. VII. - *Utrum habere aliquid in communi diminuat perfectionem religionis.*

RESP. NEG. - R. EST: quia si res exteriores non quaerantur vel habeantur nisi in modica quantitate, quantum sufficiunt ad simplicem victum, talis sollicitudo non multum impedit hominem (ab his quae ad perfectionem requiruntur): unde nec perfectioni repugnat christianae vitae. Non enim omnis sollicitudo a Domino interdicitur, sed superflua et nociva. Imo, sollicitudo quae adhibetur circa bona communia pertinere potest ad charitatem.

NOTANDA: 1. Tanto autem sollicitudo temporalium rerum magis impedit religionem, quanto sollicitudo spiritualium major ad religionem re-

quiritur. Et ideo tribus gradibus religionum superpropositis triplex gradus paupertatis competit. Nam illis religionibus quae ordinantur ad corporales actiones activae vitae, competit habere abundantiam divitiarum communium; illis autem religionibus quae sunt ordinatae ad contemplationem, magis competit habere possessiones moderatas, nisi simul oporteat tales religiosos per se vel per alios hospitalitatem tenere et pauperibus subvenire; illis autem quae ordinantur ad contemplata aliis tradenda, competit vitam habere maxime ab exterioribus sollicitudinibus expeditam; quod quidem fit, dum modica quae sunt necessaria vitae, congruo tempore procurata conservantur. (In corp. art.).

2. Quantum autem ad verba Domini (Mt. vi, 34): *Nolite solliciti esse in crastinum*, dicendum est quod haec verba non sunt intelligenda in sensu quod nihil reservetur in futurum; nam et ipse Dominus oculos habebat (Jn. xii); sed sic secundum Hieronymum, in hunc locum, exponuntur: « Sufficit nobis praesentis temporis cogitatio; futura, quae incerta sunt, Deo relinquamus ». (Ad 2m).

Art. VIII. – *Utrum perfectior sit religio in societate viventium quam agentium solitariam vitae.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) sicut id quod jam perfectum est, praeeminet ei quod ad perfectionem exercetur, ita vita solitariorum, si debite assumatur, praeeminet vitae sociali; b) si autem absque praecedenti exercitio talis vita assumatur, est periculosissima, nisi per divinam gratiam suppleatur quod in aliis per exercitium acquiritur.

R. PRIMI EST: quia id quod est solitarium debet esse sibi per se sufficiens. Hoc autem est cui nihil deest, quod pertinet ad rationem perfecti; et ideo solitudo competit contemplanti, qui jam ad perfectum pervenit.

R. SECUNDI EST: quia ad exercitium per quod aliquis ad perfectionem pervenitur juvatur homo

ex aliorum societate, et quidem dupliciter: uno modo quantum ad intellectum, ut instruat in his quae sunt contemplanda; secundo quantum ad affectum, ut scilicet noxiae affectiones hominis reprimantur exemplo et correctione aliorum.

NOTANDA: 1. Perfecti, qui solitariam vitam agunt, multum utiles sunt generi humano, propter orationes suas ad Deum, cui puris mentibus inhaeserunt. (Ad 4m).

2. Homo potest solitarius vivere dupliciter: uno modo quasi societatem humanam non ferens, propter animi saevitiam, et hoc est bestiale; alio modo per hoc quod totaliter divinis rebus inhaeret: et hoc est supra hominem. Et ideo Philosophus dicit (Polit. lib. 1, cap. 2, a med.), quod « ille qui aliis non communicat, est bestia, aut Deus », id est, divinus vir. (Ad 5m).

QUAESTIO CLXXXIX

De religionis ingressu

Deinde considerandum est de ingressu religionis; et circa hoc quaeruntur decem:

Art. I. – *Utrum illi qui non sunt in praeceptis exercitati, debeant ingredi religionem.*

RESP. AFF. – *Scil.:* religionem ingredi non solum expedit his qui sunt exercitati in praeceptis, ut ad majorem perfectionem perveniant; sed etiam his qui non sunt exercitati, ut facilius peccata vitent et perfectionem assequantur.

R. EST: quia observantiae religionis tollunt non solum impedimenta perfectae charitatis; sed etiam occasiones peccandi; sicut patet quod per jejunium, vigiliam, et obedientiam, et alia hujusmodi, retrahitur homo a peccatis gulae et lu-

xuriae, et a quibuscumque aliis peccatis. – Unde facilius convertuntur ad religionem peccatores, sicut Matthaeus, quam illi qui de sua innocentia praesumunt, sicut adolescens a Domino ipso invitatus (Mt. xix); quibus dicit Dominus (Mt. xxi, 31): *Publicani et meretrices praecedent vos in regnum Dei.*

Art. II. – *Utrum debeant aliqui voto obligari ad religionis ingressum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : ubligari voto ad religionis ingressum, est secundum se laudabile.

R. EST: quia, ut dictum est supra (qu. lxxxviii, art. 6), vovere est actus religionis, quae habet quamdam excellentiam inter virtutes; et etiam quia per votum firmatur voluntas hominis ad bonum faciendum; et sicut peccatum est gravius ex hoc quod procedit ex voluntate obstinata in malum, ita bonum opus est laudabilius ex hoc quod procedit ex voluntate firmata in bonum per votum.

NOTANDUM: Necessitas quae ex obligatione voti requiritur, non est necessitas absoluta, sed necessitas ex fine, quia scil. post votum non potest aliquis finem salutis consequi, nisi impleat votum. Talis enim necessitas non est vitanda; quinimo, ut Augustinus dicit ad Armentarium et Paulinam (Epis. 127, et 45), «felix est necessitas quae in meliora compellit». (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum ille qui obligatus est voto ad religionis ingressum, teneatur intrare religionem.*

RESP. AFF. – R. EST: quia votum est promissio Deo facta de his quae ad Deum pertinent. Manifestum est autem quod ingressus religionis maxime ad Deum pertinet, quia per hoc homo totaliter se mancipat divinis obsequiis.

Art. IV. - *Utrum ille qui vovet religionem ingredi, teneatur perpetuo in religione permanere.*

RESP. NEG. - R. EST: quia intantum fertur obligatio voti, in quantum se extendit voluntas et intentio voventis. - Si vero in vovendo simpliciter de ingressu religionis aliquis cogitavit, absque hoc quod cogitaret de libertate exitus, vel de perpetuitate remanendi, videtur obligari ad ingressum religionis secundum formam juris communis.

NOTANDUM: Ille qui intrat religionem ut statim exeat, non videtur satisfacere voto suo, quia ipse in vovendo hoc non intendit: et ideo tenetur mutare propositum, ut saltem velit experiri an ei expediat in religione remanere, non autem tenetur ad perpetuo remanendum. (Ad 3m).

Art. V. - *Utrum pueri sint recipiendi in religione.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) quantum ad votum simplex, i. e., quod consistit in sola promissione Deo facta, pueri, ante annum pubertatis, quod est communiter pro pueris circa annum quartum decimum, et pro puellis circa duodecimum annum, votum facere possunt ingrediendi religionem, si debitum usum rationis habent et doli sunt capaces, dummodo ad hoc accedat consensus parentum; - b) quantum ad votum solemne, pueri, ante annum pubertatis, non sunt admittendi.

R. PRIMI EST: quia si debitum usum rationis habent, etiam ante annum pubertatis, pueri sunt capaces vovendi; sed adhuc sunt sub potestate parentum quantum ad dispositionem suae vitae.

R. SECUNDI EST: quia votum solemne, quod facit monachum vel religiosum, subditur ordinationi Ecclesiae propter solemnitatem quam habet annexam. Et quia Ecclesia respicit id quod

in pluribus est, professio ante tempus pubertatis facta, quantumcumque aliquis habeat usum rationis plenum, vel sit doli capax, non habet suum effectum ut faciat profitentem jam esse religiosum.

NOTANDUM: Licet pueri ante pubertatis annos profiteri non possint, possunt tamen, cum voluntate parentum, in religione recipi, ut nutriantur ibidem: quod est valde expediens, secundum illud Thren. iii, 27: *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* (In fine art.).

Art. VI. – *Utrum propter obsequium parentum debeat aliquis retrahi ab ingressu religionis.*

RESP. NEG. – *Scil.* : nisi parentes in tali necessitate existant, quod eis commode aliter quam per obsequium filiorum subveniri non possit.

R. EST: quia in tali necessitate convenit per accidens parentibus ut a filiis adjuventur. Dicimus *per accidens*, quia, ut dictum est supra (qu. ci, art. 2, ad 2m), cum de pietate ageretur, cum parentes habeant rationem principii, inquantum hujusmodi, *per se* eis convenit ut filiorum curam habeant.

Art. VII. – *Utrum presbyteri curati possint licite religionem ingredi.*

RESP. AFF. – R. EST: quia obligatio voti perpetui praefertur omni alii obligationi. Presbyteri autem curati et archidiaconi non obligantur voto perpetuo et solemni ad curam animarum retinendam; et possunt libere abrenuntiare episcopo curam eis commissam, absque speciali licentia papae, qui solus potest in votis perpetuis dispensare. – Episcopi autem, quia voto perpetuo et solemni ad curam animarum obligantur, prae-

sulatum deserere non possunt, quacumque occasione, absque auctoritate romani pontificis.

Art. VIII. – *Utrum liceat de una religione transire ad aliam.*

RESP. AFF. – *Scil.* : a) transire de religione ad religionem, nisi propter magnam utilitatem vel necessitatem, non est laudabile; – b) potest tamen aliquis laudabiliter de una religione ad aliam transire, triplici ex causa.

R. PRIMI EST: quia ex hoc plerumque scandalizantur illi qui relinquuntur; et etiam quia facilius proficit aliquis in religione quam consuevit, quam in illa quam non consuevit, caeteris paribus.

RR. SECUNDI SUNT: Primo, zelo perfectioris religionis, quae quidem non attenditur secundum solam arctitudinem, sed principaliter secundum id ad quod religio ordinatur, secundario vero secundum discretionem observantiarum debito fini proportionatarum; – secundo, propter declinationem religionis a debita perfectione; puta si in aliqua religione arctiori incipiant religiosi remissius vivere, laudabiliter transit aliquis ad religionem etiam minorem, si melius observetur; – tertio, propter infirmitatem vel debilitatem; ex qua interdum provenit quod non potest aliquis arctioris religionis statuta servare, posset autem servare statuta religionis laxioris.

Art. IX. – *Utrum aliquis debeat alios inducere ad religionem intrandam.*

RESP. AFF. – R. EST: quia inducentes alios ad religionem non solum non peccant, sed magnum praemium merentur, si hoc ex charitate et veraciter faciant, secundum illud Jacobi (ult., 20): *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae*

suae, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.

Art. X. — *Utrum sit laudabile quod aliquis religionem ingrediatur absque multorum consilio et diuturna deliberatione praecedente.*

RESP. AFF. — R. EST: quia diuturna deliberatio et multorum consilia requiruntur in magnis dubiis; in his autem quae sunt certa et determinata, non requiritur consilium. Nam, quantum ad ingressum religionis nullum dubium est quod non sit melius bonum. — Quantum ad comparationes ad vires ejus qui est religionem ingressurus, sic etiam non est locus dubitationis de ingressu religionis; quia illi qui religionem ingrediuntur, non confidunt in sua virtute se posse subsistere, sed auxilio virtutis divinae. Si tamen sit aliquod speciale impedimentum (puta infirmitas corporalis, vel alia hujusmodi), in his requiritur deliberatio et consilium cum his de quibus speratur quod prosint et non impediant. In quibus tamen non est diuturna deliberatio habenda. — Quantum autem ad modum religionem intrandi et quam religionem aliquis ingredi debeat, potest aliquis etiam habere consilium cum his qui non impediant.

NOTANDUM: Cum dicitur: *Probate spiritus, si ex Deo sint.* (S. Benedictus, in regula sua), locum habet in his quae dubia sunt, utrum spiritus Dei sint; sicut dubium potest esse in his qui jam sunt in religione, utrum ille qui religioni se offert, spiritu Dei ducatur, an simulate accedat. Et ideo debent accedentem probare, utrum divino Spiritu moveatur. Sed illi qui ad religionem accedit, non potest esse dubium, an propositum de ingressu religionis, in corde ejus exortum, sit a spiritu Dei, cujus est ducere hominem in terram rectam. Et ideo propositum de ingressu religionis non indiget probatione (ab accedente) utrum sit a Deo, quia *certa discussione non eget*, ut dicit Glossa interl.

super illud I. Thessal. ult.: *Omnia probate*. (Ad 1m). – Religio est enim suave jugum Christi: quia, ut Gregorius dicit (Moral. lib. iv, cap. 30), « quid grave mentis nostrae cervicibus imponit, qui vitari omne desiderium quod perturbat, praecipit, qui declinari laboriosa mundi hujus itinera monet? ». Quod quidem suave jugum super se tollentibus, refectionem divinae fruitionis repromittit et sempiternam requiem animarum; ad quam nos perducit ipse qui promisit, *Jesus Christus Dominus noster*, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.

D. O. M.

I N D E X

Prologus Pag. 1

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS DE FIDE

Quaestio I. – De objecto fidei	3
Quaestio II. – De actu fidei	9
Quaestio III. – De exteriori actu fidei	15
Quaestio IV. – De ipsa fidei virtute	16
Quaestio V. – De habentibus fidem	21
Quaestio VI. – De causa fidei	22
Quaestio VII. – De effectibus fidei	23
Quaestio VIII. – De dono intellectus	25
Quaestio IX. – De dono scientiae	30
Quaestio X. – De infidelitate in communi	32
Quaestio XI. – De haeresi	39
Quaestio XII. – De apostasia	42
Quaestio XIII. – De peccato blasphemiae in generali	43
Quaestio XIV. – De blasphemia in Spiritum Sanctum	45
Quaestio XV. – De caecitate mentis et hebetudine sensus	48
Quaestio XVI. – De praeceptis fidei, et intellectus	49

DE VIRTUTE SPEI

Quaestio XVII. – De spe secundum se	50
Quaestio XVIII. – De subjecto spei	53
Quaestio XIX. – De dono timoris	55
Quaestio XX. – De desperatione	61
Quaestio XXI. – De praesumptione	63
Quaestio XXII. – De praeceptis pertinentibus ad spem et timorem	65

DE CHARITATE

Quaestio XXIII. – De charitate secundum se	66
Quaestio XXIV. – De charitatis subjecto	71
Quaestio XXV. – De objecto charitatis	79

Quaestio XXVI. – De ordine charitatis	Pag. 85
Quaestio XXVII. – De principali actu charitatis qui est dilectio	» 93
Quaestio XXVIII. – De gaudio	» 98
Quaestio XXIX. – De pace	» 101
Quaestio XXX. – De misericordia	» 104
Quaestio XXXI. – De beneficentia	» 107
Quaestio XXXII. – De eleemosyna	» 110
Quaestio XXXIII. – De correctione fraterna	» 117
Quaestio XXXIV. – De odio	» 122
Quaestio XXXV. – De acedia	» 126
Quaestio XXXVI. – De invidia	» 128
Quaestio XXXVII. – De discordia	» 130
Quaestio XXXVIII. – De contentione	» 132
Quaestio XXXIX. – De schismate	» 133
Quaestio XL. – De bello	» 135
Quaestio XLI. – De rixa	» 137
Quaestio XLII. – De seditione	» 138
Quaestio XLIII. – De scandalo	» 139
Quaestio XLIV. – De praeceptis charitatis	» 146
Quaestio XLV. – De dono sapientiae	» 149
Quaestio XLVI. – De stultitia, quae sapientiae op- posita est	» 152
Quaestio XLVII. – De prudentia secundum se	» 154
Quaestio XLVIII. – De partibus prudentiae	» 161
Quaestio XLIX. – De singulis prudentiae partibus quasi integralibus	» 163
Quaestio L. – De partibus subjectivis prudentiae	» 165
Quaestio LI. – De virtutibus adjunctis prudentiae	» 167
Quaestio LII. – De dono consilii	» 169
Quaestio LIII. – De vitiis prudentiae oppositis, et primo de imprudentia	» 171
Quaestio LIV. – De negligentia	» 174
Quaestio LV. – De vitiis oppositis prudentiae secun- dum similitudinem, et primo de prudentia carnis	» 176
Quaestio LVI. – De praeceptis pertinentibus ad pru- dentiam	» 178
Quaestio LVII. – De jure	» 180
Quaestio LVIII. – De justitia	» 183
Quaestio LIX. – De injustitia	» 188
Quaestio LX. – De iudicio	» 190
Quaestio LXI. – De partibus justitiae	» 193
Quaestio LXII. – De restitutione	» 197
Quaestio LXIII. – De acceptione personarum	» 202
Quaestio LXIV. – De vitiis oppositis commutativae justitiae, et primo de homicidio	» 204
Quaestio LXV. – De mutilatione membrorum	» 208

Quaestio LXXVI. – De peccatis justitiae oppositis quae fiunt in rebus, et primo de furto et rapina	Pag. 210
Quaestio LXXVII. – De vitiis oppositis commutativae justitiae, et primo de injustitia iudicis	» 215
Quaestio LXXVIII. – De pertinentibus ad injustam accusationem	» 218
Quaestio LXXIX. – De peccatis quae sunt contra justitiam ex parte rei	» 220
Quaestio LXX. – De injustitia pertinente ad personam testis	» 223
Quaestio LXXI. – De injustitia quae fit in iudicio ex parte advocatorum	» 226
Quaestio LXXII. – De injuriis verborum, quae inferuntur extra iudicium, et primo de contumelia . . .	» 228
Quaestio LXXIII. – De detractioe	» 231
Quaestio LXXIV. – De susurratioe	» 234
Quaestio LXXV. – De derisione	» 235
Quaestio LXXVI. – De maledictione	» 236
Quaestio LXXVII. – De fraudulentia, quae committitur in emptionibus et venditionibus	» 238
Quaestio LXXVIII. – De peccato usurae, quod committitur in mutuis	» 241
Quaestio LXXIX. – De partibus integralibus justitiae, quae sunt facere bonum et declinare a malo . . .	» 245
Quaestio LXXX. – De partibus potentialibus justitiae	» 247
Quaestio LXXXI. – De religione secundum se	» 248
Quaestio LXXXII. – De devotione	» 252
Quaestio LXXXIII. – De oratione	» 255
Quaestio LXXXIV. – De exterioribus actibus laetiae	» 266
Quaestio LXXXV. – De his quae Deo a fidelibus dantur, et primo de sacrificio	» 267
Quaestio LXXXVI. – De oblationibus et primitiis	» 269
Quaestio LXXXVII. – De decimis	» 271
Quaestio LXXXVIII. – De voto, per quod aliquid Deo promittitur	» 273
Quaestio LXXXIX. – De juramento	» 280
Quaestio XC. – De assumptione divini nominis per modum adjurationis	» 286
Quaestio XCI. – De assumptione divini nominis ad invocandum per orationem vel laudem	» 288
Quaestio XCII. – De vitiis religioni oppositis, et primo de superstitione	» 289
Quaestio XCIII. – De speciebus superstitionis, et primo de superstitione indebiti cultus veri Dei . . .	» 290
Quaestio XCIV. – De idololatria	» 291
Quaestio XCV. – De superstitione divinativa	» 293

Quaestio XCVI. – De superstitione observantiarum	Pag. 297
Quaestio XCVII. – De tentatione Dei	» 299
Quaestio XCVIII. – De perjurio	» 301
Quaestio XCIX. – De sacrilegio	» 303
Quaestio C. – De simonia	» 304
Quaestio CI. – De pietate	» 308
Quaestio CII. – De observantia secundum se et par- tibus ejus	» 310
Quaestio CIII. – De dulia	» 311
Quaestio CIV. – De obedientia	» 313
Quaestio CV. – De inobedientia	» 316
Quaestio CVI. – De gratia sive gratitudine	» 317
Quaestio CVII. – De ingratitude	» 320
Quaestio CVIII. – De vindicatione	» 321
Quaestio CIX. – De veritate	» 324
Quaestio CX. – De vitiis oppositis veritati, et pri- mo de mendacio	» 326
Quaestio CXI. – De simulatione et hypocrisi	» 328
Quaestio CXII. – De jactantia	» 330
Quaestio CXIII. – De ironia	» 331
Quaestio CXIV. – De amicitia, quae affabilitas dicitur	» 332
Quaestio CXV. – De adulatione	» 333
Quaestio CXVI. – De litigio	» 334
Quaestio CXVII. – De liberalitate	» 335
Quaestio CXVIII. – De vitiis liberalitati oppositis, et primo de avaritia	» 337
Quaestio CXIX. – De prodigalitate	» 341
Quaestio CXX. – De epicheia, seu aequitate	» 342
Quaestio CXXI. – De pietate	» 343
Quaestio CXXII. – De praeceptis justitiae	» 344
Quaestio CXXIII. – De fortitudine	» 348
Quaestio CXXIV. – De martyrio	» 354
Quaestio CXXV. – De timore	» 356
Quaestio CXXVI. – De intimiditate	» 357
Quaestio CXXVII. – De audacia	» 358
Quaestio CXXVIII. – De partibus fortitudinis	» 359
Quaestio CXXIX. – De magnanimitate	» 360
Quaestio CXXX. – De praesumptione	» 364
Quaestio CXXXI. – De ambitione	» 365
Quaestio CXXXII. – De inani gloria	» 366
Quaestio CXXXIII. – De pusillanimitate	» 368
Quaestio CXXXIV. – De magnificentia	» 370
Quaestio CXXXV. – De parvifcentia	» 372
Quaestio CXXXVI. – De patientia	» 373
Quaestio CXXXVII. – De perseverantia	» 376
Quaestio CXXXVIII. – De vitiis oppositis perseve- rantiae	» 378

Quaestio CXXXIX. – De dono fortitudinis	Pag. 379
Quaestio CXL. – De praeceptis fortitudinis	» 380

DE TEMPERANTIA

Quaestio CXLI. – De ipsa temperantia	» 382
Quaestio CXLII. – De vitis quae adversantur temperantiae	» 386
Quaestio CXLIII. – De partibus temperantiae (in generali)	» 389
Quaestio CXLIV. – De partibus temperantiae in speciali, et primo de verecundia	» 391
Quaestio CXLV. – De honestate	» 393
Quaestio CXLVI. – De abstinentia	» 395
Quaestio CXLVII. – De jefunjo	» 396
Quaestio CXLVIII. – De gula	» 400
Quaestio CXLIX. – De sobrietate	» 403
Quaestio CL. – De ebrietate	» 405
Quaestio CLI. – De castitate	» 407
Quaestio CLII. – De virginitate	» 409
Quaestio CLIII. – De vitio luxuriae	» 412
Quaestio CLIV. – De luxuriae partibus	» 415
Quaestio CLV. – De partibus potentialibus temperantiae, et primo de continentia	» 423
Quaestio CLVI. – De incontinentia	» 425
Quaestio CLVII. – De clementia et mansuetudine	» 429
Quaestio CLVIII. – De iracundia	» 431
Quaestio CLIX. – De crudelitate	» 436
Quaestio CLX. – De modestia	» 437
Quaestio CLXI. – De speciebus modestiae, et primo de humilitate	» 438
Quaestio CLXII. – De superbia	» 444
Quaestio CLXIII. – De peccato primi hominis	» 450
Quaestio CLXIV. – De poenis peccati primi hominis	» 454
Quaestio CLXV. – De tentatione primorum parentum	» 456
Quaestio CLXVI. – De studiositate	» 458
Quaestio CLXVII. – De curiositate	» 459
Quaestio CLXVIII. – De modestia, secundum quod consistit in exterioribus corporibus motibus	» 461
Quaestio CLXIX. – De modestia in exteriori apparatu	» 463
Quaestio CLXX. – De praeceptis temperantiae	» 466

DE HIS QUAE PERTINENT AD DETERMINATOS STATUS
ET PRIMO DE PROPHETIA

Quaestio CLXXI. – De essentia prophetiae	» 468
Quaestio CLXXII. – De causa prophetiae	» 472

Quaestio CLXXIII. -- De modo propheticae cognitionis	Pag. 476
Quaestio CLXXIV. De divisione prophetiae	" 478
Quaestio CLXXV. -- De raptu	" 482
Quaestio CLXXVI. -- De gratiis gratis datis quae pertinent ad locutionem; et primo de gratia linguarum	486
Quaestio CLXXVII. - De gratia data, quae consistit in sermone	488
Quaestio CLXXVIII. -- De gratia miraculorum	489
Quaestio CLXXIX. -- De divisione vitae in activam et contemplativam	491
Quaestio CLXXX. De vita contemplativa	492
Quaestio CLXXXI. -- De vita activa	498
Quaestio CLXXXII. -- De comparatione vitae activae ad contemplativam	500
Quaestio CLXXXIII. -- De officiis et variis statibus hominum in generali	504
Quaestio CLXXXIV. -- De his quae pertinent ad statum perfectionis in communi	" 506
Quaestio CLXXXV. -- De his quae pertinent ad statum episcoporum	512
Quaestio CLXXXVI. -- De his in quibus religionis status praecipue consistit	519
Quaestio CLXXXVII. -- De his quae competunt religionis	526
Quaestio CLXXXVIII. -- De differentia religionum	" 529
Quaestio CLXXXIX. -- De religionis ingressu	" 535

P. Fr. GERARDUS M. PARIS, O. P.

S. Theologiae Magister

SYNOPSIS
TOTIUS SUMMAE THEOLOGICAE
S. THOMAE

SEU

DIVISIO QUAESTIONUM

TOTIUS SUMMAE THEOLOGICAE ANGELICI DOCTORIS

CUM

RESPONSIONIBUS RATIONIBUSQUE FUNDAMENTALIBUS
AD UNIVERSOS ET SINGULOS ARTICULOS

PARS TERTIA

NEAPOLI (ITALIA)

M. D'AURIA - S. SEDIS APOSTOLICAE TYPOGRAPHUS

1950

Nos infrascripti attente perlegimus opus P. Fr. Bacc. GERARDI MARIE PARIS O. P., cui titulus « *Synopsis totius Summæ Theologicæ S. Thomæ seu Divisio Quaestionum totius Summæ Theologicæ Angelici Doctoris cum Responsionibus Fundamentalibus ad universos singulosque Articulos* », in quo Tertia Pars et Supplementum continentur; et dignum judicamus hoc opus ut typis mandetur utpote utilissimum ad majorem D. Thomæ doctrinæ divulgationem.

Datum Melitæ, die 1 Novembris 1947.

FR. THOMAS M. ZAMMIT, O. P., S. Th. Mag.
FR. VINCENTIUS JOS. BONELLO, O. P., S. Th. Lect

Et Nos imprimi permittimus. Die 29 Decembris 1947.

FR. J. M. GAUCI, O. P.
Provincialis.

Neapoli, ex Curia Archiepiscopalis
die 11 Martii 1950

Nihil obstat
ALOYSIUS RINALDI, Can. Theol.
Censor delegatus

Imprimatur
✠ JOSEPH M. DE NICOLA
Ep. Tit. Pergamen, Vic. Gen.

JUS PROPRIETATIS VINDICABITUR

Copyright 1950 by M. d'Auria Editore Pontefico Napoli.
Printed in Italy

RATIONES FUNDAMENTALES ARTICULORUM SUMMAE THEOLOGICAE SANCTI THOMAE AQUINATIS

PARS TERTIA

(Totalitas Quaestionum, 192. — Totalitas Articulorum, 1001)

PROLOGUS

Quia Salvator noster Dominus JESUS CHRISTUS, teste angelo (Mt. i, 20), populum salvum faciens a peccatis eorum, viam veritatis nobis in seipso demonstravit, per quam ad beatitudinem immortalis vitae resurgendo pervenire possimus; necesse est ad consummationem totius theologici negotii, post considerationem ultimi finis humanae vitae et virtutum ac vitiorum, de ipso omnium Salvatore ac beneficiis ejus humano generi praestitis nostra consideratio subsequatur. Circa quam *primo* considerandum occurrit de ipso Salvatore; *secundo*, de sacramentis ejus, quibus salutem consequimur; *tertio*, de fine immortalis vitae ad quam per ipsum resurgendo pervenimus. Circa primum duplex consideratio occurrit; prima est de ipso incarnationis mysterio, secundum quod Deus pro nostra salute factus est homo; secunda de his quae per ipsum Salvatorem nostrum, id est Deum incarnatum, sunt acta et passa:

QUAESTIO I

De convenientia incarnationis

Circa primum tria considerata occurrunt: primo quidem de convenientia incarnationis Christi; secundo, de modo unionis verbi incarnati; tertio, de his quae consequuntur ad hanc unionem. Circa primum quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum conveniens fuerit Deum incarnari.*

RESP.* AFF. – R. EST: quia natura Dei est essentia bonitatis. Quidquid ergo pertinet ad actionem boni, conveniens est Deo. Ad rationem autem boni pertinet ut se aliis communicet, ut patet per Dionysium (De Div. Nom., cap. 4). Unde ad rationem summi boni pertinet quod summo modo se creaturae communicet: quod quidem maxime fit per hoc quod « naturam creatam sic sibi conjungit, ut una persona fiat ex tribus, Verbo, anima et carne », sicut dicit Augustinus (De Trin. lib. xiii, cap. 17). Unde manifestum est quod conveniens fuit Deum incarnari. – incarnatio autem non fuit conveniens ex parte naturae humanae, quia hoc erat supra dignitatem ipsius; sed ex parte Dei secundum infinitam excellentiam bonitatis ejus, ut sibi eam uniret pro salute humana. (Ad 2m).

NOTANDUM: Incarnationis mysterium non est impletum per hoc quod Deus sit aliquo modo a suo statu immutatus, in quo ab aeterno fuit; sed per hoc quod novo modo se creaturae univit, vel potius eam sibi. (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum necessarium fuerit ad reparationem generis humani Verbum Dei incarnari.*

RESP. AFF. – Scil. : a) non necessitate absoluta, sicut necesse est sumere cibum ad conservationem humanae vitae; b) sed necessitate convenientiae, per quod melius et convenientius pervenitur ad finem; sicut equus necessarius est ad iter.

R. PRIMI EST: quia Deus per suam omnipo-

(*) Significationes abbreviationum:

Resp. = respondetur; Aff. = affirmative; Neg. = negative; Scil. = scilicet; R. = ratio; RR. = rationes.

N. B. – Vide nostram *Divisionem schematicam totius Summae*, Romae-Taurini. An. 1931.

tentem virtutem poterat humanam naturam multis aliis modis reparare.

R. SECUNDI EST: quia per hoc promovetur homo in bonum et removetur a malo. Promovetur in bonum quidem, quantum ad fidem, spem et charitatem. Ad fidem autem, quia per incarnationem Verbi fides magis certificatur ex hoc quod homo ipsi Deo loquenti credit. Quantum ad spem, quia per hoc spes maxime erigitur, ut Aug. dicit (De Trin. l. xiii): « Nihil tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, quam ut demonstraretur nobis quantum diligeret nos Deus ». Quantum autem ad charitatem, quia haec maxime per hoc excitatur; unde dicit ipse Augustinus (De catechiz. rudibus, c. 4): « Quae major est causa adventus Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis? » et postea subdit: « Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat ». — Insuper et quantum ad rectam operationem, quia Deus incarnatus exemplum nobis se prae-buit; et quantum ad plenam participationem Divinitatis, quae vera est hominis beatitudo et finis humanae vitae, quia hoc collatum est nobis per Christi humanitatem; dicit enim Augustinus (In Serm. de nativ. Domini): « Factus est Deus homo, ut homo fieret Deus ». — Et removetur a malo: Primo, quidem, quia per hoc homo instruitur ne sibi diabolum praeferat, et eum veneretur, qui est auctor peccati. Secundo, quia per hoc instruimur quanta sit dignitas humanae naturae, ne eam inquinemus peccando. Unde Leo papa dicit (In sermone de nativ.): « Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam; et divinae consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire ». Tertio, quia « ad praesumptionem hominis tollendam gratia Dei, in nobis nullis meritis praecedentibus, in homine Christo

commendatur », ut dicit Augustinus (De Trin. l. xiii, c. 17). Quarto, quia « superbia hominis quae maxime impedimento est ne inhaereatur Deo, per tantam Dei humilitatem redargui potest atque sanari », ut dicit Augustinus (L. c.). Quinto, ad liberandum hominem a servitute peccati; quod quidem, ut Augustinus dicit (De Trin. l. xiii, c. 13): « fieri debuit sic ut diabolus justitia hominis Jesu Christi superaretur ». – Sunt autem et aliae plurimae utilitates quae consecutae sunt supra apprehensionem sensus humani.

NOTANDA: 1. Neque purus homo neque multi homines simul poterant *perfecte* satisfacere pro peccato: tum quia tota natura erat per peccatum corrupta; tum etiam quia peccatum contra Deum commissum quamdam infinitatem habet ex infinitate divinae majestatis. Unde oportuit ad condignam satisfactionem ut actus satisficientis haberet efficaciam infinitam, utpote Dei et hominis existens. *Imperfecte* tamen homo purus satisfacere potest scil. secundum acceptationem ejus qui est ea contentus, quamvis non sit condigna. Et quia omne imperfectum praesupponit aliquid perfectum, a quo sustentetur, inde est quod omnis puri hominis satisfactio efficaciam habet a satisfactione Christi. (Ad 2m).

2. Deus assumendo carnem, suam majestatem non minuit; et per consequens non minuitur ratio reverentiae ad ipsum, sed augetur per augmentum cognitionis ipsius. Ex hoc autem quod nobis appropinquare voluit per carnis assumptionem, magis nos ad se cognoscendum attraxit. (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.*

RESP. NEG. – *Scil. :* convenientius dicitur quod si homo non peccasset, Deus incarnatus non fuisset.

R. EST: quia ea quae ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturae, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in sacra Scriptura traduntur, per quam divina volun-

tas nobis innotescit. Unde cum in sacra Scriptura ubique incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, convenientius dicitur incarnationis opus ordinatum esse a Deo in remedium contra peccatum; ita quod, peccato non existente, incarnatio non fuisset.

Art. IV. - *Utrum principalius Christi incarnatio facta fuerit ad tollendum peccatum originale quam actuale.*

RESP. AFF. - *Scil.* : Christus principalius venit ad tollendum originale, quam actuale peccatum.

R. EST: quia tanto principalius ad alicujus peccati deletionem Christus venit, quanto illud peccatum majus est. Peccatum autem originale majus est *extensive* peccatum, per quod totum genus humanum inficitur, quam quodlibet peccatum actuale, quod est proprium singularis personae, quamquam *intensive*, i. e., de ratione voluntarii, possit esse majus quam originale. - Tamen illud peccatum naturae ita perfecte curatum est in unoquoque, ac si in uno solo esset curatum. Et ideo propter unionem charitatis totum quod omnibus est impensum, unusquisque debet sibi adscribere. (Ad 3m).

NOTANDUM: Poenalitates, quae sensibiliter in hac vita patimur, sicut famem, sitim, mortem et alia hujusmodi, ex peccato originali procedunt. Et ideo Christus, ut plene pro peccato originali satisfaceret, sensibilem dolorem pati voluit, ut mortem et alia hujusmodi in seipso consumeret. (Ad 1m).

Art. V. - *Utrum conveniens fuerit Deum incarnari ab initio mundi.*

RESP. NEG. - **R. EST:** quia ante peccatum non fuit conveniens Deum incarnatum fuisse: non enim datur medicina nisi jam infirmis. Unde ipse Dominus dicit (Mt. ix, 12): *Non est opus valen-*

tibus medico, sed male habentibus; non enim veni vocare justos, sed peccatores. Sed nec etiam statim post peccatum conveniens fuit Deum incarnari. Primo, ut homo humiliatus cognosceret se liberatore indigere. Secundo, propter ordinem promotionis in bonum, secundum quem ab imperfecto ad perfectum proceditur. Tertio, propter dignitatem Verbi incarnati: quia super illud Galat. iv: *At ubi venit plenitudo temporis,* dicit Glossa (S. Aug., tract. 31 in Joa. 1.): Quanto major iudex veniebat, tanto praeconum series longior praecedere debebat. Quarto, ne fervor fidei temporis prolixitate tepesceret, quia circa finem mundi frigescet charitas multorum (Lc. xviii, 8).

Art. VI. – *Utrum incarnatio differri debuerit usque ad finem mundi.*

RESP. NEG. – PRIMA R. sumitur ex unione divinae et humanae naturae: quia in eo quod de imperfecto fit perfectum, imperfectum tempore praecedit perfectum; in eo vero quod est causa perfectionis efficiens, perfectum tempore praecedit imperfectum. In opere autem incarnationis utrumque concurrit, quia natura humana in ipsa incarnatione est perducta ad summam perfectionem; et ideo non decuit quod a principio humani generis incarnatio facta fuisset. Sed ipsum Verbum incarnatum est perfectionis humanae naturae causa efficiens, secundum illud Jn. i, 16: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus;* et ideo non debuit incarnationis opus in finem mundi differri; sed perfectio gloriae, ad quam perducenda est ultimo natura humana per Verbum incarnatum, erit in fine mundi.

SECUNDA R. sumitur ex effectu humanae salutis: quia, cum jam gentes legem Moysis spreverant, si hoc remedium incarnationis differretur

usque in finem mundi, totaliter Dei notitia et reverentia, et morum honestas abolita fuisse in terris.

TERTIA R. sumitur ex convenientia ad manifestationem divinae virtutis: quia sic virtus divina homines pluribus modis salvavit: scil. non solum per fidem futuri, sed etiam per fidem praesentis et praeteriti.

QUAESTIO II

De modo unionis Verbi incarnati

Deinde considerandum est de modo unionis Verbi incarnati: et primo, quantum ad ipsam unionem; secundo, quantum ad personam assumptam; tertio, quantum ad naturam assumptam. Circa primum quaeruntur duodecim:

Art. 1. - *Utrum unio Verbi incarnati sit facta in natura.**

RESP. NEG. - *Scil. :* loquendo nunc de natura, secundum quod natura significat essentiam, vel quod quid est, sive quidditatem speciei, impossibile est unionem Verbi incarnati esse factam in natura.

(*) Nomen naturae a nascendo est dictum vel sumptum; unde primo est impositum hoc nomen ad significandum generationem viventium: deinde translatum est ad significandum principium hujus generationis: deinde ulterius ad significandum quodlibet principium intrinsecum motus: ita Philosophus (Phys. I. II, text. 3): « natura est principium motus in eo in quo est per se, et non secundum accidens ». Deinde significat essentiam speciei quam significat definitio. Ita Boetius (Lib. de Duab. nat.). « Natura est unamquamque rem informans specifica differentia ». Et sic nunc loquimur de natura.

R. EST: quia tripliciter aliquid unum ex duobus vel pluribus constituitur: uno modo ex duobus integris perfectis remanentibus; et sic impossibile est incarnationem fuisse: quia sequeretur quod unio incarnationis non esset per se, sed per accidens; nec forma talium esset natura, sed magis ars, sicut forma domus. – Alio modo fit aliquid unum ex perfectis, sed transmutatis, sicut ex elementis fit mixtum. Sed hoc dici nequit de unione Verbi incarnati: primo quidem, quia natura divina est omnino immutabilis (P. I., qu. ix, art. 1 et 2). Secundo, quia id quod est ita commixtum, nulli miscibilium est idem specie; et sic Christus non esset ejusdem naturae cum Patre, nec cum matre. Tertio, quia ex his quae plurimum distant, non potest fieri commixtio; solvitur enim species unius eorum; puta si quis guttam aquae amphorae vini apponat. Et secundum hoc, cum natura divina in infinitum excedat humanam naturam, non potest esse mixtio, sed remanebit sola natura divina. – Tertio modo fit aliquid ex aliquibus non permixtis vel permutatis, sed imperfectis; sicut ex anima et corpore fit homo; et similiter ex diversis membris unum corpus constituitur. Sed hoc dici non potest de incarnationis mysterio. Primo quidem, quia utraque natura est secundum rationem suam perfecta, divina scilicet et humana. Secundo, quia natura divina et humana non possunt constituere aliquid per modum partium quantitativarum, sicut membra constituunt corpus; quia natura divina est incorporea; neque per modum formae et materiae, quia natura divina non potest esse forma alicujus, praesertim corporis; sequeretur enim quod species resultans esset communicabilis pluribus, et ita essent plures Christi. Tertio, quia Christus non esset humanae naturae, neque divinae naturae. Differentia enim addita variat speciem, sicut unitas numerum.

Art. II. - *Utrum unio Verbi incarnati sit facta in persona.**

RESP. AFF. - R. EST: quia si humana natura Verbo Dei non unitur in persona, nullo modo ei unitur: et sic totaliter tollitur incarnationis fides, quod est subruere totam fidem christianam. Quia ergo Verbum habet naturam humanam sibi unitam, non autem ad suam naturam divinam pertinentem, consequens est quod unio sit facta in Verbi persona, non autem in natura: omne enim quod inest alicui personae, sive pertineat ad naturam ejus sive non, unitur ei in persona.

NOTANDUM: Licet haec humana natura Christi sit quoddam individuum in genere substantiae, quia tamen non per se separatim existit, sed in quodam perfectiori, scilicet in persona Dei Verbi, consequens est quod non habeat personalitatem propriam. Et ideo facta est unio in persona. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum unio Verbi incarnati facta sit in supposito, vel hypostasi.*

RESP. AFF. - *Scil.* : haeresis est olim ab Ecclesia damnata, dicere, quod in Christo sunt duae hypostases, vel duo supposita, sive quod unio non sit facta in hypostasi vel supposito.

(*) *Natura*, ut dictum est (art. praec.), significat hic essentiam speciei, quam significat definitio. *Suppositum* est individuum subsistens in natura illa. In illis rebus in quibus aliquid inveniri potest quod non pertinet ad rationem speciei, scil. accidentia et principia individuantia, natura et suppositum differunt secundum rem, sicut maxime apparet in his quae sunt ex materia et forma composita; unde in his natura non praedicatur de supposito: non enim dicimus quod hic homo sit sua humanitas. Si qua vero res est in qua omnino nihil aliud est praeter rationem speciei vel naturae suae, in ea nihil est aliud secundum rem suppositum et naturam, sed solum secundum rationem intelligendi, sicut in Deo. Quod autem est dictum de supposito, intelligendum est de *persona* in creatura rationali vel intellectuali; quia nihil aliud est persona quam « rationalis naturae individua substantia ».

R. EST: quia persona nihil addit super hypostasim nisi determinatam naturam, scil. rationalem, secundum quod Boetius dicit (Lib. De Duab. Natur.): « persona est rationalis naturae individua substantia »: et ideo idem est attribuere propriam hypostasim humanae naturae in Christo et propriam personam. – Item, si detur quod persona aliquid addat super hypostasim, hoc nihil aliud est quam proprietas ad dignitatem perti- nens. Si ergo facta sit unio in persona, et non in hypostasi, consequens erit quod non facta sit unio nisi secundum dignitatem quamdam. Et hoc est, approbante synodo Ephesina (Gener. iii, p. 3, can. 3), damnatum a Cyrillo. – Item, quia si alia sit hypostasis in Christo praeter hyposta- sim Verbi, sequeretur quod de aliquo alio quam de Verbo verificentur ea quae sunt hominis, puta esse natum de Virgine, passum, crucifixum et sepultum. Et hoc est etiam damnatum appro- bante concilio Ephesino (L. c., can. 4). Nam, tan- tum hypostasis est cui attribuuntur operationes et proprietates naturae, et ea etiam quae ad natu- rae rationem pertinent in concreto; dicimus enim quod *hic* homo ratiocinatur, et est risibilis, et est animal rationale.

NOTANDUM: In rebus creatis non contingit quod idem numero subsistere possit diversis essentiis vel naturis; sed unus et idem Christus subsistit in duabus naturis. Unde sicut quod dicitur alterum et alterum in creaturis, non significat diver- sitatem suppositi, sed solum diversitatem forma- rum accidentalium; ita quod dicitur Christus aliud et aliud, non importat diversitatem suppositi vel hypostasis, sed diversitatem naturarum. (Ad 1m). Et quamvis humana natura in Christo sit substan- tia particularis, quia tamen venit in unionem cu- jusdam completi, scil. totius Christi, prout est Deus et homo, non potest dici hypostasis vel sup- positum; sed illud completum, ad quod concurrat; dicitur esse hypostasis vel suppositum. (Ad 2m):

Art. IV. - *Utrum persona vel hypostasis Christi post incarnationem sit composita.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) considerata persona vel hypostasis non secundum illud quod est in se; sed b) secundum rationem personae vel hypostasis, ad quam pertinet subsistere in aliqua natura.

R. PRIMI EST: quia persona vel hypostasis Christi, considerata secundum illud quod est in se, est omnino simplex, sicut et natura Verbi.

R. SECUNDI EST: quia persona Christi subsistit in duabus naturis. Unde licet sit ibi unum subsistens, est tamen ibi alia et alia ratio subsistendi: et sic dicitur persona composita, inquantum unum duobus subsistit.

Art. V. - *Utrum sit facta aliqua unio animae et corporis in Christo.*

RESP. AFF. - R. EST: quia Christus dicitur homo univoce cum aliis hominibus, utpote ejusdem speciei existens, secundum illud Apostoli (Phil. ii, 7): *In similitudinem hominum factus.* Pertinet autem ad rationem speciei humanae quod anima corpori uniatur. Unde necesse est dicere quod in Christo fuerit anima corpori unita: et contrarium est haereticum, utpote derogans veritati humanitatis Christi. - In Christo autem anima et corpus uniuntur ad invicem, ut adjuncta alteri principaliori, quod subsistit in natura ex eis composita. Et propter hoc ex unione animae et corporis in Christo non constituitur nova hypostasis seu persona; sed advenit ipsum conjunctum personae seu hypostasi praexistenti. Nec propter hoc sequitur quod sit minoris efficaciae unio animae et corporis in Christo, quam in nobis; quia ipsa conjunctio ad nobilius non adimit virtutem aut dignitatem, sed auget. (Ad 1m).

NOTANDUM: Ad quaestionem quomodo corpus Christi Verbo Dei vivificatur, dicendum est quod duplex est principium vitae corporalis: unum quidem *effectivum*, et hoc modo Verbum Dei est principium omnis vitae; alio modo est aliquid principium vitae *formaliter*, cum enim « vivere viventibus sit esse », ut dicit Philosophus (De anima, l. ii, text. 37), sicut unumquodque formaliter est per formam suam, ita corpus vivit per animam: et hoc modo non ponitur corpus vivere per Verbum; quod non potest esse corporis forma. (Ad 3m).

Art. VI. *Utrum natura humana fuerit unita Verbo Dei accidentaliter.*

RESP. NEG. - *Scil.:* neque secundum essentiam vel naturam, neque etiam secundum accidens, sed medio quodam modo secundum subsistentiam seu hypostasim, naturam humanam Verbo Dei unitam fuisse, Ecclesia catholica docet.

R. EST: quia in quinta Synodo (i. e., Constantinopolitana II, gener. 5, collat. 8, can. 5) sic dicitur: « Cum multis modis unitas intelligatur, qui impietatem Apollinarii et Eutychetis sequuntur, interemptionem eorum quae convenerunt colentes, id est, interimentes utramque naturam, unionem secundum confusionem dicunt; Theodori autem et Nestorii sequaces, divisione gaudentes, affectualem unitatem introducunt (inquantum scil. voluntas illius hominis Christi est semper conformis voluntati Verbi Dei). Sancta vero Dei Ecclesia utriusque perfidiae impietatem rejiciens, unionem Verbi Dei ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam ».

NOTANDUM: Verbum Dei, ab aeterno, esse completum habuit, secundum hypostasim, sive personam; ex tempore autem advenit ei natura humana, non quasi assumpta ad unum esse, prout est naturae; sicut corpus assumitur ad esse animae; sed ad unum esse, prout est hypostasis vel personae. Et ideo humana natura non unitur accidentaliter Filio Dei. (Ad 2m).

Art. VII. – *Utrum unio naturae divinae et humanae sit aliquid creatum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : haec unio de qua loquimur, non est in Deo realiter, sed secundum rationem tantum; in humana autem natura, quae creatura quaedam est, realiter est. Et ideo oportet dicere quod sit quiddam creatum.

R. EST: quia unio de qua loquimur, est relatio quaedam, quae consideratur inter divinam naturam et humanam, secundum quod conveniunt in una persona Filii Dei. Quae quidem relatio in creatura innascitur per mutationem ejus, et est realis; in Deo vero non innascitur secundum mutationem Dei, et ideo non est realis, sed secundum rationem tantum. – Dicitur ergo Deus unitus creaturae ex hoc quod creatura est realiter unita Deo absque ejus mutatione. (Ad 1m).

Art. VIII. – *Utrum unio Verbi incarnati sit idem quod assumptio.*

RESP. NEG. – PRIMA R. EST: quia unio, de qua loquimur, importat relationem, ut dictum est in articulo praec.; assumptio autem importat actionem, secundum quod dicitur aliquis assumens; vel passionem, secundum quam dicitur aliquid assumptum.

SECUNDA R. EST: quia assumptio dicitur sicut in fieri, unio autem in facto esse: et ideo uniens dicitur unitum, assumens autem non dicitur esse assumptum. Natura autem humana significatur ut in termino assumptionis ad hypostasim divinam.

TERTIA R. EST: quia relatio, praecipue aequi-parentiae, non magis se habet ad unum extremum quam ad aliud; actio autem et passio diversimode se habent ad agens et patiens, et ad diversos terminos. Et ideo assumptio determinat

terminum *a quo* et *ad quem*. Unio autem nihil horum determinat: unde indifferenter dicitur quod humana natura est unita divinae, et e converso. Non autem dicitur divina natura assumpta ab humana.

NOTANDUM: Uniens et assumens non omnino sunt idem. Nam omnis persona assumens est uniens, non autem e converso. Nam persona Patris univit naturam humanam Filio, non autem sibi; et ideo dicitur uniens, non assumens, quasi ad se sumens; persona autem Filii, quae sibi humanam naturam univit, est uniens et assumens. Et similiter non est idem unitum et assumptum: nam divina natura dicitur unita et non assumpta. (Ad 2m).

Art. IX. – *Utrum unio duarum naturarum in Christo sit maxima unio.*

RESP. AFF. – *Scil.* : ex parte ejus in quo duae naturae junguntur; non autem ex parte eorum (i. e. naturarum) quae junguntur.

R. EST: quia duae naturae junguntur in persona divina, cujus unitas est maxima; extrema autem quae junguntur (scil. natura divina et natura humana) infinite distant, siquidem unum est infinitum, alterum finitum.

NOTANDA: 1. Unitas divinae personae est major quam unitas numeralis, quae scilicet est principium numeri. Nam unitas divinae personae est unitas increata per se subsistens, non recepta in aliquo per participationem: est etiam in se completa, habens in se quicquid pertinet ad rationem unitatis; et ideo non competit ei ratio partis, sicut unitati numerali, quae est pars numeri, et quae participatur in rebus numeratis. Et ideo quantum ad hoc unio incarnationis praeminet unitati numerali, ratione scilicet unitatis divinae personae. (Ad 1m).

2. Humana natura non est magis in Filio Dei quam Filius Dei in Patre, sed multo minus. Sed ipse *homo* quantum ad aliquid est in Filio magis quam Filius in Patre; inquantum scilicet *idem*

supponitur in hoc quod dico *homo*, prout sumitur pro Christo, et in hoc quod dico *Filius Dei*; non autem est idem suppositum Patris et Filii. (Ad 3m).

Art. X. - *Utrum unio duarum naturarum in Christo sit facta per gratiam.*

RESP. AFF. - *Scil.*: in quantum gratia accipitur ipsa Dei voluntas gratis aliquid faciens, vel gratum seu acceptum aliquem habens; non autem prout gratia accipitur illa habitualis qua mediante fit unio sanctorum ad Deum per cognitionem et amorem.

R. EST: quia humana natura indiget gratuita Dei voluntate ad hoc quod eleuetur in Deum, cum hoc sit supra facultatem suae naturae. Eleuetur autem humana natura in Deum dupliciter: uno modo per operationem, qua scilicet sancti cognoscunt et amant Deum: alio modo per esse personale: qui quidem modo est singularis Christo, in quo humana natura assumpta est ad hoc quod sit in persona Filii Dei. Manifestum est autem quod ad perfectionem operationis requiritur quod potentia sit perfecta per habitum; sed quod natura habeat esse in supposito suo, non fit mediante aliquo habitu.

Art. XI. - *Utrum unionem Verbi incarnati aliqua merita praecesserint.*

RESP. NEG. - *Scil.*: a) neque ipse Christus meruit talem unionem; b) neque alii homines eam meruerunt de condigno; c) sed sancti Patres eam meruerunt ex congruo, incarnationem desiderando et petendo.

R. PRIMI EST: quia omnis operatio Christi subsecuta est unionem; nam, ille homo Christus vere fuit Filius Dei a principio suae conceptionis, utpote non habens aliam hypostasim quam Filii Dei, secundum illud Luc. i, 35: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.*

R. SECUNDI EST: quia opera meritoria hominis propriè ordinantur ad beatitudinem. Unio autem incarnationis, cum sit in esse personali, transcendit unionem beatae mentis ad Deum; et ideo non potest cadere sub merito. Item, quia gratia non potest cadere sub merito, cum sit principium meriti. Unde multo minus incarnatio cadit sub merito, quae est principium gratiae, secundum illud Jn. i, 17: *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Item, quia incarnatio Christi est reformativa totius humanae naturae, et ideo non cadit sub merito alicujus hominis singularis (seu naturam humanam solummodo habentis).

R. TERTII EST: quia congruum erat ut Deus sanctos Patres exaudiret, qui ei obediebant.

NOTANDUM: Beata Virgo dicitur meruisse portare Dominum omnium, non quia meruit ipsum incarnari, sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis et sanctitatis gradum, ut congrue posset esse mater Dei. (Ad 3m).

Art. XII. - *Utrum gratia unionis fuerit homini Christo naturalis.*

RESP. AFF. - *Scil.:* gratia Christi sive unionis sive habitualis, non potest dici naturalis, quasi causata ex principiis humanae naturae in Christo; sed potest dici naturalis, quasi proveniens in naturam humanam Christi, causante divina natura ipsius.

R. EST: quia utraque gratia in Christo dicitur naturalis in quantum eam a nativitate (i. e., secundum quod natura a nativitate dicitur) habuit; quia ab initio conceptionis fuit natura humana divinae personae unita, et anima ejus fuit munere gratiae repleta, prout sic conceptus est ex Spiritu sancto, ut esset idem naturalis filius Dei et hominis. - Secundum vero divinam naturam gratia est Christo naturalis in quantum divina natura est principium activum hujus gratiae. (Ad 3m).

QUAESTIO III

De modo unionis ex parte personae assumentis

Deinde considerandum est de unione ex parte personae assumentis; et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum personae divinae conveniat assumere naturam creatam.*

RESP. AFF. - *Scil.* : propriissime competit personae assumere naturam.

R. EST: quia *assumere*, quod est quasi ad se sumere, importat principium actus et terminum. Haec autem proprie competunt personae. Principium actus quidem, quia personae proprie competit agere: hujusmodi autem sumptio carnis per actionem divinam facta est. Terminus autem, quia sicut supra dictum est (quaes. praec., art. 1 et 2), unio facta est in persona, non in natura.

Art. II. - *Utrum divinae naturae conveniat assumere.*

RESP. AFF. - *Scil.* : a) naturae divinae competit esse *principium* assumptionis secundum seipsam; b) non autem convenit ei esse *terminum* assumptionis secundum seipsam, sed ratione personae, in qua consideratur.

R. PRIMI EST: quia assumptio facta est virtute ipsius naturae divinae.

R. SECUNDI patet ex dictis in art. praec. - Unde primo et propriissime persona dicitur assumere; secundario autem potest dici quod etiam natura assumpsit naturam ad sui personam.

NOTANDUM: Natura divina non differt supposito a persona Verbi. Et ideo inquantum natura divina sumit naturam humanam ad personam Verbi,

dicitur eam ad se sumere. Sed quamvis Pater sumat naturam humanam ad personam Verbi, non tamen propter hoc sumit eam ad se; quia non est idem suppositum Patris et Verbi; et ideo non potest dici proprie quod Pater assumat naturam humanam. (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum, abstracta personalitate per intellectum, natura possit assumere.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) non in quantum intellectus cognoscat Deum sicut est; sed b) in quantum cognoscit per modum suum, scil. multipliciter et divisim, id quod in Deo est unum.

R. PRIMI EST: quia sic impossibile est quod circumscribatur per intellectum aliquid a Deo, ita quod aliud remaneat; nam, totum, quod est in Deo, est unum, salva distinctione personarum, quarum tamen una tollitur, sublata alia; quia distinguuntur solum relationibus, quas oportet esse simul.

R. SECUNDI EST: quia per hunc modum potest intellectus noster intelligere bonitatem et sapientiam divinam, et alia hujusmodi, quae dicuntur essentialia attributa, non intellecta paternitate vel filiatione, quae dicuntur personalitates. Et secundum hoc, abstracta personalitate per intellectum, possumus adhuc intelligere naturam assumentem.

Art. IV. – *Utrum una persona possit sine alia naturam creatam assumere.*

RESP. AFF. – *Scil.:* una persona potest naturam creatam assumere, alia non assumente, non quidem ratione principii assumentis, sed ratione termini.

R. EST: quia actus assumentis procedit ex divina virtute, quae est communis tribus personis; et ideo, secundum hoc, id quod est actionis in assumptione, commune est tribus personis; sed

terminus assumptionis est persona, sicut dictum est (art. praec.); et ideo id quod pertinet ad rationem termini, convenit ita uni personae, quod non alii: tres autem personae fecerunt ut humana natura iniretur uni personae, scil. Filii.

Art. V. - *Utrum quaelibet persona divina potuerit humanam naturam assumere.*

RESP. AFF. - *Scil.* : Pater vel Spiritus sanctus potuit carnem assumere, sicut et Filius.

R. EST: quia ratio personalitatis in tribus personis est communis, licet proprietates personales sint differentes. Sic ergo divina virtus potuit naturam humanam unire personae Patris vel Spiritus sancti, sicut univit eam personae Filii.

Art. VI. - *Utrum plures personae divinae possint assumere unam numero naturam.*

RESP. AFF. - R. EST: quia est talis divinarum personarum conditio, quod una earum non excludit aliam a communionem ejusdem naturae, sed solum a communionem ejusdem personae: nam unio fit per potentiam divinae personae, quae est communis tribus personis, ut dictum est (art. praec.). Sic ergo non est impossibile divinis personis, ut duae vel tres assumant unam naturam humanam; esset tamen impossibile ut assumerent unam hypostasim vel unam personam humanam.

NOTANDUM: Hac positione facta, scil. quod tres personae assumerent unam naturam humanam, verum esset dicere quod tres personae essent unus homo propter unam naturam humanam. Sicut enim nunc verum est dicere quod tres personae sunt unus Deus propter unam divinam naturam; sic verum esset dicere quod essent unus homo propter unam naturam humanam. Nec ly unus importaret unitatem personae (ac si tres personae divenirent una persona), sed unitatem in natura humana. (Ad 1m).

Art. VII. – *Utrum una persona divina possit assumere duas naturas humanas.*

RESP. AFF. – *Scil. :* sive consideremus personam divinam secundum virtutem, quae est principium unionis, sive secundum suam personalitatem, quae est terminus unionis, oportet dicere quod persona divina praeter humanam naturam quam assumpsit, possit aliam numero naturam humanam assumere.

R. EST: quia potentia divina, cum sit infinita, non potest limitari ad aliquid creatum; nec increatum a creato comprehendi potest. (Sicut igitur unam humanam naturam divina persona assumpsit, potest et alias numero tales naturas assumere). – Quantum autem ad rationem suppositi, considerandum est quod incarnationis unio formae et materiae, id est, animae et corporis, non constituit novum suppositum, ut supra dictum est (art. praec.). Et ideo posset esse multitudo secundum numerum ex parte naturae propter divisionem materiae, absque distinctione suppositorum. (Ad 1m). – Unde si persona divina assumeret duas naturas humanas, propter unitatem suppositi diceretur *unus homo* habens duas naturas humanas. (Ad 2m).

Art. VIII. – *Utrum fuerit magis conveniens quod persona Filii assumeret humanam naturam quam alia persona divina.*

RESP. AFF. – *Scil. :* convenientissimum fuit personam Filii incarnari.

PRIMA R. EST ex parte unionis: quia sicut per participationem Verbi, quod est conceptus Dei aeternus, creaturae sunt in propriis speciebus institutae, sed mobiliter; ita per unionem non participatam, sed personalem, Verbi ad creaturam, conveniens fuit reparari creaturam in ordine ad aeternam et immobilem perfectionem: nam et

artifex per formam artis conceptam, qua artificiatum condidit, ipsum, si collapsum fuerit, restaurat.

SECUNDA R. EST ex eo quod Verbum est conceptus aeternae sapientiae, a qua omnis sapientia hominum derivatur: quia sicut homo in sapientia perficitur per hoc quod participat Verbum Dei; ita ad consummatam hominis perfectionem conveniens fuit ut ipsum Verbum Dei humanae naturae personaliter uniretur. – Ratio hujus congruentiae potest etiam accipi ex fine unionis, qui est impletio praedestinationis: quia congruum fuit ut per eum qui est filius naturalis, homines participarent similitudinem hujus filiationis secundum adoptionem; nam, praedestinatio non debetur nisi filiis, secundum illud Rom. viii, 17: *Si filii, et haeredes*. – Item, potest accipi ratio hujus congruentiae ex peccato primi parentis, cui per incarnationem remedium adhibetur. Peccaverat enim primus homo appetendo scientiam (Gen. ii). Unde conveniens fuit per Verbum verae sapientiae homo reduceretur in Deum, qui per inordinatum appetitum scientiae recesserat a Deo.

QUAESTIO IV

De modo unionis ex parte naturae humanae assumptae

Deinde considerandum est de unione ex parte assumpti. Circa quod primum considerandum occurrit de his quae sunt a Verbo Dei assumpta. Secundo de coassumptis, quae sunt perfectiones et defectus. Assumpsit autem Dei Filius humanam naturam et partes ejus. Unde circa primum triplex consideratio occurrit. Prima est quantum ad ipsam naturam humanam. Secunda est quantum ad partes ejus. Tertia quantum ad ordinem assumptionis. Circa primum quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum natura humana fuerit magis assumptibilis a Filio Dei quam aliqua alia natura.*

RESP. AFF. - *Scil.* : a) et secundum dignitatem; b) et secundum necessitatem humanae naturae.

R. PRIMI EST: quia humana natura, in quantum est rationalis et intellectualis, nata est attingere aequaliter ipsum Verbum per suam operationem, cognoscendo scilicet et amando ipsum. Et secundum hoc magis fuit assumptibilis quam quaecumque alia creatura irrationalis.

R. SECUNDI EST: quia humana natura indigebat reparatione, cum subjaceret originali peccato. Et secundum hoc magis fuit assumptibilis quam natura angelica. Nam, etsi natura angelica in aliquibus peccato subjacet, est tamen ejus peccatum irremediabile, ut in Prima Parte (Quaes. lxiv, art. 2) habitum est. (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum Filius Dei assumpserit personam.*

RESP. NEG. - R. EST: quia illud quod assumitur, oportet praeintelligi assumptioni. Persona autem non praeintelligitur in humana natura assumptioni, sed magis se habet ut terminus assumptionis, ut dictum est (qu. praec., art. 1 et 2). Si enim praeintelligeretur, vel oporteret quod corrumperetur; et sic frustra esset assumpta: vel quod remaneret post unionem; et sic essent duae personae, una assumens, et alia assumpta; quod est erroneum (imo, et haereticum).

NOTANDUM: Naturae assumptae non deest propria personalitas propter defectum alicujus quod ad perfectionem humanae naturae pertineat; sed propter additionem alicujus, quod est supra humanam naturam, quod est unio ad divinam personam. (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum persona divina assumpserit hominem.*

RESP. NEG. - R. EST: quia hoc nomen *homo* significat humanam naturam, prout nata est in

supposito. esse. Et ideo non est proprie dictum quod Filius Dei assumpsit hominem, supponendo (sicut rei veritas se habet) quod in Christo sit tantum unum suppositum et una hypostasis. - Locutiones autem quaedam sacrorum doctorum non sunt extendendae tamquam propriae; sed pie sunt exponendae, ut dicamus hominem assumptum, quia ejus natura est assumpta, et quia assumptio terminata est ad hoc ut Filius Dei sit homo. (Ad 1m).

Art. IV. - *Utrum Filius Dei debuerit assumere humanam naturam abstractam ab omnibus individuis.*

RESP. NEG. - *Scil. :* a) sive si consideretur humana natura abstracta ab omnibus individuis ut per se ipsam esse habens, sicut Platonici posuerunt; b) sive si consideretur ut in mente divina existens; c) sive prout est in humano intellectu.

R. PRIMI EST: quia ad naturam speciei rerum sensibilibum pertinet materia sensibilis, quae ponitur in ejus definitione, sicut carnes et ossa in definitione hominis; et ideo talis natura abstracta per se subsistere non potest.

R. SECUNDI EST: quia sic nihil aliud est humana natura quam natura divina: et per hunc modum ab aeterno esset in Filio Dei humana natura.

R. TERTII EST: quia hoc nihil aliud esset quam quod intelligeretur assumere naturam humanam; et sic si non assumeret eam in rerum natura, esset intellectus falsus; nec esset aliud ista naturae humanae assumptio quam fictio quaedam incarnationis.

Art. V. - *Utrum Filius Dei naturam humanam assumere debuerit in omnibus individuis.*

RESP. NEG. - PRIMA R. EST: quia sic tolleretur multitudo suppositorum humanae naturae. Cum

enim in natura assumpta non sit considerare aliud suppositum praeter personam assumptam, sequeretur quod non esset nisi unum suppositum humanae naturae, quod est persona assumens.

SECUNDA R. EST: quia hoc derogaret dignitati Filii Dei incarnati, prout est primogenitus in multis fratribus: essent enim tunc omnes homines aequalis dignitatis.

TERTIA R. EST: quia conveniens est quod sicut unum suppositum divinum est incarnatum, ita unam solam naturam humanam assumeret.

Art. VI. - *Utrum conveniens fuerit quod Filius Dei humanam naturam assumeret ex stirpe Adae.*

RESP. AFF. - PRIMA R. EST: quia hoc videtur ad justitiam pertinere, ut ille satisfaciat qui peccavit. Et ideo de natura per peccatum corrupta debuit assumi id per quod satisfactio erat implenda pro tota natura.

SECUNDA R. EST: quia hoc etiam pertinet ad majorem hominis dignitatem; dum ex illo genere victor diaboli nascitur, quod per diabolum fuerat victum.

TERTIA R. EST: quia per hoc etiam Dei potentia magis ostenditur, dum de natura corrupta et infirma assumpsit id quod in tantam virtutem et dignitatem est promotum.

QUAESTIO V

De modo unionis ex parte partium humanae naturae

Deinde considerandum est de assumptione partium humanae naturae: et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum Dei Filius debuerit assumere verum corpus.*

RESP. AFF. – PRIMA R. EST: quia secus neque humanam naturam veram assumeret.

SECUNDA R. EST: quia si non fuit verum corpus quod Verbum assumpsit, sed phantasticum, sequeretur quod nec veram mortem sustinuit, nec fuerit vera salus hominis subsecuta; oportet enim effectum causae proportionari.

TERTIA R. EST: quia cum persona assumens sit ipsa veritas, non decuit ut in ejus opere aliqua fictio esset. – Unde et Dominus hunc errorem per seipsum excludere dignatus est (Lc. ult. 39), cum discipuli conturbati et conterriti putabant se spiritum videre, et non verum corpus: et ideo se eis palpandum praebuit, dicens: *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.*

Art. II. – *Utrum Dei Filius debuerit assumere corpus terrenum, scilicet carnem et sanguinem.*

RESP. AFF. – *Scil.*: propter easdem rationes quas exposuimus in art. praec.

Scil. quia secus veritas naturae humanae non salvaretur in Christo; quia assumptio corporis caelestis derogaret veritati eorum quae Christus in corpore gessit; et quia etiam derogaret veritati divinae.

Art. III. – *Utrum Filius Dei assumpserit animam.*

RESP. AFF. – *Scil.*: propter tria.

PRIMA R. EST: quia secus dicere repugnat auctoritati Scripturae, in qua Dominus de sua anima facit mentionem, (Matth. xxvi, 38): *Tristis est anima mea usque ad mortem*; et (Jn. x, 18): *Potestatem habeo ponendi animam meam.* Et Evangelistae narrant quod miratus est Jesus, et iratus,

et contristatus, et quod esuriit. Quae quidem ita demonstrant eum veram habuisse animam, sicut ex hoc quod comedit, et dormivit, et fatigatus est, demonstratur eum habuisse verum corpus humanum. Si autem haec ad metaphoram referuntur, sicut Apollinaris vult ea referre, per comparisonem ad aliqua similia quae de Deo leguntur in Veteri Testamento, peribit fides evangelicae narrationis.

SECUNDA R. EST: quia praedictus error (Apollinaris) derogat utilitati incarnationis, quae est liberatio hominis: quae magis est secundum animam, in qua est culpa, quam secundum corpus.

TERTIA R. EST: quia positio contraria esset contra ipsam incarnationis veritatem. Caro enim et caeterae partes hominis sortiuntur speciem humanam per animam. Unde, recedente anima, non est os aut caro, nisi aequivoce, ut patet per Philosophum (De an. l. ii, text. 9).

NOTANDUM: Ad objectionem quod superfluum fuisset animam in Christo adesse, Verbo praesente, cum Verbum sit fons vitae, considerandum est quod Verbum est fons vitae, sicut prima causa vitae effectiva; sed anima est principium vitae corporis, tanquam forma ipsius; forma autem est effectus agentis. Unde ex praesentia Verbi magis concludi posset, quod corpus esset animatum; sicut ex praesentia ignis potest concludi quod corpus cui ignis adhaeret, sit calidum. (Ad 2m).

Art. IV. - *Utrum Filius Dei assumere debuerit intellectum.**

RESP. AFF. - PRIMA R. EST: quia, ut diximus in art. praec., contrarium dicere adversatur nar-

(*) Hic articulus ponitur contra Apollinaristas, qui in quaestione de anima Christi testimoniis evangelicis victi, dixerunt mentem defuisse animae Christi et pro hac ipsum Verbum in ea fuisse dixerunt.

rationi evangelicae, quae commemorat Christum fuisse miratum, etc.

SECUNDA R. EST: quia contrarium repugnat utilitati incarnationis, quae est justificatio hominis a peccato. Anima enim humana non est capax peccati, nec gratiae justificantis, nisi per mentem. Unde praecipue oportuit mentem humanam assumi.

TERTIA R. EST: quia secus tenere repugnat veritati incarnationis. Cum enim corpus proportionetur animae, sicut materiae propriae formae, non est vere caro humana quae non esset perfecta anima humana, scil. rationali. Et ideo si Christus animam sine mente habuisset, non habuisset veram carnem humanam, sed bestialem; quia per solam mentem anima nostra differt ab anima bestiali.

NOTANDUM: Intellectus seu mens hominis est quasi lux illuminata a luce divini Verbi: et ideo per praesentiam Verbi non evacuatur mens hominis, sed magis perficitur. (Ad 2m).

QUAESTIO VI

De modo assumptionis quantum ad ordinem

Deinde considerandum est de ordine assumptionis praedictae; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum Filius Dei assumpserit carnem mediante anima.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) non ordine temporis, sed naturae, et quidem b) cum secundum ordinem dignitatis, c) tum secundum ordinem causalitatis.

R. PRIMI EST: quia secundum ordinem temporis non dicitur in mysterio Incarnationis aliquid medium; quia totam humanam naturam simul

sibi Verbum Dei univit, ut infra patebit (qu. xxxiii, art. 3).

R. SECUNDI EST: quia anima media invenitur inter Deum et carnem: et secundum hoc dici potest quod Filius Dei univit sibi carnem, mediante anima.

R. TERTII EST: quia ipsa anima est aliquo modo (i. e. secundum aptitudinem et congruitatem) causa carnis uniendae Filio Dei. Caro enim non esset assumptibilis, nisi per ordinem quem habet ad animam rationalem, secundum quam habet quod sit caro humana.

NOTANDUM: Ad objectionem quod separata per mortem anima, adhuc remanet unio Verbi ad carnem, ut infra patebit (Qu. 1, art. 2 et 3), dicendum est quod nihil prohibet aliquid esse causam alicujus quantum ad aptitudinem et congruitatem; quo tamen remoto, illud non tollitur: quia etsi fieri alicujus dependet ex aliquo, postquam tamen est in facto esse, ab eo non dependet: sicut si inter aliquos amicos amicitia causatur aliquo mediante; eo recedente, adhuc amicitia remanet. Et similiter separata anima Christi per mortem, remanet unio Verbi Dei ad carnem. (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum Filius Dei assumpserit animam mediante spiritu sive mente (seu intellectu).*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) ratione congruitatis; et b) ratione dignitatis.

R. PRIMI EST: quia anima * non est assumptibilis secundum congruitatem, nisi per hoc quod est capax Dei, ad imaginem ejus existens; quod est secundum mentem, quae spiritus dicitur, secundum illud Ephes. iv, 23: *Renovamini spiritu mentis vestrae.*

(*) Anima, inter quam et Dei Verbum ponitur medium intellectus, non accipitur pro essentia animae, quae est omnibus potentiis communis; sed pro potentiis inferioribus quae sunt omni animae communes. (Ad 3m).

R. SECUNDI EST: quia intellectus inter caeteras partes animae est superior et dignior, et Deo similior. Intellectus enim est quid animae purissimum; sed et Deus est intellectus, ut Damascenus dicit (Orth. fid. lib. iii, cap. 6).

Art. III. - *Utrum anima a Dei Filio prius fuerit assumpta quam caro.*

RESP. NEG. - **R. EST:** quia anima Christi non fuit prius creata quam corpori infusa (sicut Origenes docuit de omnibus animabus illa Christi inclusa. Periarch. lib. i, cap. 7 et 8); secus sequeretur quod anima illa aliquando habuisset propriam subsistentiam sine Verbo: et sic non fuisset a Verbo assumpta, vel non esset facta unio secundum subsistentiam, vel corrupta fuisset subsistentia animae praeexistens. - Item, sequeretur quod anima Christi non fuisset ejusdem naturae cum nostris, quae simul creantur, dum corporibus infunduntur.

Art. IV. - *Utrum caro Christi fuerit prius a Verbo assumpta quam animae unita.*

RESP. NEG. - **R. EST:** quia caro non debuit ante assumi quam esset caro humana: quod factum est, anima rationali adveniente. Sicut igitur anima non est prius assumpta quam caro, quia contra naturam animae est, ut prius sit quam corpori uniatur; ita caro non debuit prius assumi quam anima; quia non prius est caro humana quam habeat animam rationalem.

Art. V. - *Utrum tota humana natura sit assumpta mediantibus partibus.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Verbum Dei assumpsit partes humanae naturae, i. e., corpus et animam, mediante toto, in ordine naturae, et quidem ex parte agentis, seu secundum intentionem, non autem ex parte materiae.

R. EST: quia secundum intentionem facientis prius est completum quam incompletum, et per consequens totum quam partes. Et ideo sicut Verbum assumpsit corpus propter ordinem quem habet ad animam rationalem; ita assumpsit corpus et animam propter ordinem quem habent ad humanam naturam. In Incarnatione autem oportet maxime attendere ordinem qui est ex parte agentis: quia, ut Augustinus dicit (In ep. ad Volusianum, 137, al. 3): « in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis ». – Ex parte materiae autem et in via operationis assumptio partium est prius, intellectu quidem, non tempore. (Ad 1m).

Art. VI. – *Utrum humana natura sit assumpta mediante gratia.*

RESP. NEG. – *Scil.:* gratia non potest intelligi ut medium assumptionis humanae naturae, sive loquamur de gratia unionis, sive de gratia habituali.

R. EST: quia gratia unionis est ipsum esse personale quod *gratis* divinitus datur humanae naturae in persona Verbi; gratia autem habitualis pertinens ad spiritualem sanctitatem illius hominis, est *effectus* quidam *consequens* unionem. – Si autem intelligatur gratia voluntas Dei aliquid gratis faciens vel donans, sic unio facta est per gratiam, non sicut per medium, sed sicut per causam efficientem.

QUAESTIO VII

De gratia Christi, prout est quidam singularis homo

Deinde considerandum est de coassumptis a Filio Dei in humana natura: et primo de his quae pertinent ad perfectionem; secundo de his quae

pertinent ad defectum. Circa primum consideranda sunt tria: primo, de gratia Christi; secundo, de scientia ejus; tertio, de potentia ipsius. – De gratia autem Christi considerandum est dupliciter: primo quidem de gratia ejus, secundum quod est quidam singularis homo; secundo de gratia ejus, secundum quod est caput Ecclesiae; nam de gratia unionis jam dictum est (qu. ii). Circa primum quaeruntur tredecim:

Art. I. – *Utrum in anima Christi fuerit aliqua gratia habitualis.*

RESP. AFF. – *Scil. :* necesse est ponere in Christo gratiam habitualem propter tria.

PRIMA R. EST: propter unionem animae Christi ad Verbum Dei: quia quanto aliquid receptivum est propinquius causae influenti, tanto magis participat de influentia ipsius. Influxus autem gratiae a Deo est. Et ideo maxime fuit conveniens ut anima illa reciperet influxum divinae gratiae.

SECUNDA R. EST: propter nobilitatem animae Christi: quia per cognitionem et amorem propinquissime attingebat ad Deum, ad quod necesse est elevari humanam naturam per gratiam.

TERTIA R. EST: propter habitudinem ipsius Christi ad genus humanum: quia Christus in quantum homo, *'est mediator Dei et hominum* (I. Tim. ii); et ideo oportebat quod haberet gratiam etiam in alios redundantem, secundum illud Joan. i, 16: *De plenitudine ejus omnes accepimus, et gratiam pro gratia.*

NOTANDUM: Christus est verus Deus secundum personam et naturam divinam. Sed quia cum unitate personae remanet distinctio naturarum, ut ex supra dictis patet (qu. II, art. 1 et 2), anima Christi non est per suam essentiam divina. Unde oportet quod fiat divina per participationem, quae est secundum gratiam (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum in Christo fuerint virtutes.*

RESP. AFF. - *Scil.* : virtutes, sive intellectuales sive morales, quae imperfectionem non important, Christus perfectissime ultra communem modum habuit. (Ad 2m).

R. EST: quia sicut potentiae animae derivantur ab ejus essentia, ita virtutes sint quaedam derivationes gratiae. Unde cum gratia Christi fuerit perfectissima, consequens est quod ex ipsa processerint virtutes ad perficiendum singulas potentias animae, quantum ad omnes animae actus: et ita Christus habuit omnes virtutes.

Art. III. - *Utrum in Christo fuerit fides.*

RESP. NEG. - R. EST: quia Christus a primo instanti suae conceptionis plene vidit Deum per essentiam, ut infra dicitur (qu. xxxiv, art. 4). Unde in eo fides esse non potuit.

NOTANDUM: Quantum ad meritum fidei, dicendum est quod hoc consistit in hoc quod homo ex obedientia Dei assentit illis quae non videt. Obedientiam autem ad Deum plenissime habuit Christus, secundum illud Philip. ii, 8: *Factus est obediens usque ad mortem.* Et sic nihil ad meritum pertinens docuit, quod ipse excellentius non impleteret. (Ad 2m).

Art. IV. - *Utrum in Christo fuerit spes.*

RESP. NEG. - *Scil.* : Christus non habuit spem circa fruitionem Dei, sed circa quaedam, quae non plene fuerat adeptus.

R. EST: quia Christus a principio suae conceptionis plene habuit fruitionem divinam, ut infra dicitur (qu. xxxiv, art. 4); et ideo virtutem spei non habuit; habuit tamen spem respectu aliquorum quae nondum erat adeptus, licet non habuerit fidem respectu quorumcumque; quia, licet plene cognosceret omnia, per quod totaliter fides excludebatur ab eo, non tamen adhuc

plene habebat omnia quae ad ejus perfectionem pertinebant, quam poterat sperare.

Art. V. - *Utrum in Christo fuerint dona.*

RESP. AFF. - R. EST: quia dona proprie sunt perfectiones quaedam potentiarum animae, secundum quod sunt natae moveri a Spiritu sancto. Anima autem Christi perfectissime a Spiritu sancto movebatur. Unde manifestum est quod in Christo fuerunt excellentissime dona.

Art. VI. - *Utrum in Christo fuerit donum timoris.*

RESP. AFF. - *Scil. :* secundum quod ei attribuit Scriptura plenitudinem timoris Domini.

R. EST: quia in Christo fuit timor Dei, non quidem secundum quod respicit malum separationis a Deo per culpam, neque etiam secundum quod respicit malum punitionis pro culpa; sed secundum quod respicit ipsam divinam eminentiam, prout scilicet anima Christi quodam affectu reverentiae movebatur in Deum a Spiritu sancto acta. Unde Hebr. v, 7 dicitur quod in omnibus *exauditus est pro sua reverentia*. Hunc autem affectum reverentiae ad Deum Christus, secundum quod homo, praecaeteris habuit plenior.

Art. VII. - *Utrum in Christo fuerint gratiae gratis datae.*

RESP. AFF. - *Scil. :* in Christo excellentissime fuerunt omnes gratiae gratis datae.

R. EST: quia gratia gratis datae ordinantur ad fidei et spiritualis doctrinae manifestationem. Oportet enim eum qui docet habere ea per quae sua doctrina manifestetur: alias ejus doctrina esset inutilis. Spiritualis enim doctrinae et fidei primus et principalis doctor est Christus. Unde in Christo omnes gratiae gratis datae fuerunt excellentissime, saltem quantum ad habitum,

(Ad 3m), sicut in primo et principali fidei doctore. – Et dum in aliis sanctis hujusmodi gratiae dividuntur, secundum quod sancti particulariter efficaciam recipiunt ad hos vel ad illos actus perficiendos, in Christo autem non dividuntur, sed sunt omnes simul. (Ad 1m).

Art. VIII. – *Utrum in Christo fuerit prophetia.*

RESP. AFF. – *Scil.* : in Christo fuit prophetia non ut comprehensor, sed ut viator.

R. EST: quia Christus ante passionem nostrum statum attingebat, inquantum non solum erat comprehensor, sed etiam viator. Et ideo propheticum erat, quod ea quae erant procul ab aliorum viatorum notitia, et cognoscebat et annuntiabat. Et hac ratione dicitur in eo fuisse prophetia. Potest ergo dici quod, etsi Christus habuit plenam et apertam notitiam quantum ad partem intellectivam; habuit tamen in parte imaginativa quasdam similitudines, in quibus etiam poterat speculari divina, inquantum non solum erat comprehensor, sed etiam viator. (Ad 1m).

Art. IX. – *Utrum in Christo fuerit plenitudo gratiae.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Christus gratiam habuit in summo secundum capacitatem creaturae (Ad 3m): a) et quantum ad perfectissimum modum quo gratia haberi potest; b) et quantum ad virtutem gratiae.

RR. PRIMI SUNT: *primo*, ex propinquitate animae Christi ad causam gratiae: quia, ut dictum est (art. 1 hujus qu.), quanto aliquid receptivum propinquius est causae influenti, tanto abundantius recipit. Et ideo anima Christi, quae propinquius conjungitur Deo inter omnes creaturas racionales, maximam recipit influentiam gratiae

ejus. - *Secundo*, ex comparatione ad ejus (gratiae) effectum: quia sic recipiebat anima Christi gratiam, ut ex ea quodammodo transfunderetur in alios. Et ideo oportuit quod haberet maximam gratiam.

R. SECUNDI EST: quia Christus gratiam habuit ad *omnes* operationes vel effectus gratiae, qui sunt virtutes, dona et alia hujusmodi.

Art. X. - *Utrum plenitudo gratiae sit propria Christi.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) plenitudo gratiae ex parte ipsius gratiae est propria Christo; b) plenitudo gratiae ex parte habentis gratiam, seu ex parte subjecti non est propria Christo.

R. PRIMI EST: quia plenitudo gratiae ex parte ipsius gratiae dicitur ex eo quod aliquis pertingit ad summum gratiae et quantum ad essentiam et quantum ad virtutem; quia scilicet habet gratiam et in maxima excellentia qua potest haberi, et in maxima extensione ad omnes gratiae effectus. Et talis gratiae plenitudo est propria Christo.

R. SECUNDI EST: quia ex parte subjecti dicitur gratiae plenitudo, quando quis habet plene gratiam secundum suam conditionem: sive secundum intensionem, prout in eo est intensa gratia usque ad terminum praefixum ei a Deo, secundum illud Ephes. iv, 7: *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*; sive etiam secundum virtutem, in quantum scilicet habet facultatem gratiae ad omnia quae pertinent ad suum officium, sive statum; sicut Apostolus dicebat (Ephes. iii, 8): *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, illuminare omnes*, etc. Et talis gratiae plenitudo non est propria Christo, sed communicatur aliis per Christum - sicut de Beata Virgine dicitur, ut esset Mater

Christi, et de beato Stephano ut esset idoneus minister et testis Dei, ad quod erat electus. Et idem dicendum est de aliis sanctis. (Ad 1m).

Art. XI. – *Utrum Christi gratia sit infinita.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) gratia unionis est infinita; b) gratia habitualis in quantum est ens quoddam non est infinita; c) gratia habitualis Christi, considerata secundum propriam rationem gratiae, dici potest infinita.

R. PRIMI EST: quia gratia unionis est ipsum uniri personaliter Filio Dei; et hanc gratiam constat esse infinitam, secundum quod ipsa persona Verbi est infinita.

R. SECUNDI EST: quia anima Christi in qua est gratia habitualis, habet capacitatem finitam. Unde esse gratiae, cum non excedat suum subjectum, non potest esse infinitum.

R. TERTII EST: quia gratia habitualis confertur animae Christi, sicut cuidam universali principio, ut habeat quidquid potest pertinere ad rationem gratiae sine limite et sine certa mensura.

Art. XII. – *Utrum gratia Christi potuerit augeri.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) neque ex parte ipsius gratiae, ut forma; b) neque ex parte subjecti, potuit gratia Christi augeri.

R. PRIMI EST: quia ex parte ipsius gratiae excellentia gratiae, sicut et formae, sumitur ex fine. Finis autem gratiae est unio creaturae rationalis ad Deum. Non potest autem esse, nec intelligi major unio creaturae rationalis ad Deum, quam quae est in persona. Et ideo gratia Christi pertinet ad summam mensuram gratiae.

R. SECUNDI EST: quia ex parte subjecti gratia augetur in ordine ad finem attingendum. Christus autem a primo instanti suae conceptionis

fuit verus et plenus comprehensor. Unde in eo non potuit esse gratiae augmentum, sicut nec in aliis beatis, quorum gratia augeri non potest, eo quod sunt in termino.

NOTANDUM: Quantum ad verba Sancti Lucae (ii, 52), quod *puer Jesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum et homines*, considerandum est quod in sapientia et gratia aliquis potest proficere dupliciter. Uno modo secundum ipsos habitus sapientiae et gratiae augmentatos: et sic Christus in eis non proficiebat. Alio modo secundum effectus, in quantum scilicet aliquis sapientiora et virtuosiora opera facit; et sic Christus proficiebat sapientia et gratia, sicut et aetate; quia secundum processum aetatis perfectiora opera faciebat, ut se verum hominem demonstraret, et in his quae sunt ad Deum, et in his quae sunt ad homines. (Ad 3m).

Art. XIII. - *Utrum gratia Christi habitualis subsequatur unionem.*

RESP. AFF. - *Scil.:* non ordine temporis, sed naturae et intellectus.

PRIMA R. EST secundum ordinem principiorum utriusque naturae: quia principium unionis est persona Filii assumens humanam naturam. Principium autem gratiae habitualis, quae cum charitate datur, est Spiritus sanctus. Missio autem Filii secundum ordinem naturae prior est missione Spiritus sancti. Unde et unio personalis, secundum quam intelligitur missio Filii, est prior ordine naturae habituali gratia, secundum quam intelligitur missio Spiritus sancti.

SECUNDA R. EST ex habitudine gratiae ad suam causam: quia gratia causatur in homine ex praesentia Divinitatis, sicut lumen in aere ex praesentia solis. Praesentia autem Dei in Christo intelligitur secundum unionem humanae naturae ad divinam personam. Unde gratia habitualis

Christi intelligitur ut consequens hanc unionem, sicut splendor solem.

TERTIA R. EST ex fine gratiae: quia gratia ordinatur ad bene agendum; actiones autem sunt suppositorum et individuorum: unde actio, et per consequens gratia ad ipsam ordinans, praesupponit hypostasim operantem. Hypostasis autem non praesupponitur in humana natura ante unionem (qu. iv, art. 2). Et ideo gratia unionis secundum intellectum praecedit gratiam habitualem quae consequitur eam sicut quaedam proprietas naturalis. (Ad 2m).

QUAESTIO VIII

De gratia Christi, secundum quod est caput Ecclesiae

Deinde considerandum est de gratia Christi, secundum quod est caput Ecclesiae, et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. - Utrum Christus sit caput Ecclesiae.

RESP. AFF. - Scil.: Christus dicitur caput Ecclesiae secundum similitudinem humani capitis propter tria.

R. EST: quia in capite humano tria possunt considerari, quae secundum similitudinem Christo competunt relate ad Ecclesiam, scilicet ordo, perfectio, et virtus. *Ordo* quidem, quia sicut caput est prima pars hominis incipiendo a superiori: et inde est quod omne principium consuevit vocari caput; ita Christus est caput Ecclesiae propter ejus appropinquitatem ad Deum; et inde est quod omnes acceperunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius. - *Perfectio* autem, quia sicut in capite vigent omnes sensus et interiores et exteriores, cum in caeteris membris sit solus tac-

tus; ita in Christo est perfectio capitis, quia habet plenitudinem omnium gratiarum, secundum illud Jn. i, 14: *Vidimus eum plenum gratiae et veritatis.* - *Virtus* autem, quia sicut virtus et motus caeterorum, membrorum et gubernatio eorum in suis actibus est a capite propter vim sensitivam et motivam ibi dominantem; ita in Christo, qui virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiae, secundum illud Jn. i, 16: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Et sic patet quod Christus convenienter dicitur Ecclesiae caput.

NOTANDA: 1. Dare gratiam aut Spiritum sanctum convenit Christo, secundum quod est Deus, auctoritative: sed instrumentaliter convenit etiam ei, secundum quod est homo; in quantum scilicet ejus humanitas instrumentum fuit divinitatis ejus. Instrumentaliter autem, sive ministerialiter etiam alii sancti dicuntur dare Spiritum sanctum, secundum illud Gal. iii, 5: *Qui tribuit vobis Spiritum,* etc. (Ad 1m).

2. Sicut Christus comparatur capiti Ecclesiae secundum visibilem naturam, secundum quam homo hominibus praefertur; ita Spiritus sanctus comparatur cordi, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit. (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum Christus sit caput hominum quantum ad corpora, vel solum quantum ad animas.*

RESP: etiam quantum ad corpora. - *Scil.:* Christi humanitas influit in homines et quantum ad animam et quantum ad corpus.

R. EST: quia humanitas Christi habet vim influendi in quantum est conjuncta Dei Verbo, cui corpus unitur per animam, ut dictum est (qu. vi, art. 1). Unde *tota* Christi humanitas, secundum scilicet animam et corpus, influit in homines et quantum ad animam, et quantum ad corpus, sed principaliter quantum ad animam, secundario quantum ad corpus. Influit autem in corpus uno

modo in quantum membra corporis exhibentur arma justitiae in anima existenti per Christum, secundum illud Apostoli (Rom. vi): *Exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes et membra vestra arma justitiae Deo*; alio modo in quantum vita gloriae ab anima derivatur ad corpus, secundum illud Rom. viii, 11: *Qui suscitavit Christum Jesum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitatem spiritum ejus in vobis.*

Art. III. – *Utrum Christus sit caput omnium hominum.*

RESP. AFF. – *Scil.*: accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi, Christus est caput omnium hominum, sed secundum diversos gradus.

R. EST: quia primo et principaliter Christus est caput eorum qui actu uniuntur ei per gloriam; secundo, eorum qui actu iniuntur ei per charitatem; tertio, eorum qui actu uniuntur ei per fidem; quarto vero eorum qui ei uniuntur solum in potentia nondum reducta ad actum, quae tamen est ad actum reducenda secundum divinam praedestinationem; quinto vero eorum qui in potentia sunt ei uniti, quae nunquam reducetur ad actum; sicut homines in hoc mundo viventes, qui non sunt praedestinati: qui tamen ex hoc saeculo recedentes, totaliter desistunt esse membra Christi, quia jam nec sunt in potentia ut Christo uniantur.

NOTANDUM: Antiqui patres, servendo legalia sacramenta tanquam imagines et umbra futurorum ferebantur in Christum per fidem et dilectionem eandem, qua et nos in ipsum ferimur; nam idem est motus in imaginem, in quantum est imago, et in rem, ut patet per Philosophum (Lib. De memor. et reminisc., c. 2). Et ita patres antiqui pertinebant ad idem corpus Ecclesiae ad quod nos pertinemus. (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum Christus sit caput angelorum.*

RESP. AFF. - *Scil.* : Christus secundum quod homo, est etiam caput Angelorum.

R. EST: quia corpus Ecclesiae mysticum, cuius caput est Christus, non solum ex hominibus consistit, sed etiam ex angelis; ad unum enim finem, qui est gloria divinae fruitionis, ordinantur et homines et angeli. De influentia Christi igitur, ex hoc quod ipse propinquius se habet ad Deum et perfectius participat Dei dona, non solum homines recipiunt, sed etiam angeli; dicitur enim Ephes. i, 20, quod *constituit eum*, scilicet Christum, Deus Pater *ad dexteram suam in caelestibus supra omnem Potestatem, et Principatum, et Virtutem, et Dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro: et omnia subiecit sub pedibus ejus.*

NOTANDUM: Humanitas Christi ex virtute spiritualis naturae, scilicet divinae, potest aliquid causare non solum in spiritibus hominum, sed etiam in spiritibus angelorum, propter maximam conjunctionem ejus ad Deum, scilicet secundum unionem personalem. (Ad 3m).

Art. V. - *Utrum gratia Christi, secundum quam est caput Ecclesiae, sit eadem cum gratia habituali ejus, secundum quod est quidam homo singularis.*

RESP. AFF. - *Scil.* : eadem est secundum essentiam gratia personalis, qua anima Christi est justificata, et gratia ejus, secundum quam est caput Ecclesiae justificans alios; differt tamen secundum rationem.

R. EST: quia in anima Christi recepta est gratia secundum maximam eminentiam: et ideo ex illa eminentia gratiae quam accepit, competit ei quod gratia illa ad alios derivetur, quod pertinet ad rationem capitis.

Art. VI. – *Utrum esse caput Ecclesiae sit proprium Christo.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) secundum interiorem influxum, proprium Christo est esse caput Ecclesiae; b) secundum influxum seu gubernationem exteriorem, commune est Christo cum aliis esse caput Ecclesiae; c) differenter tamen a Christo.

R. PRIMI EST: quia interior influxus gratiae non est ab aliquo nisi a solo Christo; cujus humanitas ex hoc quod est divinitati conjuncta, habet virtutem justificandi.

R. SECUNDI EST: quia influxus in membra Ecclesiae quantum ad exteriorem gubernationem potest aliis convenire: et secundum hoc aliqui alii possunt dici capita Ecclesiae, secundum illud Amos vi, 1: *Optimates capita populorum.*

R. TERTII EST: quia: primo, Christus est caput omnium eorum qui ad Ecclesiam pertinent secundum omnem locum et tempus, et statum; alii autem homines dicuntur capita secundum quaedam specialia, vel etiam secundum determinatum tempus, et secundum determinatum statum, prout scilicet sunt in statu viatoris; secundo, quia Christus est caput Ecclesiae propria virtute et auctoritate; alii vero dicuntur capita, in quantum vicem gerunt Christi.

Art. VII. – *Utrum diabolus sit caput omnium malorum.*

RESP. AFF. – *Scil. :* secundum exteriorem gubernationem tantum.

R. EST: quia ad gubernationem pertinet ut eos quos aliquis gubernat ad suum finem adducat. Finis autem diaboli est aversio rationalis creaturae a Deo: unde et a principio hominem ab obedientia divini praecepti remove tentavit.

Ipsa autem aversio a Deo habet rationem finis, inquantum appetitur sub specie libertatis. Et inquantum ad hunc finem aliqui adducuntur peccando, sub diaboli regimine et gubernatione cadunt, secundum illud Job xli, 25: *Ipse est rex super universos filios superbiae.*

Art. VIII. - *Utrum antichristus possit etiam dici caput omnium malorum.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) antichristus non dicitur caput omnium malorum secundum ordinem temporis; b) nec propter virtutem influendi; c) sed propter malitiae perfectionem.

R. PRIMI EST: quia ejus peccatum non praecessit omnia alia peccata, sicut peccatum diaboli praecessit.

R. SECUNDI EST: quia etsi aliquos sui temporis ad malum sit conversurus, exterius inducendo; non tamen illi qui ante eum fuerunt, ab ipso sunt in malitiam inducti, nec etiam ejus malitiam sunt imitati. Unde secundum hoc non posset dici caput omnium malorum, sed aliquorum.

R. TERTII EST: quia, ut dicit glossa, super illud II Thess. ii: *Ostendens se, tanquam sit Deus*, « sicut in Christo omnis plenitudo Divinitatis inhabitavit, ita in antichristo omnis malitiae plenitudo »; non quidem quod humanitas ejus sit assumpta a diabolo in unitatem personae, sicut humanitas Christi a Filio Dei; sed quia diabolus suam malitiam eminentius ei influet suggerendo quam omnibus aliis. Et secundum hoc omnes alii mali qui praecesserunt, sunt quasi quaedam figura antichristi, secundum illud II. Thess. ii, 7: *Mysterium jam operatur iniquitatis.*

NOTANDUM: Diabolus et antichristus non sunt duo capita, sed unum: quia antichristus dicitur esse caput, inquantum plenissime invenitur im-

pressa in eo malitia diaboli. Unde super illud II. Thess. ii: *Ostendens se, tanquam sit Deus*, dicit Glossa (Ord. Haym.): « In ipso erit caput omnium malorum, scilicet diabolus, qui est rex super omnes filios superbiae ». (Ad 1m). In eo enim diabolus quasi malitiam suam ducet ad caput, per modum quo dicitur aliquis ad caput suum propositum ducere, cum illud perfecerit. (Ad 3m).

QUAESTIO IX

De scientia Christi in communi

Deinde considerandum est de scientia Christi: circa quam duo consideranda sunt. Primo quam scientiam Christus habuerit. Secundo de unaquaque scientiarum ipsius. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum Christus habuerit aliquam scientiam praeter divinam.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia Filius Dei humanam naturam integram assumpsit; id est, non solum corpus, sed etiam animam; non solum sensitivam, sed etiam rationalem. Et ideo oportuit quod haberet scientiam creatam, propter tria: Primo quidem propter animae perfectionem: alicquin anima Christi esset imperfectior animabus aliorum hominum. – Secundo, quia cum quaelibet res sit propter suam operationem, frustra haberet Christus animam intellectivam, si non intelligeret secundum illam: quod pertinet ad scientiam creatam. – Tertio, quia scientiam hic large accipimus pro qualibet cognitione intellectus humani, quae est perfectio naturalis. Nihil autem naturalium Christo defuit; quia totam humanam naturam suscepit.

NOTANDA: 1. Christus cognovit omnia per scientiam divinam *operatione increata*, quae est ipsa Dei essentia. Unde hic actus non potuit esse animae humanae Christi, cum sit alterius naturae.

Si igitur non fuisset in anima Christi aliqua alia scientia praeter divinam, nihil cognovisset. (Ad 1m).

2. Lumen scientiae in anima Christi non offuscatur, sed magis clarescit, per lumen scientiae divinae, sicut lumen illuminati, puta aëris, magis augetur, lumine illuminantis, puta solis. (Ad 2m).

3. Scientia ponitur in Christo ex parte unitorum, scilicet naturae divinae et naturae humanae, non autem ex parte ipsius unionis: nam unio illa est ad esse personale; scientia autem non convenit personae nisi ratione alicujus naturae. (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum Christus habuerit scientiam quam habent beati vel comprehensores.*

RESP. AFF. - *Scil. :* Christo homini excellentissime convenit scientia beatorum.

R. EST: quia oportet causam semper potiore[m] esse causato. Humanitas autem Christi est per quam homines ad beatitudinem reducuntur, secundum illud Hebr. ii, 10: *Decebat eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari.* - Unde oportuit quod scientia beatorum Christo homini excellentissimo modo conveniret. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum Christus habuerit scientiam inditam vel infusam.*

RESP. AFF. - *Scil. :* praeter scientiam beatam est in Christo alia scientia indita vel infusa, in quantum per Verbum Dei, animae Christi sibi personaliter unitae, impressae sunt species intelligibiles ad omnia quae intellectus possibilis est in potentia.

R. EST: quia omne quod est in potentia, est imperfectum, nisi reducatur ad actum. Natura autem humana a Verbo Dei assumpta imperfecta non erat. Et ideo intellectus Christi possibilis, qui erat in potentia ad omnia intelligibilia, oportet

tebat reduci ad actum, scilicet per species intelligibiles, quae sunt quaedam formae completivae ipsius; et hoc fit per Verbum Dei, ut dictum est in responsione, sicut fuit in angelis in principio creationis rerum, ut patet per Augustinum (Gen. ad litt., lib. ii, c. 8). – Sicut igitur in angelis, secundum eundem Augustinum (l. c., lib. iv, cap. 22), ponitur duplex cognitio: una scilicet matutina, per quam cognoscunt res in Verbo, et alia vespertina, per quam cognoscunt res in propria natura per species sibi inditas; ita praeter scientiam divinam et increatam, est in Christo secundum ejus animam scientia beata, qua cognoscit Verbum, et res in Verbo; et scientia infusa sive indita, per quam cognoscit res in propria natura per species intelligibiles humanae menti proportionatas. (Haec scientia autem sese extendebat ad supernaturalia et ad naturalia).

Art. IV. – *Utrum Christus habuerit aliquam scientiam acquisitam.*

RESP. AFF. – *Scil. :* in Christo fuit etiam scientia acquisita seu experimentalis.

R. EST: quia talis scientia ponitur in Christo secundum lumen intellectus agentis, quod est animae humanae connaturale, inquantum scilicet in Christo fuerint aliquae species intelligibiles, per actionem intellectus agentis super phantasmata, in intellectu possibili ejus receptae.

NOTANDUM: Duplex est modus acquirendi scientiam, scilicet inveniendo et addiscendo; modus qui est per inventionem, est praecipuus; modus autem qui est per disciplinam, est secundarius. Et ideo Christo magis competeat habere scientiam per inventionem quam per disciplinam; praesertim cum ipse daretur a Deo omnibus in doctorem, secundum illud Joel. ii: *Laetamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiae.*

QUAESTIO X

De scientia beata animae Christi

Deinde considerandum est de qualibet praedictarum scientiarum. Sed quia de scientia divina dictum est in Prima Parte (qu. xiv), restat nunc dicendum de aliis tribus: primo de scientia beata; secundo de scientia indita; tertio de scientia acquisita. Sed quia etiam de scientia beata, quae in Dei visione consistit, plura dicta sunt in Prima Parte (qu. xii); hic illa sola videntur dicenda quae proprie pertinent ad animam Christi. Circa hoc ergo quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum anima Christi comprehenderit Verbum sive divinam essentiam.*

RESP. NEG. - *Scil.:* anima Christi nullo modo comprehendit divinam essentiam.

R. EST: quia sic facta est unio naturarum in persona Christi, quod tamen proprietas utriusque naturae inconfusa permanserit. Anima autem Christi est quid creatum et finitum. Finitum autem non comprehendit infinitum, ut ostensum est in Prima Parte (qu. xii, art. 1, 4 et 7). Unde anima Christi totam Dei essentiam videt, non tamen eam comprehendit; quia non totaliter eam videt, id est non ita perfecte sicut visibilis est. (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum anima Christi in Verbo cognoverit omnia.*

RESP. AFF. - *Scil.:* sumendo ly *omnia* prout distribuat pro omnibus quae quocumque modo sunt, vel erunt, vel fuerunt, vel facta, vel dicta, vel cogitata a quocumque, secundum quodcumque tempus; non autem prout accipitur magis large, ut scilicet extendatur etiam ad omnia quaecumque sunt in potentia, nunquam reducenda vel reducta ad actum.

R. EST: quia unusquisque intellectus creatus in Verbo Dei cognoscit, non quidem omnia simpliciter, sed tanto plura, quanto perfectius videt Verbum. Nulli tamen intellectui beato deest quin cognoscat in Verbo omnia quae ad ipsum spectant. Ad Christum autem et ad ejus dignitatem spectant quodammodo omnia, inquantum ei subiecta sunt omnia, prout ipse est iudex omnium. Comprehendere autem omnia quae Deus facere potest, esset comprehendere divinam essentiam.

NOTANDUM: Quantum ad illa verba Christi, Mc. xiii, 32: *De die autem illa nemo scit, neque angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater*, dicendum est quod dicitur nescire diem et horam iudicii, quia non facit scire: interrogatus enim super hoc ab Apostolis (Act. i), hoc eis noluit revelare; (secundum illud Mc. xiii, 6: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate*): quia, ut Chrysostomus argumentatur (Hom. lxxviii in Mt.), si Christo homini datum est ut sciat qualiter oporteat iudicare, quod est majus, multo magis datum est ei scire quod minus est, scilicet tempus iudicii. (Ad 1m).

Art. III. – Utrum anima Christi in Verbo cognoverit infinita.

RESP. AFF. – Scil. : a) anima Christi non scit in Verbo infinita, prout sunt in actu; sed b) prout sunt in potentia.

R. PRIMI EST: quia non sunt infinita in actu, etiamsi accipiantur omnia quaecumque sunt in actu, secundum quodcumque tempus; eo quod status generationis et corruptionis non durat in infinitum. Unde est certus numerus non solum eorum quae sunt absque generatione et corruptione, sed etiam generabilium et corruptibilium.

R. SECUNDI EST: quia anima Christi scit omnia quae sunt in potentia creaturae, ut dictum est (art. praec.). Unde cum in potentia creaturae sint infinita, per hunc modum anima Christi scit infi-

nita, quasi quadam scientia simplicis intelligentiae, non autem scientia visionis.

Art. IV. - *Utrum anima Christi videat Verbum sive divinam essentiam clarius qualibet alia creatura.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia visio divinae essentiae convenit omnibus beatis secundum participationem luminis derivati in eos a fonte Verbi Dei, secundum illud Eccli. i, 5: *Fons sapientiae, Verbum Dei in excelsis.* Huic autem Verbo Dei propinquius conjungitur anima Christi, quae est unita Verbo in persona, quam quaevis alia creatura. Et ideo plenius recipit influentiam luminis, in quo Deus videtur ab ipso Verbo, quam quaecumque alia creatura. Et ideo prae caeteris creaturis perfectius videt ipsam primam veritatem, quae est Dei essentia, licet absolute considerando, possit esse aliquis gradus altior sublimiorque secundum infinitam divinae potentiae. (Ad 3m).

QUAESTIO XI

De scientia indita vel infusa animae Christi

Deinde considerandum est de scientia indita vel infusa animae Christi; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum secundum scientiam inditam vel infusam Christus omnia sciat.*

RESP. AFF. - *Scil. : omnia,* sive secundum potentialitatem naturalem animae ejus, sive secundum potentialitatem obedientialem.

R. EST: quia, ut dictum est (qu. ix, art. 1), conveniens fuit ut anima Christi omnino esset perfecta per hoc quod ejus potentialitas sit re-

ducta ad actum. In anima autem humana, sicut in qualibet creatura, est duplex potentia passiva: una quidem naturalis, per comparisonem ad agens naturale; alia vero per comparisonem ad agens primum, et haec consuevit vocari potentia obedientiae in creatura. Utraque autem potentia animae Christi fuit reducta in actum, secundum hanc scientiam divinitus inditam. – Et primo quidem cognovit quaecumque ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis, sicut sunt quaecumque pertinent ad scientias humanas; secundo vero omnia illa quae per revelationem divinam hominibus innotescunt.

NOTANDUM: Christus ante passionem non solum fuit viator, sed etiam comprehensor; unde anima ejus poterat cognoscere substantias separatas per modum quo cognoscit anima separata. (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum Christus hac scientia uti potuerit, non convertendo se ad phantasmata.*

RESP. AFF. – R. EST: quia anima hominis viatoris indiget converti ad phantasmata ex hoc quod est corpori obligata. Christus autem in statu ante passionem fuit simul viator et comprehensor, ut infra magis patebit (qu. xv, art. 10). Est autem haec conditio animae comprehensoris, ut nullo modo subdatur corpori, aut ab eo dependeat, sed totaliter ei dominetur. Et ideo animae beatæ et ante resurrectionem, et post, intelligere possunt absque conversione ad phantasmata, licet non absque specie intelligibili. (Ad 1m). Et hoc etiam oportet dicere de anima Christi, quae plene habuit facultatem comprehensoris.

NOTANDUM: Licet anima Christi potuerit intelligere non convertendo se ad phantasmata, poterat tamen intelligere, se ad phantasmata convertendo. Et ideo sensus non fuerunt frustra in

ipsa: praesertim cum sensus non dentur homini solum ad scientiam intellectivam, sed etiam ad necessitatem vitae animalis. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum haec scientia fuerit collativa.*

RESP. AFF. - *Scil.* : fuit collativa seu discursiva: a) non quantum ad hujus scientiae acquisitionem; sed b) quantum ad usum: sicut interdum scientes ex causis concludunt effectus, non ut de novo addiscant, sed volentes uti scientia quam jam habent.

R. PRIMI EST: quia haec scientia, de qua nunc loquimur, fuit Christo divinitus indita, non per investigationem rationis acquisita.

R. SECUNDI EST: quia Christus poterat ex uno aliud concludere, sicut sibi placebat.

NOTANDUM: Quantum ad objectionem quod in angelis non est scientia discursiva seu collativa, ut patet per Dionysium (De Div. Nom. c. 7), dicendum est quod beati conformantur angelis quantum ad dona gratiarum; manet tamen differentia quae est secundum naturam: et ideo uti collatione et discursu est connaturale animabus beatorum, consequenter et animae Christi, non autem angelis. (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum haec scientia in Christo fuerit major scientia angelorum.*

RESP. NEG. - *Scil.* : a) ex parte causae influentis haec scientia Christi indita fuit multo excellentior quam scientia angelorum, et quantum ad multitudinem cognitorum, et quantum ad scientiae certitudinem; b) ex parte autem subjecti recipientis, i. e., quantum ad modum cognoscendi, haec scientia Christi est infra scientiam angelorum.

R. PRIMI EST: quia lumen spiritualis gratiae, quod est inditum animae Christi, est multo excellentius quam lumen quod pertinet ad naturam angelicam.

R. SECUNDI EST: quia modus cognoscendi hujus scientiae, quod est per conversionem ad phantasmata et per collationem et discursum, est animae humanae naturalis.

Art. V. – *Utrum haec scientia fuerit habitualis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia scientia Christi indita fuit ejusdem rationis cum scientia nostra; nam receptum est in recipiente per modum recipientis. Modus autem connaturalis animae humanae est ut recipiat scientiam per modum habitus. Et ideo dicendum est quod scientia indita animae Christi fuit habitualis; et poterat ea uti quando volebat.

Art. VI. – *Utrum haec scientia fuerit distincta per diversos habitus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia scientia indita animae Christi habuit modum connaturalem animae humanae. Est autem connaturale animae humanae ut recipiat species in minori universalitate quam angeli: ita scilicet quod diversas naturas specificas per diversas species intelligibiles cognoscat. Ex hoc autem contingit quod in nobis sint diversi habitus scientiarum. Et ideo scientia indita animae Christi fuit distincta secundum diversos habitus.

QUAESTIO XII

De scientia animae Christi acquisita

Deinde considerandum est de scientia animae Christi acquisita vel experimentalis; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum secundum hanc scientiam Christus cognoverit omnia.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sicut ad perfectionem intellectus possibilis, quo est omnia fieri, ponitur

in anima Christi scientia indita, qua scivit omnia illa ad quae intellectus possibilis est quocumque modo in potentia; ita ad perfectionem intellectus agentis, quo est omnia facere, conveniens est ut ponatur in anima Christi scientiam acquisitam, qua scivit omnia illa quae possunt sciri per actionem intellectus agentis.

NOTANDUM: Licet sensibus corporalibus Christi non fuerint subjecta omnia sensibilia, fuerint tamen sensibus ejus subjecta aliqua sensibilia, ex quibus propter excellentissimam vim rationis ejus, potuit in aliorum notitiam devenire. (Ad 2m). Et ideo secundum istam scientiam anima Christi non simpliciter cognovit omnia, sed illa omnia quae per lumen intellectus agentis homini sunt cognoscibilia. Unde per hanc scientiam non cognovit essentias substantiarum separatarum, nec singularia praeterita, praesentia et futura, quae tamen cognovit per scientiam inditam, ut supra dictum est (in corp. art. et qu. praec.). - (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum Christus in hac scientia profecerit.**

RESP. AFF. - *Scil.:* Christus in hac scientia acquisita profecit et quantum ad essentiam seu habitum hujus scientiae, et quantum ad effectum.

R. PRIMI EST: quia inconveniens videtur quod aliqua naturalis actio intelligibilis Christo deesset. Cum autem extrahere species intelligibiles a phantasmatibus sit quaedam naturalis actio hominis secundum intellectum agentem, conveniens videtur hanc etiam actionem in Christo ponere. Et ex hoc sequitur quod in anima Christi aliquis habitus scientiae fuerit, qui per hujusmodi abstractionem specierum potuerit augmentari; ex hoc scilicet quod intellectus agens post primas

(*) De fide est scientiam beatam et infusam in Christo non profecisse, sed quoad scientiam acquisitam res inter theologos controversatur.

species intelligibiles abstractas a phantasmatibus poterat etiam alias et alias abstrahere.

R. SECUNDI EST: quia Christus in scientia et gratia profecit, sicut et in aetate; quia scilicet secundum augmentum aetatis opera majora faciebat, quae majorem scientiam et gratiam demonstrabant.

NOTANDUM: Haec scientia acquisita in Christo semper fuit perfecta secundum tempus; licet non semper fuerit perfecta simpliciter et secundum naturam, et ideo potuit habere augmentum. (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum Christus aliquid ab homine didicerit.*

RESP. NEG. - R. EST: quia Christus constitutus est a Deo caput Ecclesiae, quinimo omnium hominum, ut supra dictum est (qu. viii, art. 3), ut non solum omnes per ipsum gratiam acciperent, sed etiam ut omnes ab eo doctrinam veritatis reciperent. Et ideo non fuit conveniens ejus dignitati ut a quocumque homine doceretur; quod si aliquando alios interrogabat, hoc faciebat, non ut aliquid addiceret, sed ut interrogans erudiret. (Ad 1m). Quod si aliquando etiam auditum suum sermonibus aliorum accomodavit, hoc fecit Dominus quia quod congruebat aetati ejus faciebat. (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum Christus aliquid acceperit ab angelis.*

RESP. NEG. - Scil. : a) neque quantum ad scientiam experimentalem; b) neque quantum ad scientiam infusam.

R. PRIMI EST: quia ad scientiam experimentalem seu acquisitam non requiritur lumen angelicum, sed sufficit lumen intellectus agentis; et haec scientia fuit in Christo perfecta.

R. SECUNDI EST: quia etiam scientia indita seu infusa fuit in Christo perfecta. Sicut enim supra communem modum creaturae anima illa Christi unita est Verbo in unitate personae; ita supra communem modum hominum immediate ab ipso Dei Verbo repleta est scientia et gratia. Angeli autem etiam ex influenza Verbi rerum scientiam in sui principio acceperunt.

NOTANDUM: Illa confortatio angeli, de qua Lc. xxii, 43, non fuit per modum instructionis, sed ad demonstrandam proprietatem humanae naturae, et ut in nobis fides incarnationis confirmetur. (Ad 1m).

QUAESTIO XIII

De potentia animae Christi

Deinde considerandum est de potentia animae Christi; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter.*

RESP. NEG. - R. EST: quia potentia activa cujuslibet rei consequitur naturam ipsius. Natura autem divina est ipsum esse Dei incircumscriptum; et inde est quod habet potentiam activam respectu omnium quae possunt habere rationem entis: quod est habere omnipotentiam. Cum igitur anima Christi sit pars humanae naturae, impossibile est quod omnipotentiam habeat.

Art. II. - *Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.*

RESP. NEG. - R. EST: quia si loquamur de anima Christi secundum propriam naturam et virtutem sive naturalem, sive gratuitam, potentiam habuit ad illos effectus faciendos qui sunt animae convenientes; puta ad gubernandum corpus, et ad

disponendos humanos actus; et etiam ad illuminandum per gratiae et scientiae plenitudinem omnes creaturas racionales ab ejus perfectione deficientes, per modum quo est conveniens creaturae rationali. Si autem loquamur de anima Christi, secundum quod est instrumentum Verbi sibi uniti, sic habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, ordinabiles ad incarnationis finem, qui est instaurare omnia, sive quae in caelis, sive quae in terris sunt. Immutationes vero creaturarum, secundum quod sunt vertibiles in nihil, correspondent creationi rerum; prout scilicet producuntur ex nihilo. Et ideo sicut solus Deus potest creare, ita solus potest creaturas in nihilum redigere; qui etiam solus eas in esse conservat, ne in nihilum decidant. Sic ergo dicendum est quod anima Christi non habet omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

NOTANDUM: Gratia virtutum seu miraculorum data est animae Christi excellentissimo modo, ut scilicet non solum ipse miracula faceret, sed etiam ut hanc gratiam in alios transfunderet. (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis.*

RESP. NEG. – *Scil.:* anima Christi, secundum propriam naturam et virtutem, sicut non poterat immutare exteriora corpora a cursu et ordine naturae, ita etiam non poterat immutare proprium corpus a naturali dispositione.

R. EST: quia anima Christi, secundum propriam naturam, habet *determinatam* proportionem ad suum corpus. – Secundum autem quod anima Christi est instrumentum unitum Verbo Dei in persona, sic subditur ejus potestati totaliter omnis dispositio proprii corporis: talis tamen omnipo-

tentia magis attribuitur Verbo Dei quam animae Christi.

Art. IV. - *Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis suae voluntatis.*

RESP. AFF. - *Scil.*: anima Christi virtute propria ea omnia efficere potuit, quae per seipsam efficere voluit.

R. EST: quia non conveniret sapientiae Christi animae ut aliquid vellet per se facere quod suae virtuti non subjaceret. Quaedam vero, sicut resurrectio proprii corporis et alia hujusmodi miraculosa opera, non poterat propria virtute, sed secundum quod erat instrumentum Divinitatis, ut dictum est (art. 2 huj. qu.).

NOTANDUM: Quantum ad illa quae fiebant ab hominibus contra voluntatem Christi, e. g. quod ipsi patefaciebant miracula ejus, potest dici quod haec voluntas Christi non fuit de eo quod per eam fiendum erat, sed de eo quod erat fiendum per alios, quod non subiacebat humanae voluntati ipsius. (Ad 1m). Item, praeceptum illud designabat voluntatem ipsius, qui humanam gloriam refugiebat, secundum illud Jn. viii, 50: *Ego gloriam meam non quaero*. Volebat tamen *absolute*, praesertim secundum divinam voluntatem, ut publicaretur miraculum factum propter aliorum utilitatem. (Ad 2m).

QUAESTIO XIV

De defectibus corporis assumptis a Filio Dei

Deinde considerandum est de defectibus quod Christus in humana natura assumpsit: et primo, de defectibus corporis; secundo, de defectibus animae. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum Filius Dei in humana natura assumere debuerit corporis defectus.*

RESP. AFF. - *Scil.*: conveniens fuit corpus assumptum a Filio Dei humanis infirmitatibus

et defectibus subjacere; et praecipue propter tria.

PRIMA R. EST propter *finem* incarnationis: quia ad hoc Filius Dei, carne assumpta, venit in mundum, ut pro peccato humani generis satisfaceret. Unus autem pro peccato alterius satisfacit, dum poenam pro peccato alterius debitam in se suscipit. Unde de Christo dicit Is. liii, 4, quod *Vere languores nostros ipse tulit*.

SECUNDA R. EST propter *fidem* incarnationis: quia si sine his defectibus Filius Dei humanam naturam assumpsisset, videretur non fuisse verus homo, nec veram carnem habuisse, sed phantasticam, ut Manichaei posuerunt.

TERTIA R. EST propter *exemplum*: quia passionem et defectus humanos fortiter tolerando, nobis exemplum exhibuit patientiae; unde dicitur Hebr. xii, 3: *Sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes*.

NOTANDUM: Quantum ad difficultatem quomodo corpus Christi pati potuit, si anima Christi erat beata, dicendum est quod secundum naturalem habitudinem, quae est inter animam et corpus, ex gloria animae redundat gloria ad corpus. Sed haec naturalis habitudo in Christo subiacebat voluntati Divinitatis ipsius, ex qua factum est quod beatitudo remaneret in anima et non derivaretur ad corpus; sed caro pateretur quae conveniunt naturae passibili, secundum illud quod Damascenus dicit (Orth. fid. lib. iii, c. 15), quod « beneplacito divinae voluntatis permittebatur carni pati, et operari quae propria ». (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum Christus necessitatem his defectibus subjacendi assumpserit.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) non assumpsit necessitatem coactionis, secundum quod talis necessitas repugnat voluntati divinae vel voluntati Christi

humanae absolute; sed *b*) assumpsit talem necessitatem (coactionis) secundum quod repugnat naturali motui voluntatis; *c*) assumpsit etiam necessitatem naturalem quae consequitur materiam, scil. corporis Christi.

R. PRIMI EST: quia necessitas defectibus subjacendi in Christo sequebatur ejus rationem deliberantem.

R. SECUNDI EST: quia naturalis motus voluntatis Christi naturaliter refugit mortem, et etiam corporis nocumenta.

R. TERTII EST: quia corpus Christi subjectum fuit necessitati mortis et aliorum hujusmodi defectuum: quia, sicut dictum est (art. praec. ad 2m), «beneplacito divinae voluntatis carni Christi permittebatur agere, et pati quae propria». Haec autem necessitas causatur ex principiis humanae naturae.

Art. III. - *Utrum Christus defectus corporales contraxerit.*

RESP. NEG. - R. EST: quia contrahi illud proprie dicitur quod simul cum sua causa ex necessitate trahitur. Causa autem mortis et horum defectuum in humana natura est peccatum. Christus autem accepit naturam humanam absque peccato in illa puritate in qua erat in statu innocentiae: et simili modo potuisset assumere humanam naturam absque defectibus. Sic igitur patet quod Christus non contraxit hos defectus corporales, quasi ex debito peccati eos suscipiens, sed ex propria voluntate.

NOTANDUM: Causa mortis et aliorum corporali-um defectum in humana natura est duplex: una quidem remota, quae accipitur ex parte principiorum materialium humani corporis, inquantum est ex contrariis compositum. Sed haec causa impedi-

batur per originalem justitiam. Et ideo proxima causa mortis et aliorum defectuum est peccatum, per quod subtracta est originalis justitia. Et propter hoc, quia Christus fuit sine peccato, dicitur non contraxisse hujusmodi defectus, sed voluntarie assumpsisse. (Ad 2m).

Art. IV. – Utrum Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit.

RESP. NEG. – Scil. : a) Christus non assumpsit defectus scientiae et gratiae, puta ignorantiam, pronitatem ad malum, et difficultatem ad bonum; b) neque defectus illos qui ex quibusdam particularibus causis consequuntur, sicut lepra, et morbus caducus, et alia hujusmodi; c) sed illos defectus assumpsit qui in omnibus hominibus communiter inveniuntur ex peccato primi parentis, sicut mors, fames, sitis, et alia hujusmodi.

R. PRIMI EST: quia perfectio scientiae et gratiae requirebatur in Christo ad satisfaciendum pro peccato humanae naturae.

R. SECUNDI EST: quia tales defectus quandoque causantur ex culpa hominis, puta ex inordinato victu; quandoque autem ex defectu virtutis formativae: quorum neutrum convenit Christo: quia et caro ejus de Spiritu sancto concepta est, qui est infinitae sapientiae et virtutis, errare et deficere non potens; et ipse nihil inordinatum in regimine suae vitae exercuit.

R. TERTII EST: quia Christus illos defectus assumere debuit, qui consequuntur ex peccato communi totius naturae, qui sufficiebant ad satisfaciendum pro ipso peccato totius humanae naturae (ad 2m), et ideo dicuntur naturales et indetractabiles: quia consequuntur communiter totam naturam humanam, et defectum scientiae et gratiae in Christo non important.

QUAESTIO XV

De defectibus animae a Christo assumptis

Deinde considerandum est de defectibus pertinentibus ad animam; et circa hoc quaeruntur decem:

Art. I. - *Utrum in Christo fuerit peccatum.*

RESP. NEG. - *Scil.:* Christus nullo modo assumpsit defectum peccati nec originalis, nec actualis, secundum illud quod dicitur I. Petr. ii, 22: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.*

R. EST: quia Christus suscepit defectus nostros, ut pro nobis satisfaceret, et ut veritatem humanae naturae comprobaret, et ut nobis fieret exemplum virtutis. Secundum quae tria manifestum est quod defectum peccati assumere non debuit, ut patet.

Art. II. - *Utrum in Christo fuerit fomes peccati.*

RESP. NEG. - R. EST: quia ad rationem fomitis pertinet inclinatio sensualis appetitus in id quod est contra rationem, et ideo in id quod est contra rationem virtutis. In Christo autem fuit virtus secundum perfectissimum gradum. Unde in Christo fomes peccati non fuit. Nec iste defectus (fomitis) est ordinabilis ad satisfaciendum, sed potius inclinatur ad contrarium satisfactionis.

Art. III. - *Utrum in Christo fuerit ignorantia.*

RESP. NEG. - R. EST: quia sicut in Christo fuit plenitudo gratiae et virtutis, ita in ipso fuit plenitudo omnis scientiae, ut ex praedictis patet (qu. vii, art. 9, et qu. ix, art. 1).

Art. IV. – *Utrum anima Christi fuerit passibilis.*

RESP. AFF. – *Scil.* : a) cum passione corporali, b) tum passione animali, seu secundum operationem animae, quae vel est propria animae, vel principalius est animae quam corporis.

R. PRIMI EST: quia cum anima sit forma corporis, consequens est quod unum sit esse animae et corporis; et ideo corpore perturbato per aliquam corpoream passionem, necesse est quod anima per accidens perturbetur; scilicet quantum ad esse, quod habet in corpore.

R. SECUNDI EST: quia in Christo fuerint affectiones appetitus sensitivi, quae propriissime passionibus dicuntur, sicut et caetera quae ad naturam hominis pertinent. – Sciendum tamen est quod huiusmodi passionibus aliter fuerunt in Christo quam in nobis, quantum ad tria. Primo quidem quantum ad objectum: quia in nobis plerumque huiusmodi passionibus feruntur ad illicita, quod in Christo non fuit. Secundo, quantum ad principium: quia huiusmodi passionibus frequenter in nobis praeveniunt iudicium rationis; sed in Christo omnes motus sensitivi appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis. Tertio, quantum ad effectum; quia in nobis quandoque huiusmodi motus non sistunt in appetitu sensitivo, sed trahunt rationem, quod in Christo non fuit.

Art. V. – *Utrum in Christo fuerit dolor sensibilis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ad veritatem doloris sensibilis requiritur laesio corporis, et sensus laesionis. Corpus autem Christi laedi poterat, quia erat passibile et mortale; nec defuit ei sensus laesionis, cum anima Christi perfecte haberet omnes potentias naturales. Unde nulli dubium debet esse quin in Christo fuerit verus dolor.

NOTANDUM: Dolor tamen fuit in Christo non ex necessitate reatus peccati: quae quidem necessitas in Christo non fuit, sed solum necessitas naturalium principiorum. (Ad 2m).

Art. VI. - *Utrum in Christo fuerit tristitia.*

RESP. AFF. - R. EST: quia motivum tristitiae est nocivum, seu malum interius apprehensum sive per rationem, sive per imaginationem, ut in secunda parte habitum est (I-II, qu. xxxiii, art. 2), sicut cum aliquis tristatur de amissione gratiae vel pecuniae. Anima autem Christi potuit interius aliquid apprehendere ut nocivum et quantum ad se, sicut passio et mors ejus fuit, et quantum ad alios, sicut peccatum discipulorum, vel etiam Judaeorum occidentium ipsum. Et ideo sicut in Christo potuit esse verus dolor, ita potuit in eo esse vera tristitia; alio tamen modo quam in nobis, secundum illa tria quae supra assignata sunt. (Art. 4 huj. qu.).

NOTANDUM: Tristitia fuit in Christo non secundum perfectam passionem, avertentem scilicet hominem ab eo quod est rationis; sed secundum propassionem. Unde dicitur (Mt. xxvi, 37): *Caepit contristari, et maestus esse.* « Aliud est enim contristari, et aliud incipere contristari », ut Hieronymus dicit (in Mt. l. c.). - (Ad 1m).

Art. VII. - *Utrum in Christo fuerit timor.*

RESP. AFF. - *Scil.:* in Christo fuit timor: a) respectu imminentis futuri mali; b) non autem quoad eventus incertitudinem.

R. PRIMI EST: quia in Christo appetitus sensitivus naturaliter refugit corporis laesionem, per tristitiam quidem si laesio est praesens, per timorem vero si est futura: quem timorem, sicut et tristitiam, Christus voluntarie assumpsit ad comprobendam veritatem humanae naturae (Ad 2m). - Talis tamen timor fuit in Christo non ut

perfecta passio, sed secundum propassionem, ut dictum est de tristitia. (Ad 1m).

R. SECUNDI EST: quia in Christo, cum omnia sciret, non fuit incertitudo eventuum.

Art. VIII. – *Utrum in Christo fuerit admiratio.*

RESP. AFF. – *Scil.*: in Christo fuit admiratio secundum scientiam experimentalem, non autem secundum scientiam beatam vel etiam infusam.

R. EST: quia secundum scientiam experimentalem poterant ei quotidie aliqua nova occurrere. Unde licet Christus nihil ignoraret, poterat tamen aliquid de novo occurrere experimentali ejus scientiae, ex quo admiratio causaretur. (Ad 1m). Secundum autem scientiam divinam et etiam inditam non poterat aliquid in Christo esse novum et insolitum.

Art. IX. – *Utrum in Christo fuerit ira.*

RESP. AFF. – *Scil.*: fuit in Christo ira per zelum, secundum illud (Ps. lxxviii, 10): *Zelus domus tuae comedit me*; non autem fuit in ipso ira per vitium.

R. EST: quia ira per zelum provenit ex tristitia et recto appetitu vindictae: scilicet sequitur ipsam rationem et est secundum ordinem justitiae. Haec autem fuerunt in Christo. Non autem fuit in Christo ira per vitium, quae est per appetitum vindictae absque ordine rationis, et ideo est peccatum.

Art. X. – *Utrum Christus simul fuerit viator et comprehensor.*

RESP. AFF. – *Scil.*: Christus habebat beatitudinem quantum ad id quod est proprium animae, et sic fuit comprehensor; sed quantum ad alia deerat ei beatitudo, et secundum hoc fuit viator.

R. PRIMI EST: quia Christus ante passionem *secundum mentem* plene videbat Deum; et sic habebat beatitudinem quantum ad id quod est proprium animae.

R. SECUNDI EST: quia et anima ejus erat passibilis et corpus passibile et mortale, ut supra dictum est (art. 4, huj. qu., et qu. xiv, art. 1 et 2).

QUAESTIO XVI

De consequentibus unionem, quantum ad ea quae conveniunt Christo secundum esse et fieri - Seu de communicatione idiomatum, sive de modo loquendi de mysterio incarnationis

Deinde considerandum est de his quae consequuntur unionem: et primo, quantum ad ea quae conveniunt Christo secundum se; secundo, de his quae conveniunt Christo per comparisonem ad Deum Patrem; tertio, de his quae conveniunt Christo per comparisonem ad nos. Circa primum duplex consideratio occurrit. Prima, quidem, de his quae conveniunt Christo secundum esse et fieri; secunda, de his quae conveniunt Christo ratione unitatis. Circa primum quaeruntur duodecim:

Art. I. - *Utrum haec sit vera: Deus est Homo.*

RESP. AFF. - *Scil.:* supponendo, secundum veritatem catholicae fidei, quod vera natura divina unita est cum vera natura humana, non solum in persona, sed etiam in supposito vel hypostasi, dicimus hanc propositionem esse veram et propriam: *Deus est homo*, non solum propter veritatem terminorum, quia scilicet Christus est verus Deus et verus homo, sed etiam propter veritatem praedicationis.

R. EST: quia nomen significans naturam communem in concreto, potest supponere pro quo-

libet contentorum sub natura communi; sicut hoc nomen *homo* potest supponere pro quolibet homine singulari. Et ita hoc nomen *Deus* ex ipso modo suae significationis potest supponere pro persona Filii Dei, ut etiam in prima parte habitum est (qu. xxxix, art. 4). De quolibet autem supposito alicujus naturae potest vere et proprie praedicari nomen significans illam naturam in concreto; sicut de Socrate et Platone proprie et vere praedicatur *homo*. Quia ergo persona Filii Dei, pro qua supponit hoc nomen *Deus*, est suppositum naturae humanae, vere et proprie hoc nomen *homo* potest praedicari de hoc nomine *Deus*, secundum quod supponit pro persona Filii Dei. — Hinc dicitur in symb. Athanas.: « Perfectus Deus et perfectus homo ex anima rationali et humana carne subsistens ».

Art. II. — *Utrum haec sit vera: Homo est Deus.*

RESP. AFF. — *Scil.*: supposita veritate utriusque naturae, divinae scilicet et humanae, et unione in persona, et hypostasi, haec est vera et propria: *Homo est Deus*, sicut et ista: *Deus est homo*.

R. EST: quia hoc nomen *homo* potest supponere pro qualibet hypostasi humanae naturae; et ita potest supponere pro persona Filii Dei, quam dicimus esse hypostasim humanae naturae. Manifestum est autem quod de persona Filii Dei vere et proprie praedicatur hoc nomen *Deus*, ut in prima parte habitum est (qu. xxxix, art. 3 et 4). Unde relinquitur quod haec sit vera et propria: *Homo est Deus*.

Art. III. — *Utrum Christus possit dici homo dominicus.*

RESP. NEG. — R. EST: quia de persona Filii Dei praedicatur *Deus* et *Dominus* essentialiter; et

ideo non debet praedicari denominative (et participative); quia hoc derogat veritati unionis. Unde cum *dominicus* dicatur denominative a Domino, non potest vere et proprie dici quod homo ille sit dominicus, sed magis quod sit Dominus. E contra, humana natura non dicitur essentialiter *dea*, sed *deificata*, non quidem per conversionem ipsius in divinam naturam, sed per conjunctionem ad divinam naturam in una hypostasi.

Art. IV. - *Utrum ea quae conveniunt Filio hominis possint praedicari de Filio Dei, et e converso.*

RESP. AFF. - Contra Nestorium, qui ponebat in Christo duae hypostases.

R. EST: quia cum sit eadem hypostasis utriusque naturae, eadem hypostasis supponitur nomine utriusque naturae. Sive ergo dicatur homo, sive Deus, supponitur hypostasis divinae et humanae naturae. Et ideo de homine possunt dici ea quae sunt divinae naturae tanquam de hypostasi divinae naturae; et de Deo possunt dici ea quae sunt humanae naturae, tanquam de hypostasi humanae naturae. Tamen ea quae sunt divinae naturae praedicantur de Christo secundum divinam naturam; ea autem quae sunt humanae naturae, praedicantur de eo secundum humanam naturam. Unde si ea quae ad defectum pertinent, Deo attribuerentur secundum divinam naturam, esset blasphemia, quasi pertinens ad diminutionem honoris ipsius; non autem pertinet ad Dei injuriam, si attribuantur ei secundum naturam assumptam. (Ad 2m). •

Art. V. - *Utrum ea quae conveniunt Filio hominis possint praedicari de divina natura, et de humana ea quae conveniunt Filio Dei.*

RESP. NEG. - R. EST: quia ea quae sunt unius naturae non possunt de alia praedicari, secundum

quod in abstracto significantur. Unde ea quae sunt divinae naturae dicuntur de humana natura, non secundum quod essentialiter competunt divinae naturae, sed secundum quod participative derivantur ad humanam naturam: unde ea quae participari non possunt a natura humana (sicut esse increatum aut omnipotentem), nullo modo de humana natura dicuntur. Divina autem natura nihil participative accipit ab humana natura: et ideo ea quae sunt humanae naturae, nullo modo possunt dici de divina natura. (Ad 3m).

Art. VI. – *Utrum haec sit vera: Deus factus est homo.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia unumquodque dicitur esse factum illud quod de novo incipit praedicari de ipso. Esse autem hominem vere praedicatur de Deo, sicut dictum est (art. 1 hujus quaes.); ita tamen quod non convenit Deo esse hominem ab aeterno, sed ex tempore per assumptionem humanae naturae.

NOTANDUM: Esse hominem non convenit Deo absolute, ut patet, sed relative, scil. ratione unionis. Et ideo esse hominem praedicatur de novo de Deo absque ejus mutatione per mutationem humanae naturae, quae assumitur in divinam personam. Et ideo cum dicitur *Deus factus est homo*, non intelligitur aliqua mutatio ex parte Dei, sed solum ex parte humanae naturae. (Ad 2m).

Art. VII. – *Utrum haec sit vera: Homo factus est Deus.*

RESP. NEG. – **Scil.:** a) haec propositio: *Homo factus est Deus*, est falsa si *ly factus* determinet absolute vel subjectum vel praedicatum; b) est vera si *ly factus* determinet compositionem; c) est falsa si proprie intelligatur, scil. secundum quod hoc participium *factus* ponat fieri circa hominem in respectu ad Deum, sicut ad terminum factionis.

R. PRIMI EST: quia neque homo ille de quo Deus praedicatur, est factus, neque Deus est factus, ut infra dicitur (art. 8 et 9 seq.): et sub eodem sensu haec est falsa: *Deus factus est homo*.

R. SECUNDI EST: quia sic sensus esset: factum est ut ex illa susceptione incarnationis, homo sit Deus. Et sub hoc sensu utraque est vera, et *Homo factus est Deus*, et *Deus factus est homo*.

R. TERTII EST: quia secundum hunc sensum, cum dicitur: *Homo factus est Deus*, *ly homo* habet personalem suppositionem. Esse autem Deum non verificatur de homine ratione humanae naturae, sed ratione suppositi sui. Suppositum autem illud humanae naturae, de quo verificatur esse Deum, est idem quod hypostasis, seu persona Filii Dei, quae semper fuit Deus. Unde non potest dici quod iste homo incoepit esse Deus, vel quod fiat Deus, aut quod factus sit Deus. Si vero esset alia persona vel hypostasis Dei et hominis, ita quod esse Deum praedicaretur de homine, et e converso, per quamdam conjunctionem suppositorum, vel dignitatis personalis, vel affectionis, vel inhabitationis, ut Nestoriani dixerunt; tunc pari ratione posset dici quod homo factus est Deus, id est, conjunctus Deo, sicut et quod Deus factus est homo, id est, conjunctus homini.

Art. VIII. - *Utrum haec sit vera: Christus est creatura.*

RESP. NEG. - *Scil.*: non est absolute dicendum quod Christus *sit creatura*, vel *minor Patre*; sed cum determinatione, scil. secundum humanam naturam.

R. EST: quia ea de quibus suspicari non potest quod divinae personae conveniant secundum seipsam, possunt simpliciter dici de Christo ratione humanae naturae; sicut simpliciter dicimus

Christum esse passum, mortuum et sepultum. Ea vero quae in dubitationem venire possunt an convenient toti vel parti, si insunt alicui parti, non attribuimus toti simpliciter, id est, sine determinatione; sed attribuimus toti, cum determinatione, ut non sit confusio, nec occasio detur haereticis dicentibus Christum esse minorem Patre etiam ratione divinae personae.

Art. IX. – *Utrum haec sit vera : Iste homo, demonstrato Christo, incoepit esse.*

RESP. NEG. – *Scil. :* non est dicendum quod *ille homo*, demonstrato Christo, *incoeperit esse*, si nihil addatur.

PRIMA R. EST: quia in hoc quod dicitur, *iste homo*, demonstrato Christo, designetur suppositum, scil. aeternum: unum est enim suppositum in Christo. Aeternitati autem repugnat incipere esse.

SECUNDA R. EST: quia etiamsi esset vera, non tamen esset ea utendum absque determinatione; ad evitandam haeresim Arii; quia personae Filii Dei attribuit quod esset creatura, et quod esset minor Patre, ita attribuit ei quod esse incoeperit, dicens quod erat quando non erat, i. e. quod erat aliqua duratio quando non erat adhuc Filius Dei.

NOTANDUM: Hoc nomen *homo*, secundum quod accipitur pro Christo, licet significet humanam naturam, quae incoepit esse, tamen supponit suppositum aeternum, quod esse non incoepit. Et ideo, quia secundum quod ponitur in subjecto, tenetur pro supposito, secundum autem quod ponitur in praedicatione, refertur ad naturam; ideo haec est falsa: *Homo Christus esse incoepit*; sed haec est vera: *Christus incoepit esse homo*. (Ad 3m).

Art. X. – *Utrum haec sit vera : Christus, secundum quod homo, est creatura.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) si in hac propositione hoc nomen *homo* resumatur in reduplicatione ra-

tione suppositi, est falsa; b) si resumatur in ratione humanae naturae, est vera.

R. PRIMI EST: quia suppositum humanae naturae in Christo est aeternum et increatum.

R. SECUNDI EST: quia ratione humanae naturae, sive secundum humanam naturam, convenit Christo esse creaturam, ut supra dictum est (art. 8 huj. qu.).

Art. XI. - *Utrum haec sit vera: Christus, secundum quod homo, est Deus.*

RESP. NEG. - *Scil.:* etiam in reduplicatione suppositi sumpta, haec propositio magis est neganda, quam affirmanda.

R. EST: quia quamvis verum sit quod Christus, secundum quod homo, ratione suppositi, est Deus; tamen terminus *homo* in reduplicatione positus magis proprie tenetur pro natura quam pro supposito; resumitur enim in vi praedicati, non autem in vi subjecti: natura autem humana Christi non est Deus.

Art. XII. - *Utrum haec sit vera: Christus, secundum quod homo, est hypostasis vel persona.*

RESP. NEG. - *Scil.:* a) cum dicitur: *Christus, secundum quod homo, est persona*, si accipiatur, ratione suppositi, manifestum est quod Christus secundum quod homo, est persona; b) si autem accipiatur ratione naturae, ut intelligatur quod naturae humanae competat esse in aliqua persona, hoc etiam modo verum est: c) si autem ly *homo* accipiatur ratione naturae ut intelligatur quod naturae humanae competat esse in Christo, ut ipsi naturae humanae propria personalitas debeat, est falsa.

R. PRIMI EST: quia suppositum humanae naturae in Christo nihil est aliud quam persona Filii Dei.

R. SECUNDI EST: quia omne quod subsistit in humana natura, est persona.

R. TERTII EST: quia humana natura Christi non est per se seorsum subsistens a divina natura, quod requirit ratio personae.

QUAESTIO XVII

De pertinentibus ad unitatem in Christo quantum ad esse

Deinde considerandum est de his quae pertinent ad unitatem in Christo in communi. Nam de his quae pertinent ad unitatem vel pluralitatem in speciali, suis locis determinatum est; sicut supra determinatum est (quaes. ix), quod in Christo non est una tantum scientia, et infra determinabitur (qu. xxxv), quod in Christo non est una tantum nativitas. Considerandum est ergo: primo, de unitate Christi quantum ad esse; secundo, quantum ad velle; tertio, quantum ad operari. Circa primum quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum Christus sit unum vel duo.*

RESP.: Christus non est duo; sed est unus, et unum. - *Scil.:* Christus non solum est unus masculine, sed etiam est unum neutraliter.

R. EST: quia in Christo una est persona, et secundum hoc est *unus*; et unum suppositum, et secundum hoc est *unum*. Neutrum autem genus (suppositum) designat quiddam informe et imperfectum: genus autem masculinum (persona) designat quiddam formatum et perfectum. Dualitas autem in Christo poneretur circa ipsas naturas. Sed quia duae naturae non praedicantur de Christo, nisi prout significantur in supposito, oportet secundum rationem suppositi praedicari de Christo.

Art. II. - *Utrum in Christo sit tantum unum esse.*

RESP. AFF. - R. EST: quia natura humana conjungitur Filio Dei non accidentaliter, sicut quidam haeretici posuerunt, sed hypostatice vel personaliter, ut supra dictum est (qu. ii, art. 5 et 6). Consequens ergo est quod secundum humanam naturam non adveniat ei novum esse personale, sed solum nova habitudo esse personalis praeexistentis ad naturam humanam, ut scilicet persona illa jam dicatur subsistere non solum secundum divinam naturam, sed etiam secundum humanam.

QUAESTIO XVIII

De pertinentibus ad unitatem in Christo quantum ad voluntatem

Deinde considerandum est de unitate quantum ad voluntatem; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum in Christo sint duae voluntates.*

RESP. AFF. - *Scil.:* necesse est dicere quod in Christo sint duae voluntates, una scilicet divina, et alia humana.

R. EST: quia Filius Dei assumpsit humanam naturam perfectam, sicut supra ostensum est (qu. ii, art. 5). Ad perfectionem autem humanae naturae pertinet voluntas, quae est naturalis ejus potentia, sicut et intellectus, ut patet ex his quae in prima parte dicta sunt (qq. lxxix et lxxx). Unde necesse est dicere quod Filius Dei humanam voluntatem assumpserit cum humana natura.

NOTANDUM: Praeter voluntatem divinam oportet in Christo ponere voluntatem humanam, non solum prout est potentia naturalis, aut prout est motus naturalis, sed etiam prout est motus rationalis. (Ad 3m). Tamen quidquid fuit in humana

natura Christi, semper movebatur motu voluntatis divinae: non tamen sequitur quod in Christus non fuerit motus voluntatis proprius naturae humanae: quia etiam aliorum sanctorum piaae voluntates moventur secundum voluntatem Dei, *qui operatur in eis velle et perficere* (Philipp. ii). - (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum in Christo fuerit aliqua voluntas sensualitatis praeter rationis voluntatem.**

RESP. AFF. - **R. EST:** quia Filius Dei humanam naturam assumpsit cum omnibus quae pertinent ad perfectionem ipsius naturae humanae. In humana autem natura includitur etiam natura animalis, sicut in specie includitur genus. Unde oportet quod Filius Dei assumpserit cum humana natura etiam ea quae pertinent ad perfectionem naturae animalis: inter quae est appetitus sensitivus, qui voluntas sensualitatis dicitur, in quantum scilicet est nata obedire rationi; et voluntas dicitur per participationem.

Art. III. - *Utrum in Christo fuerint duae voluntates quantum ad rationem.*

RESP. NEG. - *Scilicet:* si loquamur de potentia voluntatis, in Christo est una voluntas humana essentialiter, et non participative dicta; si vero loquamur de voluntate quae est actus, sic distinguitur in Christo voluntas quae est ut natura, quae dicitur *θέλησις*, et fertur in finem; et voluntas quae est ratio, quae dicitur *βούλησις*, seu consiliativa.

R. EST: quia alterius rationis est actus voluntatis, secundum quod fertur in aliquid, quod est secundum se volitum, ut sanitas, quod a Damasceno vocatur *θέλησις*, i. e., simplex voluntas, et a magistris vocatur voluntas ut natura; et

(*) Nomine *sensualitatis* non intelligitur hic potentia appetitiva aut vitiosa et repugnans rationi, sed ipsa facultas naturalis.

alterius rationis est actus voluntatis, secundum quod fertur in aliquid quod est volitum solum ex ordine ad alterum, sicut est sumptio medicinae: quem quidem voluntatis actum Damascenus vocat βούλησις, i. e., consiliativam voluntatem; a magistris autem vocatur voluntas ut ratio. Haec autem diversitas actus non diversificat potentiam; quia uterque actus attenditur ad unam communem rationem objecti, quod est bonum.

Art. IV. – *Utrum in Christo fuerit liberum arbitrium.*

RESP. AFF. – R. EST: quia proprius actus liberi arbitrii est electio seu voluntas ut ratio (βούλησις) ut dictum est (qu. lxxxiii, art. 3 et 4). Et ideo cum in Christo ponatur voluntas ut ratio, i. e., consiliativa, necesse est etiam ponere electionem, et per consequens liberum arbitrium.

NOTANDUM: Voluntas Christi licet sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc vel ad illud bonum. Et ideo pertinet ad Christum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono, sicut ad beatos. (Ad 3m).

Art. V. – *Utrum voluntas humana Christi fuerit omnino conformis divinae voluntati in volito.*

RESP. NEG. – *Scil.:* Christus secundum voluntatem sensualitatis, et secundum voluntatem rationis, quae consideratur per modum naturae, aliud poterat velle quam Deus; sed secundum voluntatem quae est per modum rationis, semper idem volebat quod Deus; quod patet ex hoc ipso quod dicit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.*

R. EST: quia ex quadam dispensatione Filius Dei ante suam passionem permittebat carni agere et pati quae sunt ei propria: et similiter etiam permittebat omnibus viribus animae agere et

pati quae sunt ei propria, ut dictum est (qu. xiv, art. 1). Volebat tamen, secundum rationem, voluntatem divinam impleri; quamvis aliud dicat se velle secundum quamdam aliam ejus voluntatem.

NOTANDUM: Christus per voluntatem rationalem voluit ut divina voluntas impleretur; non autem per voluntatem sensualitatis, cujus motus non se extendit usque ad voluntatem Dei; neque per voluntatem quae consideratur per modum naturae, quae fertur in aliqua objecta absolute considerata, et non in ordine ad divinam voluntatem. (Ad 1m).

Art. VI. - *Utrum in Christo fuerit contrarietas voluntatum.*

RESP. NEG. - *Scil.:* licet voluntas naturalis et voluntas sensualitatis in Christo aliquid aliud voluerit quam voluntas divina, et voluntas rationis ipsius, non tamen fuit aliqua contrarietas voluntatum.

R. EST: quia neque voluntas naturalis (i. e., ut natura), neque voluntas sensualitatis repudiabat illam rationem, scilicet qua divina voluntas, et voluntas rationis humanae in Christo passionem volebat. Volebat enim etiam voluntas absoluta (seu absolute ac secundum se considerata ut natura) in Christo salutem humani generis, sed ejus non erat velle hoc in ordine ad aliud; motus autem sensualitatis ad hoc se extendere non valebat. Item, neque voluntas divina, neque voluntas rationis in Christo impediabatur aut retardabatur per voluntatem naturalem, aut per appetitum sensualitatis. Similiter etiam nec e contrario voluntas divina, vel voluntas rationis in Christo refugiebat, aut retardabat motum voluntatis naturalis humanae et motum sensualitatis in Christo. Placebat enim Christo secundum voluntatem divinam, et etiam secundum volun-

tatem rationis, ut voluntas naturalis in ipso, et voluntas sensualitatis secundum ordinem suae naturae moverentur. Unde patet quod in Christo nulla fuit repugnantia, vel contrarietas voluntatum.

NOTANDA: 1. Hoc ipsum quod aliqua voluntas humana in Christo aliud volebat quam ejus voluntas divina, procedebat ex ipsa voluntate divina, cujus beneplacito natura humana motibus propriis movebatur in Christo. (Ad 1m).

2. Agonia non fuit in Christo quantum ad partem animae rationalem, secundum quod importat concertationem voluntatum ex diversitate rationum procedentem; puta cum aliquis, secundum quod ratio considerat unum, vult hoc; et secundum quod considerat aliud, vult contrarium. Hoc enim contingit propter debilitatem rationis, quae non potest dijudicare quid sit simpliciter melius; quod in Christo non fuit, quia per suam rationem judicabat simpliciter esse melius quod per ejus passionem impleteretur voluntas divina circa salutem generis humani. Fuit tamen in Christo agonia quantum ad partem sensitivam, secundum quod importat timorem infortunii imminentis (Ad 3m).

QUAESTIO XIX

De pertinentibus ad unitatem Christi quantum ad operationem

Deinde considerandum est de unitate operationis Christi; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum in Christo sit una tantum operatio divinitatis et humanitatis.*

RESP. NEG. - **R. EST:** quia ubicumque movens et motum habent diversas formas, seu virtutes operativas, ibi oportet quod sit alia operatio moventis, et alia operatio propria moti; licet motum participet operationem moventis, et movens utatur operatione moti, et sic utrumque agat cum

communione alterius. Sic igitur in Christo humana natura habet propriam formam et virtutem, per quam operatur; et similiter divina. Unde humana natura habet propriam operationem distinctam ab operatione divina, et e converso. Et tamen divina natura utitur operatione naturae humanae, sicut operatione sui instrumenti; et similiter humana natura participat operationem divinae naturae, sicut instrumentum participat operationem principalis agentis. Et hoc est quod dicit Leo papa (in Epis. ad Flavian.): « Agit utraque forma, scilicet tam natura divina quam humana in Christo, cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est. Unde cum Dionysius ponit in Christo operationem θεανδρικὴν, id est, divinam virilem vel divinam humanam, non per aliquam confusionem operationum, seu virtutum utriusque naturae; sed per hoc quod divina operatio ejus utitur humana, et humana ejus operatio participat divinae virtutem operationis, ut dictum est. (Ad 1m). – Nec pluralitas operationum praëjudicat unitati personali (Ad 4m), quia quaelibet operationum est una numero in Christo simul facta, sicut ambulatio super aquas, et sanatio leprosi. (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum in Christo sint plures operationes humanae.*

RESP. NEG. – *Scil.*: multo magis est una operatio (humana) in Christo quam in quocumque alio homine.

R. EST: quia in quocumque alio homine, praeter operationem quae est propria humana, illa scil. quae a ratione procedit per voluntatem, sunt aliae operationes, scil. operatio elementaris (seu

elementorum) corporis, sicut ferri deorsum; et operatio animae vegetabilis, sicut nutritio et augeri, quae non procedunt a ratione et voluntate, et ideo non sunt simpliciter humanae; et sunt etiam operationes animae sensitivae quae aequaliter tantum sunt rationales et humanae, inquantum scil. obediunt rationi. E converso, in homine Jesu Christo nullus erat motus sensitivae partis, qui non esset ordinatus a ratione. Ipsae etiam operationes naturales et corporales aequaliter ad ejus voluntatem pertinebant, inquantum voluntatis ejus erat ut caro ejus ageret et pateretur quae sunt sibi propria, ut dictum est supra (quaes. praec., art. 5).

Art. III. - *Utrum actio humana Christi potuerit esse sibi meritoria.*

RESP. AFF. - *Scil. :* Christus nec gratiam, nec scientiam, nec beatitudinem animae, nec Divinitatem meruit; sed gloriam corporis, et ea quae pertinent ad exteriorem ejus excellentiam, sicut est ascensio, veneratio et alia hujusmodi, habuit per meritum.

R. EST: quia nobilius est quod aliquis habeat aliquod bonum per seipsum quam per aliud. Unde nobilius habetur id quod habetur per meritum, quam id quod habetur sine merito. Quia autem omnis perfectio et nobilitas Christo est attribuenda, consequens est quod ipse per meritum habuerit illud quod alii per meritum habent: nisi sit tale quid, cujus carentia magis dignitati Christi et perfectioni praejudicet quam per meritum accrescat. Unde nec gratiam, nec scientiam, etc. meruit: quia cum meritum non sit nisi ejus quod nondum habetur, oporteret quod Christus aliquando istis caruisset; quibus carere magis diminuit dignitatem Christi, quam augeat me-

ritum. Sed gloria corporis, vel si quid aliud hujusmodi est, minus est quam dignitas merendi, quae pertinet ad virtutem charitatis.

NOTANDUM: Prima causa omnium bonorum nostrorum per auctoritatem est Deus. Potest tamen secundo aliquis esse causa sibi alicujus boni habendi, in quantum scilicet in hoc ipso Deo cooperatur: et sic ille qui habet aliquid per meritum proprium, habet quodammodo illud per seipsum (In corp. art.).

Art. IV. - Utrum Christus aliis mereri potuerit.

RESP. AFF. - Scil. : ut caput Ecclesiae.

R. EST: quia in Christo non solum fuit gratia sicut in quodam homine singulari, sed sicut in capite totius Ecclesiae, cui omnes uniuntur, sicut capiti membra, ex quibus constituitur mystice una persona. Et exinde est quod meritum Christi se extendit ad alios, in quantum sunt membra ejus; sicut etiam in uno homine actio capitis aliquo modo pertinet ad omnia membra ejus, quia non solum sibi sentit, sed omnibus membris.

QUAESTIO XX

De convenientibus Christo secundum quod Patri fuit subjectus

Deinde considerandum est de his quae conveniunt Christo per comparisonem ad Patrem; quorum quaedam dicuntur de ipso secundum habitudinem ipsius ad Patrem, puta quod est ei subjectus, quod ipsum oravit; quod ei in sacerdotio ministravit; quaedam vero dicuntur vel dici possunt secundum habitudinem Patris ad ipsum, puta, si Pater eum adoptasset, et quod eum praedestinavit. Primo igitur considerandum est de subjectione Christi ad Patrem; secundo, de ejus oratione; tertio, de ejus sacerdotio; quarto, de adoptione, an ei conveniat; quinto, de ejus praedestinatione. Circa primum quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum dicendum sit Christum esse subjectum Patri.*

RESP. AFF. - Scil. : Christus non simpliciter, sed secundum humanam naturam subjectus fuit Patri: et hoc secundum bonitatem, servitutem et obedientiam.

R. EST: quia natura humana ex sui conditione habet triplicem subjectionem ad Deum. Unam quidem secundum gradum bonitatis: prout scilicet divina natura est ipsa essentia bonitatis. Natura autem creata habet quamdam participationem divinae bonitatis, quasi radiis illius bonitatis subjecta. Secundo, quantum ad Dei potestatem, prout scilicet natura humana, sicut et quaelibet creatura, subjacet operationi divinae dispositionis. Tertio, quantum ad proprium suum actum, inquantum scilicet propria voluntate obedit mandatis ejus. Et hanc triplicem subjectionem ad Patrem Christus de seipso confitetur. Primam quidem apud Mattheum, xix, 17: *Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus*; per quod dedit intelligere quod ipse secundum humanam naturam non pertingebat ad gradum bonitatis divinae. Secunda enim subjectio (scilicet servitutis) Christo attribuitur, inquantum omnia quae circa humanitatem Christi acta sunt, divina dispositione gesta creduntur: unde Dionysius dicit (De cael. hier. c. 4), quod Christus subjicitur Dei Patris ordinationibus. Et haec est subjectio servitutis, secundum quod omnis creatura Deo servit, ejus ordinationi subjecta, secundum illud Sap. xvi, 24: *Creatura tibi factori deserviens*. Et secundum hoc etiam Filius Dei dicitur formam servi accepisse (Phill. ii, 10). Tertiam autem subjectionem attribuit sibiipso (Jn. viii, 29), dicens: *Quae placita sunt ei, facio semper*. Et haec est subjectio obedientiae Patri usque ad mortem: unde dici-

tur (Phil. ii, 8): *Factus est obediens Patri usque ad mortem.*

Art. II. – *Utrum Christus sit subjectus sibiipsi.*

RESP. AFF. – *Scil.:* secundum diversitatem naturarum in una persona vel hypostasi Christi, dici potest Christum sibiipsi subjectum esse, secundum naturam humanam.

R. EST: quia Christus secundum naturam divinam, in qua cum Patre convenit, simul cum Patre praest et dominatur; secundum vero naturam humanam, in qua nobiscum convenit, Divinitati subest et servit.

QUAESTIO XXI

De oratione Christi

Deinde considerandum est de oratione Christi; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum Christo competat orare.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia in Christo praeter voluntatem divinam est etiam voluntas humana: haec autem non est per seipsam efficax ad implendum quae vult, nisi per virtutem divinam; inde est quod Christo, secundum quod est homo et humanam voluntatem habens, competit orare: oratio enim est quaedam explicatio propriae voluntatis apud Deum, ut eam impleat. Item, Christus oravit propter nostram instructionem, ut nobis exemplum orandi daret. (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum Christo conveniat orare secundum suam sensualitatem.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) Christus non oravit secundum suam sensualitatem, si oratio sumatur pro illo actu sensualitatis; b) oravit autem se-

cundum sensualitatem, in hoc sensu quod ejus oratio orando Deo proponit quod est in appetitu sensualitatis ipsius.

R. PRIMI EST: quia sensualitas in Christo fuit ejusdem naturae et speciei ac in nobis. In nobis autem non potest sensualitas orare: cum quia motus sensualitatis non potest sensibilia transcendere, tum quia oratio importat quamdam ordinationem: prout scil. aliquis desiderat aliquid quasi a Deo implendum: et hoc est solius rationis.

R. SECUNDI EST: quia secundum hoc, oratio ejus exprimebat sensualitatis affectum, tanquam sensualitatis advocata, sicut cum dixit (Mt. xxvi, 39): *Transeat a me calix iste.*

Art. III. - Utrum fuerit conveniens Christum pro se orare.

RESP. AFF. - Scil.: conveniens fuit Christum orare non modo exprimendo affectum sensualitatis, vel etiam voluntatis simplicis, quae consideratur ut natura; sicut cum oravit a se calicem passionis transferri, ut dictum est (art. praec.); sed etiam exprimendo affectum voluntatis deliberatae, quae consideratur ut ratio: sicut cum petiit gloriam resurrectionis.

R. EST: quia hoc conveniens erat ut Christus nobis daret exemplum orandi, et ut ostenderet Patrem suum esse auctorem a quo et aeternaliter processit secundum divinam naturam, et secundum naturam humanam ab eo habet quidquid boni habet. Et ideo sicut pro bonis jam perceptis in humana natura gratias agebat Patri, recognoscendo eum auctorem, ut patet Mt. xxvi, et Jn. xi, 41, ita etiam ut Patrem auctorem recognosceret, ab eo orando petebat ea quae sibi deerant secundum humanam naturam, puta glo-

riam corporis, et alia hujusmodi. Et in hoc etiam nobis dedit exemplum, ut de perceptis a nobis muneribus gratias agamus, et etiam nondum habita orando postulemus.

Art. IV. – *Utrum oratio Christi semper fuerit exaudita.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) omnis absoluta voluntas Christi, seu voluntas rationis, fuit impleta; b) non vero omnis ejus voluntas sensualitatis vel etiam ut natura.

R. PRIMI EST: quia voluntas rationis, quae simpliciter voluntas dicitur, est illa secundum quam absolute volumus; et haec fuit in Christo semper Deo conformis; et per consequens omnis ejus oratio fuit exaudita.

R. SECUNDI EST: quia voluntas sensualitatis vel etiam ut natura non est proprie dicenda voluntas sed velleitas, qua scilicet homo hoc velle, si aliud non obsisteret.

QUAESTIO XXII

De sacerdotio Christi

Deinde considerandum est de sacerdotio Christi; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum Christo conveniat esse sacerdotem.*

RESP. AFF. – *Scil.:* maxime convenit Christo esse sacerdotem.

R. EST: quia proprie officium sacerdotis est esse mediatorem inter Deum et populum, in quantum scilicet divina populo tradit; unde dicitur sacerdos, quasi *sacra dans*; et in quantum preces populi Deo offert, et pro eorum peccatis Deo aequaliter satisfacit; unde Apostolus dicit (Hebr.

v, 1): *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Hoc autem maxime convenit Christo; nam per ipsum divina dona hominibus sunt collata, secundum illud II Petri, i, 4: *Per quem, scilicet Christum, maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.* Ipse etiam humanum genus Deo reconciliavit, secundum illud Coloss. i, 19: *In ipso, scilicet Christo, complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia.*

Art. II. - *Utrum Christus simul fuerit sacerdos et hostia.*

RESP. AFF. - *Scil. :* Christus, inquantum homo, non solum fuit sacerdos, sed etiam hostia perfecta, simul existens hostia pro peccato, et hostia pacifica, et holocaustum.

R. EST: quia per humanitatem Christi, quam Ipse pro nobis Deo immolabat, nostra peccata deleta sunt, *traditus est enim propter delicta nostra* (Rom. iv, 25); - gratiam autem nos salvantem per Ipsum accepimus, secundum Illud Hebr. v, 9: *Factus est omnibus optemperantibus sibi causa salutis aeternae;* - et per Ipsum perfectionem gloriae adepti sumus (Hebr. x, 19): *Habemus fiduciam per sanguinem ejus in introitum sanctorum,* scilicet in gloriam caelestem. Haec autem habent rationem hostiae perfectae: nam propter haec tria sacrificium Deo offertur: primo quidem ad remissionem peccati, per quod a Deo avertitur; secundo ut homo in statu gratiae conservetur, semper Deo inhaerens: in quo ejus pax et salus consistit; et tertio ad hoc quod spiritus hominis perfecte Deo uniatur; quod maxime erit in gloria.

Art. III. – *Utrum effectus sacerdotii Christi sit expiatio peccatorum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Christi sacerdotium habet plenam vim expiandi peccata.

R. EST: quia per sacerdotium Christi non solum deletur macula culpae, scil. per gratiam, qua corda nostra convertuntur ad Deum, secundum illud Rom. iii, 24: *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quae est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius*; sed etiam totaliter tollitur reatus poenae per hoc quod Ipse pro nobis plenarie satisfecit, inquantum Ipse *languores nostros tulit, et dolores nostros ipse portavit* (Is. liii, 4).

NOTANDUM: Licet Christus non fuerit sacerdos, secundum quod Deus, sed secundum quod homo, unus tamen et idem fuit sacerdos et Deus. Et ideo inquantum ejus humanitas operabatur in virtute divinitatis, illud sacrificium erat efficacissimum ad delenda peccata. (Ad 1m). Quod si peccata in nova lege commemorantur, hoc fit quantum ad illos qui vel ejus sacrificii nolunt esse participes, vel etiam quantum ad illos qui post participationem hujus sacrificii ab eo deviant qualitercumque peccando. (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum effectus sacerdotii Christi non solum ad alios pertinuerit, sed etiam ad ipsum.*

RESP. NEG. – R. EST: quia Christus per seipsum ad Deum accedere potuit, secundum illud ad Hebr. vii, 25: *Accedens per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis*; et ideo non indigebat medio. Sacerdos autem dicitur per hoc quod constituitur medius inter Deum et hominem. Et ideo non competit Christo effectum sacerdotii recipere. Quod etiam apparet ex hoc quod agens in quolibet genere non est recipiens in genere illo; sicut sol illuminat, sed non

illuminatur: Christus autem est fons totius sacerdotii.

NOTANDUM: Alii sacerdotes effectum sacerdotii sui participant, non in quantum sacerdotes, sed in quantum peccatores, ut infra dicitur (art. seq. Arg. primo). Christus autem simpliciter loquendo peccatum non habuit. Habuit tamen similitudinem peccati in carne, ut dicitur Rom. viii. Et ideo non simpliciter dicendum est quod Ipse effectum sacerdotii participaverit, sed secundum quid, scilicet secundum passibilitatem carnis. Unde signanter dicit: *Qui possit illum salvum facere a morte.* (Ad 1m).

Art. V. - *Utrum sacerdotium Christi permaneat in aeternum.*

RESP. AFF. - *Scil.* : non ratione ipsius sacrificii oblationis; sed ratione sacrificii consummationis.

R. EST: quia consummatio sacrificii consistit in hoc quod illi pro quibus sacrificium offertur, finem sacrificii consequuntur. Talis autem finis sunt bona *aeterna* quae per Christi mortem adipiscimur. Unde dicitur Hebr. ix, 12, quod *Christus est assistens Pontifex futurorum bonorum*, ratione cujus Christi sacerdotium dicitur esse aeternum.

Art. VI. - *Utrum sacerdotium Christi fuerit secundum ordinem Melchisedech.*

RESP. AFF. - *Scil.* : sacerdotium Christi dicitur esse secundum ordinem Melchisedech propter excellentiam veri sacerdotii ad figurale sacerdotium legis.

R. EST: quia ipsa excellentia sacerdotii Christi ad sacerdotium leviticum fuit figurata in sacerdotio Melchisedech, qui ab Abraham decimas sumpsit, in cujus lumbis decimatus est quodammodo ipse sacerdos legalis.

NOTANDUM: Sacerdotium legale seu leviticum, quod erat figura sacerdotii Christi, neque mundabat peccata, neque erat aeternum, et in hoc a sa-

cerdotio Christi multum deficiebat. (In corp. art.)
 - Quantum autem ad ipsam oblationem, expressius figurabat sacerdotium Christi sacerdotium legale per sanguinis effusionem, quam sacerdotium Melchisedech, in quo sanguis non effundatur. Sed quantum ad participationem hujus sacrificii et ejus effectum, in quo praecipue attenditur excellentia sacerdotii Christi ad sacerdotium legale, expressius praefigurabatur per sacerdotium Melchisedech, qui offerebat panem et vinum, « significancia », ut Augustinus dicit (Tract. 26 in Jn.), « ecclesiasticam unionem, quam constituit participatio sacrificii Christi ». Unde etiam in nova lege verum Christi sacrificium communicatur fidelibus sub specie panis et vini. (Ad 2m).

QUAESTIO XXIII

De adoptione Christi

Deinde considerandum est an adoptio Christo conveniat; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum Deo conveniat filios adoptare.*

RESP. AFF. - R. EST: quia aliquis alium adoptat sibi in filium, inquantum ex sua bonitate admittit eum ad participationem suae haereditatis. Deus autem ex infinita sua bonitate, creaturas rationales ad participationem honorum suorum admittit, i. e., ad fruitionem suiipsius, per quam etiam ipse Deus beatus est.

NOTANDUM: Plus habet adoptatio divina quam humana: Deus enim hominem quem adoptat, idoneum facit per gratiae munus ad haereditatem caelestem percipiendam: homo autem non facit idoneum eum quem adoptat; sed potius eum jam idoneum eligit adoptando (In fine art.). - Item, sicut per actum creationis communicatur bonitas divina omnibus creaturis secundum quamdam similitudinem; ita per actum adoptionis communicatur similitudo naturalis filiationis hominibus, secundum illud Rom. viii, 29: *Quos praescivit conformes fieri imaginis Filii sui.* (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum adoptare conveniat toti Trinitati.*

RESP. AFF. – R. EST: quia quamvis generare in divinis sit proprium personae Patris, tamen facere quemcumque effectum in creaturis est commune toti Trinitati propter unitatem naturae: ubi est enim una natura, oportet quod sit una virtus et una operatio. Unde Dominus dicit (Jn. v, 19): *Quaecumque Pater facit, haec et Filius similiter facit.* Licet tamen adoptatio sit communis toti Trinitati, appropriatur tamen Patri ut auctori, Filio ut exemplari, Spiritui sancto ut imprimenti in nobis hujus exemplaris similitudinem. (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum adoptari sit proprium rationalis creaturae.*

RESP. AFF. – *Scil. :* per gratiam et charitatem.

R. EST: quia in adoptione creatura Verbo Dei *assimilatur* secundum unitatem quam Verbum ipsum habet ad Patrem. Hoc autem fit per gratiam et charitatem, secundum illud (Jn. xvii, 22): *Ut sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus.* Talis autem assimilatio perficit rationem adoptionis, quia sic assimilatis debetur haereditas aeterna. Et ideo (Rom. viii) Spiritus sanctus dicitur *Spiritus adoptionis filiorum.*

Art. IV. – *Utrum Christus, secundum quod homo, sit Filius Dei adoptivus.*

RESP. NEG. – *Scil. :* Christus, qui est Filius Dei naturalis, nullo modo potest dici filius adoptivus.

R. EST: quia filatio proprie convenit hypostasi vel personae, non autem naturae: filiatio enim est proprietas personalis. In Christo autem non est alia persona vel hypostasis quam increata, cui convenit esse filium per naturam. Adoptio autem est participata similitudo filiationis na-

turalis. Unde, sicut filiatio non proprie convenit naturae, ita nec adoptio (sed convenit personae). – (Ad 1m).

NOTANDUM: Gratia habitualis in Christo non facit de non filio filium adoptivum; sed est quidam effectus filiationis naturalis in anima Christi, secundum illud Jn. i, 14: *Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* (Ad 2m).

QUAESTIO XXIV

De praedestinatione Christi

Deinde considerandum est de praedestinatione Christi; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum Christo conveniat praedestinatum esse.*

RESP. AFF. – *Scil.:* ratione unionis naturarum in Persona Christi, quae facta est in tempore.

R. EST: quia praedestinatio proprie accepta est quaedam divina praeordinatio ab aeterno de his quae per gratiam Dei sunt fienda in tempore. Unio autem naturarum quae facta est in persona Christi per gratiam unionis in tempore, praeordinata fuit a Deo ab aeterno: secus sequeretur quod divinae menti aliquid de novo accideret.

NOTANDUM: Praedestinatio Christi non est intelligenda secundum naturam humanam ejus, sed secundum personam: non enim dicimus naturam alicujus praedestinari, sed ipsum suppositum. Tamen praedestinatio attribuitur personae Christi, non quidem secundum se, vel secundum quod subsistit in divina natura, sed secundum quod subsistit in humana natura. (Ad 2m); quia scilicet persona illa etsi ab aeterno fuerit Filius Dei, hoc

tamen non fuit semper quod subsistens in natura humana fuerit Filius Dei; nam aliquando incoepit esse quod in natura humana existens esset Filius Dei. (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum haec sit falsa : Christus, secundum quod homo, est praedestnatus esse filius Dei.*

RESP. NEG. - *Scil.* : praedestinatio attribuitur Christo ratione solius humanae naturae, et hoc cum ex parte ipsius praedestinationis aeternae secundum quod importat antecessorem quamdam respectu ejus quod sub praedestinatione cadit; tum ex parte effectus temporalis, qui quidem est aliquod gratuitum Dei donum.

R. EST: quia humana natura non semper fuit Verbo unita; et ei etiam hoc per gratiam est collatum, ut Filio Dei in persona uniretur. Et ideo solum ratione humanae naturae praedestinatio competit Christo. Et secundum hoc dicendum quod « Christus, secundum quod homo, est praedestnatus esse Filius Dei ». - Dicimus etiam Christum esse praedestinatum ratione humanae naturae: quia praedestinatio refertur ad exaltationem humanae naturae in ipso. (Ad 2m). Non autem verba *secundum quod homo*, sumenda sunt materialiter, ut sit sensus, quod praedestinatum sit ut Christus, secundum quod homo, sit Filius Dei, quod est evidenter falsum. (Ad 1m).

NOTANDUM: Quia illa susceptio naturae humanae a Verbo Dei cadit sub praedestinatione, tanquam gratuita, dici potest quod et Filius Dei praedestnatus sit esse homo, et filius hominis praedestnatus sit esse Filius Dei. Quia tamen gratia non est facta Filio Dei ut esset homo, sed potius humanae naturae ut Filio Dei uniretur; magis proprie potest dici quod Christus, secundum quod homo, est praedestnatus esse Filius Dei, quam quod Christus, secundum quod Filius Dei, sit praedestnatus esse homo. (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum praedestinatio Christi sit nostrae praedestinationis exemplar.*

RESP. AFF. – Scil. : a) non ex parte actus ipsius praedestinationis; b) sed ex parte illius ad quod aliquis praedestinatur, i. e., ex parte termini et effectus, et ex parte modi.

R. PRIMI EST: quia Deus praedestinavit nos et Christum uno modo eodemque actu.

R. SECUNDI EST: quia ipse (Christus) est praedestinatus ad hoc quod esset Dei Filius naturalis: nos autem praedestinamur ad filiationem adoptionis, quae est quaedam participata similitudo filiationis naturalis. Unde dicitur Rom. viii, 29: *Quos praescivit, hos praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Et hoc est quantum ad bonum (effectum) ad quod praedestinamur. Quantum autem ad modum consequendi istud bonum quod est per gratiam, praedestinatio Christi est etiam exemplar nostrae praedestinationis: quia natura humana, in Christo nullis suis praecedentibus meritis est Filio Dei unita, ut patet: de plenitudo gratiae ejus autem nos omnes accepimus, ut dicitur Jn. i, 16.

Art. IV. – *Utrum praedestinatio Christi sit causa nostrae praedestinationis.*

RESP. AFF. – Scil. : non secundum actum, sed secundum terminum praedestinationis.

R. EST: quia secundum actum, uno et eodem actu Deus praedestinavit Christum et nos. Secundum terminum autem quia sub praedestinatione aeterna non solum cadit id quod est fiendum in tempore, sed etiam modus et ordo, secundum quod est complendum in tempore, et sic praedestinatio Christi est causa nostrae praedestinationis.

QUAESTIO XXV

De adoratione Christi

Deinde considerandum est de his quae pertinent ad Christum in comparatione ad nos: et primo, de adoratione Christi, qua scilicet nos eum adoramus; secundo, de hoc quod est mediator noster ad Deum. Circa primum quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum una et eadem adoratione sit adoranda divinitas Christi et ejus humanitas.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) ex parte ejus qui adoratur, una et eadem est adoratio divinitatis Christi et ejus humanitatis; b) *causae* tamen adorationis et honoris in Christo sunt duae.

R. PRIMI EST: quia in Christo est una tantum persona divinae et humanae naturae. Honor autem et adoratio proprie non exhibentur partibus, sed toti rei subsistentis: non enim honoratur pes vel vestis, nisi ratione ejus cujus est pes vel vestis.

R. SECUNDI EST: quia in Christo sunt duae operationes (Ad 2m), quae sunt duae causae ejusdem honoris et adorationis: debetur enim Christo honor et adoratio et propter excellentiam sapientiae increatae, et propter excellentiam sapientiae creatae ejus.

Art. II. - *Utrum humanitas Christi adoranda sit adoratione patriae.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) Christi humanitas adoratur adoratione patriae ratione illius cujus est humanitas; b) adoratur adoratione dulciae, imo et hyperdulciae, ratione ipsius humanitatis.

R. PRIMI EST: quia sic adorare carnem Christi nihil est aliud quam adorare Verbum Dei incarnatum; sicut adorare vestem regis nihil est aliud quam adorare regem vestitum. Et secundum hoc adoratio humanitatis Christi est adoratio latriae.

R. SECUNDI EST: quia humanitas Christi habet excellentiam et perfecta est omni munere gratiarum. Unde humanitati Christi sic intellectae, debetur ei adoratio duliae, non cujuscumque, puta quae communiter exhibetur aliis creaturis, sed cujusdam excellentioris, quam hyperduliam vocant. (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum imago Christi sit adoranda adoratione latriae.*

RESP. AFF. - *Scil. : a)* imagini Christi, in quantum est res quaedam (puta lignum sculptum vel pictum), nulla reverentia exhibetur; sed *b)* exhibetur ei reverentia in quantum est imago Christi.

R. PRIMI EST: quia reverentia non nisi rationali naturae debetur.

R. SECUNDI EST: quia eadem reverentia exhibetur imagini Christi, et ipsi Christo. Motus enim in imaginem, in quantum est imago, est unus et idem cum illo qui est in rem, ut Philosophus dicit (De Memoria et Remin., c. 2). Cum ergo Christus adoretur adoratione latriae, consequens est quod ejus imago sit adoratione latriae adoranda.

NOTANDUM: Creaturae rationali debetur reverentia propter seipsam: et ideo si creaturae rationali, in qua est imago Dei, exhiberetur adoratio latriae, possit esse erroris occasio: ut scilicet motus adorantis sisteret in homine, in quantum est res quaedam, et non referretur in Deum, cujus est imago; quod non potest contingere de imagine sculpta vel picta in materia. (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum crux Christi sit adoranda adoratione latriae.*

RESP. AFF. - *Scil.* : cum crux in qua Christus crucifixus est, tum quaecumque alia effigies crucis Christi, est adoranda adoratione latriae.

R. EST: quia crux in qua Christus crucifixus est repraesentat nobis figuram Christi extensi in ea; et insuper contactum habet ad membra Christi, et ejus sanguine est perfusa. Effigies autem crucis Christi in quacumque alia materia, puta lapidis vel ligni, argenti vel auri, sunt imagines Christi, quas adoratione latriae veneramur, ut supra dictum est (art. praec.).

NOTANDUM: Crux Christi, licet non fuerit unita Verbo Dei in persona, fuit tamen ei unita aliquo alio modo, scilicet per repraesentationem et contactum. (Ad 2m). Et quantum ad rationem contactus membrorum Christi, adoramus non solum crucem, sed etiam omnia quae sunt Christi, scilicet clavos, indumenta, lanceam, et sacra ejus tabernacula, quae sunt praesepe, spelunca et hujusmodi. Ista tamen non repraesentant imaginem Christi, sicut crux, quae dicitur signum Filii hominis. Et inde est quod crucem Christi veneramur in quacumque materia, non autem imaginem clavorum, vel quorumcumque hujusmodi. (Ad 3m).

Art. V. - *Utrum Mater Christi sit adoranda adoratione latriae.*

RESP. NEG. - R. EST: quia nulli purae creaturae rationali debetur cultus latriae. Cum igitur Beata Virgo sit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriae, sed solum veneratio duliae; eminentius tamen quam caeteris creaturis, inquantum ipsa est Mater Dei: et ideo dicitur quod debetur ei non qualiscumque dulia, sed hyperdulia.

NOTANDUM: Crux non est capax venerationis prout in se consideratur, ut dictum est (art. praec.): sed B. Virgo secundum seipsam est venerationis capax, et ideo non est similis ratio. (Ad 3m).

Art. VI. – *Utrum reliquiae sanctorum sint adorandae.*

RESP. AFF. – *Scil.* : congruo honore.

R. EST: quia qui habet affectum ad aliquem, etiam ea quae de ipso post mortem relinquuntur, veneratur, non solum corpus aut partes corporis ejus, sed etiam alia exteriora, puta vestes et similia. Manifestum est autem quod sanctos Dei in veneratione habere debemus, tanquam membra Christi, Dei filios, et amicos, et nostros intercessores. Et ideo eorum reliquias qualescumque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus; et praecipue eorum corpora, quae fuerunt templa et organa Spiritus sancti in eis habitantis et operantis, et sunt corpori Christi configuranda per gloriosam resurrectionem. Unde et ipse Deus hujusmodi reliquias convenienter honorat, in earum praesentia miracula faciendo.

QUAESTIO XXVI

De eo quod Christus mediator Dei et hominum dicitur

Deinde considerandum est de hoc quod dicitur Christus Dei et hominum mediator; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum esse mediatorem Dei et hominum sit proprium Christo.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Christo convenit esse mediatorem simpliciter et perfective; aliis autem dispositive et ministerialiter.

R. EST: quia ad mediatorem proprie pertinet conjungere et unire eos inter quos est mediatori. Unire autem homines Deo perfective convenit Christo, per quem homines sunt conjuncti et

uniti Deo, inquantum per suam mortem humanum genus Deo reconciliavit. Unde cum Apostolus dixisset: *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus*, subjunxit: *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*. Alii autem cooperantur ad unionem hominum cum Deo dispositive vel ministerialiter, inquantum scilicet sunt ministri veri mediatoris, vice ipsius salutaria sacramenta hominibus exhibentes. (Ad 1m).

NOTANDUM: Angeli boni non recte dicuntur mediatores inter Deum et homines, quia cum hominibus non habent commune neque miserias neque mortalitatem. Dicuntur tamen mediatores ministerialiter et dispositive inquantum secundum gradum naturae sunt infra Deum, et supra homines constituti, et mediatoris officium exercent. Daemones autem habent cum hominibus miseriam, et ad immortalem miseriam volunt eos perducere; et sic daemon est malus medius, qui separat amicos, Christus autem cum hominibus habet mortalitatem, ut mortalitate transacta, et ex mortuis faceret immortales (quod in se resurgendo monstravit), et ex miseris beatos efficeret; unde nunquam ipse decessit. Et ideo ipse est bonus mediator qui reconciliat inimicos. (Ad 2m).

Art. II. – Utrum Christus, secundum quod homo, sit mediator Dei et hominum.

RESP. AFF. – Scil.: Christus verissime dicitur mediator, secundum quod homo.

R. EST: quia ad rationem mediatoris duo requiruntur, scil. ut distet ab utroque extremorum, et ut conjungat ea quae unius sunt, ea deferendo ad alterum. Neutrum autem horum potest convenire Christo, secundum quod Deus, sed solum secundum quod homo. Nam secundum quod Deus, non distat a Patre, nec Pater habet aliquid quod non est Filii. Secundum quod homo autem, distat ab homine in dignitate gratiae et gloriae; et convenit ei conjungere homines Deo,

praecepta et dona Dei hominibus exhibendo, et pro hominibus Deo satisfaciendo et interpellando.

QUAESTIO XXVII

De B. Virginis Mariae sanctificatione

Post praedicta, in quibus de unione Dei et hominis, et de his quae unionem consequuntur, tractatum est, restat considerandum de his quae Filius Dei incarnatus in natura humana sibi unita gessit vel passus est. Quae quidem consideratio quadripartita erit: nam primo considerabimus de his quae pertinent ad ingressum ejus in mundum; secundo de his quae pertinent ad progressum vitae ipsius in hoc mundo; tertio de exitu ipsius ab hoc mundo; quarto de his quae pertinent ad exaltationem ipsius post hanc vitam. — Circa primum quatuor consideratae occurrunt: primo quidem de conceptione Christi; secundo de ejus nativitate; tertio de ejus circumcisione; quarto de ejus baptismo. — Circa conceptionem autem ejus oportet primo aliqua considerare quantum ad matrem concipientem; secundo, quantum ad modum conceptionis; tertio, quantum ad perfectionem proles conceptae. — Ex parte autem matris occurrunt quinque consideratae: primo quidem de sanctificatione ejus; secundo de virginitate ejus; tertio de desponsatione ejusdem; quarto de annuntiatione ipsius; quinto de praeparatione ipsius ad concipiendum. — Circa primum quaeruntur sex:

Art. I. — *Utrum B. Virgo Mater Dei fuerit sanctificata ante nativitatem ex utero.*

RESP. AFF. — *Scil.:* rationabiliter creditur, Beatam Virginem Mariam fuisse in utero sanctificatam.*

(*) Post definitionem dogmaticam anni 1854 de fide tenetur B. Virginem fuisse sanctificatam non solum ante nativitatem, sed in ipso primo instanti conceptionis suae, et hoc speciali privilegio, et ex premissis meritis Christi, ut expresse declaratur in ipsa definitione dogmatica.

R. EST: quia quamvis in Scriptura canonica de hoc nihil tradatur, tamen rationabiliter creditur quod illa quae genuit *Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis*, prae omnibus aliis majora privilegia gratiae acceperit. Unde, ut legitur Luc. i, 28, *Angelus ei dixit: Ave, gratia plena*. Invenimus autem quibusdam aliis privilegium esse concessum, ut in utero sanctificarentur; sicut Jeremiae cui dictum est (Jerem. i, 5): *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae*. Unde rationabiliter creditur quod B. Virgo sanctificata fuerit, antequam ex utero nasceretur.

Art. II. - Utrum B. Virgo fuerit sanctificata ante animationem.

RESP. NEG. - *Scil. : B. Virgo non fuit (nec fieri poterat) sanctificata ante, sed fuit sanctificata post, animationem ejus. - (Notandum est quod secundum S. Thomam ly post, potest esse naturae vel temporis. Sententia S. Thomae autem videtur interpretanda esse secundum sensum definitionis dogmaticae, sumendo ly post ut significet post naturae, id est, simul cum, ut videndum est in nota subsequenti).*

PRIMA R. EST: quia culpa non potest emundari nisi per gratiam, cujus subjectum est sola creatura rationalis. (Creatura autem fit rationalis per animationem, i. e., per infusionem animae in corpus, et in ipsa animatione). Et ideo ante infusionem animae rationalis beata Virgo sanctificata non fuit. - (Quod autem B. V. fuit sanctificata in ipsa animatione, hoc S. D. minime negat. Imo in responsione ad 3m dicit quod celebritas Conceptionis B. Virginis non est totaliter reprobanda quia quo tempore sanctificata fuit ignoratur).

SECUNDA R. EST: quia cum sola creatura rationalis sit susceptiva culpae, ante infusionem

animae rationalis proles concepta non est culpae obnoxia.

TERTIA R. EST: quia si *ante* animationem B. Virgo quocumque modo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpae (ne quidem quantum ad conceptionem corporis *),

(*) Bene considerandum est ad intelligendum mentem S. Thomae in hoc quam maxime gravi articulo, quod S. Doctor clare distinguit inter *conceptionem* et *animationem*. Dicit enim « caro nostra prius concipitur quam animatur ». (P. III, q. VI, art. 4, ad 2m): scilicet « prius quam animatur *anima rationali* ». Unde S. D. videtur admittere B. Virginem incurrisse in peccatum, quasi *dispositive*, in ipsa conceptione secundum carnis concupiscentiam, scilicet ex commixtione parentum ejus, non vero in animatione ejus. Dicit enim in hoc nostro art. ad 4m: « Beata Virgo peccatum originale contraxit cum fuerit concepta secundum carnis concupiscentiam ex commixtione maris et feminae ». Anima autem humana cum immediate a Deo creetur et simul in corpus infundatur, non est, certo certius, peccato obnoxia; sed talis fit in primo instanti animationis corporis corrupti, seu in peccato concepti. B. Virgo, speciali divinae providentiae privilegio, in sua animatione corporis, peccatum non incurrit. In definitione dogmatica non habetur verbum *animatio*, sed habetur verbum *conceptio*, sed mihi videtur certum esse quod verbum *conceptio* in definitione dogmatica idem significat ac *animatio*: non enim videtur recte dicere B. Virginem praeservatam immunem fuisse ante creationem et infusionem ipsius animae; neque enim ipsa B. V. existeret ante creationem ejus animae. Si ergo, secundum S. Thomam, prae oculis teneamus distinctiomen conceptionem inter et animationem ut dictum est, nihil videtur contra definitionem dogmaticam haberi.

Haec distinctio S. Thomae inter conceptionem et animationem magis magisque apparet in duobus articulis, scil. in primo et secundo, quaestionis xxxiii, in hac Tertia Parte. In primo art. quaerit « Utrum Corpus Christi fuerit formatum in primo instanti *conceptionis* ». In secundo autem quaerit « Utrum corpus Christi fuerit *animatum* in primo instanti suae conceptionis ». Jam, igitur, apparet distinctio inter conceptionem et animationem in mente S. Doctoris. In conceptione corporis sunt tria: primo quidem motus localis sanguinis ad locum generationis (art. 1 hujus quaes.), et hic motus fit ex ipsa commixtione maris et feminae, et habet impuritatem libidinis (qu. xxxi, art. 5. ad 3m); secundo, formatio corporis ex tali materia; tertio

et ita non indignisset redemptione et salute, quae est per Christum. B. Virgo autem concepta fuit (non dicitur *animata*) secundum carnis concupiscentiam ex commixtione maris et feminae. Dicit autem Augustinus (De nuptiis et concup. lib. I, c. 12): «Omnem, quae de concubitu nascitur, carnem esse peccati». (Ad 3m).

augmentum, quo perducitur ad quantitatem perfectam (qu. xxxiii, art. 1). Ratio autem propria conceptionis habetur in medio. Sed ad hoc ut anima infundatur in corpus, requiritur debita quantitas in materia (l. c., ad 2m). Haec autem fiunt omnia ante animationem. Quando scilicet anima adhuc non existit. – Item S. D. variarum animarum successionem in formatione hominis admisit. Dicit enim (qu. xxxiii, art. 2, ad 3m): «In generatione aliorum hominum (i. e. exceptione facta in Christi generatione) locum habet quod dicit Philosophus, scil. quod in generatione hominis requiritur prius et posterius, propter hoc quod successive corpus formatur et disponitur ad animam; unde primo tanquam imperfecte dispositum recipit animam imperfectam, et postmodum, quando perfecte est dispositum, recipit animam perfectam, id est, animam rationalem». Unde secundum S. D. in generatione hominum, propterea etiam in generatione B. Virginis, datur animationum successio, in quibus est corruptio libidinis peccati originalis, antequam pervenitur ad infusionem animae rationalis, quae sola est capax gratiae et redemptionis. S. D. autem minime negat quod B. V. fuit sanctificata in primo instanti suae animationis perfectae, cum in illo primo instanti anima ipsius fuit capax gratiae: fuit enim B. V. sanctificata postquam, id est, quando cuncta ejus perfecta sunt, scil. et corpus et anima, ut ipse dicit hic in nostro articulo (qu. xxvii, art. 2. in *Sed contra*). Sic videtur salvari potest sententia S. Thomae, nisi in definitione dogmatica, per verba «in primo instanti conceptionis», intelligatur conceptio ante perfectam animationem, ac si dicatur quod B. V. fuit sanctificata ante animationem per animam rationalem; vel quod per verbum «conceptionis» intelligatur ipsamet animationem, ac si dicatur quod anima rationalis statim infunditur in illo primo instanti conceptionis, id est, fecundationis ovuli. Quod non videtur esse verosimile: nam, in primo casu, esset de fide quod B. V. fuisset capax gratiae ante creationem suae animae rationalis; in secundo casu, esset de fide quod perfecta animatio fiat statim in ipsomet primo instanti fecundationis: quod autem non est de fide, ut patet, quia secus dicere esset haeticum. Quantum autem scimus, haec quaestio de momento infusionis

Art. III. – *Utrum per sanctificationem fuerit Beatæ Virginis fomes totaliter sublatus.*

RESP. AFF. – *Scil.:* remansit fomes in beata Virgine post sanctificationem secundum essentiam, ligatus tamen quoad exercitium sive operationem, usque ad Filii Dei conceptionem, in qua fuit totaliter sublatus.

animæ rationalis in corpus est adhuc libera. Unde per ly « conceptionem », ut in definitione dogmatica expressum, congruum est intelligere « animationem », i. e., infusionem animæ rationalis; et tunc in sententia S. Thomae, quam ipse in Summa Theologica exponit, nihil habetur contra fidem, sed magis dogma ipsum explicatur. Haec est nostra S. Thomae brevis defensio, quam tamen certo certius altissimo Ecclesiae iudicio humiliter et simpliciter subicimus.

Cum autem S. D. dicit B. Virginem sanctificatam fuisse post animationem, minime negat quod fuit sanctificata in ipsa animatione: post enim naturæ simultaneitatem indicat causae et effectus, sicut sol et radii ejus. (Cfr. P. III., q. xxxiv, art. 2, ad 1).

Quod autem talis fuit mens S. D. videtur constare ex sequentibus: 1) Quia in *Sed contra* hujus articuli dicit: « Beata Virgo non fuit sanctificata nisi postquam cuncta ejus perfecta sunt, scilicet et corpus et anima ». Haec autem « cuncta perfecta sunt » in illo primo instanti animationis, ut patet. Ergo, secundum Sanctum Doctorem, B. V. sanctificata fuit in illo primo instanti animationis suae. – 2) Quia in aliis locis S. D. expresse docet B. Virginem a peccato originali immunem fuisse: ita, e. g., in Sent. lib. I, Dist. 44, quaes. I., ubi dicit: « Talis fuit puritas Beatæ Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit » Nec hanc sententiam unquam retractasse videtur S. D. – 3) Quia S. D. clare docet quod si alii sancti fuerunt sanctificati ante nativitatem, B. V., cujus sub Christo « maxima fuit puritas », debebat plus quam illi hanc gratiam habere et quidem gratiam majorem. – 4) In resp. ad 3m in hoc art. dicit quod « quo tempore sanctificata fuerit ignoratur »; et ideo celebritas festi *Conceptionis* B. V., dicit, non est totaliter reprobanda. (Non loquitur hic de animatione, sed de conceptione; si igitur celebritas festi *Conceptionis* non est totaliter reprobanda, quanto magis celebritas festi ejus animationis est admittenda?) – 5) Quia, si contra sanctificationem in primo instanti B. Virginis sensisset S. D., ad talem suam opinionem corroborandam adduxisset auctoritatem Ecclesiae Doctorum, uti S. Bernardi, qui aliam sententiam tenebant. – Unde verba S. D. in responsione

R. EST: quia immunitas damnationis *secundum carnem* debuit primo apparere in ipsa incarnatione Christi, et non ante. Sicut enim ante immortalitatem carnis Christi resurgentis nullus adeptus fuit carnis immortalitatem, ita inconueniens videtur dicere, quod ante Christi *carnem*, in qua nullum fuit peccatum, *caro* Virginis matris ejus vel cujuscumque alterius fuerit absque fomite, qui dicitur lex carnis sive membrorum.* Et ideo videtur melius dicendum quod per sanctificationem in utero non fuerit sublatus B. Virgini fomes secundum essentiam, sed remansit ligatus: non quidem per actum rationis suae, sicut in viris sanctis; quia non statim habuit usum liberi arbitrii, adhuc in ventre matris existens, hoc enim est speciale privilegium Christi; sed per abundantiam gratiae, quam in sanctificatione recepit, et etiam perfectius per divinam providentiam, sen-

ad 2m, quod scilicet « anima B. Virginis fuit contagio originalis peccati inquinata, secus derogaret dignitatem Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator », intelligenda sunt secundum S. Thomae distinctionem (si revera haec verba sint ipsius S. D., quia de hoc valde a criticis dubitatur), quod scilicet anima B. Virginis *dispositive* fuit peccato inquinata ratione conceptionis « secundum carnis concupiscentiam ex mixtione maris et feminae ». Secundum hoc enim incurrere debebat in peccatum; tamen minime incurrit, quia sanctificata fuit in ipsa animatione. Sic igitur, quamvis in hoc articulo S. D. videtur primo aspectu contrariam sententiam docere ad illam quam postea Ecclesia definivit, scilicet post sex saecula, tamen, omnibus bene consideratis, dicendum est S. Doctoris verba, distinctione facta inter conceptionem et animationem, conformiter ad definitionem dogmaticam interpretari possunt et debent. Haec autem nostra humilis opinio de doctrina S. Thomae corroborari videtur subsequentibus articulis hujus quaestionis. - (De his vide, si vis, Del Prado, *Divus Thomas et bulla dogmatica*; et C. Driethoff., O. P., « Angelicum », An. X, pp. 321-334).

(*) Recolendum est Sanctum Doctorem docuisse carnem B. Virginis in peccato concepta fuisse *ante* creationem et infusionem ipsius animae: in ipsa autem animatione sanctificata est et fomes carnis ligatus.

sualitatem ejus ab omni inordinato motu prohibentem. Postmodum vero in ipsa conceptione carnis Christi, in qua primo debuit refulgere peccati immunitas, credendum est quod ex prole redundaverit in matrem, totaliter fomite substracto.

Art. IV. – *Utrum per hujusmodi sanctificationem fuerit consecuta ut nunquam peccaret.*

RESP. AFF. – *Scil.:* simpliciter fatendum est quod beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale; ut sic in ea impleatur quod dicitur Cant. iv, 7: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.*

R. EST: quia secus B. V. non fuisset idonea mater Dei, si scilicet pecasset aliquando. Nam, honor parentum redundat in prolem: unde et per oppositum ignominia matris ad filium redundasset; * tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem II. Corinth. vi, 15: *Quae conventio Christi ad Belial?* tum etiam quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitavit, non solum in anima, sed etiam in utero. Dicitur autem Sap. i, 4: *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

Art. V. – *Utrum Beata Virgo per hujusmodi sanctificationem adepta fuerit plenitudinem omnium gratiarum.*

RESP. AFF. – *Scil.:* per hujusmodi sanctificationem B. V. prae caeteris obtinuit a Christo gratiae plenitudinem, sive perfectionem.

(*) Quomodo verba haec S. Doctoris reconciliari possunt cum illa doctrina, quae tenet S. Doctorem admisisse realem culpam originalem in B. V. ?

R. EST: quia B. V. propinquissima Christo fuit secundum humanitatem; ex ea enim accepit humanam naturam. Quanto enim aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii.

NOTANDA: 1. Beata Virgo Maria tantam gratiae obtinuit plenitudinem, ut esset propinquissima auctori gratiae: ita quod eum qui est plenus omni gratia, in se reciperet, et eum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes derivaret. (Ad 1m). - En plenitudo gratiae quam B. V. in primo instanti suae animationis (seu, in verbis definitionis dogmaticae, «in primo instanti suae conceptionis») recepit.

2. Triplex perfectio gratiae fuit in Beata Virgine. Prima quasi *dispositiva*, per quam reddebatur idonea ad hoc quod esset mater Christi: et haec fuit *perfectio sanctificationis*. Secunda perfectio gratiae fuit in B. V. *ex praesentia* Filii Dei in ejus utero incarnati. Tertia est *perfectio finis*, quam habet in gloria. In prima perfectione fuit *liberata* (dicit *liberata*; non autem dicit *mundata*) a culpa originali. In secunda fuit totaliter a fomite mundata. In tertia liberata etiam fuit ab omni miseria. (Ad 2m).

3. Non est dubitandum quin B. Virgo acceperit excellenter donum sapientiae, et gratiam virtutum, et etiam gratiam prophetiae: non tamen accepit ut haberet omnes usus harum et similium gratiarum sicut habuit Christus, sed secundum quod conveniebat conditioni ipsius. (Ad 3m).

Art. VI. - *Utrum sic sanctificari fuerit proprium Beatae Virgini.*

RESP. NEG. - *Scil.*: sanctificari in utero post Christum non fuit proprium B. Virgini.

R. EST: quia de Joanne Baptista legitur (Luca, i, 15): *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae*, et de Jeremia expresse dicitur (Jer. i, 5): *Antequam exires de vulva, sanctificavi te*, quibus verbis asserendum videtur eos sanctificatos in utero. - Beata Virgo autem, quae fuit

a Deo electa in matrem, ampliolem sanctificationis gratiam obtinuit quam Joannes Baptista et Jeremias. Cujus signum est quod B. Virgini praestitum est ut de caetero non peccaret, nec mortaliter, nec venialiter; aliis autem sanctificatis creditur praestitum esse ut de caetero mortaliter non peccarent, divina eos gratia protegente. (Ad 1m).

QUAESTIO XXVIII

De virginitate B. Mariae

Deinde considerandum est de virginitate matris Dei; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum Beata Maria fuerit Virgo in concipiendo.*

RESP. AFF. – *Scil.:* simpliciter confitendum est matrem Christi virginem concepisse.

R. EST: quia contrarium pertinet ad haeresim Ebionitarum et Cerenthi, qui Christum purum hominem arbitrabantur, et de utroque sexu eum natum putaverunt. – Rationes autem convenientiae sunt quatuor: 1) Propter dignitatem Patris mittentem conservandam. Cum enim Christus sit verus et naturalis Dei Filius, non fuit conveniens quod alium patrem haberet quam Deum, ne dignitas Dei Patris transferretur ad alium. 2) Propter dignitatem Filii, qui est Verbum Dei. Sicut enim Verbum sine corruptione cordis concipitur, ita conveniens fuit ut etiam caro Verbi Dei sine corruptione matris conciperetur. 3) Propter dignitatem humanitatis Christi: non enim debuit peccatum locum habere in humanitate Christi, per quam peccatum mundi tollebatur. 4) Propter ipsum finem incarnationis Christi:

incarnatio enim facta est ad hoc ut homines renascerentur in filios Dei (Jn. I). Exemplar autem hujus regenerationis apparere debuit in ipsa conceptione Christi. Unde Aug. dicit (Lib. De Sancta Virg., cap. 6): « Oportebat caput nostrum insigni miraculo secundum carnem nasci de virgine, quo significaret membra sua de virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura ».

NOTANDUM: Sicut Beda dicit super Lucam (Lib. i, cap. 7), « pater Salvatoris appellatur Joseph, non quod vere juxta Photinianos pater fuerit ei, sed quod ad famam Mariae conservandam pater sit ab omnibus aestimatus ». Unde et Lucae iii, 23 dicitur: *Ut putabatur, filius Joseph.* (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum Mater Dei fuerit Virgo in partu.*

RESP. AFF. - R. EST: quia propheta (Is. vii, 14) non solum dicit: *Ecce virgo concipiet*; sed etiam addit: *Et pariet filium.* - Adducuntur autem tres rationes convenientiae: 1) quia Verbum non solum in corde absque corruptione concipitur, sed etiam absque corruptione ex corde procedit. Unde ut ostenderetur quod illud esset corpus ipsius Verbi Dei, conveniens fuit ut de incorrupto virginis utero nasceretur. 2) Quia Christus ad hoc venit ut nostram corruptionem tolleret: unde non fuit conveniens ut virginitatem matris nascendo corrumpere. 3) Quia hoc fuit conveniens ne matris honorem nascendo diminueret qui parentes praeceperat honorandos. - Et ideo dicendum est quod omnia ista facta sunt miraculose per virtutem divinam. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum Mater Dei permanserit Virgo post partum.*

RESP. AFF. - *Scil. :* Mater Dei sicut Virgo concepit, et virgo peperit, ita etiam et virgo post partum in sempiternum permansit.

PRIMA R. EST: quia hoc conveniens fuit perfectioni Christi: nam sicut secundum divinam naturam unigenitus est Patris, tanquam perfectus per omnia filius ejus; ita decuit ut esset unigenitus matris, tanquam perfectissimum germen ejus.

SECUNDA R. EST: quia contrarium dicere faceret injuriam Spiritui sancto, cujus sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit. Unde non decebat quod de caetero violaretur per commixtionem virilem.

TERTIA R. EST: quia hoc fuit etiam conveniens dignitati et sanctitati matris Dei, quae ingratissima videretur, si tanto Filio contenta non esset, et si virginitatem, quae in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum.

QUARTA R. EST: quia etiam ipsi Joseph esset ad maximam praesumptionem imputandum, si eam quam revelante angelo de Spiritu sancto Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret.

NOTANDA: 1. Quantum ad verba (Mt. i, 18): *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, haec dicuntur non quia postea convenerint, sed quia dum viderentur conventuri, praevenit conceptio per Spiritum sanctum; ex quo factum est ut ulterius non convenirent. (Ad 1m).

2. Quantum autem ad verba (Mt. i, 24-25): *Et accepit conjugem suam, et non cognoscebat eam, donec peperit filium primogenitum*, Sanctus Hieronymus (Lib. advers. Helvid. c. 3) concedit hoc esse intelligendum de cognitione coitus; sed dicit quod *usque vel donec* in Scripturis dupliciter potest intelligi. Quandoque enim designat certum tempus, secundum illud Gal. iii, 19: *Propter transgressiones lex posita est, donec veniret semen cui promiserat*. Quandoque autem signat infinitum tempus, secundum illud Psal. cxxii, 2: *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur no-*

stri: ex quo non est intelligendum quod post impetratam misericordiam oculi avertantur a Deo. Et secundum hunc modum loquendi significantur ea de quibus posset dubitari, si scripta non fuissent; * caetera vero nostrae intelligentiae derelinquuntur. Et secundum hoc Evangelista dicit matrem Dei non esse cognitam a viro usque ad partum, ut multo magis intelligamus cognitam non fuisse post partum. (Ad 3m). - Quod autem Jesus filius Mariae *primogenitus* dicitur, dicendum est quod mos Scripturarum divinarum est ut primogenitum vocent non solum eum quem fratres sequuntur, sed eum qui primus natus sit; alioquin si non est primogenitus, nisi quem sequuntur fratres, tamdiu secundum legem primogenita non debentur, quamdiu et alia fuerint procreata: quod patet esse falsum, cum intra unum mensem primogenita redimi mandarentur secundum legem. (Ad 4).

3. Quantum ad sic dictos « fratres Domini » (Jn. ii, 12) considerandum est quod quatuor modis in Scripturis fratres dicuntur: scil. natura, gente, cognatione et effectum. Unde fratres Domini dicti sunt, non secundum naturam, quasi ab eadem matre nati, sed secundum cognationem, quasi consaguinei ejus existentes. Joseph autem, sicut Hieronymus dicit (Contra Helvidium c. 9), « magis credendum est virgo permansisse, quia aliam uxorem habuisse non scribitur, et fornicatio in sanctum virum non cadit ». (Ad 5m).

Art. IV. - *Utrum Mater Dei virginitatem voverit.*

RESP. AFF. - R. EST: quia perfectionis opera magis sunt laudabilia, si ex voto celebrentur. Virginitas autem in matre Dei praecipue debuit pollere. Et ideo conveniens fuit ut virginitas ejus ex voto esset Deo consecrata. Mater Dei tamen

(*) Mens sacri Scriptoris ad hoc fuit praecipue intenta ut nobis diceret quod Jesus non ex semine Joseph natus fuit, sed divinitus. Verba igitur « non cognoscebat eam, donec peperit filium », in hoc sensu intelligenda sunt; non autem significant quod postea eam cognovit. Quid factum fuit postea, Scriptura non dicit: quasi hoc secundarium fuit; sed caetera nostrae intelligentiae relinquuntur, ut dicit S. D.

non creditur, antequam desponsaretur Joseph, absolute virginitatem vovisse; sed licet eam in desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio. Postmodum vero, accepto sponso secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit.

QUAESTIO XXIX

De Matris Dei desponsatione

Deinde considerandum est de desponsatione matris Dei; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum Christus nasci debuerit de virgine desponsata.*

RESP. AFF. – *Scil.:* conveniens fuit Christum de desponsata Virgine nasci, tum propter ipsum, tum propter matrem, tum etiam propter nos.

R. PRIMI (propter ipsum Christum) est quadruplex: 1) Ne ab infidelibus tanquam illegitime natus abjiceretur. 2) Ut consueto modo ejus genealogia per virum describeretur. Unde dicit Ambrosius (Sup. Luc. c. iii): « Qui in saeculum venit, saeculi debuit more describi. Viri autem persona quaeritur, qui in senatu et reliquis curiis civitatum generis asserit dignitatem ». 3) Ad tutelam pueri nati, ne diabolus contra eum vehementius nocumenta procuraret. 4) Ut a Joseph nutritur; unde et pater ejus dictus est, quasi nutritus.

R. SECUNDI (propter matrem) est triplex: 1) quia per hoc redditur immunis a poena, « ne scilicet lapidaretur a Judaeis tanquam adultera ». 2) Ut per hoc ab infamia liberaretur. 3) Ut ei a Joseph ministerium exhiberetur.

R. TERTII (propter nos) est quintuplex: 1) Quia testimonio Joseph comprobatum est Christum ex virgine natum. 2) Quia ipsa verba Virginis Matris magis credibilia redduntur suam virginitatem asserentis: quae quidem duo pertinent ad firmitatem fidei nostrae. 3) Ut tolleretur excusatio virginibus, quae propter suam incautelam non vitant infamiam. 4) Quia per hoc significatur universa Ecclesia, quae « cum virgo sit, desponsata tamen est uni viro Christo », ut Augustinus dicit (In Lib. de Sancta Virginitate, c. 12). Potest etiam et 5) (quinta) ratio esse, quod Mater Domini fuit desponsata et Virgo, quia in persona ipsius et virginitas et matrimonium honoratur contra haereticos alteri horum detrahentes.

Art. II. - *Utrum inter Mariam et Joseph fuerit verum matrimonium.*

RESP. AFF. - *Scil. :* quantum ad primam perfectionem matrimonii, quae est secundum formam matrimonii, et consistit in quadam indivisibili conjunctione animorum; non autem fuit verum matrimonium, i. e., perfectum, quantum ad secundam perfectionem quae consistit in operatione relate ad finem matrimonii, i. e., quantum ad procreationem prolis; nisi quantum ad educationem prolis.

R. EST: quia uterque (B. Virgo et sanctus Joseph) consensit in copulam conjugalem, non autem expresse in copulam carnalem, nisi sub conditione, si Deo placeret. Unde et angelus vocat Mariam conjugem Joseph, dicens ad Joseph (Mt. i, 20): *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Quantum vero ad secundam perfectionem, quae est per actum matrimonii, si hoc referatur ad carnalem concubitum, per quem proles generatur, non fuit illud matrimonium consumma-

tum. Habuit tamen illud matrimonium etiam secundam perfectionem quantum ad prolis educationem.

QUAESTIO XXX

De B. Mariae Virginis annuntiatione

Deinde considerandum est de annuntiatione B. Virginis; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum necessarium fuerit annuntiari B. Virgini quod in ea erat generandum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* congruum fuit B. Virgini annuntiari quod esset Christum conceptura.

PRIMA R. EST: quia sic servatus est congruus ordo conjunctionis Filii Dei ad Virginem: ut scil. prius mens ejus de ipso instrueretur quam carne eum conciperet.

SECUNDA R. EST: quia sic B. Virgo potuit esse certior testis hujus sacramenti, quando super hoc divinitus erat instructa.

TERTIA R. EST: quia sic B. Virgo voluntaria sui obsequii munera Deo offerre potuit; ad quod se promptam obtulit, dicens: *Ecce ancilla Domini.*

QUARTA R. EST: quia sic ostensum est esse quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei et humanam naturam. Et ideo per annuntiationem expectabatur consensus Virginis loco totius humanae naturae.

Art. II. - *Utrum annuntiatio B. Virgini fieri debuerit per angelum.*

RESP. AFF. - **PRIMA R. EST:** quia sic servata est divina ordinatio, secundum quam mediantibus angelis divina ad homines perveniunt,

SECUNDA R. EST: quia hoc fuit conveniens reparationi humanae, quae futura erat per Christum; quia angelus fuit prima perditionis causa.

TERTIA R. EST: quia hoc congruebat virginitati matris Dei: semper enim est angelis cognata virginitas. Profecto, in carne praeter carnem vivere, non terrena vita est, sed caelestis, ut dicit Hieronymus (In Serm Assump.).

QUARTA R. EST: quia B. Virgo non fuit sub potestate viri, illa scil. quae integerrimis visceribus de Spiritu sancto Christum suscepit. (Ad 2m).

NOTANDA: 1. Mater Dei superior erat angelis quantum ad dignitatem, ad quam divinitus eligebatur; sed quantum ad statum praesentis vitae inferior erat angelis, quia et ipse Christus ratione passibilis vitae *modico ab angelis minoratus est*, ut dicitur (Hebr. ii, 9). - (Ad 1m).

2. Quidam dicunt Gabrielem fuisse de supremo ordine angelorum. Sed Ecclesia eum archangelum nominat. Satis ergo est credibile quod sit summus in ordine archangelorum. Et, sicut Greg. dicit (In Hom. de centum ovibus), « hoc nomen officio ejus congruit. Gabriel enim Dei fortitudo nominatur. Per Dei ergo fortitudinem nuntiandus erat qui virtutum Dominus et potens in praelio ad debellandas potestates aëreas veniebat ». (Ad 4m).

Art. III. - Utrum Angelus annuntians debuerit B. Virgini visione corporali apparere.

RESP. AFF. - Scil.: Angelus annuntians apparuit matri Dei corporea visione; et hoc conveniens fuit: a) quantum ad id quod annuntiabatur; b) quantum ad dignitatem Matris Dei; c) quantum ad certitudinem ejus quod annuntiabatur.

R. PRIMI EST: quia angelus venerat annuntiare incarnationem invisibilis Dei, per quam visibilis fieret: unde etiam conveniens fuit ut ad hujus rei declarationem invisibilis creaturae formam assumeret, in qua visibiliter appareret.

R. SECUNDI EST: quia B. Virgo non solum in mente, sed in corporeo ventre erat Dei Filium receptura: et ideo non solum mens ejus, sed etiam sensus corporei erant visione angelica refovendi.

R. TERTII EST: quia ea quae sunt oculis subjecta certius apprehendimus quam ea quae imaginamur.

Art. IV. – *Utrum annuntiatio convenienti fuerit ordine perfecta.*

RESP. AFF. – R. EST: quia convenienti ordine angelus in annuntiatione primo B. Virginem attentam reddidit per novam et insolitam salutationem, postea vero de mysterio intruit dicens: *Ecce concipies in utero*: et postremo eam ad consentiendum induxit, scil. exemplo Elisabeth, et ratione ex divina omnipotentia sumpta.

QUAESTIO XXXI

De conceptione Salvatoris quoad materiam de qua corpus ejus conceptum est

Deinde considerandum est de ipsa conceptione Salvatoris: primo, quantum ad materiam de qua ejus corpus conceptum est; secundo, quantum a conceptionis auctorem; tertio, quantum ad modum et ordinem conceptionis. Circa primum quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum caro Christi fuerit sumpta de Adam.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Christus humanam naturam assumpsit, ut eam a corruptione purgaret. Non autem purgatione indigebat humana natura, nisi secundum quod infecta erat per originem vitiatam, qua ex Adam descendebat. Et ideo conveniens fuit ut carnem sumeret ex ma-

teria ex Adam derivata, ut ipsa natura per assumptionem curaretur.

NOTANDUM: Corpus Christi fuit in Adam secundum corpulentam substantiam: quia scil. ipsa materia corporis Christi derivata est ab Adam; non autem fuit ibi secundum seminalem rationem, quia non est conceptum ex virili semine, et ideo non contraxit originale peccatum, sicut caeteri (excepta B. Maria Virgine) qui ab Adam per viam virilis seminis derivantur. (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum caro Christi fuerit sumpta de David.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Christus specialiter duorum antiquorum patrum filius dicitur esse, Abrahae scil. et David, ut patet Mt. i. Cujus est multiplex ratio.

PRIMA R. EST: quia ad hos specialiter de Christo facta est promissio. (Gen. xxii, 18; Gal. iii, 16; Ps. cxxxii, 2; Mt. xxi, 9).

SECUNDA R. EST: quia Christus futurus erat rex, propheta et sacerdos. Abraham autem sacerdos fuit, ut patet ex hoc quod Dominus dixit ad eum (Gen. xv, 9): *Sume tibi vaccam triennem*, etc. Fuit etiam propheta, secundum illud quod dicitur Gen. xx, 7: *Propheta est et orabit pro te*. David autem rex fuit et propheta.

TERTIA R. EST: quia in Abraham primo incoepit circumcisio; in David autem maxime manifestata est Dei electio, secundum illud quod dicitur I Reg. xiii, 14: *Quaesivit Dominus sibi virum juxta cor suum*. Et ideo utriusque filius Christus specialissime dicitur, ut ostendatur esse in salutem et circumcisioni, et electioni gentilium.

NOTANDUM: Manichaei probare volebant Christum non fuisse filium David, quia non fuit conceptus ex Joseph, usque ad quem seriem generationis Matthaeus perducit. Sed, ut dicit Hierony-

mus (Super Mt. i), «ex una tribu fuit Joseph et Maria; unde ex lege eam accipere cogebatur ut propinquam: propter quod et simul censentur in Bethlehem, quasi simul de una stirpe generati». Maria autem de cognatione David fuit: unde dicitur Christum esse ex semine David (Rom. i, 3). Propter dignitatem virilem autem ordo generationum usque ad Joseph perducitur, ut Aug. dicit (Cont. Faust. lib. xxiii, c. 8). - (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum convenienter genealogia Christi ab evangelistis texatur.*

RESP. AFF. - R. EST: quia, sicut dicitur II Tim. iii, 16, *Omnis Scriptura sacra divinitus est inspirata*. Quae autem divinitus fiunt, ordinatissime fiunt, secundum illud Rom. xiii, 1: *Quae a Deo sunt, ordinata sunt*. Unde convenienti ordine genealogia Christi est ab Evangelista scripta (Lc. i). - (Quantum ad particularia videndus est textus proprius in responsionibus).

Art. IV. - *Utrum decuerit Christum nasci de femina.*

RESP. AFF. - *Scil.:* licet Filius Dei carnem humanam assumere potuerit de quacumque materia voluisset, convenientissimum tamen fuit ut de femina carnem acciperet.

PRIMA R. EST: quia per hoc tota humana natura nobilitata est. Unde Augustinus dicit (In lib. 83 Quaest., qu. 11): «Hominis liberatio in utroque sexu debuit apparere. Ergo quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, conveniens erat ut feminei sexus liberatio hinc appareret, quod ille vir de femina natus est».

SECUNDA R. EST: quia per hoc veritas incarnationis adstruitur.

TERTIA R. EST: quia per hunc modum compleretur omnis diversitas generationis humanae. Nam primus homo productus est ex limo terrae

sine viro et femina; Eva vero producta est ex viro sine femina. Alii vero homines nascuntur ex viro et femina. Unde hoc quartum quasi Christo proprium relinquebatur, ut produceretur ex femina sine viro.

NOTANDUM: Quia sexus masculinus est nobilior quam femineus, ideo humana natura in masculino sexu assumpsit. Ne tamen sexus femineus contemneretur, congruum fuit ut carnem assumeret de femina. (Ad 1m).

Art. V. - *Utrum corpus Christi de purissimis sanguinibus Virginis formatum fuerit.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sicut ad supernaturalem modum generationis Christi (scil. in quantum nascitur ex virgine) pertinet quod activum principium in generatione illa fuerit virtus supernaturalis divina; ita ad naturalem modum generationis ejus (scil. in quantum nascitur ex femina) pertinet quod materia, de qua corpus ejus conceptum est, sit conformis materiae quam aliae feminae subministrant ad conceptionem prolis. Haec autem materia, secundum Philosophum (De gen. animal. lib. I, cap. 19 in fine), est sanguis mulieris, non quicumque, sed productus ad quamdam ampliorem digestionem per virtutem generativam matris, ut sit materia apta ad conceptum. Et ideo ex tali materia fuit corpus Christi conceptum.

NOTANDUM: In conceptione corporis Christi non fuit semen feminae. Tale autem semen non est aptum generationi, sed est quiddam imperfectum in genere seminis. Et ideo tale semen non est materia, quae de necessitate requiritur ad conceptum. Et ideo in conceptione corporis Christi non fuit praesertim quia, licet sit imperfectum in genere seminis, tamen cum quadam concupiscentia resolvitur, sicut et semen maris. In illo autem conceptu virginali concupiscentia locum habere non potuit. Et ideo Damascenus dicit (Orth. fid.

lib. I, cap. 18), quod corpus Christi non seminaliter conceptum est. Ex menstruato sanguine autem, quod natura repudiat, non formatur conceptus; sed hoc est purgamentum quoddam illius puri sanguinis, qui digestionem quadam est praeparatus ad conceptum, quasi purior et perfectior alio sanguine. Habet tamen impuritatem libidinis in conceptione aliorum hominum, in quantum ex ipsa commixtione maris et feminae talis sanguis ad locum generationi congruum attrahitur. Sed hoc in conceptione Christi non fuit, quia operatione Spiritus sancti talis sanguis in utero Virginis adunatus est et formatus in prolem. Et tunc dicitur corpus Christi ex castissimis et purissimis sanguinibus Virginis formatum. (Ad 3m).

Art. VI. – *Utrum Corpus Christi in antiquis Patribus fuerit secundum aliquid signatum.*

RESP. NEG. – *Scil. :* Corpus Christi non fuit in Adam et aliis patribus secundum aliquid signatum, ita scil. quod aliqua pars corporis Adae vel alicujus alterius posset designari determinate, ut diceretur quod ex hac materia determinate formabitur corpus Christi: sed fuit ibi secundum originem, sicut et caro aliorum hominum.

R. EST: quia corpus Christi habet relationem ad Adam et alios patres mediante corpore matris ejus. Corpus autem matris non fuit in patribus secundum materiam signatam, sicut nec corpora aliorum hominum. Unde nec corpus Christi fuit in patribus secundum materiam signatam.

NOTANDUM: Cum dicitur Christus fuisse in Adam secundum corpulentam substantiam, non est intelligendum hoc modo quod corpus Christi in Adam fuerit quaedam corpulenta substantia; sed quia corpulenta substantia corporis Christi, id est, materia quam sumpsit ex Virgine, fuit in Adam sicut in principio activo, non autem sicut in materiali principio: quia scil. per virtutem generativam Adae et aliorum ab Adam descendendum usque ad B. Virginem, factum est ut illa materia praepareretur ad conceptum corporis Christi. Non

autem fuit materia illa formata in corpus Christi per virtutem seminis ab Adam derivatam, sed virtute Spiritus sancti. Et ideo Christus dicitur fuisse in Adam originaliter secundum corpulentam substantiam, non autem secundum seminalem rationem. (Ad 1m). - Mediante autem B. Virgine, Christus secundum carnem dicitur esse ex semine David per modum originis (Ad 2m).

Art. VII. - *Utrum caro Christi in patribus fuerit peccato obnoxia.*

RESP. AFF. - *Scil.:* tametsi tota caro patrum fuit obnoxia peccato, tamen caro Christi, non virili semine, sed opere Spiritus sancti ad Christum deducenda, extitit immunis a peccato.

R. EST: quia caro humana peccato inficitur ex hoc quod est per concupiscentiam concepta: sicut ergo tota caro alicujus hominis per concupiscentiam concipitur, ita etiam tota peccato inquinatur. Unde tota caro antiquorum patrum fuit peccato obnoxia. Et secundum hoc caro Christi in patribus fuit peccato infecta. Christus tamen non derivatur a patribus secundum legem concupiscentiae, sive secundum rationem seminalem (art. praec. ad 1m); et ideo Christus non assumpsit carnem humani generis peccato subjectam, sed ab omni infectione peccati mundatam.*

Art. VIII. - *Utrum Christus in lumbis Abrahae fuerit decimatus.*

(Nota: Decimari prout hic accipitur, nihil aliud est quam praefigurari liberatione indigere).

(*) Dicitur *mundata* respective ad carnem ut sic et generali sensu sumptam: sic enim a peccato mundata dici potest; quia infectionem communem non habuit in Christo: sed respective ad carnem hanc individuum quae praecise in Christo fuit, *munda* potius debet dici, quia in singulari nihil habuit unde mundari eam oporteret.

RESP. NEG. – **R. EST:** quia per hoc quod Abraham Melchisedech decimas dedit, praefiguravit se velut in peccato conceptum, et omnes qui ab eo descensuri erant, ea ratione ut peccatum originale contraherent, indigere curatione; hoc autem de Christo dici non potest, qui in Abraham fuit non secundum rationem seminalem, sed secundum corpulentam substantiam tantum. Et ideo non fuit in Abraham sicut curatione indigens, sed magis sicut vulneris medicina. Et ideo non fuit in lumbis Abrahae decimatus.

QUAESTIO XXXII

De conceptione Christi quoad activum principium

Deinde considerandum est de principio activo in conceptione Christi; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum Spiritus sanctus fuerit principium activum conceptionis Christi.*

RESP. AFF. – *Scil.:* conceptionem corporis Christi, sicut et omnes alias operationes quae dicuntur ad extra, tota Trinitas est operata. Attribuitur tamen hoc Spiritui sancto, triplici ratione.

PRIMA R. EST: quia hoc congruit causae incarnationis, quae consideratur ex parte Dei. Spiritus enim sanctus est amor Patris et Filii, ut in prima parte habitum est (qu. xxxvii, art. 1). Hoc autem ex maximo Dei amore provenit ut Filius Dei carnem sibi assumeret in utero virginali. Unde dicitur Jn. iii, 16: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.*

SECUNDA R. EST: quia hoc congruit causae incarnationis ex parte naturae assumptae. Per hoc enim datur intelligi quod humana natura

assumpta est a Filio Dei in unitatem personae, non ex aliquibus meritis, sed ex sola gratia, quae Spiritui sancto attribuitur.

TERTIA R. EST: quia hoc congruit termino incarnationis. Ad hoc enim terminata est incarnatio, ut homo ille qui concipiebatur, esset sanctus et Filius Dei. Utrumque autem horum attribuitur Spiritui sancto. Nam per ipsum efficiuntur homines filii Dei (Gal. iv, 6). Sicut ergo alii per Spiritum sanctum sanctificantur spiritualiter, ut sint filii Dei adoptivi, ita Christus per Spiritum sanctum est in sanctitate conceptus, ut esset Filius Dei naturalis, secundum illud Lc. i, 35: *Spiritus sanctus superveniet in te*, et concludit: *Ideoque et quod nascitur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

NOTANDUM: Sicut virtus animae, quae est in semine, per spiritum qui in semine includitur, format corpus in generatione aliorum hominum, ita virtus Dei quae est ipse Filius, secundum illud I. Cor. i, 24: *Christum Dei virtutem*, per Spiritum Sanctum corpus formavit quod assumpsit. (Ad 1m).

Art. II. – Utrum Christus debeat dici conceptus de Spiritu sancto.

RESP. AFF. – Scil.: secundum quod praepositio *de* indicat habitudinem ad corpus Christi et ad ipsum Christum ratione ipsius corporis.

R. EST: quia Spiritus sanctus habet ad corpus Christi habitudinem causae efficientis; et ad ipsum Filium Dei, qui dicitur conceptus, habet habitudinem consubstantialitatis. Et sic efficientia Spiritus sancti refertur ad corpus assumptum, consubstantialitas vero ad personam assumptam.

NOTANDUM: Quia corpus Christi non est consubstantiale Spiritui sancto, non proprie potest dici de Spiritu sancto conceptum, sed magis ex Spiritu

sancto, (scil. ex potestate ejus), sicut Ambrosius dicit (De Spir. sancto, lib. ii, c. 5): « Quod ex aliquo est, aut ex substantia, aut ex potestate ejus est: ex substantia, sicut Filius, qui a Patre est; ex potestate, sicut ex Deo omnia, quomodo et in utero habuit Maria ex Spiritu sancto ». (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum Spiritus sanctus dici debeat Pater Christi secundum carnem.*

RESP. NEG. – *Scil. :* Christus nullo modo dici debet Filius Spiritus sancti, nec etiam totius Trinitatis.

R. EST: quia Christus, quamvis secundum humanam naturam sit creatus et justificatus; non tamen debet dici Filius Dei neque ratione creationis, neque ratione justificationis, sed solum ratione generationis aeternae, secundum quam est Filius Patris solius. Christus enim est Filius Dei secundum perfectam rationem filiationis, propter perfectam similitudinem ad Patrem a quo generatur; quod autem de aliquo dicitur secundum rationem perfectam, non est dicendum de eo secundum rationem imperfectam. Christus autem, secundum quod homo, conceptus est de Spiritu sancto sicut de activo principio, non tamen secundum similitudinem speciei, sicut homo nascitur de patre suo: et ideo Christus non dicitur filius Spiritus sancti. – Dicitur tamen filius Mariae Virginis quia conceptus est de ea materiam ministrante in similitudinem speciei. (Ad 1m).

Art. IV. – *Utrum Beata Virgo aliquid active egerit in conceptione corporis Christi.*

RESP. NEG. – **R. EST:** quia, ut in naturalibus habetur, tota virtus activa in generatione est ex parte maris, passio autem ex parte feminae. Quia igitur B. Virgo non hoc accepit ut esset pater Christi, sed mater, consequens est quod non accepit potentiam activam in conceptione Christi,

sive aliquid egerit, ex quo sequitur ipsam fuisse patrem Christi; sed solam materiam ministravit. Operata tamen est ante conceptionem aliquid active, praeparando materiam, ut esset apta conceptui.

QUAESTIO XXXIII

De modo et ordine conceptionis Christi

Deinde considerandum est de modo et ordine conceptionis Christi; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum corpus Christi fuerit formatum in primo instanti conceptionis.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) non quantum ad motum sanguinis ad locum generationis, quod est praeambulum conceptionis; nec quantum ad augmentum, quod conceptionem sequitur; b) sed ipsa formatio corporis Christi, in qua principaliter ratio conceptionis consistit, fuit in instanti.

R. PRIMI EST: quia motus localis non fit nisi in tempore.

R. SECUNDI EST: quia a) virtus agentis (i. e. Spiritus sancti) est infinita. Nam, aliquid agens citius materiam disponere potest, quanto majoris virtutis est: unde agens infinitae virtutis potest in instanti materiam disponere ad debitam formam; b) congruum non erat ut Filius Dei corpus humanum assumeret, nisi formatum: si enim ante formationem perfectam aliquid tempus conceptionis praecessisset, non posset tota conceptio attribui Filio Dei, quae non attribuitur ei nisi ratione assumptionis.

Art. II. – *Utrum corpus Christi fuerit animatum in primo instanti suae conceptionis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia in primo instanti suae conceptionis, corpus Christi assumptum est

a Verbo Dei. Verbum autem Dei assumpsit corpus mediante anima (qu. VI, art. 1 et 2). Unde oportuit quod in primo instanti conceptionis corpus Christi esset animatum anima rationali.

NOTANDUM: Secundum Philosophum (De Generat. animalium. lib. ii, cap. 3), in generatione hominis prius est vivum, et postea animal, et postea homo, propter hoc quod successive corpus formatur et disponitur ad animam. Sed corpus Christi propter infinitam virtutem agentis fuit perfecte dispositum in instanti: unde statim in primo instanti recepit formam perfectam, i. e., animam rationalem. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum corpus Christi in primo instanti suae conceptionis fuerit a Verbo assumptum.*

RESP. AFF. - *Scil.* : Caro Christi non fuit prius concepta et postmodum assumpta; sed in eodem primo instanti suae Conceptionis fuit assumpta.

R. EST: quia si caro Christi fuisset concepta, antequam susciperetur a Verbo, habuisset aliquando aliquam hypostasim praeter hypostasim Verbi Dei; quod est contra rationem incarnationis, secundum quam ponimus, Verbum Dei esse unitum humanae naturae et omnibus partibus ejus in unitate hypostasis. Nec fuit conveniens quod hypostasim praeexistentem humanae naturae, vel alicujus partis ejus Verbum Dei sua assumptione destrueret. Et ideo contra fidem est dicere quod caro Christi prius fuerit concepta, et postmodum assumpta a Verbo Dei.

Art. IV. - *Utrum conceptio Christi fuerit naturalis vel miraculosa.*

RESP.: conceptio Christi dici debet simpliciter miraculosa et supernaturalis; secundum aliquid autem fuit naturalis.

R. EST: quia si consideremus id quod est ex parte materiae conceptus, quam mater mini-

stravit, totum est naturale. Si vero consideremus id quod est ex parte virtutis activae, totum est miraculosum. – Sed quia unumquodque magis iudicatur secundum formam quam secundum materiam, et similiter secundum agens quam secundum patiens, inde est quod conceptio Christi debet dici simpliciter miraculosa et supernaturalis, sed secundum aliquid naturalis.

QUAESTIO XXXIV

De perfectione prolis conceptae

Deinde considerandum est de perfectione prolis conceptae; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum Christus in primo instanti suae conceptionis fuerit sanctificatus per gratiam.*

RESP. AFF. – R. EST: quia abundantia gratiae sanctificantis in animam Christi derivatur ex ipsa Verbi unione. Ostensum est autem supra (quaes. praec.), quod in primo instanti suae conceptionis corpus Christi animatum fuit, et a Verbo Dei assumptum. Unde consequens est quod in primo instanti suae conceptionis Christus habuerit plenitudinem gratiae sanctificantis animam et corpus ejus.

Art. II. – *Utrum Christus in primo instanti suae conceptionis habuerit usum liberi arbitrii.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Christus in primo instanti suae conceptionis, propter perfectionem humanae naturae quam assumpsit, habuit illam operationem animae quae potest in instanti haberi. Talis autem est operatio voluntatis et intellectus, in qua consistit usus liberii arbitrii. Subito enim et in instanti perficitur operatio intellectus et

voluntatis, magis quam visio corporalis; eo quod intelligere, velle et sentire non est motus qui sit actus imperfecti (quod successive perficitur), sed est actus jam perfecti, ut dicitur (Arist. De anima, lib. iii, text. 28).

NOTANDA: 1. Christus in primo instanti suae conceptionis, sicut habuit plenitudinem gratiae sanctificantis, ita habuit plenitudinem veritatis cognitae, secundum illud Jn. i, 14: *Plenum gratiae et veritatis*. Unde quasi habens omnium certitudinem, potuit statim in instanti eligere. (Ad 2m).

2. In primo instanti conceptionis potuit etiam in Christo esse operatio sensus, maxime quantum ad sensum tactus: quo sensu proles concepta sentit in matre, etiam antequam animam rationalem obtineat, ut dicitur (Arist. De generatione animal., lib. ii, cap. 3). Unde cum Christus in primo instanti suae conceptionis habuerit animam rationalem, formato jam et organizato corpore ejus, multo magis in eodem instanti poterat habere operationem sensus tactus. (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum Christus in primo instanti suae conceptionis mereri potuerit.*

RESP. AFF. – R. EST: quia cum Christus, in primo instanti conceptionis suae, sic sanctificatus fuerit, ut esset aliorum sanctificator, sanctificatio ejus in eodem instanti perfectissima fuit. Perfectior est autem sanctitas quam quis acquirit actu proprio quam illa quam quis acquirit actu aliorum. Et ideo, Christus, in illo primo instanti conceptionis suae, sanctificatus fuit secundum proprium motum liberi arbitrii in Deum; qui quidem motus liberi arbitrii est meritorius.

NOTANDUM: Gloriam immortalitatis, quam Christus in primo instanti suae conceptionis meruit, potuit etiam posterioribus actibus et passionibus mereri, non quidem ut esset sibi magis debita, sed ut sibi ex pluribus causis deberetur. Nam nihil prohibet idem esse alicujus ex diversis causis. (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum Christus fuerit perfectus comprehensor in primo instanti suae conceptionis.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Deum per essentiam clarius videndo caeteris creaturis.

R. EST: quia in primo instanti suae conceptionis Christus gratiam accepit non ad mensuram, sicut caeteri sancti (qu. vii, art. 9, 10 et 12). Unde manifestum est quod Christus in primo instanti suae conceptionis accepit non solum tantam gratiam quantum comprehensores habent, sed etiam omnibus comprehensoribus majorem. Et quia gratia illa non fuit sine actu (art. praec.), consequens est quod actu fuerit comprehensor, videndo Deum per essentiam clarius caeteris creaturis.

NOTANDUM: Christus non meruit gloriam animae, secundum quam dicitur comprehensor, sed gloriam corporis, ad quam per suam passionem pervenit. (Ad 1m).

QUAESTIO XXXV

De nativitate Christi

Consequenter post Christi conceptionem agendum est de ejus nativitate: et primo quantum ad ipsam nativitatem; secundo, quantum ad navitatis manifestationem. Circa primum quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum nativitas sit naturae vel personae.*

RESP.: nativitas, tanquam subjecto nascenti, proprie attribuitur personae vel hypostasi; tanquam termino attribuitur naturae.

R. EST: quia nasci est quoddam generari: sicut ergo aliquid generatur ad hoc quod sit, ita nascitur aliquid ad hoc quod sit. Esse autem proprie est rei subsistentis; et ideo nativitas, tan-

quam subjecto nascenti, proprie attribuitur personae vel hypostasi, quae significatur per modum subsistentis. – Terminus autem cujuslibet nativitatis est forma. Natura autem significatur per modum formae: terminatur enim naturae intentio ad formam seu naturam speciei. Et secundum hoc nativitas attribuitur naturae.

Art. II. – *Utrum attribuenda sit Christo aliqua nativitas temporalis.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia nativitas attribuitur naturae, scilicet ut termino (art. praec.). In Christo autem sunt duae naturae, divina scil. et humana, quarum unam accepit ab aeterno a Patre, alteram accepit temporaliter a matre. Et ideo necesse est attribuere Christo duas nativitates, unam qua aeternaliter natus est a Patre, aliam qua temporaliter natus est a matre.

Art. III. – *Utrum secundum temporalem Christi nativitatem B. Virgo possit dici Mater ejus.*

RESP. AFF. – **Scil. :** B. V. est vera et naturalis mater Christi.

R. EST: quia Corpus Christi non est de caelo allatum, sicut Valentinus haereticus posuit; sed de Virgine matre sumptum, et ex purissimis sanguinibus ejus formatum, ut dictum est (quaes. v, art. 2).

Art. IV. – *Utrum B. Virgo debeat dici mater Dei.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia cum unio incarnationis sit facta in hypostasi, (quaes. ii, art. 2 et 3) manifestum est quod hoc nomen *Deus* potest supponere pro hypostasi habente humanam naturam et divinam. Et ideo quidquid convenit divinae naturae vel humanae, potest attribui illi personae. Concipi autem et nasci personae

attribuitur et hypostasi, secundum naturam illam in qua concipitur et nascitur. C onsequens est quod vere possit dici Deum esse conceptum et natum de Virgine, secundum naturam humanam. Unde consequens est quod B. Virgo vere dicatur mater Dei. - Dicendum est enim quod B. Virgo dicitur mater Dei, non quia sit mater Divinitatis, sed quia personae habentis Divinitatem et humanitatem est mater secundum humanitatem. (Ad 2m).

Art. V. - *Utrum in Christo sint duae filiationes.*

RESP. NEG. - *Scil. : a) si attendamus ad causam filiationis, quae est nativitas, oportet in Christo ponere duas filiationes; b) si vero attendamus ad subjectum filiationis, quod est persona vel hypostasis, sic in Christo unam tantum filiationem esse dicimus.*

R. PRIMI EST: quia non una et eadem nativitate Christus est natus ex Patre ab aeterno, et ex matre ex tempore; nec nativitas est unius speciei. Unde quantum ad hoc, oportet dicere in Christo esse diversas filiationes, unam temporalem et aliam aeternam.

R. SECUNDI EST: quia subjectum filiationis non est natura aut pars naturae, sed solum persona vel hypostasis, in Christo autem non est persona vel hypostasis, nisi aeterna; non potest in Christo esse aliqua filiatio, nisi quae in hypostasi aeterna.

NOTANDUM: Cum omnis relatio quae ex tempore de Deo dicitur, non ponit in ipso Deo aeterno aliquid secundum rem, sed secundum rationem tantum. filiatio qua Christus refertur ad matrem, non potest esse realis relatio (ex parte Dei), sed ex parte matris. Et sic Christus dicitur realiter filius Virginis matris ex relatione reali maternitatis ad ipsum (in fine art.).

Art. VI. – *Utrum Christus fuerit natus sine dolore matris.*

RESP. AFF. – R. EST: quia dolor parientis causatur ex apertione meatuum, per quos proles egreditur. Dictum est autem supra (qu. xxviii, art. 2), quod Christus est egressus ex clauso utero matris (quod quidem miraculose factum est – qu. xxviii, art. 2, ad 3m): et sic nulla violentia apertionis meatuum ibi fuit. Et propter hoc in illo partu nullus fuit dolor, sicut nec aliqua corruptio; sed fuit ibi maxime jucunditas ex hoc quod homo Deus est natus in mundum, secundum illud Isa. xxxv, 2: *Germinans germinabit, sicut lilium, et exultabit laetabunda et laudans.*

Art. VII. – *Utrum Christus debuerit in Bethlehem nasci.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Christus in Bethlehem nasci voluit, duplici ratione.

PRIMA R. EST: quia Christus factus est ex semine David secundum carnem, ut dicitur Rom. i, 3, cui etiam facta fuerat repromissio specialis de Christo (II Reg. xxiii, 1). Et ideo in Bethlehem, de qua natus fuit David, nasci voluit, ut ex ipso loco nativitatis promissio ei facta impleta ostenderetur.

SECUNDA R. EST: quia, ut Gregorius dicit (In Hom. viii, in Evang.), « Bethlehem domus panis interpretatur. Ipse autem Christus est qui ait: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi* ».

NOTANDUM: Jesus Christus in Bethlehem voluit quasi peregre nasci; in Nazareth, quae flos interpretatur, educari voluit et nutriri; in Jerusalem autem, quae civitas regalis et sacerdotalis fuit, pati voluit et mori. (Passim ad 1m et ad 2m). In fine, ut suam potestatem magis ostenderet, in ipsa Roma, quae caput mundi erat, etiam caput

Ecclesiae suae statuit, in signum perfectae victoriae, ut exinde fides derivaretur ad universum mundum. (Ad 3m).

Art. VIII. – *Utrum Christus fuerit tempore congruo natus.*

RESP. AFF. – Secundum illud Galat. iv, 4: *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filius suum, factum ex muliere, factum sub lege.*

R. EST: quia Christus non est natus necessitati temporis subjectus, sicut alii homines, sed tanquam dominus et conditor omnium temporum, elegit sibi tempus in quo nasceretur, sicut et matrem, et locum. Et quia *Quae a Deo sunt, ordinata sunt* et convenienter disposita, consequens est quod convenientissimo tempore Christus nasceretur.

NOTANDUM: Rationes particulares quae in *responsionibus* habentur sic breviter exponi possunt: 1. voluit nasci tempore census, ut adscriberetur censui Caesaris; et ob nostram liberationem ipse servitio subderetur. – 2. Quia tempore illo, cum totus orbis sub uno principe vivebat, maxima pax fuit in mundo. – 3. Quia congruebat Christum nasci quando lex Dei sub potestate regis alienigenae erat: magna enim et desperabilis infirmitas medicum artificiosorem quaerebat. – 4. Natus est Christus die illa Decembris, quia tunc lux diei crementum incipit accipere; ipse enim venit *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent.* (Lc. I, 79).

QUAESTIO XXXVI

De manifestatione Christi nati

Deinde considerandum est de manifestatione Christi nati, et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum nativitas Christi debuerit esse omnibus manifesta.*

RESP. NEG. – PRIMA R. EST: quia per hoc impedita fuisset humana redemptio, quae per cru-

cem ejus peracta est: quia, ut dicitur I. Corinth. ii, 8, *Si cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent.*

SECUNDA R. EST: quia si manifestis indiciis, Christo nascente, ejus nativitas omnibus appareret, jam tolleretur ratio fidei, quae est *argumentum non apparentium*, ut dicitur Hebr. xi.

TERTIA R. EST: quia per hoc venisset in dubium veritas humanitatis ipsius.

Art. II. - *Utrum nativitas Christi debuerit aliquibus manifestari.*

RESP. AFF. - *Scil.:* secundum ordinem divinae sapientiae, nativitas Christi non omnibus, sed tantum aliquibus a Deo praeordinatis testibus manifestari debuit.

R EST: quia ad ordinem divinae sapientiae pertinet ut Dei dona et secreta sapientiae ejus non aequaliter ad omnes, sed immediate ad quosdam perveniant, et per quos ad alios deriverentur, sicut de mysterio resurrectionis dicitur: *Deus dedit Christum resurgentem manifestum fieri non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo* (Act. x, 40).

NOTANDUM: Quantum ad verba Mt. ii, 3: *Turbatus est Herodes, et omnis Jerosolyma cum illo*, dicendum est quod ipsa turbatio subsequuta ex nativitate Christi manifestata congruebat Christi nativitati. Primo quidem, quia per hoc manifestatur caelestis Christi dignitas. Secundo, quia per hoc figurabatur judiciaria Christi potestas; unde dicit Augustinus (In quodam. serm. Epiph., 30 de Temp.): « Quid erit tribunal judicantis, quando superbos reges cunabula terrebant infantis ? ». Tertio, quia per hoc figurabatur dejectio regni diaboli: quia, ut Leo Papa dicit (In serm. Epiph): « Non tantum Herodes in semetipso turbabatur, quantum diabolus in Herode ». (Ad 3m,

Art. III. - *Utrum sint convenienter electi illi quibus est Christi nativitas manifestata.*

RESP. AFF. - R. EST: quia quae secundum Dei sapientiam fiunt, convenienter fiunt. Sic nativitas Christi omnibus hominum conditionibus est manifestata, quibus salus per Christum erat futura. Nam, pastores fuerunt Israelitae, Magi autem gentiles; illi simplices et viles, isti autem sapientes et potentes. Manifestatus etiam est justis, scilicet Simeoni et Annae, et peccatoribus, scilicet Magis. Manifestatus est etiam et viris et mulieribus, ut per hoc ostenderetur nullam conditionem hominum excludi a Christi salute.

Art. IV. - *Utrum Christus per seipsum nativitatem suam manifestare debuerit.*

RESP. NEG. - R. EST: quia oportet nativitatem Christi ita manifestari, ut demonstratio divinitatis ejus fidei humanitatis ipsius non praesudicaret. Hoc autem factum est dum Christus in seipso nativitatem similem infirmitati humanae exhibuit, et tamen per Dei creaturas Divinitatis virtutem in se monstravit.

Art. V. - *Utrum nativitas Christi debuerit per angelos et stellam manifestari.*

RESP. AFF. - *Scil.:* convenienter Christi nativitas manifestata est pastoribus per angelos, Magis per stellam; justis autem per inspirationem.

R. EST: quia Judaei consueti erant divina responsa per angelos accipere; gentiles vero, et maxime astrologi, consueti sunt stellarum cursus inspicere: justis autem familiare et consuetum est interiori Spiritus sancti instinctu edoceri, sicut Simeoni et Annae factum est.

Art. VI. – *Utrum nativitas Christi ordine convenienti fuerit manifestata.*

RESP. AFF. – *Scil.* : convenientissimo ordine fuit Salvatoris nostri nativitas manifestata, ut primo pastoribus, secundo Magis, tertio justis, scilicet Simeoni et Annae.

R. EST: quia per pastores significantur apostoli et alii credentes ex Judaeis, quibus primo manifestata est fides Christi, inter quos *non fuerunt multi potentes, nec multi nobiles*, ut dicitur I. Corinth. i. Secundo autem fides Christi pervenit ad plenitudinem gentium, quae est praefigurata per Magos. Tertio autem pervenit ad plenitudinem Judaeorum, quae est praefigurata per justos: unde et in templo Judaeorum est eis Christus manifestatus.

Art. VII. – *Utrum stella quae Magis apparuit, fuerit una de caelestibus stellis.*

RESP. NEG. – *Scil.* : consonum rationi esse videtur, non fuisse unam caelestium stellarum, sed ad hoc a Deo de novo creatam.

PRIMA R. EST: quia nulla alia stellarum hac via incedit; haec enim stella ferebatur a septentrione in meridiem; ita enim Judaea jacet ad Persidem, unde Magi venerunt.

SECUNDA R. EST: quia non solum apparebat in nocte, sed etiam in media die, quod non est virtutis stellae, sed nec etiam lunae.

TERTIA R. EST: quia quandoque apparebat, et quandoque occultabatur.

QUARTA R. EST: quia non habebat continuum motum; sed cum oportebat ire Magos, ibat, cum oportebat stare, stabat.

QUINTA R. EST: quia non sursum manens partum Virginis demonstrabat, sed deorsum descen-

dens hoc faciebat. Non autem potuisset distincte domum demonstrare, nisi esset terrae vicina. – Unde videtur haec stella virtutis invisibilis fuisse in talem apparentiam transformata. Et probabilius videtur quod fuerit stella de novo creata, non in caelo, sed in aëre vicino terrae, quae secundum divinam voluntatem movebatur.

Art. VIII. – *Utrum Magi convenienter ad Christum adorandum venerint.*

RESP. AFF. – *Scil.:* credendum est Magos a Spiritu sancto inspiratos, sapienter ad adorandum Christum natum venisse.

R. EST: quia Magi sunt primitiae gentium in Christum credentium; in quibus apparuit, sicut in quodam praesagio, fides et devotio gentium venientium a remotis ad Christum. Et ideo sicut devotio et fides gentium est absque errore per inspirationem Spiritus sancti; ita etiam credendum est Magos a Spiritu sancto inspiratos sapienter (i. e., absque errore) Christo reverentiam exhibuisse.

QUAESTIO XXXVII

De legalibus circa puerum Jesum observatis

Deinde considerandum est de circumcissione Christi. Et quia circumcisio est quaedam professio legis observandae, secundum illud Galat. v. 3: *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae*, simul cum hoc quaerendum est de aliis legalibus circa puerum Jesum observatis. Unde quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum Christus debuerit circumcidi.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia hoc valde congruum erat. – Primo quidem quia sic veritatem ostendit

carnis humanae, contra Manichaeum, qui dixit eum habuisse corpus phantasticum; et contra Apollinarium, qui dixit Corpus Christi esse divinitati consubstantiale; et contra Valentinum, qui dixit Christum de caelo corpus attulisse. – Secundo, ut approbaret circumcisionem, quam olim Deus instituerat. – Tertio, ut comprobaret se esse de genere Abrahae. – Quarto, ut Judaeis excusationem tolleret, ne eum reciperent, si esset incircumcisus. – Quinto, ut obediendi virtutem nobis suo commendaret exemplo. – Sexto, ut, quia in similitudinem carnis peccati advenerat, remedium, quo caro peccati consueverat mundari, non respueret. – Septimo, ut legis onus in se sustinens, alios a legis onere liberaret, secundum illud Gal. iv, 4: *Misit Deus Filium suum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret.*

NOTANDUM: Circumcisio per remotionem carnalis pelliculae in membro generationis facta, significabat spoliationem vetustae generationis, a qua quidem vetustate liberamus per passionem Christi, *in quo*, ut Apostolus dicit (Co'os. ii, 11) *circumcisi sumus circumcissione non manufacta, in expoliatione corporis carnis, sed in circumcissione Domini nostri Jesu Christi.* (Ad 1m et 2m).

Art. II. – Utrum convenienter fuerit Christo nomen impositum.

RESP. AFF. – R. EST: quia nomina debent proprietatibus rerum respondere. « Ratio enim quam significat nomen, est definitio », quae designat propriam rei naturam. Quia igitur Christo hoc munus gratiae collatum erat ut per ipsum omnes salvarentur, ideo convenienter vocatum est nomen ejus *Jesus*, id est, *Salvator*, angelo hoc nomen praenuntiante, non solum matri, sed etiam Joseph, qui erat futurus ejus nutritius.

NOTANDUM: In nomine Emmanuel, sicut in aliis similibus nominibus a Sacra Scriptura Christo impositis, quodammodo hoc nomen *Jesus* significatur. Nam, in hoc quod dicitur *Emmanuel*, quod interpretatur *Nobiscum Deus*, designatur *causa salutis*, quae est unio divinae et humanae naturae in persona Filii Dei, per quam factum est ut Deus esset nobiscum, quasi particeps nostrae naturae. Et sic de caeteris nominibus. (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum convenienter fuerit in templo oblatus Christus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Christus voluit sub lege fieri, *ut eos qui sub lege erant redimeret*, et ut justificatio legis in suis membris spiritualiter impleretur.

NOTANDUM: Sicut Filius Dei non propter seipsum factus est homo et circumcisus in carne, sed ut nos per gratiam faceret Deos, et ut spiritualiter circumcidamur: sic propter nos sistitur Domino, ut discamus Deo praesentare nosmetipsos: et hoc post circumcisionem ejus factum est, ut ostendat, neminem, nisi circumcisum vitiis, dignum esse divinis conspectibus. (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum Mater Dei convenienter ad templum purganda accesserit.*

RESP. AFF. – Scil.: non propter indigentiam, sed propter legis praeceptum.

R. EST: quia sicut plenitudo gratiae a Christo derivatur in matrem, ita decuit ut mater humilitati filii conformaretur. Et ideo sicut Christus, licet non esset legi obnoxius, voluit tamen circumcisionem et alia legis onera subire, ad demonstrandum humilitatis et obedientiae exemplum, et ut approbaret legem, et ut calumniae occasionem Judaeis tolleret: propter easdem rationes voluit et matrem suam implere legis observantias, quibus tamen non erat obnoxia.

QUAESTIO XXXVIII

De baptismo Joannis

Deinde considerandum est de baptismo quo Christus baptizatus est; et quia Christus baptizatus est baptismo Joannis, primo considerandum est de baptismo Joannis in communi; secundo de baptizatiōne Christi. – Circa primum quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum fuerit conveniens Joannem baptizare.*

RESP. AFF. – **PRIMA R. EST:** quia oportebat Christum a Joanne baptizari, ut baptismum consecraret, ut Aug. dicit (Super Joan. simplic. tract. 5).

SECUNDA R. EST: ut Christus manifestaretur, sicut ipse Joannes dicit (Jn. i, 31): concurrentibus enim turbis ad baptismum annuntiabat Christum.

TERTIA R. EST: ut suo baptismo assuefaceret homines ad baptismum Christi.

QUARTA R. EST: ut ad poenitentiam homines inducens, homines praepararet ad digne suscipiendum baptismum Christi.

NOTANDUM: Baptismus Joannis non erat per se sacramentum, sed quasi quoddam sacramentale disponens ad baptismum Christi; et ideo aliquantulum pertinebat ad legem Christi, non autem ad legem Moysi (Ad 1m). Joannes enim fuit terminus legis et initium Evangelii (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum baptismus Joannis fuerit a Deo.*

RESP. AFF. – *Scil.:* quantum ad ritum fuit a Deo, non autem quantum ad effectum.

R. EST: quia Deus familiari Spiritus sancti revelatione Joannem ad baptizandum misit (quod patet ex illis dictis, Luc. iii: *Factum est verbum Domini super Joannem et venit praedicare baptismum poenitentiae*). Quantum vero ad effectum, nihil in illo baptismo efficiebatur quod homo

facere non posset (siquidem effectus illius baptismi consistebat in sola corporis externa ablutione). Unde non fuit a solo Deo, nisi in quantum Deus in homine operatur.

Art. III. - *Utrum in baptismo Joannis gratia daretur.*

RESP. NEG. - R. EST: quia tota doctrina et operatio Joannis praeparatoria erat ad Christum, sicut ministri et inferioris artificis est praeparare materiam ad formam, quam inducit principalis artifex. Gratia autem conferenda erat hominibus per Christum, secundum illud Joan. i, 17: *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.*

NOTANDUM: Baptismus Joannis praeparabat ad gratiam tripliciter: uno quidem modo per doctrinam Joannis inducentem homines ad fidem Christi; alio modo assuefaciendo homines ad ritum baptismi Christi; tertio modo per poenitentiam praeparando homines ad suscipiendum effectum baptismi Christi. (In corp. art.).

Art. IV. - *Utrum alii, praeter Christum, baptismo Joannis baptizari debuerint.*

RESP. AFF. - PRIMA R. EST: quia si solus Christus baptismo Joannis baptizatus esset, non deessent qui dicerent, baptismum Joannis, quo Christus est baptizatus, digniorem esse baptismo Christi, quo alii baptizantur.

SECUNDA R. EST: quia oportebat per baptismum Joannis alios ad baptismum Christi praeparari.

Art. V. - *Utrum baptismus Joannis debuerit cessare, Christo baptizato.*

RESP. NEG. - PRIMA R. EST: quia si cessasset Joannes baptizare, Christo baptizato, existimaretur quod zelo vel ira hoc faceret, ut Chrysostomus dicit (Hom. xxviii in Joan.).

SECUNDA R. EST: si Joannes cessasset a baptizando, Christo baptizante, discipulos suos in majorem zelum immisisset.

TERTIA R. EST: quia, persistens in baptizando, Joannes suos uditores mittebat ad Christum.

QUARTA R. EST: quia, ut dicit Beda (Glossa ord. Jn. iii), « Adhuc permanebat umbra veteris legis: nec debuit praecursor cessare, donec veritas manifestaretur ».

QUINTA R. EST: quia nondum Christus erat plene manifestatus eo baptizato: et ideo adhuc necessarium erat quod Joannes baptizaret (Ad 1m).

Art. VI. – Utrum baptizati baptismo Joannis essent postea baptismo Christi baptizandi.

RESP. AFF. – R. EST: quia baptismus Joannis neque gratiam conferebat, neque characterem imprimebat, sed erat solum in aqua, ut ipsemet dicit (Mt. iii). Unde baptizati etiam fides vel spes, quam habebat in Christum, non poterat hunc defectum supplere. Requirebatur etiam impositio manum ut daretur eis Spiritus Sanctus: de necessitate enim baptismi Christi est ut fiat non solum in aqua, sed etiam in Spiritu sancto, secundum illud Jn. iii, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

QUAESTIO XXXIX

De baptismatione Christi

Deinde considerandum est de baptismatione Christi: et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. – Utrum fuerit conveniens Christum baptizari.

RESP. AFF. – PRIMA R. EST: quia, ut Ambrosius dicit (Super illud Luc. iii: *Factum est autem,*

etc.), « Baptizatus est Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, ut ablutae per carnem Christi qui peccatum non cognovit, baptismatis vim (vel jus) haberent, et ut sanctificatas aquas relinqueret postmodum baptizandis ».

SECUNDA R. EST: quia, sicut Chrysostomus dicit super Matth.* « quamvis ipse non esset peccator, tamen naturam suscepit peccatricem, et similitudinem carnis peccati: propterea etsi pro se baptizatus non indigebat, tamen in aliis carnalis natura opus habebat ».

TERTIA R. EST: quia, sicut Augustinus dicit (In serm. de Epiph.), « Voluit (Christus) facere quod faciendum omnibus imperavit ».

Art. II. - *Utrum Christus baptismo Joannis debuerit baptizari.*

RESP. AFF. - PRIMA R. EST: quia Joannes solum in aqua baptizavit, non autem in Spiritu: et sic Dominus baptizatus aqua, baptizabat Spiritu.

SECUNDA R. EST: quia, ut dicit Beda (Cap. iv in Marc.): « baptizatus est (Dominus) baptismo Joannis, ut baptismo suo baptismum Joannis comprobaret ».

TERTIA R. EST: quia, sicut Gregorius Nazianzenus dicit (In orat. 39): « accedit Christus ad baptismum Joannis sanctificaturus baptismum ». (Tunc enim dedit aquis virtutem regenerandi animas).

QUARTA R. EST: ut « nemo refugiat lavacrum gratiae, quando Christus lavacrum poenitentiae non refugit », ut Ambrosius dicit (Super Lucam, cap. iii). - (Ad 1m).

(*) Alius auctor, Hom. iv in Op. imperf., a princ.

Art. III. – *Utrum Christus convenienti tempore fuerit baptizatus.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Christus convenienter fuit in trigesimo annuo suae aetatis baptizatus.

PRIMA R. EST: quia Christus baptizabatur, quasi ex tunc incipiens docere et praedicare; ad quod requiritur perfecta aetas, qualis est triginta annorum. Unde legitur (Gen. xli, 46), quod *triginta annorum erat Joseph, quando accepit regimen Aegypti*. Similiter etiam legitur (II Reg. v, 4) de David quod *triginta annorum erat cum regnare caepisset*. Ezechiel etiam in trigesimo anno coepit prophetizare, ut habetur apud Ezech. i.

SECUNDA R. EST: quia, sicut Chrysostomus dicit (Super Matth. hom. x), futurum erat ut post baptismum Christi lex cessare inciperet. Et ideo hac aetate Christus ad baptismum venit, quae potest omnia peccata suscipere, ut lege servata nullus dicat quod ideo eam solvit, quia implere non potuit.

TERTIA R. EST: quia per hoc quod Christus in aetate perfecta baptizatur, datur intelligi quod baptismus parit viros perfectos, secundum illud Ephes. iv, 13: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.*

Art. IV. – *Utrum Christus debuerit in Jordane baptizari.*

RESP. AFF. – *Scil.:* conveniens fuit propter figuram.

R. EST: quia sicut fluvius Jordanis fuit per quem filii Israel in terram promissionis intraverunt, ita hoc habet baptismus Christi speciale prae omnibus baptismatibus, quod introducit in regnum Dei, quod per terram promissionis signi-

ficatur; unde dicitur Jn. iii, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.*

NOTANDUM: Nomen Jordanis *descensum* significat; et hoc bene dicitur quia bap̄tismus requirit descensum humilitatis, ad ascensum per profectum gratiae, secundum illud Jac. iv, 6. *Humilibus autem dat gratiam.* (Ad 2m).

Art. V. - *Utrum, Christo baptizato, caeli debuerint aperiri.*

RESP. AFF. - *Scil. : ut Scriptura dicit (Luc. iii, 21): Jesu baptizato et orante, apertum est caelum.*

PRIMA R. EST: ut ostenderetur quod de caetero caelestis virtus baptismum sanctificaret.

SECUNDA R. EST: ut ostenderetur quod ad efficaciam baptismi operatur fides Ecclesiae et ejus qui baptizatur. Per fidem enim inspicimus caelestia, quae sensum et rationem humanam excedunt.

TERTIA R. EST: quia per baptismum Christi specialiter aperitur nobis introitus regni caelestis, qui primo homini praeclusus fuerat per peccatum.

NOTANDUM: Post baptismum necessaria est homini jugis oratio ad hoc quod caelum introeat. Licet enim per baptismum remittantur peccata, remanet tamen fomes peccati, nos impugnans interius, et mundus, et daemones, qui impugnant exterius: et ideo signanter dicitur Luc. iii, quod *Jesu baptizato et orante, apertum est caelum*; quia scil. fidelibus necessaria est oratio post baptismum: vel etiam ut detur intelligi quod hoc ipsum quod per baptismum caelum aperitur credentibus, est ex virtute orationis Christi. (In corp. art.).

Art. VI. - *Utrum convenienter Spiritus sanctus super Christum baptizatum descenderit in specie columbae.*

RESP. AFF. - R. EST: quia cum columba sit simplex animal, conveniens fuit ut super Chri-

stum baptizatum Spiritus sanctus in specie hujus animalis appareret, ut significaretur quod omnes baptismo Christi baptizandos, si simplici corde et non ficto accedant, gratiam Spiritus sancti recepturos esse.

NOTANDA: 1. Praeter hanc principalem rationem, quae est in conclusione articuli, S. D., in responsione ad 4m, sic diffuse alias quatuor convenientiae rationes exponit: Primo, propter dispositionem quae requiritur in baptizato, ut scilicet non fictus accedat: quia, sicut dicitur Sap. i, 5, *Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum*. Columba autem est animal simplex, astutia et dolo carens; unde dicitur Matth. x, 16: *Estote simplices sicut columbae*. - Secundo, ad designandum septem dona Spiritus sancti, quae columba suis proprietatibus significat. (Ad singula vide textum). - Tertio, propter effectum baptismi, qui est remissio peccatorum, et reconciliatio ad Deum. Columba enim est animal mansuetum: et sicut apparuit in diluvio, ramum ferens olivae, et tranquillitatem annuntians; ita et in baptismo Christi apparuit liberatorem nobis demonstrans. - Quarto, ad designandum commune effectum baptismi, qui est constructio ecclesiae unitatis (Ephes. v, 25). De Ecclesia autem dicitur in Cant. vi, 8. *Una est columba mea*. Est enim columba animal amabile et gregale.

2. Illa columba ad hoc tantum significandum repente extitit, et postea cessavit, sicut flamma quae in rubo apparuit Moysi. (Ad 2m).

Art. VII. - *Utrum illa columba, in qua apparuit Spiritus sanctus, fuerit verum animal.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sicut non decebat ut Filius Dei, qui est veritas Patris, aliqua fictione uteretur, et ideo non phantasticum, sed verum corpus accepit; ita, quia Spiritus sanctus dicitur *spiritus veritatis*, ut patet Joan. xvi, ideo etiam ipse veram columbam formavit, in qua appareret, licet non assumeret ipsam in unitatem personae. Dicitur autem Spiritum sanctum descendisse *in specie* vel similitudine columbae,

non ad excludendam veritatem columbae, sed ad ostendendum quod ipse non apparuit in specie suae substantiae. (Ad 1m).

Art. VIII. - *Utrum convenienter, Christo baptizato, fuerit vox Patris audita Filium protestantis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia in baptismo Christi, qui fuit exemplar nostri baptismi, demonstrari debuit quod in nostro baptismo perficitur. Noster autem baptismus perficitur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (Matth. ult., 19). Et ideo «in baptismo Christi mysterium Trinitatis demonstratur. Dominus enim in natura humana baptizatur: Spiritus sanctus descendit in specie columbae: Patris vox testimonium Filio perhibentis auditur», ut Hieronymus dicit (In Matth. iii). Et quia proprium est Patri producere Verbum, quod est dicere, vel loqui, ideo convenientissime Pater per vocem manifestatus est. (Ad 2m).

NOTANDUM: Sicut Hilarius dicit (Super Matth. can. 1, in fine), «super Jesum baptizatum descendit Spiritus sanctus, et vox Patris audita est dicentis: *Hic est filius meus dilectus*; ut ex his quae consummabantur in Christo, cognosceremus post aquae lavacrum, et de caelestibus portis sanctum in nos Spiritum involare, et paternae vocis adoptione Dei filios fieri». (Ad 3m).

QUAESTIO XL

De modo conversationis Christi

Consequenter post ea quae pertinent ad ingressum Christi in mundum, vel ad ejus principium, considerandum restat de his quae pertinent ad progressum ipsius: et primo considerandum est de modo conversationis ipsius; secundo, de tentatione ejus; tertio de doctrina; quarto, de miraculis. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum convenienter fuerit Christum inter homines conversari.*

RESP. AFF. – R. EST: quia conversatio Christi inter homines conveniebat fini incarnationis, secundum quem Christus venit in mundum. Et hoc tripliciter: nam, primo: Christus venit in mundum ad manifestandum veritatem (Jn. xviii, 37); secundo, ut homines a peccato liberaret (I Tim. i, 15); tertio, ut per ipsum habeamus accessum ad Deum (Rom. v.). Et ideo Christus non debeat se occultare, vitam solitariam agens, sed in publicum procedere, publice praedicando et cum hominibus conversando.

Art. II. – *Utrum Christus austeram vitam in hoc mundo ducere debuerit.*

RESP. NEG. – R. EST: quia ille qui cum hominibus conversatur, convenientissimum est ut se eis in conversatione conformet, secundum illud Apostoli (I. Cor. ix, 22): *Omnibus omnia factus sum*. Et ideo convenientissimum fuit ut Christus in cibo et potu communiter se, sicut alii, haberet.

NOTANDUM: Utraque autem vita est licita et laudabilis; ut scilicet aliquis a communi consortio hominum segregatus abstinentiam servet, et ut in societate aliorum positus communi vita utatur. (Ad 1m). Unde, ut Beda dicit (Super Marci ii): « Jejunavit Christus, ne praeceptum declinaret; manducavit cum peccatoribus, ut gratiam cernens agnosceres potestatem ». (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum Christus in hoc mundo debuerit pauperem vitam ducere.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Christum decuit in hoc mundo pauperem vitam ducere.

PRIMA R. EST: quia hoc erat congruum praedicationis officio, propter quod venisse se dicit (Mc. i, 38). Oportet autem praedicatorum verbi

Dei, ut omnino vacent praedicationi, omnino a saecularium rerum cura esse absolutos: quod facere non possunt qui divitias possident.

SECUNDA R. EST: quia sicut mortem corporalem assumpsit, ut nobis vitam largiretur spiritualem; ita corporalem paupertatem sustinuit, ut nobis divitias spirituales largiretur, secundum illud II. Cor. viii, 9: *Propter vos egenus factus est, ut illius inopia vos divites essetis.*

TERTIA R. EST: ne si divitias haberet ejus cupiditati praedicationi adscriberetur.

QUARTA R. EST: quia tanto major virtus Divinitatis ejus ostenderetur, quanto per paupertatem videbatur abjectior.

Art. IV. - *Utrum Christus in hac vita secundum legem conversatus fuerit.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Christus in omnibus secundum legis praecepta conversatus est.

R. EST: quia per suam conversationem secundum legem Christus voluit: a) ipsam veterem legem approbare; b) eam observando, in seipso consummare et terminare, ostendens quod ad ipsum erat ordinata; c) Judaeis occasionem calumniandi subtrahere; d) homines a servitute liberare, secundum illud Galat. iv, 4: *Misit Deus Filium suum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.*

NOTANDUM: Quantum ad objectionem Judaeorum quod Christus sabbatum non custodiebat (Jn. ix, 16), considerandum est primo, quod per praeceptum de sanctificatione sabbati, non interdicitur opus divinum, sed quoddam opus humanum. Secundo, illo praecepto non prohibentur opera quae sunt de necessitate salutis etiam corporalis. Miracula autem, quae Christus faciebat, ad salutem animae et corporis pertinebant. Tertio, illo praecepto non prohibentur opera quae perti-

nent ad Dei cultum. Quod autem Christus paralytico mandavit ut lectum suum sabbato portaret, ad cultum Dei pertinebat, id est, ad laudem virtutis divinae. (Ad 1m).

QUAESTIO XLI

De tentatione Christi

Deinde considerandum est de tentatione Christi; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum conveniens fuerit Christum tentari.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Christus tentari voluit propter quatuor rationes.

PRIMA R. EST: ut nobis contra tentationes auxilium ferret.

SECUNDA R. EST: ut nullus quantumcumque sanctus, se aestimet securum et immunem a tentatione, praesertim si accedat ad servitatem Dei (Eccli. ii, 1).

TERTIA R. EST: propter exemplum: ut scilicet nos instrueret, qualiter diaboli tentationes vincamus.

QUARTA R. EST: ut nobis fiduciam de sua misericordia largiretur, unde dicitur Hebr. iv, 15: *Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.*

NOTANDUM: Conveniens fuit etiam Christum a diabolo tentari:

a) ut, manifesta Christi humana infirmitate, secundum quod ipse voluit, diabolus de ejus divinitate dubitaret. (Ad 1m);

b) quia Christus voluit diabolum superare justitia, non autem potestate. (Ad 2m);

c) quia tentatio ab hoste, cum fit per solam exteriorem suggestionem, potest esse sine peccato. (Ad 3m). Tentatio autem carnis non fit sine peccato. *

(*) Saltem ratione causae inordinationis.

Art. II. - *Utrum Christus in deserto tentari debuerit.*

RESP. AFF. - R. EST: quia diabolus magis attentat aliquem cum est solitarius: dicitur enim Eccle. iv, 12, *si quispiam praevaluerit contra unum, duo resistunt ei.* Et inde est quod Christus in desertum exivit, quasi ad campum certaminis, ut ibi a diabolo tentaretur. Item, hoc factum est ut nobis ostenderetur diabolum ad meliora tendentibus invidere.

Art. III. - *Utrum Christi tentatio debuerit esse post jejunium.*

RESP. AFF. - *Scil. :* Convenienter Christus post jejunium tentari voluit propter tria.

PRIMA R. EST: propter exemplum: quia cum omnibus immineat se contra tentationes tueri, per hoc quod ipse ante tentationem futuram jejunavit, docuit quod per jejunium nos oportet contra tentationes armari.

SECUNDA R. EST: ut ostenderet quod etiam jejunantes diabolus aggreditur ad tentandum, sicut alios qui bonis operibus vacant.

TERTIA R. EST: quia post jejunium secuta est esuries, quae dedit diabolo audaciam eum aggrediendi.

Art. IV. - *Utrum fuerit conveniens ordo et modus tentationis Christi.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ordo tentationis a diabolo est ut hominem spirituales non statim tentet de gravibus peccatis, sed paulatim a levioribus incipit, ut postmodum ad graviora perducat. Et sic fuit tentatio Christi. Nam, primo tentavit ipsum de eo quod appetunt quantumcumque spirituales viri, scilicet de sustentatione corporalis naturae per cibum. Secundo, processit ad

id quo spirituales viri quandoque deficiunt, ut scilicet aliqua ad ostentationem operentur, quod pertinet ad inanem gloriam. Tertio, perduxit tentationem ad id quod jam non est spiritualium virorum, sed carnalium; scilicet ut divitias, et gloriam mundi concupiscant usque ad contemptum Dei.

NOTANDA: 1. Hunc idem ordinem servaverat diabolus in tentatione primi hominis. Nam, primo sollicitavit mentem ejus de ligni vetiti esu. Secundo, de inani gloria, cum dixit: *Aperientur oculi vestri*. Tertio, perduxit tentationem ad extremam superbiam, cum dixit: *Eritis sicut Dii, scientes bonum et malum*. (In corp. art.).

2. Christus cum passus fuisset tentationis injuriam, dicente sibi diabolo: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum*, non est turbatus, nec diabolus increpavit. Quando vero diabolus Dei sibi usurpavit honorem, dicens: *Haec omnia tibi dabo, si cadens, adoraveris me*, exasperatus est et repulit eum, dicens: *Vade, Satana*; ut nos illius discamus exemplo, nostras quidem injurias aequanimiter sustinere, Dei autem injurias nec usque ad auditum sufferre. (Ad 6m).

QUAESTIO XLII

De doctrina Christi

Deinde considerandum est de doctrina Christi; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I.—*Utrum conveniens fuerit Christum Judaeis, et non Gentilibus praedicare.*

RESP. AFF. — *Scil.*: conveniens fuit praedicationem Christi tam per ipsum quam per apostolos a principio solis Judaeis exhiberi; et hoc propter quatuor rationes:

PRIMA R. EST: ut ostenderet per suum adventum impleri promissiones antiquitus factas Judaeis, non autem gentilibus.

SECUNDA R. EST: ut ejus adventus ostenderetur esse a Deo. Quae enim *a Deo sunt, ordinata sunt* (Rom. xiii, 1.). Hoc autem debitus ordo exigebat, ut Judaeis, qui Deo erant propinquiores per fidem et cultum unius Dei, prius doctrina Christi proponeretur, et per eos transmitteretur ad gentes

TERTIA R. EST: ut Judaeis auferret calumniandi materiam: ne scilicet justam haberent excusationem dicentes, ideo se Dominum rejecisse, quia ad gentes et Samaritanos apostolos miserit.

QUARTA R. EST: quia Christus per crucis victoriam meruit potestatem et dominium super gentes; et ideo ante passionem suam noluit gentibus praedicari suam doctrinam; sed post passionem dixit discipulis (Matth. ult., 19): *Euntes docete omnes gentes.*

Art. II. - *Utrum Christus debuerit Judaeis sine eorum offensione praedicare.*

RESP. NEG. - R. EST: quia quando aliqui sua perversitate multitudinis salutem impediunt, non est timenda eorum offensio a praedicatore vel doctore, ad hoc quod multitudinis saluti provideat. Scribae autem, et pharisaei, et principes Judaeorum sua malitia plurimum impediabant populi salutem, tum quia repugnabant Christi doctrinae, per quam solam poterat esse salus, tum etiam quia pravus suis moribus vitam populi corrumpebant. Et ideo Dominus, nonobstante offensione eorum, publice veritatem docebat, quam illi oderant, et eorum vitia arguebat.

Art. III. - *Utrum Christus omnia publice docere debuerit.*

RESP. AFF. - R. EST: quia in Christo non habuit locum invidia (Sap. vii, 13); et doctrina ejus

neque est de errore, neque de immunditia, sed vera et honesta: et ideo vel toti turbae, vel omnibus suis discipulis in communi ejus doctrina proponitur. – Quantum autem ad modum docendi, sic Christus quaedam turbis loquebatur in occulto, parabolis utens ad annuntianda spiritualia mysteria, ad quae capienda non erant idonei vel digni: et tamen melius erat eis, vel sic sub tegumento parabolarum, spiritualium doctrinam audire, quam omnino ea privari. Harum tamen parabolarum apertam et nudam veritatem Dominus discipulis exponebat, per quos deveniret ad alios, qui essent idonei.

Art. IV. – *Utrum Christus debuerit doctrinam suam scripto tradere.*

RESP. NEG. – *Scil.:* conveniens fuisse Christum doctrinam suam non scripsisse propter tria:

PRIMA R. EST propter dignitatem: quia excellentiori doctore excellentior modus doctrinae debetur. Et ideo Christo, tanquam excellentissimo doctore, hic competebat modus, ut doctrinam suam auditorum cordibus (immediate) imprimeret. Scriptura enim ordinatur ad impressionem doctrinae in cordibus auditorum, (mediate) sicut ad finem.

SECUNDA R. EST propter excellentiam doctrinae Christi: quia tanta est excellentia Christi doctrinae, quod litteris comprehendere non potest. Si autem Christus scripto doctrinam suam mandasset, nihil altius de ejus doctrina homines aestimarent quam quod scriptura contineret.

TERTIA R. EST propter ordinem quemdam: ut scilicet ordine quodam ab ipso doctrina ad omnes perveniret; dum ipse scilicet discipulos suos im-

mediate docuit, qui postmodum alios verbo et scripto docuerunt.

NOTANDUM: Quia lex vetus in sensibilibus figuris dabatur, ideo etiam convenienter sensibilibus signis scripta fuit. Sed doctrina Christi, quae est *lex spiritus vitae*; scribi debuit *non atramento, sed Spiritu Dei vivi*; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, ut Apostolus dicit. (II. Cor. iii, 3). - (Ad 2m).

QUAESTIO XLIII

De miraculis a Christo factis

Deinde considerandum est de miraculis a Christo factis: et primo in generali; secundo, in speciali de singulis miraculorum generibus; tertio, in particulari de transfiguratione ipsius. - Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum Christus debuerit facere miracula.*

RESP. AFF. - R. EST: quia homini divinitus conceditur miracula facere propter duo, scil.: primo et principèliter ad confirmandam virtutem fidei quam aliquis docet in nomine Dei; secundo ad ostendendam praesentiam Dei in homine per gratiam Spiritus sancti. Utrumque autem circa Christum erat hominibus manifestandum; scil. quod Deus esset in eo per gratiam, non adoptionis, sed unionis, et quod ejus supernaturalis doctrina esset a Deo. Et ideo convenientissimum fuit ut miracula faceret, prout ipse dicit (Jn. x, 38; v, 36).

Art. II. - *Utrum Christus fecerit miracula divina virtute.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sicut in prima parte habitum est (qu. cx, art. 4), vera miracula sola virtute divina fieri possunt, quia solus Deus potest mutare naturae ordinem; quod pertinet ad

rationem miraculi. – Natura Christi humana instrumentum est divinae actionis, et actio humana virtutem accipit a natura divina, sicut supra habitum est (qu. xiii, art. 3).

NOTANDUM: Quia oportebat de Christo credi quoniam a Patre est, et quod ei aequalis est; ideo ut utrumque ostendat, nunc quidem cum potestate, nunc autem orans miracula facit: et in minoribus quidem respicit in caelum, puta in multiplicatione panum; in majoribus autem quae sunt solius Dei, cum potestate a se ipso agit, puta quando peccata dimisit, mortuos suscitavit. Quod autem dicitur Jn. xi, quod in suscitatione Lazari oculos seorsum levavit, non propter necessitatem suffragii, sed propter exemplum hoc fecit; unde dicit: *Propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti.* (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum Christus incaeperit facere miracula in nuptiis.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Christus in nuptiis Canae incaepit miracula facere non propter confirmationem doctrinae, sed ad ostendendum virtutem divinam in ipso.

R. EST: quia non debuit ante miracula facere quam docere inciperet: non autem debuit incipere docere ante perfectam aetatem. Quantum autem ad secundum, sic debuit per miracula Deitatem ostendere ut crederetur veritas humanitatis ipsius.

Art. IV. – *Utrum miracula per Christum facta sufficienter ejus divinitatem ostenderint.*

RESP. AFF. – *Scil.:* miracula quae Christus fecit, sufficientia erant ad manifestandam divinitatem ipsius propter tria:

PRIMA R. EST ratione operum: quia opera quae Christus faciebat transcendebant omnem potestatem creatae virtutis: et ideo non poterant fieri nisi virtute divina. Et propter hoc caecus

illuminatus dicebat (Jn. ix, 32): *A saeculo non est auditum, quia aperuit quis oculos caeci nati: nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.*

SECUNDA R. EST propter modum miracula faciendi: quia quasi ex propria potestate miracula faciebat, non autem orando, sicut alii; unde dicitur Lc. vi, 19, quod *virtus de illo exibat, et sanabat omnes.*

TERTIA R. EST ex ipsa doctrina qua se Deum dicebat: quia nisi vera esset, non confirmaretur miraculis divina virtute factis; et ideo dicitur Mc. i, 27: *Quaenam doctrina haec nova, quia in potestate spiritibus immundis imperat, et obediunt ei?*

QUAESTIO XLIV

De singulis miraculorum speciebus

Deinde considerandum est de singulis miraculorum speciebus: et 1. De miraculis quae fecit circa spirituales substantias. 2. De miraculis quae fecit circa caelestia corpora. 3. De miraculis quae fecit circa homines. 4. De miraculis quae fecit circa creaturas irracionales.

Art. I. - *Utrum miracula facta per Christum circa spirituales substantias fuerint convenientia.*

RESP. AFF. - *Scil.*: conveniens fuit quod inter alia miracula etiam obsessos a daemonibus liberaret.

R. EST: quia miracula quae Christus fecit, argumenta quaedam fuerunt fidei quam ipse docebat. Futurum autem erat ut per virtutem divinitatis ejus excluderet daemonum potestatem ab hominibus credituris in eum, secundum illud Joan. xii, 31: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Et ideo conveniens fuit quod inter alia miracula etiam obsessos a daemonibus liberaret.

Art. II. – *Utrum convenienter facta fuerint miracula per Christum circa caelestia corpora.*

RESP. AFF. – *Scil.:* sive quando nova stella in ejus nativitate apparuit; sive quando tenebrae factae sunt in ejus morte.

R. EST: quia miracula Christi talia esse debebant ut sufficienter eum esse Deum ostenderent. Hoc autem non ita evidenter ostenditur per transmutationes corporum inferiorum, quae etiam ab aliis causis moveri possunt, sicut per transmutationem cursus caelestium corporum, quae a solo Deo sunt immobiliter ordinata. Et ideo conveniens fuit ut Christus miracula faceret etiam circa caelestia corpora; praesertim quando in eo maxime apparebat infirmitas secundum humanam naturam, sicut in ejus nativitate, quando stella nova in caelo apparuit, et in passione, quando miracula ostendit circa principalia mundi luminaria. (Ad 3m).

NOTANDUM: Secundum quosdam, inter quos Hieronymus (Super Mt., cap. xxvii), illae tenebrae vel solis obscuratio, quae in passione Christi accidit, fuit propter hoc quod sol suos radios retraxit. Secundum Origenem (Super Mt., tract. 32) hoc accidit per interpositionem nubium. Sed circa hoc magis credendum est Dionysio, qui oculata fide inspexit hoc accidisse per interpositionem lunae inter nos et solem, quod ex multiplici aspectu miraculosum fuit, quia tunc luna erat plena, et naturaliter in oppositione ad solem erat, quinta-decima existens, quia erat Pascha Judaeorum. Haec autem omnia ipsemet Dionysius narrat, tanquam testis ocularis, in epist. ad Polycarpum (Septima, a medio). – (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum convenienter Christus circa homines miracula fecerit.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia conveniens fuit ut Christus (particulariter) homines miraculose cu-

rando, ostenderet se esse universalem et spiritua-
lem hominum salvatorem.

Art. IV. - *Utrum convenienter Christus fecerit
miracula circa creaturas irracionales.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia miracula Christi
ad hoc ordinabantur ut homines virtutem divi-
nitatis in ipso esse cognoscerent. Virtuti autem
divinitatis omnis creatura subicitur. Et ideo in
omnibus creaturarum generibus miracula eum
facere oportuit, et non solum in hominibus, sed
etiam in irrationalibus creaturis.

QUAESTIO XLV

De transfiguratione Christi

Deinde considerandum est de transfiguratione
Christi; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum fuerit conveniens Christum transfi-
gurari.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia conveniens fuit ut
discipulis suis gloriam suae claritatis ostenderet
quod est ipsum transfigurari, ad hoc ut eos in-
duceret ad suae passionis sequelam. Oportet
enim ad hoc quod aliquis directe procedat in via,
quod finem aliquo modo praecognoscat; et hoc
praecipue necessarium est, quando via est diffi-
cilis et aspera, et iter laboriosum, finis vero
jucundus.

Art. II. - *Utrum claritas Christi in transfigura-
tione fuerit claritas gloriosa.*

RESP. AFF. - *Scil. :* claritas illa quam Christus
in transfiguratione assumpsit, fuit claritas glo-
riae quantum ad essentiam, non tamen quantum
ad modum essendi.

R. EST: quia ad corpus Christi in transfiguratione derivata est claritas a divinitate et anima ejus, non per modum qualitatis immanentis et afficientis ipsum corpus, sicut accidit in corpore glorificato; sed magis per modum passionis transeuntis, sicut cum aer illuminatur a sole: unde ille fulgor tunc in corpore Christi apparens miraculosus fuit, sicut et hoc ipsum quod ambulavit super undas maris. Nam, corpus Christi miraculose habuit ea quae pertinent ad dotes corporis gloriosi: corpus enim Christi nondum erat immortale. (Ad 1m).

NOTANDUM: Sicut claritas quae erat in corpore Christi, repraesentabat futuram claritatem corporis ejus; ita claritas vestimentorum ejus designabat futuram claritatem sanctorum ejus, quae superabitur a claritate Christi, sicut candor nivis superatur a splendore solis. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum testes transfigurationis convenienter fuerint inducti.*

RESP. AFF. - R. EST: quia Christus transfigurari voluit, ut gloriam suam hominibus ostenderet, et ad eam desiderandam homines provocaret. Homines autem qui per Christum ad gloriam aeternae beatitudinis adducuntur, sunt non solum qui post eum fuerunt, sed etiam qui eum praecesserunt. Et ideo conveniens fuit ut de praecedentibus ipsum testes adessent, scil. Moyses et Elias; et de sequentibus ipsum, scil. Petrus, et Jacobus, et Joannes, ut in ore duorum vel trium staret hoc verbum.

NOTANDUM: Sicut Chrysostomus dicit (Super Mt. hom. lvii), Moyses et Elias in medium adducuntur propter multas rationes, inter quas haec est prima et principalis: « quia scil. turbae dicebant eum esse Eliam vel Jeremiam, aut unum ex prophetis, capita prophetarum secum ducit, ut saltem hinc appareat differentia servorum et Domini ». - Quantum vero ad discipulos, tres assump-

sit tanquam potiores. Nam, Petrus in dilectione, Joannes in praerogativa virginitatis et evangelicae doctrinae, Jacobus, vero, in praerogativa martyrii, excellens fuit. (Ad 3m, et ad 4m).

Art. IV. - *Utrum convenienter auditum fuerit testimonium paternae vocis in transfiguratione.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Tam in baptismo quam in transfiguratione conveniens fuit manifestari naturalem Christi filiationem testimonio Patris, ad designandum adoptionem nostram in filios Dei.

R. EST: quia per baptismum consequimur gratiam viae, quae est conformitas imperfecta imaginis ad Dei Filium naturalem; per transfigurationem autem praemonstrata est claritas futurae gloriae, quae erit conformitas perfecta, ut dicitur I. Jn. iii, 2. Adoptio enim filiorum Dei est per quamdam conformitatem ad Dei Filium naturalem.

NOTANDUM: Sicut in baptismo, ubi declaratum fuit mysterium primae regenerationis, ostensa est operatio totius Trinitatis, per hoc quod fuit ibi Filius incarnatus, apparuit Spiritus sanctus in specie columbae, et Pater fuit ibi declaratus in voce; ita etiam in transfiguratione, quae est sacramentum secundae regenerationis, tota Trinitas apparuit, Pater in voce, Filius in homine, Spiritus sanctus in nube clara, in qua designatur claritas gloriae futurae et refrigerium ab omni malo. (Ad 2m).

QUAESTIO XLVI

De passione Christi

Consequenter considerandum est de his quae pertinent ad exitum Christi de mundo, et primo de passione ejus; secundo, de morte; tertio, de sepultura; quarto, de descensu ad inferos. Circa passionem occurrit triplex consideratio. Prima de ipsa passione; secunda, de causa efficiente passionis; tertia, de fructo passionis. Circa primum quaeruntur duodecim:

Art. I. – *Utrum fuerit necessarium Christum pati pro liberatione humani generis.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) fuit necessarium Christum pati non necessitate coactionis; sed b) necessitate finis, et hoc tum ex parte nostra, tum ex parte Christi, tum ex parte Dei.

R. PRIMI EST: quia Deus non coactive, sed libere definivit Christum pati; et Christus voluntarie passus est.

R. SECUNDI EST: a) ex parte nostra: quia passione Christi liberati sumus (Jn. iii, 14); – b) ex parte ipsius Christi: quia Christus per humilitatem passionis meruit gloriam exaltationis (Lc. ult., 26); – c) ex parte Dei: quia quod Deus prae-definivit et in Scripturis praenuntiavit, et prae-figuratum fuit in observantia veteris Testamenti, oportebat impleri (Lc. xxii, 22, et ult., 44).

NOTANDUM: Hominem liberari per passionem Christi conveniens fuit et misericordiae, et justitiae ejus. Justitiae quidem, quia per passionem suam Christus satisfecit pro peccato humani generis; et ita homo per justitiam Christi liberatus est: misericordiae vero, quia cum homo per se satisfacere non posset pro peccato totius humanae naturae, ut supra dictum est (qu. I, art. 2), Deus ei satisfactorem debuit Filium suum (Rom. iii, 24); et hoc fuit abundantioris misericordiae quam si peccata absque satisfactione dimisisset, ut dicitur Ephes. ii, 4.

Art. II. – *Utrum fuerit possibilis alius modus liberationis humanae quam per passionem Christi.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) simpliciter et absolute loquendo possibile fuit Deo alio modo hominem liberare quam per passionem Christi; sed b) suppositione facta ex parte Dei, fuit impossibile alio modo hominem liberare.

R. PRIMI EST: quia *non est impossibile apud Deum omne verbum* (Lc. i, 37).

R. SECUNDI EST: quia cum impossibile sit Dei praescientiam falli et ejus voluntatem seu dispositionem cassari, supposita praescientia et praeordinatione Dei de passione Christi, non erat simul possibile Christum non pati, vel hominem alio modo quam per ejus passionem liberari.

NOTANDUM: Si Deus voluisset absque omni satisfactione hominem a peccato liberare, contra justitiam non fecisset; quia Deus non habet aliquem superiorem, sed ipse est supremum et commune bonum totius universi. Et ideo si dimittat peccatum, quod habet rationem culpaе, ex eo quod contra ipsum committitur, nulli facit injuriam: sicut quicumque homo qui remittit offensam in se commissam absque satisfactione, misericorditer, et non injuste agit. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum fuerit aliquis modus convenientior ad liberationem humani generis quam per passionem Christi.*

RESP. NEG. - *Scil.:* convenientius fuit quod per passionem Christi liberaremur quam per solam Dei voluntatem.

R. EST: quia per hoc quod homo per Christi passionem est liberatus, multa concurrerunt ad salutem hominis pertinentia praeter liberationem a peccato. - Primo quidem quia per hoc homo cognoscit quantum Deus hominem diligit, ut Apostolus dicit (Rom. v, 8). - S cundo, quia per hoc dedit nobis exemplum obedientiae, humilitatis, constantiae, justitiae et caeterarum virtutum in passione Christi ostensarum, ut dicitur I. Pet. ii, 21. - Tertio, quia Christus per passionem suam non solum hominem a peccato liberavit, sed etiam gratiam justificantem et gloriam beatitudinis ei promeruit, ut infra dicetur (qu. xlviii). - Quarto, quia per hoc est homini inducta major necessitas se immunem a peccato conservandi, qui se sanguine Christi redemptum cogitat

a peccato, ut dicit Apostolus, I. Cor. vi, 20: *Empti enim estis pretio magno: glorificate et portate Deum in corpore vestro.*

Art. IV. – Utrum Christus pati debuerit in cruce.

RESP. AFF. – *Scil.:* convenientissimum fuit Christum pati mortem crucis, et hoc propter septem rationes:

PRIMA R. EST: propter exemplum virtutis: quia cum sint homines qui quamvis mortem ipsam non timeant, genus tamen mortis horrescunt, ideo, ut nullum genus mortis recte viventi homini metuendum esset, illius hominis cruce ostendendum fuit. Nihil enim erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilius et formidabilius.

SECUNDA R. EST: quia conveniens fuit quod Christus ad satisfaciendum pro illo peccato Adami quod fuit ex eo quod pomum ligni vetiti sumpsit, Christus seipsum pateretur ligno affigi, quasi restituens quod Adam sustulerat.

TERTIA R. EST: quia, ut Chrysostomus dicit (in sermone de Passione), « in excelso ligno et non sub tecto passus est, ut etiam ipsius aëris natura mundetur. Sed et ipsa terra simile beneficium sentiebat, decurrentis de latere sanguinis stillatione mundata ».

QUARTA R. EST: quia per hoc quod in alto moritur, ascensum nobis parat in caelum.

QUINTA R. EST: quia hoc competit universali salvationi totius mundi.

SEXTA R. EST: quia per hoc genus mortis diversae virtutes designantur.

SEPTIMA R. EST: quia hoc genus mortis plurimis figuris veteris Testamenti respondet, sicut arcae diluvii, virgae Moysis, arcae Testamenti, et similia, quae de lignis erant.

Art. V. - *Utrum Christus omnes passiones sustinuerit.*

RESP. NEG. - *Scil.:* a) quantum ad speciem non oportuit Christum omnem passionem pati; sed b) quantum ad genus passus est omnem passionem humanam.

R. PRIMI EST: quia multae passionem species sibi invicem contrariantur, sicut combustio in igne, et submersio in aqua: loquimur enim nunc de passionibus ab extrinseco illatis; quia passiones ab intrinseco causatas, sicut sunt aegritudines corporales, non decuit eum pati, ut supra dictum est (qu. xiv, art. 4).

R. SECUNDI EST: quia a) *ex parte hominum* a quibus passus est: passus est aliquid et a gentilibus, et a Judaeis, et a masculis, et a foeminis, ut patet de ancillis accusantibus Petrum. Passus est etiam a principibus, et a ministris eorum, et a popularibus; a familiaribus et notis, sicut patet de Juda eum prodente, et Petro ipsum negante;

b) *ex parte eorum* in quibus homo potest pati: passus est enim Christus in suis amicis eum deserentibus; in fama per blasphemias contra eum prolatas; in honore et gloria per irrisiones et contumelias ei illatas; in rebus per hoc quod etiam vestibus spoliatus est; in anima per tristitiam, taedium et timorem; in corpore per vulnera et flagella;

c) quantum ad corporis membra: passus est enim Christus in capite pungentium spinarum coronam; in manibus et pedibus fixationem clavorum; in facie alapas et sputa, et in toto corpore flagella;

d) quantum ad omnem sensum corporeum: passus est enim secundum tactum, flagellatus et clavis confixus; secundum gustum, felle et ace-

to potatus; secundum olfactum, in loco foetido cadaverorum mortuorum, qui dicitur calvariae appensus patibulo; secundum auditum, lacessitus vocibus blasphemantium et irridentium; secundum visum, videns matrem et discipulum *quem diligebat*, flentes. – Et ideo sicut sublimatus est in donis gratiarum super alios, ita dejectus est infra alios per ignominiam passionum. (Ad 1m).

Art. VI. – *Utrum dolor passionis Christi fuerit major omnibus doloribus.*

RESP. AFF. – *Scil.:* cum dolor sensibilis, qui causatur ex corporali nocivo, tum dolor interior, qui causatur ex apprehensione alicujus nocu-menti, qui tristitia dicitur, fuit in Christo maximus inter dolores praesentis vitae, et hoc propter quatuor rationes.

PRIMA R. EST propter causas doloris: quia quantum ad dolorem sensibilem, mors confixorum in cruce est acerbissima; configuntur enim in locis nervosis et maxime sensibilibus, scilicet in manibus et pedibus, et ipsum pondus corporis pendentis continue auget dolorem; et cum hoc etiam est doloris diurnitas, quia non statim moriuntur, sicut hi qui gladio interficiuntur. – Doloris autem interioris causa fuit, primo quidem omnia peccata humani generis, pro quibus satisfaciebat patiando; secundo, specialiter casus Judaeorum et aliorum in ejus morte delinquentium, et praecipue discipulorum, qui scandalum passi sunt in Christi passione; tertio etiam amissio vitae corporalis, quae naturaliter est horribilis humanae naturae.

SECUNDA R. EST propter perceptibilitatem patientis, et secundum animam et secundum corpus: quia, secundum corpus erat optime complexio-

natus, cum corpus ejus fuerit formatum miraculose operatione Spiritus sancti. Anima etiam secundum vires interiores efficacissime apprehendit omnes causas tristitiae.

TERTIA R. EST: propter puritatem doloris et tristitiae: quia in aliis patientibus mitigatur tristitia interior, et etiam dolor exterior ex aliqua consideratione rationis, per quamdam derivationem, seu redundantiam a superioribus viribus ad inferiores: quod in Christo patiente non fuit, quia « unicuique virium permisit agere quod est ei proprium », ut Damascenus dicit (Orth. fid., lib. iii, cap. 15).

QUARTA R. EST ex hoc quod passio illa et dolor a Christo fuerunt assumpta voluntarie: et tantam quantitatem doloris assumpsit, quae esset proportionata magnitudini fructus qui inde sequebatur. — Ex his igitur causis omnibus simul consideratis manifeste apparet quod dolor Christi fuerit maximus.

NOTANDUM: Vita corporalis Christi fuit tantae dignitatis, et praecipue propter divinitatem unitam, quod de ejus amissione etiam ad horam magis esset dolendum quam de amissione vitae alterius hominis per quantumcumque tempus. Unde et Philosophus dicit (Ethic. lib. iii, cap. 9), quod virtuosus tanto plus diligit vitam suam, quanto scit eam esse meliorem; et tamen eam exponit propter bonum virtutis. Et similiter Christus vitam suam maxime dilectam exposuit propter bonum charitatis, secundum illud Jer. xii, 7: *Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum ejus.* (Ad 4m).

Art. VII. — Utrum Christus passus fuerit secundum totam animam.

RESP. AFF. — Scil. : a) ratione suae essentiae tota anima Christi passa est; b) secundum potentias ejus anima Christi patiebatur secundum omnes vires inferiores; c) non vero secundum

rationem superiorem, nisi ex parte subjecti, i. e. animae.

R. PRIMI EST: quia tota essentia animae conjungitur corpori, ita quod tota est in toto, et tota in qualibet parte ejus. Et ideo, corpore patiente et disposito ad separationem ab anima, tota anima patiebatur.

R. SECUNDI EST: quia in singulis viribus inferioribus animae, quae circa temporalia operantur, inveniebatur aliquid quod erat causa doloris Christi, sicut ex supra dictis patet (art. praec.).

R. TERTII EST: quia objectum rationis superioris in anima Christi, scil. Deus, non erat animae Christi causa doloris, sed delectationis et gaudii. Sed ex parte subjecti, i. e. animae, omnes potentiae animae Christi patiebantur; quia omnes potentiae animae radican- tur in essentia ejus, ad quam pervenit passio, passo corpore, cujus est actus.

Art. VIII. – *Utrum tota anima Christi in passione frueretur fruitione beata.*

RESP. AFF. – Scil. : a) *tota* anima Christi secundum suam essentiam fruebatur fruitione beata, inquantum est subjectum superioris partis animae; b) ratione autem omnium potentiarum ejus *non tota* anima fruebatur, nec directe, nec per redundantiam; tamen c) superior pars animae perfecte fruebatur, Christo patiente.

R. PRIMI EST: quia superior partis animae est frui Divinitate; sed ratione hujus superioris partis fruitio attribuitur essentiae animae; sicut e converso ratione essentiae animae passio attribuitur (etiam) superiori parti animae. Et secundum hoc, tota anima Christi fruebatur secundum suam essentiam,

R. SECUNDI EST: quia fruitio non potest esse actus cujuslibet partis seu potentiae animae; et ideo non omnes potentiae animae Christi directe fruebatur. Item, dum Christus erat viator, non fiebat redundantia gloriae a superiori parte in inferiorem, nec ab anima in corpus.

R. TERTII EST: quia superior pars animae non impediatur circa id quod est sibi proprium per inferiorem partem. - Et sic in ipsamet passione superior pars animae Christi fruebatur gaudio vitae aeternae. Nam gaudium fruitionis non contrariatur directe dolori passionis, quia non sunt de eodem. Nihil autem prohibet, contraria eidem inesse non secundum idem. Et sic gaudium fruitionis potest pertinere ad superiorem partem rationis *per proprium actum*; dolor autem passionis *secundum subjectum*. Ad essentiam vero animae pertinet dolor passionis ex parte corporis, cujus est forma; gaudium vero fruitionis ex parte potentiae, cui subicitur. (Ad 1m).*

Art. IX. - *Utrum Chirstus fuerit convenienti tempore passus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia passio Christi subjecta erat ejus voluntati. Voluntas autem ejus regebatur divina sapientia, quae omnia convenienter et suaviter disponit (Sap. viii). Et ideo Christus passus est die *in quo necesse erat occidi Pascha* (Lc. xxii, 7), et in perfectissima aetate sua. (Ad 1m et ad 4m).

Art. X. - *Utrum Christus fuerit convenienti loco passus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sicut omnia tempora sunt in manu ejus, ita etiam omnia loca: et ideo

(*) Quantum ad derelictionem a Patre, vide infra, q. XLVII, art. III, Rationem Tertiam.

sicut convenienti tempore Christus passus est, ita etiam convenienti loco. – Et ideo Christus convenientissime in Jerusalem passus est, quae erat locus a Deo electus ad sacrificia sibi offerenda (Ad 1m); extra portam passus est, non vero in templo, quia sacrificium erat commune et totius terrae oblatio. (Ad 2m); in calvariae autem locis, quae decollatorum sumpsere nomen, ut ubi prius erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrii. (Ad 3m).

Art. XI. – *Utrum fuerit conveniens Christum cum latronibus crucifigi.*

RESP. AFF. – R. EST: quia, ut Augustinus dicit (Super Joan. tract. 31), « Ipsa crux tribunal fuit; in medio enim iudice constituto, unus qui credit, liberatus, alter qui insultavit, damnatus est. Jam significabat quid facturum est de vivis et mortuis, alios posituros ad dexteram, alios vero ad sinistram ».

Art. XII. – *Utrum passio Christi sit ejus divinitati attribuenda.*

RESP. NEG. – R. EST: quia, supposito divinae naturae, i. e., Verbo Dei, attribuenda est passio, non ratione divinae naturae, quae est impassibilis, sed ratione humanae naturae assumptae, quae est passibilis.

QUAESTIO XLVII

De causa efficiente passionis Christi

Deinde considerandum est de causa efficiente passionis Christi: et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum Christus fuerit ab alio occisus, an a seipso.*

RESP.: a) directe causa mortis Christi fuerunt

persecutores; b) indirecte vero ipsemet Christus fuit causa suae passionis et mortis.

R. PRIMI EST: quia persecutores directe agendo sufficientem causam mortis ei intulerunt, cum intentione occidendi ipsum, et effectu subsequente; quia scilicet ex illa causa est mors subsecuta.

R. SECUNDI EST: quia Christus poterat, si hoc vellet, suam passionem et mortem impedire, scil. adversarios reprimendo, ut eum aut non vellent, aut non possent interficere; vel conservando naturam carnis suae, ne a quocumque laesivo inflicto opprimeretur; quod quidem habuit anima Christi, quia erat Verbo Dei conjuncta in unitate personae.

NOTANDUM: Ut Christus ostenderet quod passio illata per violentiam ejus animam non eripiebat, naturam corporalem in sua fortitudine conservavit, ut etiam in extremis positus voce magna clamaret; quod inter alia miracula mortis ejus computatur. (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum Christus fuerit ex obedientia mortuus.*

RESP. AFF. - *Scil.:* convenientissimum fuit quod Christus ex obedientia pateretur, et hoc propter tres rationes:

PRIMA R. EST: quia hoc conveniebat justificationi humanae, ut *sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius hominis obedientiam justii constituentur multi, ut dicitur* (Rom. v, 19.).

SECUNDA R. EST: quia hoc conveniens fuit reconciliationi Dei ad homines, ut sacrificium passionis et mortis Christi ex obedientia Patri procederet: *Melior est enim obedientia quam victimae* (I Reg., xv, 22).

TERTIA R. EST: quia hoc conveniens fuit ejus victoriae, qua de morte et auctore mortis trium-

phavit. Homo Christus enim victoriam obtinuit per hoc quod Deo fuit obediens, secundum illud Prov. xxi, 28: *Vir obediens loquitur victorias.*

Art. III. – *Utrum Deus Pater tradiderit Christum passioni.*

RESP. AFF. – *Scil.*: Deus Pater tradidit Christum passioni secundum tria:

PRIMA R. EST: quia Deus Pater sua aeterna voluntate praeordinavit passionem Christi ad humani generis liberationem, secundum illud quod dicitur Isaiae liii, 6: *Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum.*

SECUNDA R. EST: quia Deus Pater inspiravit Christo voluntatem patiendi pro nobis, infundendo ei charitatem; unde ibidem sequitur: *Oblatus est quia ipse voluit.*

TERTIA R. EST: quia Deus Pater non protexit eum a passione, sed exposuit persecutibus. Unde dicitur Rom. viii, 32: *Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum;* et Matth. xxvii, 46 legitur, quod pendens in cruce Christus dicebat: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* quia scilicet potestati persecutorum eum exposuit.

NOTANDUM: Christus, secundum quod Deus, tradidit semetipsum in mortem eadem voluntate et actione qua et Pater tradidit eum; sed in quantum homo, tradidit seipsum voluntate a Patre inspirata. (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum fuerit conveniens Christum pati a gentilibus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia in ipso modo passionis Christi praefiguratus est effectus ipsius (passionis): primo enim passio Christi effectum

habuit in Judaeis, quorum plurimi in morte Christi baptizati sunt, ut patet Act. ii et iii. Secundo vero, Judaeis praedicantibus, effectus passionis Christi transivit ad gentes. Et ideo conveniens fuit ut Christus a Judaeis pati inciperet, et postea Judaeis tradentibus, per manus gentilium ejus passio finiretur.

Art. V. - *Utrum Christi persecutores eum cognoverint.*

RESP. NEG. - *Scil. : a) majores seu Principes Judaeorum sicut et daemones cognoverunt eum esse Christum promissum in lege, tamen mysterium divinitatis ejus ignorabant; b) minores vero, seu populares non plene cognoverunt ipsum esse nec Christum, nec Filium Dei.*

R. PRIMI EST: quia majores videbant signa in eo quae Prophetae dixerunt futura. Eorum autem ignorantia de ejus divinitate non excusabat eos a crimine, quia erat quodammodo ignorantia affectata: videbant enim evidentiis signa divinitatis ipsius, sed ex odio et invidia Christi ea pervertebant; et verbis ejus, quibus se Dei Filium fatebatur, credere noluerunt. Unde ipse de eis dicit (Jn. xv, 22): *Si non venissem, et locutus eis non fuisset, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et postea subdit: *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et sic ex persona eorum accipi potest quod dicitur Job. xxi, 14: *Dixerunt Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.*

R. SECUNDI EST: quia minores, seu populares, mysteria Scripturae non noverant. Licet enim aliqui eorum in eum crediderint, multitudo tamen non credit; et si aliquando dubitaverunt an ipse esset Christus, propter signorum multitu-

dinem et efficaciam doctrinae, ut habetur Jn, vii, tamen postea decepti fuerunt a suis principibus, ut eum non crederent neque Filium Dei, neque Christum. Unde et Petrus eis dixit (Act. iii. 17): *Scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri*, quia scil. per principes seducti erant.

NOTANDUM: Ignorantia affectata non excusat a culpa, sed magis videtur culpam aggravare: ostendit enim hominem sic vehementer esse affectum ad peccandum, quod vult ignorantiam incurrere, ne peccatum vitet. Et ideo Judaei peccaverunt, non solum tanquam hominis Christi, sed etiam tanquam Dei crucifixo; (occiderunt enim *Domini gloriae*, ut ait Apostolus, I, Cor. ii, 8). - (Ad 3m).

Art. VI. - Utrum peccatum Christum crucifigentium fuerit gravissimum.

RESP. AFF. - Scil. : a) peccatum majorum fuit gravissimum tum ex genere peccati, tum ex malitia voluntatis; b) peccatum autem minorum fuit gravissimum ex genere peccati: in aliquo tamen diminuebatur eorum peccatum propter eorum ignorantiam.

R. PRIMI EST: quia principes Judaeorum cognoverunt Christum: et si aliqua ignorantia fuit in eis, fuit ignorantia affectata, quae eos non poterat excusare.

R. SECUNDI EST: quia minores non cognoverunt eum fuisse Christum, ut dictum est art. praecedenti; eorum tamen peccatum fuit majus Pilati, qui ex timore Christum tradidit. (Ad 2m).

QUAESTIO XLVIII

De modo passionis Christi quantum ad effectum

Deinde considerandum est de effectu passionis Christi; et primo, de modo efficiendi; secundo, de ipso effectu. Circa primum quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum passio Christi causaverit nostram salutem per modum meriti.*

RESP. AFF. – *Scil. :* Christus per suam passionem non solum sibi, sed etiam omnibus membris suis meruit salutem.

R. EST: quia ut dictum est supra (qu. viii), Christo data est gratia non solum sicut singulari personae, sed in quantum est caput Ecclesiae, ut scilicet ab ipso redundaret ad membra; et ideo hoc modo quicumque in gratia constitutus propter justitiam patitur, ex hoc ipso meretur sibi salutem, secundum illud Mt. v, 10: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.*

NOTANDUM: Christus a principio suae conceptionis meruit nobis salutem aeternam; sed ex parte nostra erant quaedam impedimenta, quibus impediebamur consequi effectum praecedentium meritorum: unde ad removendum illa impedimenta, oportuit Christum pati. (Ad 2m). Et ideo passio Christi habuit aliquem effectum, quem non habuerunt praecedentia merita, non propter majorem charitatem, sed propter genus operis, quod erat conveniens tali effectui, ut patet ex rationibus supra inductis de convenientia passionis Christi (qu. xlii). – (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum passio Christi causaverit nostram salutem per modum satisfactionis.*

RESP. AFF. – *Scil. :* passio Christi non solum sufficiens, sed etiam superabundans satisfactio fuit pro peccatis humani generis.

R. EST: quia Christus ex charitate et obedientia patiendo, majus aliquid Deo exhibuit quam exigeret recompensatio totius offensae humani generis: primo quidem propter magnitudinem charitatis, ex qua patiebatur; secundo, propter dignitatem vitae suae, quam pro satisfactione ponebat, quae erat vita Dei et hominis; tertio, propter generalitatem passionis et magnitudinem doloris assumpti, ut supra dictum est (qu. xlvi, art. 6).

NOTANDUM: Caput et membra sunt quasi una persona mystica; et ideo satisfactio Christi ad omnes fideles pertinet sicut ad sua membra. (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum passio Christi operata sit per modum sacrificii.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sacrificium proprie dicitur aliquid (sensibile et externum) factum in honorem proprie Deo debitum, ad eum placandum. Christus autem seipsum Deo obtulit in passione pro nobis; et hoc ipsum quod voluntarie passionem sustinuit, Deo maxime acceptum fuit, utpote ex charitate maxima proveniens. Unde manifestum est quod passio Christi fuerit verum sacrificium.

Art. IV. – *Utrum passio Christi operata sit nostram salutem per modum redemptionis.*

RESP. AFF. – Secundum illud Galat. iii: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.*

R. EST: quia per peccatum homo obligatus est et servituti diaboli et poenae justitiae Dei, quae est etiam servitus quaedam, quia poena homo patitur quod non vult. Passio autem Christi fuit quasi quoddam pretium, per quod liberati sumus ab utraque obligatione. Nam Christus satisfacit

pro nobis, non quidem pecuniam dando aut aliquid hujusmodi, sed dando id quod fuit maximum, seipsum scilicet pro nobis. Ei ideo passio Christi dicitur esse nostra redemptio.

Art. V. – *Utrum esse Redemptorem sit proprium Christi.*

RESP. AFF. – *Scil. :* esse immediate Redemptorem, proprium est Christi, in quantum est homo; quamvis ipsa redemptio possit attribui toti Trinitati sicut primae causae.

R. EST: quia pretium redemptionis nostrae est sanguis Christi, vel vita ejus corporalis, quae est in sanguine, quam ipse Christus immediate exsolvit. Ad totam Trinitatem autem haec redemptio pertinet sicut ad causam primam et remotam, cujus erat et ipsa vita Christi, sicut primi auctoris, et a qua inspiratum fuit ipsi homini Christo, ut pateretur pro nobis. Et ideo redemptio immediate pertinet ad hominem Christum, principaliter autem ad Deum, ut ad primordiale auctorem. (Ad 1m et 2m).

Art. VI. – *Utrum passio Christi operata sit nostram salutem per modum efficientiae.*

RESP. AFF. – *Scil. :* passio Christi operata est nostram salutem per modum efficientiae instrumentaliter.

R. EST: quia cum humanitas Christi sit instrumentum divinitatis, ideo ex consequenti omnes actiones et passiones Christi instrumentaliter operantur in virtute divinitatis ad salutem humanam. Et secundum hoc passio Christi efficienter causat salutem humanam. Efficiens autem principale salutis nostrae est Deus, ut diximus supra (art. praec.).

NOTANDUM: Passio Christi, secundum quod comparatur ad divinitatem ejus, agit per modum *efficientiae*; in quantum vero comparatur ad voluntatem animae Christi, agit per modum *meriti*; secundum vero quod consideratur in ipsa carne Christi, agit per modum *satisfactionis*, in quantum per eam liberamur a reatu poenae; per modum vero *redemptionis*, in quantum per eam liberamur a servitute culpae: per modum autem *sacrificii*, in quantum per eam reconciliamur Deo, ut infra dicetur (qu. seq., art. 4). - (Ad 3m).

QUAESTIO XLIX

De effectibus passionis Christi

Deinde considerandum est de ipsis effectibus passionis Christi; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum per passionem Christi simus liberati a peccato.*

RESP. AFF. - *Scil.:* passio Christi est propria causa remissionis peccatorum tripliciter:

PRIMA R. EST per modum provocantis ad charitatem: quia passio Christi provocat in nobis charitatem. Per charitatem autem consequimur veniam peccatorum, secundum illud Luc. vii, 47: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

SECUNDA R. EST per modum redemptionis: quia per passionem suam, quam ex charitate et obedientia sustinuit, Christus liberavit nos tanquam membra sua a peccatis, quasi per pretium suae passionis, sicut si homo per aliquod opus meritorium quod manu exerceret, redimeret se a peccato quod pedibus commisisset. Sumus enim mystice quasi una persona cum Christo, qui est caput Ecclesiae,

TERTIA R. EST per modum efficientiae: quia caro, secundum quam Christus passionem sustinuit, est instrumentum divinitatis, ex quo ejus passiones et actiones operantur in virtute divina ad expellendum peccatum.

NOTANDUM: Christus sua passione nos a peccatis liberavit causaliter, id est, instituens causam nostrae liberationis, ex qua possent quaecumque peccata quandocumque remitti, vel praeterita, vel praesentia, vel futura; sicut si medicus faciat medicinam, ex qua possint quicumque morbi sanari, etiam in futurum. (Ad 3m). Hoc autem fit per baptismum et poenitentiam et alia sacramenta, quae habent virtutem ex passione Christi, ut infra patebit (qu. lxii, art. 5). - (Ad 4m). Per fidem autem charitate formatam applicatur nobis passio Christi ad percipiendum fructum ipsius. (Ad 5m).

Art. II. - *Utrum per passionem Christi simus liberati a potestate diaboli.*

RESP. AFF. - *Scil.:* per passionem Christi sumus liberati a triplici potestate diaboli.

R. EST: quia ante Christi passionem sub triplici potestate diaboli erant homines. Primo quidem ex parte hominis, quia suo peccato homo meruit ut in potestatem traderetur diaboli, per cujus tentationem fuerat superatus; et ab hac diaboli potestate liberavit nos Christus per passionem suam, in quantum est causa remissionis peccatorum. Secundo, ex parte Dei, quia homo peccando Deum offenderat, qui per suam justitiam hominem reliquerat potestati diaboli; et ab hoc liberavit nos Christus, in quantum per passionem suam nos Deo reconciliavit, ut infra dicitur (art. 4, hujus qu.). Tertio, ex parte ipsius diaboli, qui sua nequissima voluntate hominem a consecutione salutis impediabat; et ab hoc liberavit nos Christus per suam passionem, in quantum in passione Christi diabolus excessit

modum potestatis sibi traditae a Deo, machinando in mortem Christi, qui non habebat meritum mortis, cum esset absque peccato. Unde justum est ut debitores quos tenebat, liberi dimittantur, in Christum credentes, ut Augustinus dicit (De Trin. lib. xiii, cap. 14).

NOTANDUM: Diabolus etiam nunc potest quidem Deo permittente homines tentare quantum ad animam, et vexare quantum ad corpus; sed tamen praeparatum est homini remedium ex passione Christi, quo se potest tueri contra hostis impugnationes, ne deducatur in interitum mortis aeternae. (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum per passionem Christi homines sint liberati a poena peccati.*

RESP. AFF. – *Scil.:* per passionem Christi liberati sumus a reatu poenae dupliciter: tum directe, tum indirecte.

R. PRIMI EST: quia exhibita satisfactione sufficienti, directe tollitur reatus poenae.

R. SECUNDI EST: quia passio Christi est causa remissionis peccati, in quo fundatur reatus poenae.

NOTANDUM: Ad hoc quod consequamur effectum passionis Christi, oportet nos ei configurari. Configuramur autem ei in baptismo sacramentaliter, secundum illud Rom. vi, 4: *Consepulti sumus ei per baptismum in mortem.* Unde baptizatis nulla poena satisfactoria imponitur, quia sunt totaliter liberati per satisfactionem Christi. Quia vero *Christus semel tantum pro peccatis nostris mortuus est*, ut dicitur I. Pet. iii, 18, ideo non potest homo secundario configurari morti Christi per sacramentum baptismi. Unde oportet quod illi qui post baptismum peccant, configurentur Christo patienti per aliquod poenalitatis vel passionis, quam in se ipsis sustineant; quae tamen multo minor sufficit quam esset condigna peccato, cooperante satisfactione Christi. – (Sancti autem poenas sustinent, et ali-

quando gravissimas, cum quia etiam pro aliis patiuntur, tum quia magis Christo incorporantur: oportet enim membra capiti confirmari. Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum per passionem Christi simus Deo reconciliati.*

RESP. AFF. - ut Apostolus dicit Rom. v, 10: *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus*, et quidem dupliciter:

R. EST: quia passio Christi removet peccatum, per quod homines constituuntur inimici Dei; et est sacrificium Deo acceptissimum.

NOTANDUM: Major fuit charitas Christi patientis quam iniquitas occisorum. Et ideo passio Christi magis valuit ad reconciliandum Deum toti humano generi quam ad provocandum ad iram (ex parte occisorum). - (Ad 3m).

Art. V. - *Utrum Christus sua passione aperuerit nobis januam caeli.*

RESP. AFF. - R. EST: quia Christus sua passione nos liberavit et a peccato communi primi parentis, per quod praecludebatur homini aditus regni caelestis (Gen. iii, 24); et a peccato speciali uniuscujusque personae, quod per proprium actum committitur uniuscujusque hominis, qui communicant Christi passioni per fidem, et charitatem, et fidei sacramenta.

NOTANDUM: Elias sublevatus est in caelum aëreum, non autem in caelum empyreum, qui est locus sanctorum: et similiter etiam Enoch. (Ad 2m).

Art. VI. - *Utrum Christus per suam passionem meruerit exaltari.*

RESP. AFF. - *Scil.* : quantum ad quatuor.

R. EST: quia cum aliquis sibi ex justa voluntate subtrahit quod debebat habere, meretur ut sibi

amplius superaddatur, quasi merces justae voluntatis. Christus autem in sua passione seipsum humiliavit infra suam dignitatem quantum ad quatuor: primo quidem quantum ad passionem et mortem, cujus debitor non erat; secundo, quantum ad locum, quia corpus ejus positum est in sepulcro et anima in inferno; tertio, quantum ad confusionem et opprobria, quae sustinuit; quarto quantum ad hoc quod est traditus humanae potestati. Et ideo per suam passionem meruit exaltationem quantum ad quatuor. Primo quidem quantum ad resurrectionem gloriosam; secundo, quantum ad ascensionem in caelum; tertio, quantum ad consessum paternae dexteræ et manifestationem divinitatis ipsius; quarto, quantum ad judiciariam potestatem.

QUAESTIO L

De morte Christi

Deinde considerandum est de morte Christi: et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum conveniens fuerit Christum mori.*

RESP. AFF. – *Scil.:* propter quinque rationes.

PRIMA R. EST ad satisfaciendum pro humano genere: quia genus humanum erat morti adjudicatum propter peccatum (Gen. ii, 17). Est autem conveniens satisfaciendi pro alio modo, cum aliquis se subjicit poenae quam alius meruit.

SECUNDA R. EST ad ostendendum veritatem naturae assumptae: quia « si aliter post conversationem cum hominibus evanescens, subito evolveret fugiens mortem, ab hominibus compararetur phantasmati », ut Eusebius dicit (In Orat. de laudibus Constantini, cap. 15).

TERTIA R. EST: quia moriendo Christus nos a timore mortis liberavit.

QUARTA R. EST: quia Christus corporaliter moriendo similitudini peccati, id est, poenalitati, dedit nobis exemplum moriendi spiritualiter peccato.

QUINTA R. EST: quia Christus a mortuis resurgendo et veritatem suam ostendit qua mortem superavit, et nobis spem resurgendi a mortuis dedit.

Art. II. - *Utrum in morte Christi fuerit separata Divinitas a carne.*

RESP. NEG. - R. EST: quia quod per gratiam Dei conceditur, nunquam absque culpa revocatur. Si igitur unio affectualis ad Deum, quae est per gratiam adoptionis, nunquam perditur sine culpa; multo minus unio divinitatis ad carnem Christi, quae est unio personalis, et ideo magis permanens, solvitur. In Christo autem nullum peccatum fuit possibile. Et ideo sicut ante mortem caro Christi unita fuit secundum personam et hypostasim Verbo Dei, ita et remansit unita post mortem.

NOTANDA: 1. Verbum Dei est unitum carni mediante anima, in quantum caro per animam pertinet ad humanam naturam, quam Filius Dei assumpsit; non autem ita quod anima sit quasi medium ligans unita. Habet autem caro ab anima quod pertineat ad humanam naturam, etiam postquam anima separatur ab ea, in quantum scilicet in carne mortua remanet ex divina ordinatione quidam ordo ad resurrectionem. Et ideo non tollitur unio divinitatis ad carnem. (Ad 2m).

2. Divinitas non habet vim vivificandi formaliter, sed effective: non enim potest esse corporis forma; et ideo non est necesse quod manente unione divinitatis ad carnem, caro sit viva, quia Deus non ex necessitate agit, sed ex voluntate. (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum in morte Christi fuerit facta separatio Divinitatis ab anima.*

RESP. NEG. – R. EST: quia anima unita est Verbo Dei immediatius, et per prius quam corpus. Cum ergo Verbum Dei non sit separatum in morte Christi a corpore, multo minus separatum est ab anima.

NOTANDUM: In morte Christi est separata anima a carne, sed non est una hypostasis in duas hypostases divisa: nam et corpus et anima Christi secundum idem ex principio in Verbi hypostasi habuerunt existentiam, et in morte invicem divisa singulum eorum mansit, unam hypostasim Verbi habens, ut dicit Damascenus (Orth. fid. lib. III, cap. 27). – (Ad 4m).

Art. IV. – *Utrum Christus in triduo mortis fuerit homo.*

RESP. NEG. – R. EST: quia pertinet ad veritatem mortis hominis vel animalis, quod per mortem desinat esse homo vel animal: mors enim hominis vel animalis provenit ex separatione animae, quae complet rationem animalis vel hominis. Et ideo dicere Christum in triduo mortis hominem fuisse, simpliciter et absolute loquendo, erroneum est. – Potest tamen dici quod in Christus in triduo fuit homo mortuus.

Art. V. – *Utrum fuerit idem numero corpus Christi viventis et mortui.*

RESP. AFF. – Scil. : a) fuit idem corpus simpliciter et absolute, i. e., nullo addito; b) non autem fuit simpliciter idem et omnino vel totaliter.

R. PRIMI EST: quia dicitur aliquid esse idem numero simpliciter absolute quando est supposito idem. Corpus autem Christi vivum et mortuum fuit supposito idem, nullo alio supposito addito: nam, corpus Christi vivum et mortuum,

non habuit aliam hypostasim praeter hypostasim Verbi Dei, ut dictum est supra (art. 2).

R. SECUNDI EST: quia corpus Christi mortuum et vivum non fuit totaliter idem, cum vita sit aliquid de essentia corporis viventis; est enim praedicatum essentiale, non accidentale: unde consequens est quod corpus quod desinit esse vivum non totaliter idem remaneat. - Et ideo in Christo mortuo non remansit idem corpus secundum speciem humanam, remansit tamen idem numero secundum suppositum Verbi Dei. (Ad 2m).

NOTANDUM: Corpus Christi fuit corruptum corruptione mortis, i. e., separationis animae a corpore; non vero corruptione per perfectam dissolutionem in elementa: secundum hoc enim corpus Christi, ratione hypostasis divinae permanentis, fuit incorruptibile (In fine art. et ad 1m).

Art. VI. - *Utrum mors Christi aliquid operata sit ad nostram salutem.*

RESP. AFF. - *Scil.*: mors Christi *in facto esse*, i. e., jam facta separatio animae et corporis, fuit causa nostrae salutis, non per modum meriti, ut patet, sed per modum efficientiae.

R. EST: quia nec per mortem Divinitas separata fuit a Christi carne; et ideo quidquid contigit circa carnem Christi, etiam anima separata, fuit nobis salutiferum virtute Divinitatis unitae. Et sic per mortem Christi dicitur esse destructa in nobis et mors animae, quae est per peccatum nostrum, et mors corporis, quae consistit in separatione animae. Quamvis enim mors Christi fuerit corporalis, tamen corpus illud fuit instrumentum Divinitatis sibi unitae, operans in virtute ejus *etiam mortuum*. (Ad 3m). - Mors autem Christi *in fieri* idem est ac ejus passio, de qua jam locuti sumus (qu. XLIX).

QUAESTIO LI

De sepultura Christi

Deinde considerandum est de sepultura Christi: et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum fuerit conveniens Christum sepeliri.*

RESP. AFF. – *Scil.:* propter tria:

PRIMA R. EST: quia per sepulturam comprobata est veritas mortis Christi.

SECUNDA R. EST: quia per hoc quod Christus de sepulcro resurrexit, datur spes resurgendi per ipsum, his qui sunt in sepulcro, secundum illud Jn. v, 28: *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent.*

TERTIA R. EST: quia sepultura Christi est tamquam exemplum eorum qui per mortem Christi spiritualiter moriuntur peccatis, qui scilicet absconduntur a conturbatione hominum.

Art. II. – *Utrum convenienti modo Christus fuerit sepultus.*

RESP. AFF. – *Scil.:* quantum ad tria:

R. EST: quia modus sepulturae Christi fuit conveniens ad confirmandam fidem mortis et resurrectionis ipsius; ad commendandam pietatem eorum qui eum honorifice sepelierunt; et ad mysterium per quod informantur illi qui Christo consepeliuntur in mortem.

Art. III. – *Utrum corpus Christi in sepulcro fuerit incineratum.*

RESP. NEG. – *Scil.:* non fuit conveniens corpus Christi putrefieri, vel quocumque modo incinerari.

R. EST: quia putrefactio cujuscumque corporis provenit ex infirmitate naturae illius corporis, quae non potest amplius corpus continere in unum. Et ideo Christus, ne mors ejus naturae infirmitati adscriberetur, noluit corpus suum qualitercumque putrefieri, aut qualitercumque resolvi; sed ad ostensionem virtutis divinae voluit corpus illud incorruptum permanere.

Art. IV. - *Utrum Christus fuerit in sepulcro solum una die et duabus noctibus.*

RESP. AFF. - *Scil. :* conveniens fuit quod Christus una die et duabus noctibus esset in sepulcro.

R. EST: quia per mortem Christi liberati sumus a duplici morte, scilicet a morte animae, et a morte corporis: et hoc significatur per duas noctes, quibus Christus in sepulcro permansit. Mors autem ejus, quia non fuit ex peccato proveniens, sed ex charitate suscepta, non habuit rationem noctis, sed diei: et ideo significatur per diem integrum, quo Christus fuit in sepulcro.

QUAESTIO LII

De descensu Christi ad inferos

Deinde considerandum est de descensu Christi ad inferos: et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum fuerit conveniens Christum ad infernum descendere.*

RESP. AFF. - *Scil. :* propter tria:

PRIMA R. EST: quia ex peccato homo incurerat non solum mortem corporis, sed etiam descensum ad inferos. Et ideo sicut fuit conveniens Christum mori, ut nos liberaret a morte; ita conveniens fuit eum descendere ad inferos, ut nos a

descensu ad inferos liberaret. Unde dicitur Osee xiii, 14: *Ero mors tua, o mors; ero morsus tuus, inferne.*

SECUNDA R. EST: quia conveniens erat ut victo diabolo per passionem, vinctos ejus eriperet, qui detinebantur in inferno, secundum illud Zachar. ix, 11: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu.*

TERTIA R. EST: quia sicut Christus potestatem suam ostendit in terra vivendo et moriendo, ita etiam conveniens fuit ut potestatem suam ostenderet in inferno, ipsum visitando et illuminando.

Art. II. – Utrum Christus descenderit ad infernum damnatorum.

RESP. NEG. – *Scil. :* a) anima Christi *per essentiam* suam descendit solum ad locum inferni, in quo justi detinebantur; b) *per effectum* autem descendit Christus in quemlibet infernorum.

R. PRIMI EST: quia conveniens fuit ut quos ipse per gratiam interiorius visitabat secundum divinitatem, eos etiam secundum animam visitaret et loco.

R. SECUNDI EST: quia sicut in uno loco terrae passus, totum mundum sua passione liberavit, ita in una parte inferni existens, effectum suum aequaliter ad omnes inferni partes derivavit: aliter tamen et aliter; nam in infernum damnatorum habuit hunc effectum quod descendens ad inferos, eos de sua incredulitate et malitia confutavit; illis vero, qui detinebantur in purgatorio, spem gloriae consequendae dedit; sanctis autem patribus, qui pro solo peccato originali detinebantur in inferno, lumen aeternae gloriae infudit.

Art. III. – *Utrum Christus fuerit totus in inferno.*

RESP. AFF. – *Scil.* : ratione hypostasis divinae, sed non totaliter.

R. EST: quia masculinum genus refertur ad hypostasim vel personam. Et ideo in illo triduo mortis Christi dicendum est, quod totus Christus fuit in sepulcro, quia tota persona fuit ibi per corpus sibi unitum; et similiter totus fuit in inferno, quia tota persona Christi fuit ibi ratione animae sibi unitae, totus etiam Christus tunc erat ubique ratione divinae naturae.

NOTANDUM: Persona Christi est tota in quolibet loco, sed non totaliter, quia nullo loco circumscriptur; sed nec omnia loca simul accepta ejus immensitatem comprehendere possunt, quinimo ipse sua immensitate omnia comprehendit. Hoc autem locum habet in his quae corporaliter et circumscriptive sunt in loco, quod si totum sit alicubi, nihil ejus sit extra. Sed hoc in Deo locum non habet. (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum Christus aliquam moram traxerit in inferno.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sicut corpus ejus mansit in sepulcro per diem integrum et duas noctes, ad comprabandum veritatem mortis suae; ita etiam tantumdem credendum est animam ejus fuisse in inferno, ut simul anima ejus educeretur de inferno, et corpus de sepulcro. – Tempore quo Christus erat in inferno justis, et cum istis etiam anima boni latronis, divinitate Christi fruebantur, eos luce gloriae illustrando. (Ad 1m et 3m passim).

Art. V. – *Utrum Christus descendens ad inferos sanctos patres inde liberaverit.*

RESP. AFF. – *Scil.* : Christus descendens ad inferos virtute suae passionis a reatu poenae

peccati originalis sanctos absolvit, quo erant a vita gloriae exclusi.

R. EST: quia Christus descendens ad inferos operatus est in virtute suae passionis, per quam genus humanum non solum a peccato sed etiam a reatu poenae liberatum est, ut supra dictum est (qu. xlix). Sancti patres autem detinebantur in inferno propter reatum poenae culpae originalis.

NOTANDUM: Sancti patres, dum adhuc viverent, liberati fuerunt per fidem Christi ab omni peccato tam originali quam actuali, et a reatu poenae actualium peccatorum, non tamen a reatu poenae originalis peccati, per quem excludebantur a gloria, nondum soluto pretio redemptionis humanae. Et ideo ante Christi descensum in inferno non erant doloribus subjecti; sed erant beati in spe, licet nondum essent perfecto beati in re. (Ad 2m et 1m).

Art. VI. – *Utrum Christus aliquos damnatos ab inferno liberaverit.*

RESP. NEG. – R. EST: quia descensus Christi ad inferos illis solis liberationis contulit fructum qui fuerant passioni Christi conjuncti per fidem charitatem formatam, per quam peccata tolluntur. Damnati autem charitatem non habent, nec habere possunt, cum sint confirmati in malo. (Ad 3m).

Art. VII. – *Utrum pueri qui cum originali peccato decesserant, fuerint a Christo liberati.*

RESP. NEG. – R. EST: quia pueri qui cum originali peccato decesserant, nullo modo fuerant conjuncti passioni Christi per fidem et dilectionem: neque enim fidem propriam habere poterunt, quia non habuerant usum liberi arbitrii, neque per fidem parentum, aut per aliquod fidei sacramentum (i. e., per baptismum), fuerant a peccato originali mundati.

NOTANDUM: Sicut peccatum Adae ad eos tantum pervenit qui per seminalem rationem carnaliter ab eo descenderunt, ita gratia Christi ad illos tantum pervenit qui spirituali regeneratione ejus membra sunt facti: quod non competit pueris decedentibus cum originali peccato. - (Ad 2m).

Art. VIII. - *Utrum Christus suo descensu liberaverit animas a purgatorio.*

RESP. NEG. - **R. EST:** quia passio Christi, in virtute cujus animae liberantur, non habuit tunc majorem efficaciam quam habet nunc. Et ideo illi qui fuerunt tales quales nunc sunt, qui in purgatorio detinentur, non fuerunt a purgatorio liberati per descensum Christi ad inferos. - Si qui autem inventi sunt tales, quales etiam nunc virtute passionis Christi a purgatorio liberantur, tales nihil prohibet per descensum Christi ad inferos a purgatorio esse liberatos.

NOTANDUM: Virtus Christi operatur in sacramentis per modum sanationis et expiationis cujusdam. Unde sacramentum Eucaristiae liberat hominem a purgatorio, in quantum est sacrificium quoddam satisfactorium pro peccato. Descensus autem Christi ad inferos non fuit satisfactorius; operabatur tamen in virtute passionis, quae fuit satisfactoria, ut supra habitum est (qu. xlix, art. 1, 2 et 3); sed erat satisfactoria in genere, cujus virtutem oportebat applicari ad unumquemque per aliquid specialiter ad ipsum pertinens. Et ideo non oportet quod per descensum Christi ad inferos omnes fuerint a purgatorio liberati. - (Ad 2m).

QUAESTIO LIII

De resurrectione Christi

Cosenquenter considerandum est de his quae pertinent ad exaltationem Christi: et primo de ejus resurrectione; secundo, de ejus ascensione; tertio, de ejus sessione ad dexteram Patris; quarto de judiciaria potestate ipsius. - Circa primum occurrit quadruplex consideratio Quarum prima

est de ipsa Christi resurrectione. Secunda de qualitate resurgentis. Tertia de manifestatione resurrectionis. Quarta de ejus causalitate. — Circa primum quaeruntur quatuor: De necessitate resurrectionis Christi; de tempore; de ordine et de causa.

Art. I. — *Utrum fuerit necessarium Christum resurgere.*

RESP. AFF. — *Scil.:* propter quinque rationes.

PRIMA R. EST: quia per resurrectionem Christi commendatur justitia divina, ad quam pertinet exaltare illos qui se propter Deum humiliant (Luc. i, 52). Quia igitur Christus propter charitatem et obedientiam Dei se humiliavit usque ad mortem crucis, oportebat quod exaltaretur a Deo usque ad gloriosam resurrectionem, secundum illud Ps. cxxxviii, 1: *Tu cognovisti sessionem, i. e. humilitatem, meam, et resurrectionem meam, i. e., gloriam meam in resurrectione.*

SECUNDA R. EST: quia per resurrectionem Christi habetur instructio nostrae fidei. Per ejus enim resurrectionem confirmata est fides nostra circa divinitatem Christi; quia ut dicitur II. Cor. ult., 4, *etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Et ideo I. Cor. xv, 14 dicitur: *Si Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, inanis est et fides vestra.*

TERTIA R. EST: quia per Christi resurrectionem sublevata est spes nostra; dum enim videmus Christum resurgere, qui est caput nostrum, speramus et nos resurrecturos, ut dicitur I. Cor. xv, 12, et Job xix, 25.

QUARTA R. EST: quia per Christi resurrectionem confirmatur vita fidelium, secundum illud Rom. vi, 4: *Quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris; ita et nos in novitate vitae ambulemus;* et infra: *Christus resurgens ex mortuis*

jam non moritur : ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo.

QUINTA R. EST: quia per resurrectionem Christi habetur complementum nostrae salutis: nam, sicut per hoc quod mala sustinuit humiliatus est moriendo, ut nos liberaret a malis; ita glorificatus est resurgendo, ut nos promoveret ad bona, secundum illud Rom. iv, 25: *Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.*

Art. II. - *Utrum fuerit conveniens Christum tertia die resurgere.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ad veritatem mortis Christi manifestandam sufficiebat quod usque ad tertium diem ejus resurrectio differretur; non enim contingit quin infra hoc tempus in homine, qui mortuus videtur cum vivat, appareant aliqua indicia vitae.

NOTANDA: 1. Caput et membra conformantur in natura, sed non in virtute; excellentior est enim virtus capitis quam membrorum. Et ideo ad demonstrandam excellentiam virtutis Christi conveniens fuit ipsum tertia die resurgere, aliorum resurrectione dilata usque ad finem mundi. - (Ad 1m).

2. Christus resurrexit circa diluculum illucescente jam die, ad significandum quod per suam resurrectionem nos ad lucem gloriae inducebat; sicut mortuus est ad vesperascente jam die, et recedente in tenebras, ad ostendendum quod per suam mortem destrueret tenebras culpae et poenae. - (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum Christus primo resurrexerit.*

RESP. AFF. - *Scil. :* loquendo de resurrectione perfecta, Christus est primus resurgentium.

R. EST: quia ipse resurgendo primo pervenit ad vitam penitus immortalem, secundum illud Rom. vi, 9: *Christus resurgens ex mortuis jam non*

moritur. Sed resurrectione imperfecta (i. e., quae adhuc retinet necessitatem vel saltem possibilitatem moriendi), quidam alii resurrexerunt ante Christum.

Art. IV. – *Utrum Christus fuerit causa suae resurrectionis.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Christus fuit causa suae resurrectionis secundum virtutem divinitatis eius, non autem secundum virtutem naturae creatae.

R. EST: quia per mortem non fuit separata divinitas nec ab anima Christi, nec ab ejus carne. Secundum igitur unitae divinitatis virtutem et corpus resumpsit animam quam deposuerat, et anima corpus resumpsit quod dimiserat; et sic Christus propria virtute (i. e., divina) resurrexit. Et ideo secundum virtutem divinam corpus et anima mutuo se resumpserunt, non autem secundum virtutem naturae creatae, secundum autem talem virtutem oportuit Christum resuscitari a Deo. (Ad 3m).

QUAESTIO LIV

De qualitate Christi resurgentis

Deinde considerandum est de qualitate Christi resurgentis: et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum Christus post resurrectionem haberit verum corpus.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia oportuit ad hoc quod esset vera Christi resurrectio, ut *idem Corpus* Christi iterato eidem animae uniretur.

NOTANDUM: Corpus Christi post resurrectionem non ex miraculo, sed ex conditione gloriae, sicut quidam dicunt, clausis januis ad discipulos introivit. (Ad 1m). Item, dicitur quod Christus ab oculis discipulorum evanuit, non quia corrumperetur, aut resolveretur in aliqua invisibilia; sed

quia sua voluntate desiit ab eis videri, vel eo praesente, vel etiam eo abscedente velociter per dotem agilitatis. (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum Christi corpus resurrexerit integrum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia corpus Christi in resurrectione fuit ejusdem naturae, sed alterius gloriae. Unde quidquid ad naturam corporis humani pertinet, totum fuit in corpore Christi resurgentis. Manifestum est autem quod ad naturam corporis humani pertinent carnes, et ossa, et sanguis, et alia hujusmodi. Et ideo omnia ista in corpore Christi resurgentis fuerunt, et etiam integraliter absque omni diminutione: alioquin non fuisset perfecta resurrectio, si non fuisset redintegratum quicquid per mortem ceciderat.

Art. III. - *Utrum Christi corpus resurrexerit gloriosum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* propter tria:

PRIMA R. EST: quia resurrectio Christi fuit exemplar et causa nostrae resurrectionis, ut habetur I. Cor. xv, 43. Sancti autem in resurrectione habebunt corpora gloriosa, sicut ibidem dicitur: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Unde cum causa sit potior causato, et exemplar exemplo, multo magis corpus Christi resurgentis fuit gloriosum.

SECUNDA R. EST: quia per humilitatem passionis meruit gloriam resurrectionis, ut dictum est supra (qu. xlix, art. vi).

TERTIA R. EST: quia, sicut supra habitum est (qu. xxxiv, art. 4), anima Christi a principio suae conceptionis fuit gloriosam per fruitionem divinitatis perfectam. Est autem dispensative factum, sicut supra dictum est (qu. xiv, art. 1), ut ab anima gloria non redundaret in corpus, ad

hoc quod mysterium nostrae redemptionis sua passione impletet. Et ideo, peracto mysterio passionis et mortis Christi, statim anima in corpus in resurrectione resumptum suam gloriam derivavit; et ita factum est corpus illud gloriosum.

Art. IV. – *Utrum corpus Christi debuerit cum cicatricibus resurgere.*

RESP. AFF. – *Scil.:* conveniens fuit animam Christi in resurrectione corpus cum cicatricibus resumere, et hoc propter quinque rationes.

PRIMA R. EST: quia in hoc fuit gloria ipsius Christi. Dicit enim Beda (Super Luc., cap. 97 sec. ejus ordinem), quod « non ex impotentia curandi cicatrices servavit, sed ut in perpetuum victoriae suae circumferat triumphum ».

SECUNDA R. EST: quia fuit hoc conveniens ad confirmandum corda discipulorum circa fidem suae resurrectionis.

TERTIA R. EST: ut Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro hominibus pertulerit, semper ostendat.

QUARTA R. EST: ut sua morte redemptis, quam misericorditer sint adjuti, propositis ejusdem mortis indiciis, insinuet.

QUINTA R. EST: ut in iudicio, quam juste damnentur, ibidem denuntiet.

QUAESTIO LV

De manifestatione resurrectionis

Deinde considerandum est de manifestatione resurrectionis Christi, et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum resurrectio Christi debuerit omnibus manifestari.*

RESP. NEG. – *Scil.:* resurrectio Christi sicut est ad communem omnium salutem, ita in noti-

tiam omnium pervenit; non quidem sic quod immediate omnibus manifestaretur, sed quibusdam, per quorum testimonium deferretur ad omnes.

R. EST: quia ea quae pertinent ad futuram gloriam, communem hominum cognitionem excedunt. Et ideo hujusmodi ab homine non cognoscuntur, nisi divinitus revelata. Inter haec autem est Christi gloriosa resurrectio: et ideo ejus resurrectio non omni populo manifestata est, sed quibusdam, quorum testimonio deferretur in aliorum notitiam, secundum illud Act. x, 40: *Quem Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo.*

NOTANDUM: Primo mulieribus Christus apparuit, ut mulier, quae primo nuntium mortis ad hominem detulit, primo etiam vitam resurgentis Christi in gloria nuntiaret. (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum fuisset conveniens quod discipuli viderent Christum resurgere.*

RESP. NEG. – *Scil.:* resurrectio Christi non debuit immediate ab hominibus videri, sed eis ab angelis nuntiari.

R. EST: quia hic est ordo divinitus institutus ut ea quae supra homines sunt, hominibus per angelos revelentur. Christus autem resurgens non rediit ad vitam communem hominibus notam, sed ad vitam quamdam immortalem, et Deo conformem, secundum illud Rom. vi, 10: *Quod enim vivit, vivit Deo.* Et ideo ipsa Christi resurrectio debuit hominibus non immediate, sed ab angelis, nuntiari. – Apostoli autem potuerunt testificari Christi resurrectionem etiam de visu; quia Christum post resurrectionem viventem oculata fide viderunt, quem mortuum sciverant. (Ad 1m).

Art. III. *Utrum Christus post resurrectionem debuerit continue cum discipulis conversari.*

RESP. NEG. – R. EST: quia ad veritatem resurrectionis manifestandam sufficit quod pluries eis apparuit, et cum eis familiariter est locutus, et comedit, et bibit, et se eis palpandum prae-buit. – Conversatio autem continua eos potuisset ducere in errorem, ut ad similem vitam eum resurrectionis crederent, quam prius habuerat. Consolationem autem de continua sui praesentia eis in alia vita repromisit (Jn. xvi, 22).

Art. IV. – *Utrum Christus debuerit discipulis in alia effigie apparere.*

RESP. AFF. – R. EST: quia divina innotescunt hominibus diversimode, secundum quod diversimode sunt affecti. Nam illi qui habent mentem bene dispositam, secundum veritatem divina percipiunt; illi autem qui non habent mentem bene dispositam, divina percipiunt cum quadam confusione dubietatis, vel erroris. Et ideo Christus quibusdam ad credendum dispositis post resurrectionem apparuit in sua effigie; illis autem in alia effigie apparuit, qui jam videbantur circa fidem tepescere. Et ideo in effigie peregrini duobus discipulis in via Emmaus apparuit, qui de ejus resurrectione dubitabant, secundum illud Lucae ult. 21: *Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel.*

Art. V. – *Utrum Christus veritatem resurrectionis debuerit argumentis declarare.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) Christus probavit discipulis suam resurrectionem per argumenta, non secundum quod argumentum dicitur quaecumque ratio rei dubiae faciens fidem; sed b) secundum quod argumentum dicitur aliquod sen-

sibile signum quod inducitur ad alicujus veritatis manifestationem.

R. PRIMI EST: quia talis probatio argumentativa processisset ex aliquibus principiis quae si non essent nota discipulis, nihil per ea eis manifestaretur, quia ex ignotis non potest aliquid fieri notum; si autem essent eis nota, non transcenderent rationem humanam, et ita non essent efficacia ad fidem resurrectionis adstruendam, quae rationem humanam excedit; oportet enim principia ex eodem genere assumi. Probavit autem eis resurrectionem suam per auctoritatem sacrae Scripturae, quae est fidei fundamentum, cum dixit: *Oportet impleri omnia quae scripta sunt in lege, et psalmis, et prophetis de me, ut habeatur Luc. ult. 44.*

R. SECUNDI EST: quia Christus per quaedam evidentia signa se vere resurrexisse ostendit; quae quidem signa Christus ostendit discipulis propter duo: primo quidem quia non erant corda eorum disposita ad hoc quod de facili fidem resurrectionis acciperent. Unde ipse *exprobravit illis incredulitatem eorum et duritiam cordis.* (Marc. ult., 14). Secundo ut per hujusmodi signa eis ostensa efficacius eorum testimonium redderetur, secundum illud I. Joan. i, 1: *Quod vidimus et audivimus, et manus nostrae contractaverunt... hoc testamur.*

Art. VI. - *Utrum argumenta quae Christus induxit, sufficienter manifestaverint resurrectionem ejus.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Christus resurrectionem suam testimoniis signisque (sive argumentis) in suo genere sufficientibus ostendit.

R. EST: quia, quantum ad testimonia, Christus usus est duplici testimonio ad manifestan-

dam suam resurrectionem discipulis, quorum neutrum potest refelli. Primum est testimonium angelorum, qui mulieribus resurrectionem annuntiaverunt, ut patet per omnes evangelistas; aliud autem est testimonium Scripturarum, quas ipse proposuit ad ostensionem suae resurrectionis, ut dicitur Luc. ult. - Quantum vero ad argumenta vel signa, etiam haec fuerunt sufficientia ad ostendendam veram resurrectionem, et gloriosam. Haec autem argumenta sunt tum ex parte corporis, tum ex parte animae. Ex parte corporis autem tria ostendit: primo quidem quod esset corpus verum et solidum, non corpus phantasticum vel rarum, sicut est aër. Unde dixit discipulis (Luc. ult. 39): *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Secundo ostendit quod esset corpus humanum, ostendendo eis veram effigiem, quam oculis intuerentur. Tertio ostendit eis quod esset idem numero corpus quod prius habuerat, ostendendo eis vulnerum cicatrices; unde, ut legitur Luc. ult., 39, dixit eis: *Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum.* - Ex parte autem animae iterato corpori unitae veram eam ostendit, primo quidem per opus vitae nutritivae in hoc quod cum discipulis manducavit et bibit, ut legitur Luc. ult. Secundo per opera vitae sensitivae in hoc quod discipulis ad interrogata respondebat, et praesentes salutabat; in quo ostendebat se videre et audire. Tertio per opera vitae intellectivae in hoc quod eis loquebatur, et de Scripturis disserebat. Et ne quid deesset ad perfectionem manifestationis, ostendit etiam se habere divinam naturam per miraculum, quod fecit in piscibus capiendis, et ulterius per hoc quod eis videntibus ascendit in caelum: quia, ut dicitur Joan. iii, 13, *nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis qui est in caelo.* -

Gloriam etiam suae resurrectionis ostendit discipulis per hoc quod eos januis clausis intravit. Haec argumenta *omnia simul accepta* perfecte Christi resurrectionem manifestant. (Ad 1m).

QUAESTIO LVI

De resurrectionis Christi causalitate

Deinde considerandum est de causalitate resurrectionis Christi; et circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum resurrectio Christi sit causa resurrectionis corporum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia in genere verae (i. e. perfectae) resurrectionis, resurrectio Christi fuit primum, sicut ex supra dictis patet (qu. liii, art. 3). Quod autem est primum in quolibet genere, est causa omnium quae sunt post, ut dicitur (Metaph. lib. ii, text. 4). Unde oportet quod resurrectio Christi sit causa nostrae resurrectionis; et hoc est quod Apostolus dicit (I. Cor. xv, 20): *Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium: quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* - Sic, verbum Dei, quod est principium humanae vivificationis, primo tribuit vitam immortalem corpori sibi naturaliter unito, et per ipsum operatur resurrectionem in omnibus aliis.

NOTANDA: 1. Causa prima nostrae resurrectionis est justitia Dei; resurrectio Christi est causa secundaria, et quasi instrumentalis (Ad 2m), tamen efficiens et exemplaris. Efficiens quidem, in quantum humanitas Christi, secundum quam resurrexit, est quodammodo instrumentum divinitatis ipsius, et operatur in virtute ejus, ut supra dictum est (qu. xiii, art. 2 et 3). Est autem causa exemplaris, quia resurrectio corporis Christi, sicut est prima tempore, ita etiam est prima digni-

tate et perfectione. (Ad 3m). Causa autem meritoria nostrae resurrectionis est passio Christi. (Ad 4m, et qu. xlviii, art. 1).

2. Quia primordialis causa resurrectionis humanae est divina justitia, ex qua Christus habet potestatem iudicium facere, in quantum Filius hominis est; virtus effectiva resurrectionis ejus se extendit non solum ad bonos, sed etiam ad malos, qui sunt ejus iudicio subjecti. (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum resurrectio Christi sit causa resurrectionis animarum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : a) est causa effectiva; et b) exemplaris.

R. PRIMI EST: quia virtus divina, in qua Christi resurrectio agit, est per quam et anima vivat per gratiam, et corpus per animam. Et ideo resurrectio Christi habet instrumentaliter virtutem effectivam, non solum respectu resurrectionis corporum, sed etiam respectu resurrectionis animarum.

R. SECUNDI EST: quia Christo resurgenti debemus etiam secundum animam conformari, ut Apostulus dicit (Rom. vi, 4).

NOTANDUM: Efficientia resurrectionis Christi pertingit ad animas, non per propriam virtutem ipsius corporis resurgentis, sed per virtutem divinitatis, cui personaliter unitur. (Ad 2m).

QUAESTIO LVII

De ascensione Christi

Deinde considerandum est de ascensione Christi; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum fuerit conveniens Christum ascendere.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non fuit conveniens quod Christus post resurrectionem remaneret in ter-

ris, ubi est locus generationis et corruptionis; sed conveniens fuit quod ascenderet in caelum, ubi est locus incorruptionis.

R. EST: quia locus debet esse proportionatus locato. Christus autem per resurrectionem inchoavit vitam immortalem et incorruptibilem.

Art. II. - *Utrum conveniat Christo ascendere in caelum secundum divinam naturam.*

RESP. NEG. - *Scil.:* secundum conditionem ascendentis, ascendere non potest convenire Christo secundum conditionem divinae naturae, sed secundum quod homo, virtute tamen divina.

R. EST: quia nihil est divinitate altius, quo possit ascendere. Etiam quia ascensio est motus localis, qui divinae naturae non competit, quae est immobilis et inlocalis. Sed per hunc modum ascensio competit Christo secundum humanam naturam, quae continetur loco, et motui subjici potest.

NOTANDUM: De Deo autem dicitur quod descendit de caelo, non quidem secundum motum localem, sed secundum exinanitionem, qua, cum in forma Dei esset, servi formam suscepit; sicut enim dicitur exinanitus, non ex eo quod suam plenitudinem amiserit, sed ex eo quod nostram parvitatem suscepit, ita dicitur descendisse de caelo, non quod caelum deseruerit, sed quia naturam terrenam assumpsit in unitatem personae. (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum Christus ascenderit propria virtute.*

RESP. AFF. - *Scil.:* Christus ascendit in caelum propria virtute, primo quidem virtute divina, secundo virtute animae glorificatae moventis corpus, prout vult.

R. EST: quia anima fit beata participatione Dei: ex parte autem animae glorificatae est re-

dundantia qua corpus glorificatur, et tanta obedientia corporis gloriosi, sit ad animam beatam, ut, sicut Augustinus dicit (De Civ. Dei lib. xxii, cap. ult.), «ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus; nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum possit decere, nec corpus». Decet enim corpus gloriosum et immortale esse in loco caelesti, sicut dictum est (art. 1 hujus qu.). Et ideo ex virtute animae volentis, corpus Christi ascendit in caelum.

Art. IV. – *Utrum Christus ascenderit super omnes caelos.*

RESP. AFF. – *Scil.:* convenientissimum est corpori Christi quod sit supra omnia corpora constitutum in alto.

R. EST: quia quanto aliqua corpora perfectius participant bonitatem divinam, tanto sunt superiora corporali ordine, qui est ordo localis. Plus autem participat de divina bonitate corpus per gloriam, quam quodcumque corpus naturale per formam suae naturae; et inter caetera corpora gloriosa manifestum est quod corpus Christi majori refulget gloria.

NOTANDUM: Nubes illa non praebuit adminiculum Christo ascendenti per modum vehiculi, ut Gregorius dicit (Hom. xxvi in Evang., a princ.); sed apparuit in signum divinitatis, secundum quod gloria Dei Israel apparebat super tabernaculum in nube. (Ad 4m).

Art. V. – *Utrum Corpus Christi ascenderit super omnem creaturam spiritualem.*

RESP. AFF. – *Scil.:* secundum quamdam congruentiam.

R. EST: quia corpus Christi, licet, considerando condiciones naturae corporeae, sit infra spirituales substantias, considerando tamen dignitatem

unionis, qua est personaliter Deo conjunctum, excellit dignitatem omnium spiritualium substantiarum.

Art. VI. - *Utrum ascensio Christi sit causa nostrae salutis.*

RESP. AFF. - *Scil. :* cum ex parte nostra, tum ex parte ipsius Christi.

R. PRIMI EST: quia per Christi ascensionem mens nostra movetur in ipsum. Nam per ascensionem Christi datur locus fidei, spei et charitati; et reverentia nostra augetur ad ipsum, dum jam non existimamus eum sicut hominem terrenum, sed sicut Deum caelestem.

R. SECUNDI EST: quia Christus ascendens propter nostram salutem, primo quidem viam nobis praeparavit ascendendi in caelum, secundum quod ipse dicit (Jn. xiv, 2): *Vado parare vobis locum.* Et in hujus signum animas sanctorum, quas de inferno eduxerat, in caelum traduxit. Secundo, sicut pontifex in veteri Testamento intrabat sanctuarium, ut assisteret Deo pro populo, ita et Christus *intravit caelum ad interpellandum pro nobis*, ut dicitur Hebr. vii. Ipsa enim repraesentatio sui ex natura humana, quam in caelum intulit, est quaedam interpellatio pro nobis; ut ex quo Deus humanam naturam sic exaltavit in Christo, etiam eorum misereatur pro quibus Filius Dei humanam naturam assumpsit. Tertio, ut in caelorum sede quasi Deus et Dominus constitutus, exinde divina dona hominibus mitteret, secundum illud Ephes. iv, 10: *Ascendit super omnes caelos, ut adimpleret omnia*, scil. « donis suis », secundum Glossam (inter l.).

NOTANDUM: Ascensio Christi est causa nostrae salutis, non per modum meriti, sed per modum efficientiae, sicut supra de resurrectione dictum est (qu. praec. art. 1). Passio autem Christi est

causa nostrae ascensionis in caelum, proprie loquendo, per remotionem peccati prohibentis, et per modum meriti; ascensio autem Christi est directe causa nostrae ascensionis (per modum efficientiae), quasi inchoando ipsam in capite nostro, cui oportet membra conjungi. (Ad 1m et 2m).

QUAESTIO LVIII

De sessione Christi ad dexteram Patris

Deinde considerandum est de sessione Christi ad dexteram Patris; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum Christo conveniat sedere ad dexteram Dei Patris.*

RESP. AFF. – *Scil.:* Christo convenit sedere ad dexteram Patris cum ratione quietis, tum ratione potestatis regiae et judicariae.

R. PRIMI EST: quia Christus aeternaliter manet incorruptibilis in beatitudine Patris, quae ejus dextera dicitur, secundum illud Psal. xv, 10: *Delectationes in dextera tua usque in finem.*

R. SECUNDI EST: quia Christus Patri conregnat, et ab eo habet judicariam potestatem; sicut ille qui considet regi ad dexteram, assidet ei in regnando, et judicando. Unde Augustinus dicit. (De symb., lib. ii, cap. 7): « Ipsam dexteram intelligite potestatem, quam accepit ille homo susceptus a Deo, ut veniat judicaturus, qui prius venerat judicandus ». – Dexteram autem Patris dicimus etiam gloriam et honorem divinitatis. (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum sedere ad dexteram Patris conveniat Christo, secundum quod est Deus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sedere ad dexteram Patris, nihil aliud est quam simul cum Pa-

tre habere gloriam divinitatis, et beatitudinem, et judicariam potestatem, et hoc immutabiliter et regaliter. Hoc autem convenit Filio Dei secundum quod Deus. Unde manifestum est quod Christus, secundum quod Deus, sedet ad dexteram Patris; ita tamen quod haec praepositio *ad*, quae transitiva est (i. e., quae indicat transitum ab uno ad aliud), solam distinctionem personalem importat, et originis ordinem, non autem gradum naturae vel dignitatis, qui nullus est in divinis personis.

NOTANDUM: Filius Dei dicitur dextera Patris appropriate, per modum quo etiam dicitur virtus Patris; sed dextera Patris, secundum tres significationes praedictas, est aliquid commune tribus personis. (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum sedere ad dexteram Patris conveniat Christo secundum quod homo.*

RESP. AFF. - *Scil.* : cum ratione regiae et judicariae potestatis, tum ratione suppositi.

R. PRIMI EST: quia accessus ad Patrem, qui per praepositionem *ad* designatur, potest intelligi secundum gratiam habitualem, quae abundantior est in Christo prae omnibus aliis creaturis, intantum quod ipsa natura humana in Christo est beator caeteris creaturis, et super omnes alias creaturas habens regiam et judicariam potestatem.

R. SECUNDI EST: quia praepositio *ad* designat etiam gratiam unionis, quae importat distinctionem naturae et unitatem personae. Et secundum hoc Christus, secundum quod homo, est Filius Dei, et per consequens sedens ad dexteram Patris; ita tamen quod *ly secundum quod* non designet conditionem naturae, sed unitatem suppositi.

Art. IV. – *Utrum sedere ad dexteram Patris sit proprium Christi.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Christus dicitur sedere ad dexteram Patris, inquantum secundum naturam divinam est in aequalitate Patris, secundum autem humanam naturam in excellenti possessione divinorum bonorum prae caeteris aliis creaturis. Utrumque autem soli Christo convenit. Unde nulli alii nec angelo, nec homini convenit sedere ad dexteram Patris, nisi soli Christo.

NOTANDUM: Quia dextera est divina beatitudo, sedere in dextera non significat simpliciter esse in beatitudine, sed habere beatitudinem cum quadam dominativa potestate, et quasi propriam et naturalem; quod soli Christo convenit, nulli autem alii creaturae. Potest tamen dici quod omnis sanctus qui est in beatitudine, est ad dexteram Dei constitutus: unde et dicitur Matth. xxv, 33, quod *statuet oves a dextris.* (Ad 2m).

QUAESTIO LIX

De judiciaria potestate Christi

Deinde considerandum est de judiciaria potestate Christi; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum judiciaria potestas sit specialiter Christo attribuenda.**

RESP. AFF. – R. EST: quia ad iudicium faciendum tria requiruntur; primo quidem potestas subditos coercendi; secundo rectitudinis zelus, ut scil. aliquis non ex odio vel livore, sed ex amore justitiae iudicium proferat; tertio requiritur sapientia, secundum quam formatur iudicium. Prima autem duo praeelegantur ad iudicium; sed proprie tertium est secundum quod accipitur

(*) *Specialiter* in hac quaestione idem sonat ac secundum appropriationem.

forma iudicii, quia ipsa ratio iudicii est lex sapientiae vel veritatis, secundum quam iudicatur. Et quia Filius est sapientia genita, et veritas a Patre procedens, et ipsum perfecte repraesentans, ideo proprie iudiciaria potestas attribuitur Filio Dei.

NOTANDUM: Auctoritas iudicandi attribuitur Patri in quantum est principium Filii; sed ipsa ratio iudicii attribuitur Filio, qui est ars et sapientia Patris, ut scilicet sicut Pater facit omnia per Filium, in quantum est ars ejus, ita etiam iudicet omnia per Filium, in quantum est sapientia et veritas ejus. (Ad 2m).

Art. II. – Utrum iudiciaria potestas conveniat Christo, secundum quod est homo.

RESP. AFF. – R. EST: quia quamvis apud Deum remaneat primaeva auctoritas iudicandi, hominibus tamen committitur a Deo iudiciaria potestas respectu eorum qui eorum jurisdictioni subiunguntur. Christus autem etiam in natura humana est caput totius Ecclesiae, et sub pedibus ejus Deus omnia subiecit. Unde ad eum pertinet, etiam secundum naturam humanam, habere iudiciariam potestatem.

NOTANDUM: Competit Christo iudiciaria potestas propter tria: primo quidem propter convenientiam et affinitatem ipsius ad homines; sicut enim Deus per causas medias, tanquam propinquiores effectibus, operatur, ita iudicat per hominem Christum homines, ut sit suavius iudicium hominibus. – Secundo, quia in finali iudicio, ut Augustinus dicit (Super Joan. tract. 23), erit resurrectio corporum mortuorum, quae suscitabit Deus *per Filium hominis*; sicut per eundem Christum suscitatur animas, in quantum est Filius Dei. – Tertio, quia, ut Augustinus dicit (In lib. De verbis Domini, serm. ult., cap. 7), « rectum erat ut iudicandi viderent iudicem. Iudicandi autem erant boni et mali. Restabat ergo ut in iudicio forma servi et bonis et malis ostenderetur, forma Dei solis bonis servaretur ». (In fine art.).

Art. III. – *Utrum Christus ex meritis adeptus fuerit judiciariam potestatem.*

RESP. AFF. – R. EST: quia quamquam judiciaria potestas debeatur Christo propter divinam personam et capitis dignitatem, et gratiae plenitudinem, eam tamen promeruit, ut secundum Dei justitiam iudex esset, qui pro justitia pugnavit et vicit, et injuste judicatus est.

Art. IV. – *Utrum Christo conveniat judiciaria potestas quantum ad omnes res humanas.*

RESP. AFF. – *Scil.:* sive si de Christo loquamur secundum divinam naturam, sive si de ipso loquamur secundum humanam.

R. PRIMI EST: quia sicut Pater facit omnia Verbo suo, ita et omnia judicat Verbo suo.

R. SECUNDI EST triplex: Primo quidem ex habitudine animae Christi ad Verbum Dei; si enim *spiritualis judicat omnia* (I. Cor. ii, 15), in quantum mens ejus Verbo Dei inhaeret, multo magis anima Christi, quae est plena veritate Verbi Dei, super omnia iudicium habet. – Secundo ex merito mortis ejus: quia, ut dicitur Rom. xiv, 9, *in hoc Christus mortuus est et resurrexit, ut vivorum et mortuorum dominetur*. Et ideo super omnes habet iudicium; propter quod et Apostolus ibi subdit quod *omnes stabimus ante tribunal Christi*. – Tertio, ex comparatione rerum humanarum ad finem humanae salutis: quia cuicumque committitur principale, committitur et accessorium. Omnes autem res humanae ordinantur in finem beatitudinis, quae est salus aeterna, ad quam homines admittuntur, vel a qua etiam repelluntur iudicio Christi (Mt. xxv). Et ideo manifestum est quod ad judiciariam potestatem Christi pertinent omnes res humanae.

NOTANDUM: Christus, quamvis esset rex constitutus a Deo, non tamen in terris vivens terrenum regnum temporaliter administrare voluit; unde ipse dicit. (Jn. xviii, 36): *Regnum meum non est de hoc mundo*. Similiter etiam judiciariam potestatem exercere noluit super res temporales, qui venerat homines ad divina transferre. (Ad 1m).

Art. V. – *Utrum post judicium quod agitur in praesenti tempore, restet aliud judicium.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia alicujus hominis de his quae de ipso remanent post mortem, sicut fama, filii, opera, et alia hujusmodi, judicium perfecte dari non potest quamdiu hujus temporis cursus durat. Et ideo oportet esse finale judicium in novissimo die, in quo perfecte id quod ad unumquemque hominem pertinet quocumque modo, perfecte et manifeste judicetur.

NOTANDUM: Quantum ad ea quae sunt animae, homo sortitur quemdam immutabilem statum; et ideo quantum ad praemium animae non oportet ulterius differri judicium. Sed quia quaedam alia sunt ad hominem pertinentia, quae toto temporis cursu aguntur, quae non sunt aliena a divino judicio, oportet iterum in fine temporis omnia haec in judicium adduci. Licet enim homo secundum haec non mereatur neque demereatur, tamen pertinent ad aliquod ejus praemium vel poenam. Unde oportet haec omnia aestimari in finali judicio. (Ad 1m).

Art. VI. – *Utrum judiciaria potestas Christi se extendat ad angelos.*

RESP. AFF. – *Scil. :* Angeli subsunt judiciariae potestati Christi, non solum quantum ad divinam naturam, prout est Verbum Dei, sed etiam ratione humanae naturae, et hoc propter tria.

PRIMA R. EST ex propinquitate naturae assumptae ad Deum: quia, ut dicitur Hebr. ii, 16, *nusquam Verbum Dei angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit*. Et ideo anima Christi magis est repleta virtute Verbi Dei, quam aliquis

angelorum: unde et angelos illuminat, et de eis habet judicare.

SECUNDA R. EST ex sua exaltatione: quia per humilitatem passionis humana natura in Christo meruit exaltari super angelos: ita ut, sicut dicitur Phill. ii, 10, *in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum*. Et ideo Christus habet judiciariam potestatem etiam super omnes angelos et bonos et malos; in cujus signum dicitur Apoc. vii, 11 quod *omnes angeli stabant in circuitu throni*.

TERTIA R. EST ex ratione eorum quae circa homines per angelos operantur, quorum Christus speciali quodam modo est caput.

NOTANDUM: Christus habet iudicium non solum super angelos, sed etiam super administrationem totius creaturae. Si enim, ut Aug. dicit. (De Trin. lib. iii, c. 4), « inferiora quodam ordine reguntur a Deo per superiora », oportet dicere quod *omnia* reguntur per animam Christi, quae est supra omnem creaturam. Unde et Apostolus dicit (Hebr. ii, 5): *Non enim angelis subiecit Deus orbem terrae futurum, scilicet subjectum ei, de quo loquimur, id est, Christo*. Nec tamen propter hoc *aliud constituit Deus super terram*; quia unus et idem est Deus et homo, Dominus *Jesus Christus*. De cujus incarnationis mysterio ad praesens dicta sufficiant. (Ad 3m).

QUAESTIO LX

De sacramentis in communi *

Post considerationem eorum quae pertinent ad mysteria Verbi incarnati, considerandum est de Ecclesiae sacramentis, quae ab ipso Verbo incarnato efficaciam habent; et prima consideratio

(*) Incipit hic tractatus de Sacramentis. Ad divisionem schematicam hujus tractatus quod attinet, vide nostram « Divisionem Schematicam totius Summae ». Tab. XXIX.

erit de sacramentis in communi; secunda de unoquoque sacramentorum in speciali. – Circa primum quinque consideranda sunt: 1. Quid sit sacramentum; 2. de necessitate sacramentorum; 3. de effectibus sacramentorum; 4. de causa eorum; 5. de numero. – Circa primum quaeruntur octo.:

Art. I. – *Utrum sacramentum sit in genere signi.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sacramentum potest aliquid dici, vel quia in se habet aliquam sanctitatem occultam, et secundum hoc sacramentum idem est quod sacrum secretum; vel quia habet aliquem ordinem ad hanc sanctitatem, vel causae, vel signi, vel secundum quamcumque aliam habitudinem. Specialiter autem nunc loquimur de sacramentis, secundum quod important habitudinem signi; et secundum hoc sacramentum ponitur in genere signi.

NOTANDUM: Secundum antiquos sancta vel sacrosancta dicebantur quaecumque violari non licebat; sicut etiam muri civitatis, et personae in dignitatibus constitutae; et ideo illa secreta, sive divina, sive humana, quae non licet violari, quibuslibet publicando, dicuntur sacra vel sacramenta. (Ad 1m). Sic etiam juramentum dicitur sacramentum, inquantum habet habitudinem quamdam ad res sacras, et secundum hoc analogice dicitur sacramentum. (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum omne signum rei sacrae sit sacramentum.*

RESP. AFF. – *Scil.:* non omne signum rei sacrae est sacramentum, sed tantum illud rei sacrae quatenus homines sanctificat.

R. EST: quia proprie dicitur sacramentum quod est signum alicujus rei sacrae ad homines pertinentis; ut scil. proprie dicatur sacramentum secundum quod nunc de sacramentis loquimur, quod est « signum rei sacrae, inquantum est sanctificans homines ».

Art. III. – *Utrum sacramentum sit signum unius rei tantum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : sacramentum est signum rememorativum passionis Christi, et divinae gratiae demonstrativum, ac futurae gloriae prognosticum.

R. EST: quia sacramentum proprie dicitur quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem, in qua tria possunt considerari: videlicet ipsa causa sanctificationis nostrae, quae est passio Christi; et forma nostrae sanctificationis, quae consistit in gratia et virtutibus; et ultimus finis sanctificationis nostrae, qui est vita aeterna. Et haec omnia per sacramenta significantur.

Art. IV. – *Utrum sacramentum sit semper aliqua res sensibilis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia est homini connaturale ut per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilem. Signum autem est per quod aliquis devenit in cognitionem alterius. Unde cum res sacrae, quae per sacramenta significantur, sint quaedam spiritualia et intelligibilia bona, quibus homo sanctificatur, consequens est ut per aliquas res sensibiles significatio sacramenti impleatur.

Art. V. – *Utrum requirantur determinatae res ad sacramenta.*

RESP. AFF. – R. EST: quia non pertinet ad aliquem determinare illud quod est in potestate alterius, sed solum id quod est in sua potestate. Sanctificatio autem hominis, quae est per sacramenta, est in potestate Dei sanctificantis. Et ideo non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res quibus sanctificetur; sed hoc debet esse

ex divina institutione determinatum. Et ideo in sacramentis novae legis, quibus homines sanctificantur, secundum illud I. Cor. vi, 11, *abluti estis, sanctificati estis*, oportet uti rebus ex divina institutione determinatis.

Art. VI. - *Utrum in significatione sacramentorum requirantur verba.*

RESP. AFF. - PRIMA R. EST ex parte causae sanctificantis, quae est Verbum incarnatum: quia per hoc quod rei sensibili Verbum adhibetur, sacramentum quodammodo Verbo incarnato conformatur, quod est carni sensibili unitum.

SECUNDA R. EST ex parte hominis, qui sanctificatur: quia sacramentalis medicina proportio- natur homini, qui ex anima et corpore componitur: nam, per rem visibilem sacramentum tangit corpus, et per verbum ab anima creditur. Et ideo, ut Augustinus dicit (Tract. 80 in Joan.), « unde est ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur ? ».

TERTIA R. EST ex parte ipsius significationis sacramentalis: quia ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit ut significatio rerum sensibilibus determinaretur per aliqua verba. Nam per verba magis distincte possumus exprimere quod mente concepimus. Sic aqua significare potest et abluionem propter suam humiditatem, et refrigerium propter suam frigiditatem; sed cum dicitur: *Ego te baptizo*, manifestatur quod aqua utimur in baptismo ad significandam emundationem spiritualem. - Et ideo ex verbis et rebus fit quodammodo unum in sacramentis, sicut ex forma et materia, inquantum scilicet per verba perficitur significatio rerum. (Ad 2m).

NOTANDUM: Alia debent esse sacramenta rei praesentis, et alia rei futurae. Sacramenta autem veteris legis praenuntia erant Christi venturi; et ideo non ita expresse significabant Christum, sicut sacramenta novae legis, quae ab ipso Christo effluunt, et quamdam similitudinem ipsius in se habent. (Ad 3m).

Art. VII. – *Utrum requirantur determinata verba in sacramentis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia cum in sacramentis requirantur determinatae res sensibiles, quae se habent in sacramentis sicut materia, multo magis requiritur in eis determinata forma verborum. Nam in omnibus compositis ex materia et forma principium determinationis est ex parte formae, quae est quodammodo finis et terminus materiae.

NOTANDA: 1. Sicut dicit Augustinus (Tract. 80 super Joan.), « Verbum operatur in sacramentis, non quia dicitur, id est, non secundum exteriorem sonum vocis, sed quia creditur », id est, secundum sensum verborum, qui fide tenetur. Et hic quidem sensus est idem apud omnes, licet non eadem voces sint quantum ad sonum. Et ideo, cujuscumque linguae verbis proferatur talis sensus, perficitur sacramentum. (Ad 1m).

2. Ille qui corrupte profert verba sacramentalia, si hoc ex industria facit, non videtur intendere facere quod facit Ecclesia, et ita non videtur perfici sacramentum. Si autem hoc faciat ex errore vel lapsu linguae, si sit tanta corruptio quod omnino auferat sensum locutionis, non videtur perfici sacramentum, et hoc praecipue contingit quando fit corruptio ex parte principii dictionis, puta si loco ejus quod est: *In nomine Patris*, dicat: *In nomine matris*. Si vero non totaliter auferatur sensus locutionis per hujusmodi corruptelam, nihilominus perficitur sacramentum; et hoc praecipue contingit quando fit corruptio ex parte finis, puta si aliquis dicat: *In nomine patrias, et filias*; quamvis enim hujusmodi verba corrupte prolata nihil significant ex virtute impositionis, accipiuntur tamen ut significancia ex accomodatione usus; et ideo licet mutetur sonus sensibilis, remanet tamen idem sensus. (Ad 3m).

Art. VIII. – *Utrum liceat aliquid addere verbis in quibus consistit forma sacramentorum.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) ex parte ejus qui profert verba, cujus intentio requiritur ad sacramentum, si intendat per hujusmodi additionem vel diminutionem alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici sacramentum; – b) ex parte autem significationis verborum, oportet considerare utrum per talem mutationem tollatur debitus sensus verborum.

R. PRIMI EST: quia in hoc casu non videtur quod intendat facere id quod facit Ecclesia.

R. SECUNDI EST: quia cum verba operentur in sacramentis quantum ad sensum quem faciunt, si per talem mutationem tollatur debitus sensus verborum, manifestum est quod tollitur veritas sacramenti. – Quantum autem ad additionem vel subtractionem verborum, quae non addat aliquid aut subtrahat sensui debito, et ideo non tollit speciem sacramenti, contingere potest quod ille qui addit vel praetermittit, peccet ex negligentia vel contemptu.

QUAESTIO LXI

De necessitate sacramentorum

Deinde considerandum est de necessitate sacramentorum; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum sacramenta sint necessaria ad humanam salutem.*

RESP. AFF. – *Scil. :* ex triplici ratione.*

PRIMA R. EST ex conditione humanae naturae:

(*) Nota: Ex rationibus in hoc articulo deductis patet B. Thomam non loqui de necessitate absoluta, sed tantum de necessitate congruentiae.

quia proprium est humanae naturae per corporalia et sensibilia in spiritualia et intelligibilia deducatur. Et ideo convenienter divina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus et sensibilibus signis, quae sacramenta dicuntur.

SECUNDA R. EST ex statu hominis: quia homo peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus: et ideo conveniens fuit ut Deus per quaedam corporalia signa homini spiritualem medicinam adhiberet; nam si spiritualia nuda ei proponerentur, eis animus applicari non posset, corporalibus deditus.

TERTIA R. EST ex studio actionis humanae: quia haec precipue circa corporalia versatur. Ne ergo esset homini durum, si totaliter a corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad evitanda superstitiosa exercitia, quae consistunt in cultu daemonum, vel qualitercumque noxia, quae consistunt in actibus peccatorum.

NOTANDUM: Passio Christi est sufficiens causa humanae salutis; nec propter hoc sequitur quod sacramenta non sint necessaria ad humanam salutem, quia operantur in virtute passionis Christi: et passio Christi quodam modo applicatur hominibus per sacramenta, secundum illud Rom. vi, 3: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum etiam ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta.*

RESP. NEG. – *Scil.:* in statu innocentiae homo sacramentis non indigebat, non solum in quantum sacramenta ordinantur ad remedium peccati, sed etiam in quantum ipsa ordinantur ad animae perfectionem.

R. EST: quia ante peccatum homo erat rectus, et sicut mens suberat Deo, ita menti suberant inferiores animae vires, et ipsi animae corpus. Contra hunc autem ordinem esset, si anima perficeretur, vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam, per aliquid corporale, quod fit in sacramentis.

NOTANDUM: Homo in statu innocentiae gratia indigebat; non tamen ut eam consequeretur per aliqua sensibilia signa, sed spiritualiter et invisibiliter. (Ad 1m). Post peccatum autem anima, etiam quantum ad superiorem partem, indiget accipere aliquid a corporalibus rebus ad sui perfectionem. (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum post peccatum ante Christum sacramenta debuerint esse.*

RESP. AFF. - R. EST: quia nullus sanctificari potest post peccatum, nisi per Christum (Rom. iii, 25). Oportebat igitur ante Christi adventum esse quaedam signa visibilia, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Salvatoris adventu. Et hujusmodi signa dicuntur sacramenta, (quae tamen, ut Concilium Tridentinum, sess. vii, can. 2, definivit, essentialiter differebant a sacramentis novae legis).

Art. IV. - *Utrum post Christum debuerint esse aliqua sacramenta.*

RESP. AFF. - R. EST: quia aliis signis significari oportet futura, praeterita et praesentia. Et ideo praeter sacramenta veteris legis, quibus praenuntiabantur futura, quaedam alia sacramenta oportet esse in nova lege, quibus significantur ea quae praecesserunt in Christo.

NOTANDUM: Sacramenta veteris legis nec continebant gratiam, nec causabant; et ideo Apostolus (Galat. iv) ea vocat *egena et infirma elementa*, quia scil. nihil aliud erant quam elementa hujus mundi.

Nostra autem sacramenta gratiam continent et causant. (Ad 2m). Sacramenta veteris legis fuerunt congrua gratiae praefigurandae, haec autem sunt congrua gratiae praesentialiter demonstrandae. (Ad 3m).

QUAESTIO LXII

De principali effectu sacramentorum, qui est gratia

Deinde considerandum est de effectu sacramentorum; et primo de effectu eorum principali, qui est gratia; secundo de effectu secundario, qui est character. – Circa primum quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum sacramenta sint causa gratiae.*

RESP. AFF. – *Scil.:* sacramenta novae legis: a) causant gratiam; b) aliquid operando, i. e., physice; c) tamen instrumentaliter.

R. PRIMI EST: quia per sacramenta novae legis homo Christo incorporatur (Gal. iii, 27); non autem efficitur homo membrum Christi, nisi per gratiam.

R. SECUNDI EST: quia secus sacramenta novae legis nihil plus essent quam signa gratiae; cum tamen ex multis sanctorum auctoritatibus habeatur quod sacramenta novae legis non solum significant, sed causant gratiam.

R. TERTII EST: quia causa principalis operatur per virtutem suae formae cui assimilatur effectus, sicut ignis suo calore calefacit; et hoc modo nihil potest causare gratiam, nisi Deus; quia gratia nihil est aliud quam quaedam participata similitudo divinae naturae (II. Pet. i, 4). Sacramenta autem sunt instrumenta gratiae cum ex divina ordinatione hominibus adhibeantur ad gratiam in eis causandam.

NOTANDA: 1. Causa instrumentalis non agit per virtutem suae formae, sed solum per motum quo movetur a principali agente. Unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti; sicut lectus non assimilatur securi, sed arti, quae est in mente artificis. Et hoc modo sacramenta novae legis gratiam causant. (In corp. art.).

2. Causa instrumentalis, si sit manifesta, potest dici signum effectus occulti, eo quod non solum est causa, sed etiam quodammodo effectus, inquantum movetur a principali agente. Et secundum hoc sacramenta novae legis simul sunt causae et signa; et inde est quod, sicut communiter dicitur, «efficiunt quod figurant». Ex quo etiam patet quod habent perfecte rationem sacramenti, inquantum ordinantur ad aliquid sacrum, non solum per modum signi, sed etiam per modum causae. (Ad 1m).

Art. II. – Utrum gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum et donorum.

RESP. AFF. – R. EST: quia sicut virtutes et dona addunt super gratiam communiter dictam quamdam perfectionem determinate ordinatam ad proprios actus potentiarum, ita gratiam sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, et super virtutes et dona, quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem, scil. quantum ad quosdam effectus speciales, qui requiruntur in vita christiana (Ad 1m), sicut aqua baptismi abluendo corpus secundum propriam virtutem abluit animam, inquantum est instrumentum virtutis divinae. (Ad 2m, art. praec.).

Art. III. – Utrum sacramenta novae legis contineant gratiam.

RESP. AFF. – Scil. : a) sicut in signo; b) sicut in causa.

R. PRIMI EST: quia sacramentum est signum gratiae.

R. SECUNDI EST: quia sacramentum novae legis est causa instrumentalis gratiae. (Art. 1 hujus qu.). - Unde gratia est in sacramento novae legis, non quidem secundum similitudinem speciei, sicut effectus est in causa univoca; neque etiam secundum aliquam formam propriam et permanentem, et proportionatam ad talem effectum, sicut sunt effectus in causis non univocis, puta res generatae in sole, sed secundum quamdam instrumentalem virtutem, quae est fluens et incompleta in esse naturae, ut infra dicitur (art. seq.).

Art. IV. - *Utrum in sacramentis sit aliqua virtus gratiae causativa.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ponendo quod sacramentum est instrumentalis causa gratiae, necesse est simul ponere quod in sacramento sit quaedam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum. Et haec quidem virtus proportionatur instrumento, i. e., habet esse transiens ex uno in aliud, et incompletum; sicut motus qui est actus imperfectus ab agente in patiens.

NOTANDUM: Virtus spiritualis non potest esse in re corporea per modum virtutis permanentis et completae, sicut ratio probat. Nihil tamen prohibet in corpore esse virtutem spiritualem instrumentaliter, inquantum scilicet corpus potest moveri ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum spiritualem inducendum; sicut et in ipsa voce sensibili est quaedam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, inquantum procedit a conceptione mentis. Et hoc modo vis spiritualis est in sacramentis, inquantum ordinantur a Deo ad effectum spiritualem. (Ad 1m).

Art. V. - *Utrum sacramenta novae legis habeant virtutem ex passione Christi.*

RESP. AFF. - *Scilicet*: sacramenta Ecclesiae specialiter habent virtutem ex passione Christi,

cujus virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum.

R. EST: quia humanitas Christi est sicut instrumentum conjunctum Divinitati, quae est principalis causa efficiens gratiae, et per eam operantur sacramenta, sicut instrumenta separata. Et ideo oportet quod virtus salutifera a divinitate Christi per ejus humanitatem in ipsa sacramenta derivetur; in quantum scilicet per passionem Christi duo praecipui effectus sacramentales consequuntur, videlicet remissio peccatorum, et perfectio animae in his quae pertinent ad cultum Dei secundum religionem vitae christianae. Nam Christus *offerens se ipsum oblationem et hostiam Deo* (Ephes. v), non solum liberavit nos a peccatis nostris, sed etiam initiavit ritum christianae religionis. Et secundum hoc sacramenta novae legis virtutem habent ex passione Christi.

Art. VI. – *Utrum sacramenta veteris legis gratiam causarent.*

RESP. NEG. – *Scil.:* sacramenta veteris legis non habebant in se aliquam virtutem qua operarentur ad conferendam gratiam justificantem; sed solum significabant fidem per quam justificabantur.

R. EST: quia si sacramenta veteris legis causarent gratiam per se ipsa, id est, virtute propria, non fuisset necessaria passio Christi, secundum illud Gal. ii, 21: *Si ex lege est justitia, Christus gratis mortuus est.* Sed nec potest dici quod ex passione Christi virtutem haberent conferendi gratiam justificandi; quia ad effectus sacramentorum, praeter fidem, requiritur etiam usus exteriorum rerum. Illud autem quod nondum est in rerum natura, non movet secundum usum exte-

riorum rerum. Unde causa efficiens non potest esse posterior in esse ordine durationis. E contra, fides, quae fit per actum animae, potest respicere futurum, sicut et causa finalis. Unde manifestum est quod a passione Christi, quae est causa humanae justificationis, convenienter derivatur virtus justificativa ad sacramenta novae legis, non autem ad sacramenta veteris legis. Et tamen per fidem passionis Christi justificabantur antiqui patres, sicut et nos. Sacramenta autem veteris legis erant quaedam illius fidei protestationes, in quantum significabant passionem Christi et effectus ejus.

NOTANDUM: Circumcisi, sicut et alia sacramenta veteris legis, erat solum signum fidei justificantis. Unde Apostolus dicit (Rom. iv, 11), quod Abraham *accepit signum circumcisionis, signaculum justitiae fidei*. Et ideo in circumcisione conferebatur gratia, in quantum erat signum passionis Christi futurae, ut infra patebit, in qu, lxx, art. 4. (Ad 3m).

QUAESTIO LXIII

De effectu sacramentorum, qui est character

Deinde considerandum est de alio effectu sacramentorum, qui est character; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum sacramentum imprimat aliquem characterem in anima.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia quicumque ad aliquid certum deputatur, consuevit ad illud consignari; sicut milites, qui adscribebantur ad militiam antiquitus, solebant quibusdam characteribus corporalibus insigniri, eo quod deputabantur ad aliquid corporale. Et ideo cum homines

per sacramenta deputentur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, ut supra dictum est (qu. praec. art. 1 et 5), consequens est quod per ea fideles aliquo spirituali characterē insignantur.

NOTANDUM: Character animae impressus habet rationem signi, in quantum per sensibile sacramentum imprimitur; per hoc enim scitur aliquis esse baptismali characterē insignitus, quod est ablutus aqua sensibili. (Ad 2m). Sacramenta autem veteris legis non habebant in se spirituales virtutes ad aliquem spirituales effectum operandum; et ideo in illis sacramentis non requirebatur aliquis spiritualis character, sed sufficiebat illis corporalis circumcisio, quam Apostolus (Rom. iv) signaculum nominat. (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum character sit spiritualis potestas.*

RESP. AFF. – R. EST: quia divinus cultus christianae religionis, ad quem character ordinatur, consistit vel in recipiendo aliqua divina, vel in tradendo aliis. Ad utrumque autem horum requiritur quaedam potentia: nam ad tradendum aliquid requiritur quaedam potentia activa; ad accipiendum autem requiritur potentia passiva. Et ideo character importat quamdam potentiam spirituales ordinatam ad ea quae sunt divini cultus.

NOTANDA: 1. Sicut virtus quae est in sacramentis, non est in genere per se, sed per reductionem, eo quod est quiddam fluens et incompletum; ita etiam character non proprie est in genere vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis (In fine art.), quae est *potentia et impotentia*.

2. Character habet rationem signi per comparisonem ad sacramentum sensibile a quo imprimitur; sed secundum se consideratus habet rationem principii per modum jam dictum (Ad 4m), id est, per modum potentiae. Et ideo character sacramentalis non pertinet ad primam speciem qualitatis, quae est habitus et dispositio, habet enim rationem principii; neque pertinet ad tertiam speciem, quae est passio et patibilis qualitas, quia

character non est lumen sensibile (Ad 2m); neque ad quartam, quae est forma et figura, quia character non est proprie in genere vel specie (Ad 1m), sicut necesse est ut sint figura et forma; sed pertinet ad secundam speciem qualitatis, ut dictum est hic supra (Notandum 1).

Art. III. – *Utrum character sacramentalis sit character Christi.*

RESP. AFF. – R. EST: quia totus ritus christiana religionis, ad quem proprie character sacramentalis deputatur, derivatur a sacerdotio Christi. Et ideo manifestum est quod character sacramentalis specialiter est character Christi, cujus sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt quam quaedam participationes sacerdotii Christi ab ipso Christo derivatae.

NOTANDUM: Character sacramentalis est res respectu sacramenti exterioris, et est sacramentum respectu ultimi effectus. Et ideo dupliciter potest aliquid characteri attribui: uno modo secundum rationem sacramenti; et hoc modo est signum invisibilis gratiae, quae in sacramento confertur: alio modo secundum propriam rationem characteris, et hoc modo est signum configurativum alicui principali, apud quem residet auctoritas ejus ad quod aliquis deputatur; sicut milites, qui deputantur ad pugnam, insigniuntur signo ducis, quo quodammodo ei configurantur. Et hoc modo illi qui deputantur ad cultum christianum, cujus auctor est Christus, characterem accipiunt, quo Christo configurantur; unde proprie est character Christi (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum character sit in potentiis animae sicut in subjecto.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sicut dictum est (art. praec.), character est quoddam signaculum quo anima insignitur ad suscipiendum vel aliis tradendum ea quae sunt divini cultus. Divinus autem cultus in quibusdam actibus consistit. Ad

actus autem proprie ordinantur potentiae animae sicut essentia ordinatur ad esse. Et ideo character non est sicut in subjecto in essentia animae, sed in ejus potentia: et quidem in potentia cognitiva, in qua est fides; nam divinus cultus, ad quem character ordinatur, quaedam fidei protestatio est per exteriora signa (Ad 3m).

Art. V. – *Utrum character insit animae indelibiliter.*

RESP. AFF. – R. EST: quia omnis sanctificatio quae fit per sacerdotium Christi, quod manet in aeternum (Ps. cix, 4), est perpetua, re consecrata manente. Character autem sacramentalis, quae participatio est sacerdotii Christi, est in potentia intellectiva animae (art. praec.), quae est perpetua et incorruptibilis. Et ideo character indelibiliter manet in anima.

NOTANDA: 1. Christo non competit habere characterem, sed potestas sacerdotii ejus comparatur ad characterem, sicut id quod est plenum et perfectum, ad aliquam sui participationem. (In corp. art.).

2. Aliter est in anima gratia, et aliter character. Nam gratia est in anima sicut quaedam forma habens esse completum in ea; character autem est in anima sicut quaedam virtus instrumentalis (art. 2 hujus qu.). Forma autem completa est in subjecto secundum conditionem subjecti. Et quia anima est mutabilis secundum liberum arbitrium, quamdiu est in statu viae, consequens est quod gratia insit animae mutabiliter. Sed virtus instrumentalis magis attenditur secundum conditionem principalis agentis; et ideo character indelibiliter inest animae, non propter suam perfectionem, sed propter perfectionem sacerdotii Christi, a quo derivatur character, sicut quaedam instrumentalis virtus (Ad 1m). Et ideo quantumcumque voluntas moveatur in contrarium, character non removetur, propter immobilitatem principalis moventis. (Ad 2m).

3. Quamvis post hanc vitam non remaneat ex-

terior cultus, remanet tamen finis illius cultus. Et ideo post hanc vitam remanet character et in bonis ad eorum gloriam, et in malis ad eorum ignominiam; sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam, et in his qui vicerunt, ad gloriam, et in his qui sunt victi, ad poenam (Ad 3m).

Art. VI. – *Utrum per omnia sacramenta novae legis imprimatur character.*

RESP. NEG. – R. EST: quia quamvis omnia sacramenta ordinentur in remedium peccati, tamen non omnia ordinantur *directe* ad cultum divinum, sed tria tantum, scil. baptismus, quia per ipsum homo accipit potestatem recipiendi alia Ecclesiae sacramenta; ordo, per quod deputantur homines ad sacramenta aliis tradenda; et confirmatio, ut infra suo loco dicitur (qu. lxxii, art. 7). – Eucharistia, ut patet, non ordinatur ad aliud, quia est « finis et consummatio omnium sacramentorum ». Per sacramentum autem poenitentiae non exhibetur homini aliquid de novo pertinens ad divinum cultum, sed restituitur in statum pristinum.

QUAESTIO LXIV

De causa sacramentorum

Deinde considerandum est de causa sacramentorum sive per auctoritatem, sive per ministerium; et circa hoc quaeruntur decem:

Art. I. – *Utrum solus Deus operetur interius ad effectum sacramenti.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) per modum principalis agentis, solus Deus operatur interiorem effectum sacramenti; b) per modum instrumenti autem potest homo operari ad interiorem effectum sa-

cramenti, in quantum operatur per modum ministri.

R. PRIMI EST: quia solus Deus illabitur animae, in qua sacramenti effectus existit; non autem potest aliquid immediate operari ubi non est. Item, quia gratia, quae est interior sacramenti effectus, est a solo Deo, ut dictum est (I-II, qu. cxii, art. 1). Character etiam, qui est interior quorundam sacramentorum effectus, est virtus instrumentalis, quae manat a principali agente, quod est Deus.

R. SECUNDI EST: quia eadem ratio est ministri et instrumenti: utriusque enim actio exterius exhibetur, sed sortitur effectum interiorem ex virtute principalis agentis, quod est Deus. - Unde effectus sacramenti non datur melior per meliorem ministrum. Aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti sacramentum per devotionem ministri; nec tamen minister illud operatur, sed impetrat operandum a Deo. (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum sacramenta sint solum ex institutione divina.*

RESP. AFF. - R. EST: quia virtus sacramenti, quae spiritualis est, a solo Deo est; nec potest esse ab eo qui utitur sacramento, quia non operatur nisi per modum ministerii. Unde solus Deus est sacramentorum institutor.

NOTANDA: 1. Illa quae aguntur in sacramentis, per homines instituta, non sunt de necessitate sacramenti; ea vero quae sunt de necessitate sacramenti, ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus et homo. Et licet non sint omnia tradita in Scripturis, habet tamen ea Ecclesia ex familiari apostolorum traditione, sicut Apostolus dicit: *Caetera, cum venero, disponam.* (I. Cor. xi, 34).

2. Apostoli et eorum successores sunt vicarii Dei quantum ad regimen Ecclesiae constitutae per fidem et fidei sacramenta. Unde sicut non licet

eis constituere aliam Ecclesiam; ita non licet eis tradere aliam fidem, neque instituere alia sacramenta; sed per sacramenta, quae de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Ecclesia Christi. (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum Christus, secundum quod homo, habuerit potestatem operandi interiores effectum sacramentorum.*

RESP. NEG. – *Scil. :* Christus, secundum quod Deus operatur in sacramentis *per auctoritatem*; secundum quod homo, *instrumentaliter* operatur Christus ad interiores effectus sacramentorum *meritorie* et *efficienter*.

R. EST: quia, ut dictum est (qu. xlvi et qu. xlix), passio Christi, quae competit ei secundum humanam naturam, causa est nostrae justificationis et meritorie et effective, non quidem per modum principalis agentis, sive per auctoritatem, sed per modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum divinitatis ejus. Sed tamen quia est instrumentum conjunctum divinitati in persona, habet quamdam principalitatem et causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum, qui sunt ministri Ecclesiae (art. i hujus qu.). Et ideo Christus, in quantum Deus, habet potestatem auctoritatis in sacramentis, in quantum homo habet potestatem ministerii principalis, sive potestatem excellentiae. – Haec autem *potestas excellentiae* consistit in quatuor: primo quidem in hoc quod meritum et virtus passionis ejus operatur in sacramentis, ut supra dictum est (qu. lxii, art. 5). Secundo ad potestatem excellentiae, quam Christus habet in sacramentis, pertinet quod in ejus nomine sacramenta sanctificentur. Tertio ad hanc potestatem Christi pertinet quod ipse qui dedit virtutem sacramentis, potuit instituere sacramenta. Quarto quod ipse potuit

effectum sacramentorum sine exteriori sacramento conferre.

Art. IV. - *Utrum Christus potestatem suam quam habuit in sacramentis potuerit ministris communicare.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) potestas auctoritatis nulli creaturae potuit communicari; b) potestas autem excellentiae potuit Christus ministris communicare, dando scil. eis tantam gratiae plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus, ut ad invocationem nominum ipsorum sanctificarentur sacramenta, et ut ipsi possent sacramenta instituere, et sine ritu sacramentorum effectum sacramentorum conferre solo imperio.

R. PRIMI EST: quia potestas auctoritatis in sacramentis competit Christo secundum quod Deus, et talis potestas nulli creaturae potuit communicari, sicut nec divina essentia.

R. SECUNDI EST: quia instrumentum conjunctum, quanto fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumento separato tribuere potest, sicut manus baculo.

NOTANDUM: Potestatem excellentiae Christus ministris Ecclesiae praetermisit communicare propter fidelium utilitatem, ne in homine spem ponerent, et ne essent diversa sacramenta, ex quibus divisio in Ecclesia oriretur. (Ad 1m).

Art. V. - *Utrum per malos ministros sacramenta conferri possint.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sicut dictum est (art. 1 et 3 huj. qu.), ministri Ecclesiae instrumentaliter operantur in sacramentis. Instrumentum autem non agit secundum propriam formam aut virtutem, sed secundum virtutem ejus a quo movetur. Et ideo accidit instrumento, in quantum est instrumentum, qualemcumque formam vel

virtutem habeat, praeter id quod exigitur ad rationem instrumenti, sicut quod fistula, per quam transit aqua, sit argentea vel plumbea.

Art. VI. – *Utrum mali ministrantes sacramenta peccent.*

RESP. AFF. – *Scil.*: et tale peccatum est mortale ex genere suo.

R. EST: quia ministri debent Domino conformari, secundum illud Levit. xix, 2: *Sancti eritis* (Vulg. «estote»), *quoniam ego sanctus sum*. Et ideo non est dubium quin mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesiae in dispensatione sacramentorum peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei et contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet sacramenta secundum seipsa incontaminabilia sint), consequens est quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.

NOTANDUM: Ille qui est in peccato mortali, non est perplexus simpliciter, si ex officio ei incumbat sacramenta dispensare, quia potest poenitere de peccato, et licite ministrare. Non est autem inconveniens quod sit perplexus, supposito quodam, scilicet quod velit remanere in peccato. In articulo tamen necessitatis non peccaret, baptizando in casu in quo etiam posset laicus baptizare;* sic enim patet quod non exhiberet se ministrum Ecclesiae, sed subveniret necessitatem patienti. Secus est autem in aliis sacramentis quae non sunt tantae necessitatis, sicut baptismus, ut infra patebit (qu. lxxvii, art. 3). – (Ad 3m).

Art. VII. – *Utrum angeli possint sacramenta ministrare.*

RESP. NEG. – R. EST: quia tota virtus sacramentorum a passione Christi derivatur, quae est

(*) Haec sententia, ait Liguori, est quidem probabilis: sed spectata ratione, videtur probabilior sententia contraria, quam tenent recentiores.

Christi secundum quod est homo, cui in natura conformantur homines, non autem angeli, sed potius secundum passionem dicitur *modico ab angelis minoratus*, ut patet Hebr. ii. Et ideo ad homines pertinet dispensare sacramenta, et in eis ministrare, non autem ad angelos. – Si tamen aliquod sacramentale ministerium a bonis angelis perficeretur, esset ratum habendum: quia deberet constare hoc fieri voluntate divina; sicut quaedam templa dicuntur angelico ministerio consecrata. Si vero daemones, qui sunt spiritus mendacii, aliquod sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum. (In fine art.).

NOTANDUM: Sancti qui sunt in coelo possunt ministrare in sacramentis, quia character sacramentalis est indelibilis. Sunt enim similes angelis quantum ad participationem gloriae, non autem quantum ad conditionem naturae, et per consequens neque quantum ad sacramenta. (Ad 2m).

Art. VIII. – *Utrum intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti.*

RESP. AFF. – R. EST: quia quando aliquid se habet ad multa, oportet quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ea vero quae in sacramentis aguntur, possunt diversimode agi, sicut ablutio aquae, quae fit in baptismo, potest ordinari et ad munditiam corporalem, et ad sanitatem corporalem, et ad ludum, et ad multa alia hujusmodi; et ideo oportet quod determinetur ad unum, id est, ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis; et haec intentio exprimitur per verba quae in sacramentis dicuntur, puta cum dicit: *Ego te baptizo in nomine Patris*, etc. – Non autem requiritur intentio actualis, « quia praeter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare »; sed sufficit intentio virtualis quae ex praecedenti non

interrupta per actum contrarium, ordinat et dirigit actionem. (Vide Ad 2m).

NOTANDUM: Ad objectionem quod intentio aliqujus hominis non potest esse alteri nota, respondetur quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, quae sufficit ad intentionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, vel recipientis sacramentum. (Ad 2m).

Art. IX. – *Utrum fides ministri sit de necessitate sacramenti.*

RESP. NEG. – R. EST: quia minister in sacramentis instrumentaliter operatur, non agit in virtute propria, sed in virtute Christi. Sicut igitur non requiritur ad perfectionem sacramenti quod minister sit in charitate (art. 5 hujus qu.), ita non requiritur ad perfectionem sacramenti fides ejus; sed infidelis potest verum sacramentum praebere, dummodo caetera adsint quae sunt de necessitate sacramenti. – Unde non obstante infidelitate, minister potest intendere facere id quod facit Ecclesia, licet aestimet id nihil esse. Et talis intentio sufficit ad sacramentum, quia, ut dictum est, minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, ex cujus fide suppletur id quod deest fidei ministri.

Art. X. – *Utrum intentio recta ministri requiratur ad perfectionem sacramenti.**

RESP. NEG. – *Scil. :* a) intentio ministri perversa et mala respectu sacramenti, tollit veritatem sacramenti; b) non autem, si sit mala intentio respectu illorum quae sequuntur sacramentum, puta si sacerdos intendat aliquam foe-

(*) Recta intentio circa sacramenta Ecclesiae est, et quantum ad sacramenti perfectionem, et quantum ad sacramenti usum: prima rectitudo perficit sacramentum, secunda operatur ad meritum. (Ad 1m).

minam baptizare, ut abutatur ea, vel si intendat conficere corpus Christi, ut eo ad venificia utatur.

R. PRIMI EST: quia in hoc casu minister non intendit conferre sacramentum, praecipue quando hanc suam perversam intentionem exterius manifestat.

R. SECUNDI EST: quia prius non dependet a posteriori: et ideo talis intentionis perversitas veritatem sacramenti non tollit; sed ipse minister ex tali intentione graviter peccat.

QUAESTIO LXV

De numero sacramentorum

Deinde considerandum est de numero sacramentorum, et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum debeant esse septem sacramenta Ecclesiae.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) cum in quantum sacramenta ordinantur ad perficiendum hominem in his quae pertinent ad cultum Dei secundum religionem christianae vitae; b) tum in quantum sacramenta ordinantur in remedium contra defectum peccati.

R. PRIMI EST: quia vita spiritualis conformitatem aliquam habet ad vitam corporalem. In vita autem corporali dupliciter aliquis perficitur: uno modo quantum ad personam propriam; alio modo per respectum ad totam communitatem societatis in qua vivit. Respectu autem sui ipsius perficitur homo in hac vita corporali dupliciter: uno modo per se, acquirendo scilicet aliquam vitae perfectionem; alio modo per accidens, sci-

licet removendo impedimenta vitae, puta aegritudines, vel aliquid hujusmodi. Per se autem perficitur corporalis vita tripliciter: primo quidem per generationem, per quam homo incipit esse et vivere; et loco hujus in spirituali vita est *baptismus*, qui est spiritualis generatio. Secundo per augmentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem et virtutem; et loco hujus in spirituali vita est *confirmatio*, in qua datur Spiritus sanctus ad robur. Tertio per nutritionem, qua conservatur in homine vita et virtus; et loco hujus in vita spirituali est *Eucharistia*. – Curatio autem ab infirmitate est duplex: una quidem est sanatio, quae sanitatem restituit, et loco hujus in spirituali vita est *poenitentia*, secundum illud Psal. xl, 5: *Sana animam meam, quia peccavi tibi*; alia autem est restitutio valetudinis pristinae per convenientem dietam et exercitium, et loco hujus in spirituali vita est *extrema unctio*, quae removet peccatorum reliquias, et hominem paratum reddit ad finalem gloriam.

Perficitur autem homo in ordine ad totam communitatem dupliciter: uno modo per hoc quod accipit potestatem regendi multitudinem, et exercendi actus publicos: et loco hujus in spirituali vita est *sacramentum ordinis*. Secundo quantum ad naturalem propagationem; quod fit per *matrimonium* tam in corporali quam in spirituali vita, eo quod est non solum sacramentum, sed etiam naturae officium.

R. SECUNDI sic patet: nam *baptismus* ordinatur contra carentiam vitae spiritualis; *confirmatio* contra infirmitatem animi, quae in nuper natis invenitur; *Eucharistia* contra labilitatem animi ad peccandum; *poenitentia* contra actuale peccatum post baptismum commissum; *extrema unctio* contra reliquias peccatorum, quae scilicet

cet non sunt sufficienter per poenitentiam sublatae, aut ex negligentia, aut ex ignorantia; *ordo* contra dissolutionem multitudinis; *matrimonium* in remedium contra concupiscentiam personalem, et contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit.

NOTANDA: 1. Idem agens principale utitur diversis instrumentis ad diversos effectus, secundum congruentiam operum. Et similiter virtus divina et passio Christi operantur in nobis per diversa sacramenta, quasi per diversa instrumenta (Ad 1m). Sacramenta autem in veteri lege plura fuerunt numero, propter diversitatem sacrificiorum et caeremoniarum. (Ad 4m).

2. Aqua benedicta et aliae consecrationes sunt dispositiones quaedam ad sacramenta, vel removendo prohibens, sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias daemonum, et contra peccata venialia; vel etiam idoneitatem quamdam faciendo ad sacramenti perfectionem et perceptionem, sicut consacrantur altare et vasa propter reverentiam Eucharistiae. (Ad 6m).

Art. II. - *Utrum sacramenta convenienter ordinentur secundum modum praedictum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sicut unum est prius quam multitudo, ita sacramenta quae ordinantur ad perfectionem unius personae, naturaliter praecedunt ea quae ordinantur ad perfectionem multitudinis. Et ideo ultimo inter sacramenta ponuntur ordo et matrimonium. Inter ea vero quae ordinantur ad perfectionem unius personae, naturaliter sunt priora illa quae *per se* ordinantur ad perfectionem spiritualis vitae quam illa quae ordinantur *per accidens*, scilicet ad removendum accidens nocivum superveniens, cuiusmodi sunt poenitentia et extrema unctio. Inter alia vero tria manifestum est quod baptismus, qui est spiritualis regeneratio, est prius; et deinde

confirmatio, quae ordinatur ad formalem perfectionem virtutis; et postmodum Eucharistia, quae ordinatur ad perfectionem finis.

NOTANDUM: Poenitentia non ex necessitate requiritur, ut praeparatoria ad Eucharistiam. Nam si aliquis esset sine peccato mortali, non indigeret poenitentia ad sumptionem Eucharistiae; et sic patet quod per accidens poenitentia praeparat ad Eucharistiam, scil. supposito peccato. Unde dicitur II. Paralip. ult.: *Tu, Domine, Deus justorum, non posuisti poenitentiam justi.* (Ad 4m).

Art. III. - *Utrum sacramentum Eucharistiae sit potissimum inter sacramenta.*

RESP. AFF. - *Scil.:* simpliciter loquendo, sacramentum Eucharistiae est potissimum inter alia sacramenta, et hoc propter tria:

PRIMA R. EST ex eo quod in eo continetur: quia in sacramento Eucharistiae continetur ipse Christus substantialiter; in aliis autem sacramentis continetur quaedam virtus instrumentalis participata a Christo.

SECUNDA R. EST ex ordine sacramentorum ad invicem: nam omnia alia sacramenta ordinari videntur ad hoc sacramentum, sicut ad finem.

TERTIA R. EST ex ritu sacramentorum: quia fere omnia sacramenta in Eucharistia consumantur, sicut patet quod ordinati communicant, et etiam baptizati, si sint adulti.

NOTANDA: 1. In via necessitatis baptismus est potissimum sacramentorum; in via autem perfectionis, sacramentum ordinis; medio autem modo se habet sacramentum confirmationis; sacramentum vero poenitentiae et extremae unctionis sunt inferioris gradus a praedictis sacramentis, quia ordinantur in remedium supervenientis defectus: inter quae poenitentia est majoris necessitatis,

sed extrema unctio est majoris perfectionis. (In fine art.). - Matrimonium autem ponitur ultimo quia minimum habet de spiritualitate (art. praec. ad 1m). Ratione tamen significationis, i. e., unionis inter Christum et Ecclesiam, excellentiam habet (Ad 4m).

2. Per ordinem et confirmationem deputantur fideles Christi ad aliqua specialia officia quae pertinent ad officium principis; et ideo tradere hujusmodi sacramenta pertinet ad solum episcopum qui est quasi princeps in Ecclesia. (Ad 2m).

Art. IV. - *Utrum omnia sacramenta sint de necessitate salutis.*

RESP. NEG. - R. EST: quia tria sunt sacramenta ad salutem necessaria: baptismus absolute; poenitentia, existenti in peccato mortali; ordo respectu Ecclesiae; caetera vero sacramenta sunt eatenus necessaria, quatenus per ea commodius effectum salutis consequimur; nam confirmatio quodammodo perficit baptismum; extrema unctio poenitentiam; matrimonium vero Ecclesiae multitudinem per propagationem conservat.

QUAESTIO LXVI

De pertinentibus ad sacramentum baptismi

Deinde considerandum est de singulis sacramentis in speciali: primo de baptismo; secundo de confirmatione; tertio de Eucharistia; quarto de poenitentia; quinto de extrema unctione; sexto de ordine; septimo de matrimonio. - Circa primum occurrit duplex consideratio: prima de ipso baptismo; secunda de praeparatoriis ad baptismum. - Circa primum quatuor consideranda occurrunt: primo de his quae pertinent ad sacramentum baptismi; secundo de ministro hujus sacramenti; tertio de recipientibus hoc sacramentum; quarto de effectu hujus sacramenti. Circa primum quaeruntur duodecim:

Art. I. - *Utrum baptismus sit ipsa ablutio.**

RESP. AFF. - Scil.: sacramentum *tantum* in baptismo non est ipsa aqua, sicut quidam existimaverunt; sed ablutio.

R. EST: quia sacramentum *tantum* est aliquid visibile exterius existens, quod scil. est signum interioris effectus; hoc enim pertinet ad rationem sacramenti: exterius autem suppositum sensui in baptismo est ipsa aqua, et ejus usus, qui est ablutio. Cum autem sacramenta novae legis sanctificationem quamdam operentur, ibi perficitur sacramentum, ubi perficitur sanctificatio. In aqua autem non perficitur sanctificatio, sed est ibi quaedam sanctificationis virtus instrumentalis, non permanens, sed fluens in hominem, qui est verae sanctificationis subjectum; et ideo sacramentum non perficitur in ipsa aqua, sed in applicatione aquae ad hominem, quae est ablutio. - *Res autem et sacramentum* est character baptismalis, qui est res significata per exteriorem abluitionem; et est signum sacramentale interioris justificationis quae est *res tantum* hujus sacramenti, scil. significata, et non significans. - Id quod est sacramentum tantum in baptismo, transit; permanet autem et id quod est sacramentum et res tantum, scil. character, et id quod est res tantum, scil. interior justificatio; sed character permanet indelibiliter, justificatio autem permanet, sed amissibiliter. (Ad 1m). - Baptismus autem est quaedam fidei protestatio, et secundum hoc dicitur *fidei sacramentum*. (Ad 1m).

(*) Juxta mentem D. Thomae sacramentum baptismi definiri potest: « Ablutio corporis sub praescripta verborum forma ». - Baptismus metaphysice sumptus, ait Billuart, recte definitur a catechismo romano: « Sacramentum regenerationis per aquam in Verbo »; quidam addunt ad majorem explicationem *expressivo sanctissimae Trinitatis*.

Art. II. - *Utrum baptismus fuerit institutus post Christi passionem.*

RESP. NEG. - *Scil. :* a) baptismus, in quantum sacramentum est, fuit institutus in Christi baptismo; b) ejus tamen necessitas post passionem hominibus indicta est.

R. PRIMI EST: quia sacramentum videtur institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum. Hanc autem virtutem accepit baptismus, quando Christus est baptizatus. Unde tunc vere baptismus institutus fuit quantum ad ipsum sacramentum.

R. SECUNDI EST: quia in passione Christi terminata sunt figuralia sacramenta, quibus succedit baptismus, et alia sacramenta novae legis; item, quia per baptismum configuratur homo passioni et resurrectioni Christi, in quantum moritur peccato, et incipit novam justitiae vitam. Et ideo oportuit prius Christum pati et resurgere, quam hominibus indiceretur necessitas se configurandi morti et resurrectioni ejus.

NOTANDUM: Etiam ante passionem Christi baptismus habebat efficaciam a Christi passione, in quantum eam praefigurabat, aliter tamen quam sacramenta veteris legis: nam illa erant figurae tantum; baptismus autem ab ipso Christo virtutem habebat justificandi, per cujus virtutem ipsa etiam passio salutifera fuit. (Ad 1m). Tamen ante passionem suam baptismum institutum non posuit sub praecepto, sed voluit ad ejus exercitium homines assuefieri, et praecipue in populo Judaeorum, apud quem omnia facta figuralia erant. Post passionem vero et resurrectionem non solum Judaeis, sed etiam gentilibus sub praecepto necessitatem baptismi imposuit, dicens. (Mt. ult., 19): *Euntes docete omnes gentes*, etc. (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum aqua sit propria materia baptismi.*

RESP. AFF. - *Scil. :* ex institutione divina aqua est propria materia baptismi; et hoc convenienter propter quatuor:

PRIMA R. sumitur ex ipsa ratione baptismi: quia baptismus est regeneratio in spiritualem vitam, quod maxime congruit aquae. Unde et semina, ex quibus generantur omnia viventia, scilicet plantae et animalia, humida sunt, et ad aquam pertinent.

SECUNDA R. sumitur ex effectibus baptismi: quia istis competunt aquae proprietates, quae sua humiditate lavat; ex quo conveniens est ad significandam et causandam ablutionem peccatorum; sua frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris, et ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam fomitis; sua diaphaneitate est luminis susceptiva, unde competit baptismi, in quantum est fidei sacramentum.

TERTIA R. sumitur ex convenientia ad repraesentandum mysteria Christi, quibus justificamur: quia, ut dicit Chrysostomus super illud Joan. iii: *Nisi quis renatus fuerit*, etc. (Hom. xxiv in Joan.), «sicut in quodam sepulcro, in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, et submersus deorsum occultatur, et deinde novus rursus ascendit».

QUARTA R. EST: quia ratione suae communitatis et abundantiae aqua est conveniens materia necessitati hujus sacramenti.

Art. IV. – Utrum ad baptismum requiratur aqua simplex.*

RESP. AFF. – Scil.: a) aqua transmutata per artem non amittit suam puritatem seu simplicitatem, unde in tali aqua potest fieri baptismus;

(*) Aqua simplex ea est quae naturam seu speciem aquae elementaris habet.

b) transmutatio autem aquae quae fit per naturam aliquando tollit simplicitatem aquae, aliquando non tollit.

R. PRIMI EST: quia natura dat formam substantialem, quod ars facere non potest; sed omnes formae artificiales sunt accidentales, nisi forte apponendo proprium agens ad propriam materiam, sicut ignem combustibili. Quaecumque igitur transmutatio circa aquam facta est per artem, sive commiscendo, sive alterando, non transmutatur species aquae. Unde in tali aqua potest fieri baptismus; nisi forte aqua admisceatur per artem in tam parva quantitate alicui corpori, quod compositum magis sit aliud quam aqua, sicut lutum magis est terra quam aqua, et vinum lymphatum magis est vinum quam aqua.

R. SECUNDI EST: quia transmutatio, quae fit a natura, quandoque quidem speciem aquae solvit; et hoc fit quando aqua efficitur per naturam de substantia alicujus corporis mixti, sicut aqua conversa in liquorem uvae est vinum, unde non habet speciem aquae; aliquando autem fit per naturam transmutatio aquae sine solutione speciei: et hoc tam per alterationem, sicut patet de aqua calefacta a sole, quam etiam per mixtionem, sicut patet de aqua fluminis turbida ex permixtione terrestrium partium. Sic ergo dicendum est quod in qualibet aqua qualitercumque transmutata, dummodo non solvatur species aquae, potest fieri baptismus; si vero solvatur species aquae, non potest fieri baptismus. - Hinc docet S. Doctor baptismum fore validum in aqua maris, in lixivio, in aquis balneorum sulphureorum, in aqua decoctionis carniū; sed notandum est, talem aquam non esse promiscue assumendam, nisi in casu necessitatis (Passim in responsionibus).

Art. V. – *Utrum haec sit conveniens forma baptismi: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

RESP. AFF. – R. quia in hac forma tum causa praecipua, tum causa instrumentalis baptismi convenienter exprimitur. Nam causa principalis, a qua baptismus virtutem habet, est ipsa S. Trinitas; causa vero instrumentalis est ipse minister, qui exterius tradit sacramentum. In verbis autem *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, utraque causa exprimitur. – Ad dicitur *ego* in forma nostra, ad majorem expressionem intentionis, non est autem de substantia formae. Apud Graecos, per verba: *Baptizetur servus Christi*, talis, *in nomine Patris*, etc., exprimitur actus exterius per ministrum cum invocatione Trinitatis; et ideo verum perficitur sacramentum. (Ad 1m).

NOTANDA: 1. Plures simul non possunt baptizare, quia actus multiplicatur secundum multiplicationem agentium, si perfecte ab unoquoque agatur. Et sic si convenirent duo, quorum unus est mutus, qui non posset proferre verba, et alius carens manibus, qui non posset exercere actum, non possunt ambo simul baptizare, uno dicente verba, et alio exercente actum. Possunt autem, si necessitas exigit, plures simul baptizari, quia nullus eorum reciperet nisi unum baptismum; sed tunc oportebit dicere: *Ego baptizo vos*; nec erit mutatio formae, quia *vos* nihil aliud est quam *te* et *te*; quod autem dicitur *nos*, non est idem dicere quod *ego* et *ego*, sed *ego* et *tu*, et sic jam mutaretur forma.* Similiter autem mutaretur, si diceretur: *Ego baptizo me*. Et ideo nullus potest baptizare seipsum. Propter quod et Christus a Joanne voluit baptizari. (Ad 4m).

(*) Si quis autem honoris causa utitur pro singulari, verbo *vos*, vel *nos*, non variaret substantiam formae, ut censet Cajetanus, sed id vitandum est.

2. Etsi sint tria nomina personalia trium personarum, est tamen nomen unum essenziale. Virtus autem divina, quae operatur in baptismo, ad essentiam pertinet, et ideo dicitur *in nomine* et non *in nominibus*. (Ad 6m).

Art. VI. – *Utrum in nomine Christi possit dari baptismus.*

RESP. NEG. – *Scil.*: nisi hoc fiat ex speciali dispensatione Christi, qui virtutem suam sacramentis non alligavit.

R. EST: quia Christus instituit sacramentum baptismi dari cum invocatione Trinitatis. Et ideo quidquid desit ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem baptismi. Nec obstat quod in nomine unius personae intelligitur alia (sicut in nomine Patris intelligitur Filius), aut quod ille qui nominat unam solam personam, potest habere rectam fidem de tribus; quia sicut ad sacramentum requiritur materia sensibilis, ita et forma sensibilis; unde non sufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem sacramenti, nisi sensibilibus verbis Trinitas exprimat. Unde et in baptismo Christi, ubi fuit origo sanctificationis nostri baptismi, affuit Trinitas in sensibilibus signis, scil. Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus sanctus in columba.

Art. VII. – *Utrum immersio in aqua sit de necessitate baptismi.*

RESP. NEG. – *Scil.*: quamvis tutius sit baptizare per modum immersionis (quia hoc habet communior usus),* potest tamen fieri baptismus per modum aspersionis, vel etiam per modum effusionis, secundum illud Ezech. xxxvi, 25: *Effundam super vos aquam mundam.*

(*) Ita tempore Sancti Thomae.

R. EST: quia ablutio per aquam, quae per se requiritur ad baptismum, fieri potest non solum per immersionem, sed etiam per modum aspersionis vel effusionis.

NOTANDA: 1. Immersione expressius repraesentatur figura sepulturae Christi; et ideo hic modus baptizandi est communior et laudabilior. Sed in aliis modis baptizandi repraesentaretur aliquo modo, licet non ita expresse: nam quocumque modo fiat ablutio, corpus hominis, vel aliqua pars ejus aquae supponitur, sicut corpus Christi sub terra fuit positum. (Ad 2m).

2. In veteri lege remedium contra originale peccatum institutum erat in membro generationis, quia adhuc ille per quem originale erat amovendum, nasciturus erat ex semine Abrahae, cujus fidem circumcisio significabat, ut dicitur Rom. iv. (Ad 3m).

Art. VIII. - *Utrum trina immersio sit de necessitate baptismi.*

RESP. NEG. - R. EST: quia ad baptismum per se requiritur ablutio aquae, quae est de necessitate sacramenti; modus autem ablutionis per accidens se habet ad sacramentum. Tamen, diversis causis, secundum ordinationem Ecclesiae, quandoque institutus est unus modus, quandoque alius.

Art. IX. - *Utrum baptismus possit iterari.*

RESP. NEG. - PRIMA R. EST: quia baptismus est quaedam spiritualis regeneratio (Jn. iii, 5). Unius autem non est nisi una generatio. Et ideo non potest baptismus iterari, sicut nec carnalis generatio.

SECUNDA R. EST: quia Christus, in cujus morte baptizamur, semel tantum mortuus est. Sacramentum enim repraesentativum est dominicae passionis et mortis. Et ideo baptismus iterari non debet.

TERTIA R. EST: quia baptismus imprimit characterem qui est indelibilis, et cum quadam consecratione datur. Unde sicut aliae consecrationes non iterantur in Ecclesia, ita nec baptismus.

QUARTA R. EST: quia baptismus principaliter datur contra originale peccatum. Et ideo sicut originale peccatum non iteratur, ita etiam nec baptismus.

NOTANDUM: Utrumque sacramentum, baptismi scilicet et Eucharistiae, est repraesentativum dominicae mortis et passionis, aliter tamen et aliter: nam in baptismo commemoratur mors Christi, inquantum homo Christo commoritur, ut in novam vitam regeneretur; sed in sacramento Eucharistiae commemoratur mors Christi, inquantum ipse Christus passus exhibetur nobis, quasi paschale convivium, secundum illud. I. Cor. v, 7: *Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur*. Et quia homo semel nascitur, multoties autem cibatur, semel tantum datur baptismus, multoties autem Eucharistia. (Ad 5m).

Art. X. - Utrum ritus quo Ecclesia in baptizando utitur, sit conveniens.

RESP. AFF. - Scil. : ad solemnitatem hujus sacramenti, Ecclesia convenienter utitur ritu, propter tria:

PRIMA R. EST: quia per hunc ritum excitatur devotio fidelium et reverentia ad sacramentum. Si enim simpliciter fieret ablutio in aqua absque solemnitatem, de facili ab aliquibus aestimaretur quasi quaedam communis ablutio.

SECUNDA R. EST: quia per hoc instruuntur fideles. Simples enim, qui litteris non erudiuntur, oportet erudire per aliqua sensibilia signa.

TERTIA R. EST: quia per orationes et benedictiones et alia hujusmodi cohibetur vis daemonis ab impedimento sacramentalis effectus.

NOTANDUM: Usus aquae adhibetur in baptismo quasi pertinens ad substantiam sacramenti; sed usus olei vel chrysmatis ad quandam solemnitatem. Nam primo baptizandus inungitur oleo sancto et in pectore et in scapulis, quasi athleta Dei, ut Ambrosius dicit (De Sacramentis, lib. i, cap. 2), sicut pugiles inungi consueverunt. Post baptismum vero, ut Rabanus dicit (Lib. Institut. cleric. cap. 28), « statim signatur in cerebro a presbytero cum sacro chrismate, sequente simul et oratione, ut Christi regni particeps fiat, et a Christo Christianus possit vocari »; vel, sicut Ambrosius dicit (l. c., lib. iii, cap. 1), « unguentum super caput effunditur, quia sapientis sensus in capite ejus, in vertice inungitur, ut sit paratus ✓ omni petenti de fide reddere rationem ». (Ad 2m).

Art. XI. – Utrum convenienter describantur tria baptismata.

RESP. AFF. – Scil. : baptismus aquae seu fluminis, sanguinis et flaminis. Utrumque autem baptismatorum, scil. sanguinis et flaminis nominatur baptismus inquantum supplet vicem baptismi aquae, non sunt enim sacramenta.

R. EST: quia baptismus aquae efficaciam habet a passione Christi, cui aliquis configuratur per baptismum, et ulterius sicut a prima causa a Spiritu sancto. Et ideo praeter baptismum aquae potest aliquis consequi sacramenti effectum ex passione Christi, inquantum quis ei conformatur, pro Christo patiendo, et per virtutem Spiritus sancti, inquantum alicujus cor per Spiritum sanctum movetur ad credendum et diligendum Deum, et poenitendum de peccatis; unde etiam dicitur baptismus poenitentiae. Licet enim effectus dependeat a prima causa, causa tamen superexcedit effectum, nec dependet ab effectu. Unde latroni, qui baptizatus non erat, Dominus dixit: *Hodie mecum eris in paradiso.*

Art. XII. – *Utrum baptismus sanguinis sit potissimus inter alia baptismata.*

RESP. AFF. – *Scil.* : baptismus sanguinis prae-eminentiam habet: a) non solum ex parte passionis Christi; sed b) etiam ex parte Spiritus sancti.

R. PRIMI EST: quia in baptismo sanguinis passio Christi operatur per imitationem operis, dum in baptismo aquae operatur per quamdam figuralem repraesentationem; et in baptismo flaminis seu poenitentiae per quamdam affectionem.

R. SECUNDI EST: quia virtus Spiritus sancti in baptismo aquae operatur per quamdam virtutem latentem; in baptismo flaminis per commutationem cordis; sed in baptismo sanguinis per potissimum dilectionis et affectionis fervorem, secundum illud Jn. xv, 13: *Majorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

QUAESTIO LXVII

De ministris per quos traditur baptismi sacramentum

Deinde considerandum est de ministris, per quos traditur sacramentum baptismi. Circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum ad officium diaconi pertineat baptizare.*

RESP. NEG. – *Scil.* : ad diaconum non pertinet, quasi ex proprio officio, tradere sacramentum baptismi, sed in collatione hujus sacramenti et aliorum assistere, et ministrare majoribus.

R. EST: quia, ut ex ipsa nominis ratione clarum est, ad diaconos seu ministros non pertinet

aliquod sacramentum principaliter et quasi ex proprio officio praebere, sed adhibere ministerium aliis majoribus in sacramentorum exhibitione. – Ad diaconum etiam pertinet recitare Evangelium in ecclesia, et praedicare ipsum per modum catechizantis, immundos repellere, vel disponere eos ad sacramenti susceptionem. (Ad 1m et 2m passim).

Art. II. – *Utrum baptizare pertineat ad officium presbyterorum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sicut ad sacerdotem pertinet consecrare Eucharistiam (ad quod principaliter sacerdotium ordinatur), ita ad proprium officium sacerdotis pertinet baptismum conferre, quo aliquis fit particeps ecclesiae unitatis, et accipit jus ad mensam Domini accedendi: ejusdem enim videtur esse operari totum, et partem in toto disponere.

NOTANDUM: In baptismo nihil operatur meritum et sapientia ministri, sicut in docendo. Et ideo docere et praedicare Evangelium proprium est officium Apostolorum (Unde Apostolus dicit. I. Cor. i, 17: *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare*), et Episcoporum, qui sunt successores eorum; baptizare autem est per alios exercendum, qui sunt minores principes Ecclesiae, i. e., ad presbyteros qui tenent locum septuaginta duorum discipulorum Christi, ut dicit glossa Luc. x. Per baptismum enim non adipiscitur aliquis nisi infimum gradum in populo Christiano. (Ad 1m et ad 2m passim).

Art. III. – *Utrum laicus possit baptizare.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ad misericordiam ejus qui vult omnes homines salvos fieri, pertinet ut in his quae sunt de necessitate salutis, homo de facili remedium inveniat. Inter omnia autem sacramenta maximae necessitatis est baptismus, qui est regeneratio hominis in vitam spiritualem.

Et ideo ut homo circa remedium tam necessarium defectum pati non possit, institutum est ut materia baptismi sit communis, scil. aqua, et minister baptismi etiam sit quicumque non ordinatus, ne propter defectum baptismi homo salutis suae dispendium patiatur. – Unde etiamsi extra necessitatis articulum laicus baptizet, peccat quidem, tamen sacramentum baptismi confert; nec est rebaptizandus ille qui sic est baptizatus. (Ad 1m).

Art. IV. – *Utrum mulier possit baptizare.*

RESP. AFF. – R. EST: quia cum Christus sit qui principaliter baptizat, sequitur quod sicut masculus laicus potest baptizare, quasi minister Christi; ita etiam et foemina. – Quia tamen *caput mulieris est vir, et caput viri est Christus*, ut dicitur I. Cor. xi, non debet mulier baptizare, si adsit copia viri; * sicut nec laicus praesente clerico, nec clericus praesente sacerdote.

Art. V. – *Utrum non baptizatus possit sacramentum baptismi conferre.*

RESP. AFF. – *Scil.:* dummodo in forma Ecclesiae baptizet.

R. EST: quia sicut ex parte materiae, quantum ad necessitatem sacramenti, sufficit quaecumque aqua, ita etiam sufficit ex parte ministri quicumque homo. Et ideo etiam non baptizatus in articulo necessitatis baptizare potest. – Baptismus enim non est baptizantium, sed Christi. (Ad 1m).

(*) Nisi, ut animadvertit Rituale Romanum, pudoris gratia, deceat foeminam potius quam virum baptizare infantem, non omnino editum; vel nisi melius foemina sciret formam et modum baptizandi.

Art. VI. – *Utrum plures possint simul unum baptizare.*

RESP. NEG. – R. EST: quia per hanc formam, *Nos te baptizamus*, exprimitur talis intentio quod plures convenient ad unum baptismum conferendum; quod quidem videtur esse contra rationem ministerii: homo enim non baptizat nisi ut minister Christi, et vicem ejus gerens; unde sicut unus est Christus, ita oportet esse unum ministrum, qui Christum repraesentet. Si vero uterque diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, uterque exprimeret suam intentionem, quasi ipse singulariter baptismum conferret. Tunc manifestum est quod ille qui prius verba proferret, daret baptismi sacramentum; alius vero, quantumcumque jus baptizandi haberet, nihil faceret. Si autem omnino simul ambo verba proferrent, et hominem immergerent aut aspergerent, uterque, quantum est in se, baptizaret. Nec traderent aliud et aliud sacramentum; sed Christus, qui est unus interius baptizans, unum sacramentum per utrumque conferret.

NOTANDUM: Sicut supra dictum est (qu. levi, art. 3 et 5), integritas baptismi consistit in forma verborum et in usu materiae. Et ideo neque ille qui tantum verba profert baptizat, neque ille qui immergit. Si enim duo sint qui unus unam partem libri scribat, et alius aliam, non erit propria locutio: *Nos scripsimus librum istum*, sed synecdochica, in quantum totum ponitur pro parte. (Ad 3m).

Art. VII. – *Utrum in baptismo requiratur aliquis qui baptizatum levet de sacro fonte.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sicut in generatione carnali parvulus nuper natus indiget nutrice et paedagogo; ita et in spirituali generatione baptismi requiritur aliquis qui fungatur vice nutricis et paedagogi, informando et instruendo eum,

quasi novitium in fide, de his quae pertinent ad fidem et vitam christianam; ad quod praelati Ecclesiae vacare non possunt circa communem curam populi occupati.

Art. VIII. – *Utrum ille qui aliquem levat de sacro fonte, teneatur ad ejus instructionem.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ille qui suscipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium paedagogi; et ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret. – Inter paternos autem unus debet esse principalis susceptor et instructor, ut non sit confusio disciplinae. (Ad 3m).

QUAESTIO LXVIII.

De suscipientibus baptismum

Deinde considerandum est de suscipientibus baptismum; et circa hoc quaeruntur duodecim:

Art. I. – *Utrum omnes teneatur ad susceptionem baptismi.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sine baptismo homines salutem consequi non possunt. Per baptismum enim incorporamur Christo, in quo sclo est salus (Act. ii, 12). Unde dicitur Galat. iii, 27: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

NOTANDA: 1. Ante adventum Christi homines Christo incorporabantur per fidem futuri adventus: cujus fidei signaculum erat circumcisio (Rom. iv); ante vero quam circumcisio instrueretur, sola fide ut Gregorius dicit (Moral. lib. iv, c. 3), cum sacrificiorum oblatione, quibus suam fidem antiqui patres profitebantur, homines Christo incorporabantur. Et ideo licet ipsum sacramentum baptismi non semper fuerit necessarium ad salutem, fides tamen, cujus baptismus sacramentum est, semper necessaria fuit. (Ad 1m).

2. Illi qui sunt sanctificati in utero, consequuntur quidem gratiam emundantem a peccato originali; non tamen ex hoc ipso consequuntur characterem, quo Christo configurentur. Et propter hoc si aliqui nunc sanctificarentur in utero, necesse est eos baptizari, ut per susceptionem characteris aliis membris Christi conformarentur. (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum sine baptismo aliquis possit salvari.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) hi quibus baptismus deest tum re tum voto salutem consequi non possunt; b) hi quibus baptismus deest re tantum, sed non voto, salvari possunt.

R. PRIMI EST: quia tales nec sacramentaliter, nec mentaliter Christo incorporantur, per quem solum est salus.

R. SECUNDI EST: quia isti habent desiderium baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interioriter hominem sanctificat, cujus potentia sacramentis visibilibus non alligatur.

NOTANDUM: Nullus pervenit ad vitam aeternam, nisi absolutus ab omni culpa et reatu poenae; quae quidem universalis absolutio fit in perceptione baptismi et in martyrio. Si quis ergo catechumenus sit habens desiderium baptismi, quia aliter in bonis operibus non moreretur, quae non possunt esse sine fide per dilectionem operante, talis decedens non statim pervenit ad vitam aeternam, sed patietur poenam pro peccatis praeteritis; ipse tamen *salvus erit sic quasi per ignem*, ut dicitur I. Cor. iii, 5. (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum baptismus sit differendus.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) si pueri sint baptizandi, non est differendum baptismum; b) adultis autem ordinarie non statim cum convertentur, est sacramentum baptismi conferendum, sed oportet differre usque ad aliquod certum tempus.

R. PRIMI EST: quia non expectatur in pueris major instructio, aut etiam plenior conversio. Item, propter periculum mortis, quia non potest eis alio remedio subveniri, nisi per sacramentum baptismi.

R. SECUNDI EST triplex: a) propter cautelam Ecclesiae ne decipiatur, sacramentum fecte accedentibus conferens; – b) ad utilitatem eorum qui baptizantur; ad hoc scil. quod plene instruantur de fide et exercitentur in his quae pertinent ad vitam christianam; – c) ad quamdam reverentiam sacramenti, dum in solemnitatibus praecipuis, scil. Paschae et Pentecostes, homines ad baptismum admittuntur, et ita devotius sacramentum suscipiunt. – Si tamen baptizandus appareat jam instructus in fide et ad baptismum idoneus, vel etiam si in mortis periculum versetur, baptismus non est differendus.

Art. IV. – *Utrum peccatores sint baptizandi.*

RESP. NEG. – Scil.: a) illi qui peccatores dicuntur propter maculam et reatum praeteritum, sunt baptizandi; b) illi vero qui peccatores dicuntur ex voluntate peccandi, et proposito persistendi in peccato, non est sacramentum baptismi conferendum.

R. PRIMI EST: quia sacramentum baptismi ad hoc specialiter institutum est, ut per ipsum peccatorum sordes mudentur, secundum illud Ephes. v, 26: *Mundans eam, scil. Ecclesiam, lavacro aquae in verbo vitae.*

R. SECUNDI EST triplex: a) quia quamdiu aliquis habet voluntatem peccandi, non potest esse Christo conjunctus; b) quia nullus habens voluntatem peccandi simul potest a peccato mundari, ad quod ordinatur baptismus; c) quia in sacramentalibus signis non debet esse aliqua falsitas.

Ex hoc autem quod aliquis lavandum se praebet per baptismum, significatur quod se disponat ad interiorem ablutionem; quod non contingit de eo qui habet propositum persistendi in peccato.

NOTANDUM: Quamvis peccator obstinatus, si baptismum recipiat, imprimetur ei character baptismalis, tamen per impressionem characteris non disponderetur ad gratiam, quamdiu in eo remanet voluntas peccandi. (Ad 3m).

Art. V. – *Utrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria.*

RESP. NEG. – R. EST: quia homo per baptismum incorporatur ipsi morti Christi, quae est sufficienter satisfactoria pro peccatis, *non solum nostris, sed etiam totius mundi* (I. Jn. ii, 2). Et ideo aliquam satisfactionem injungere ei qui baptizatur, esset injuriam facere passioni et morti Christi, quasi ipsa non esset sufficiens ad plenariam satisfactionem pro peccatis baptizatorum.

Art. VI. – *Utrum peccatores ad baptismum accedentes teneantur sua peccata confiteri.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) confessio interior quae Deo fit, requiritur ante baptismum; b) confessio autem peccatorum exterior, quae fit sacerdoti, non requiritur ante baptismum.

R. PRIMI EST: quia non potest aliquis novam vitam inchoare, nisi poenitet eum veteris vitae. Confessio autem interior in hoc consistit quod homo sua peccata recogitans de eis doleat.

R. SECUNDI EST triplex: a) quia talis confessio, cum respiciat personam ministri, pertinet ad poenitentiae sacramentum, quod non requiritur ante baptismum, quia est janua omnium sacramentorum; – b) quia confessio exterior, quae fit sacerdoti, ordinatur ad hoc quod sacerdos confidentem absolvat a peccatis, et liget ad opera

satisfactoria, quae baptizatis non sunt imponenda, ut dictum est (art. praec.) nec etiam baptizati indigent remissione peccatorum per claves Ecclesiae, quibus omnia remittuntur per baptismum; – c) quia ipsa particularis confessio homini facta, est poenosa propter verecundiam confitentis. Baptizato autem nulla exterior poena imponitur. – Et ideo a baptizatis non requiritur specialis confessio peccatorum; sed sufficit generalis, quam faciunt, cum secundum ritum Ecclesiae abrenuntiant Satanae et omnibus pompis ejus. – Si qui tamen baptizandi ex devotione sua peccata confiteri vellent, esset eorum confessio audienda, non ad hoc quod eis satisfactio imponeretur, sed ad hoc quod contra peccata consueta eis spiritualis informatio vitae traderetur.

Art. VII. – *Utrum ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi sacramentum baptismi.*

RESP. AFF. – R. EST: quia, sicut requiritur, in habente usum liberi arbitrii, voluntas, qua eum veteris vitae poeniteat; ita requiritur voluntas, qua intendat vitae novitatem, cujus principium est ipsa susceptio sacramenti; et ideo ex parte baptizati requiritur voluntas, sive intentio suscipiendi sacramentum.

Art. VIII. – *Utrum fides requiratur ex parte baptizati.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) recta fides ex necessitate requiritur ad baptismum, quantum ad consecutionem gratiae, quae est ultimus effectus sacramenti; b) non autem ex necessitate requiritur fides recta ad impressionem characteris, sicut nec ex parte baptizantis.

R. PRIMI EST: quia, sicut dicitur Rom. iii, 22, *justitia Dei est per fidem Jesu Christi.*

R. SECUNDI EST: quia sacramentum non perficitur per justitiam hominis dantis vel suscipientis baptismum, sed per virtutem Dei.

NOTANDUM: Etiam non habens rectam fidem circa alios articulos, potest habere rectam fidem circa sacramentum baptismi, et ita non impeditur quin possit habere intentionem suscipiendi sacramentum baptismi. Si tamen etiam circa hoc sacramentum non recte sentiat, sufficit ad perceptionem sacramenti generalis intentio, qua intendit suscipere baptismum, sicut Christus instituit, et sicut Ecclesia tradit. (Ad 3m).

Art. IX. – Utrum pueri sint baptizandi.

RESP. AFF. – R. EST: quia sicut per Adam pueri damnationem incurrunt nascendo, ita per Christum salutem consequuntur renascendo, secundum illud Apostoli (Rom. v, 17): *Si unius delicto mors regnavit per unum, scil. per Adam, multo magis abundantiam gratiae, et donationis, et justitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* – Fuit etiam conveniens pueros baptizari, ut a pueritia nutriti in his quae sunt christianae vitae, firmissime in ea perseverent, secundum illud Prov. xxii, 6: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.*

NOTANDUM: Regeneratio spiritualis, quae fit per baptismum, est quodammodo similis nativitati carnali, quantum ad hoc quod sicut pueri in maternis uteris constituti non per seipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentantur; ita etiam pueri nondum habentes usum rationis, quasi in utero matris Ecclesiae constituti, non per seipsos, sed per actum Ecclesiae salutem suscipiunt. (Ad 1m).

Art. X. – Utrum pueri Judaeorum vel aliorum infidelium sint invititis parentibus baptizandi.

RESP. NEG. – Scil. : a) Judaeorum vel aliorum infidelium filii, qui jam usum rationis habent, moneri possunt et induci ad suscipiendum bap-

tismum etiam invitis parentibus; b) si vero usum rationis nondum habent, Ecclesia consuetudinem non habet, quod tales invitis parentibus baptizentur.

R. PRIMI EST: quia filii qui usum rationis habent, jam incipiunt suae potestatis esse quantum ad ea quae sunt juris divini vel naturalis; et ideo propria voluntate, invitis parentibus, possunt baptismum suscipere, sicut et matrimonium contrahere.

R. SECUNDI EST: quia si nondum habent usum liberi arbitrii, secundum jus naturale sunt sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi providere non possunt. Et ideo contra justitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur. Nec aliquis debet irrumpere ordinem juris naturae, quo filius est sub cura patris, ut eum liberet a periculo mortis aeternae. (Ad 1m). Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes.

Art. XI. – *Utrum pueri in maternis uteris positi sint baptizandi.*

RESP. NEG. – R. EST: quia de necessitate baptismi est quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur, cum baptismus sit quaedam ablutio, ut supra dictum est (qu. lxvi, art. 1). Corpus autem infantis, antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua.* – Possunt tamen tales infantes subjici operationi Dei apud quem vivunt, ut quodam privilegio gratiae sanctificationem consequantur, sicut patet de sanctificatione in utero. (Ad 1m).

(*) Tamen ex observationibus hodiernorum medicorum constat posse ablui et manu tangi.

Art. XII. – *Utrum furiosi et amentes debeant baptizari.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) amentes a nativitate, qui nulla lucida intervalla habent, sunt baptizandi in fide Ecclesiae, sicut dictum est de pueris, qui usum rationis non habent (art. 9 hujus qu.); – b) amentes qui ex sana mente in amentiam inciderunt, sunt judicandi secundum voluntatem quam habuerunt, dum sanae mentis existerent; – c) illi qui habent aliqua lucida intervalla, si ipsi voluerint, baptizari possunt; – d) de illis vero qui etsi non omnino sanae mentis existant, intantum tamen ratione utuntur quod possunt de sua salute cogitare, et intelligere sacramenti virtutem, idem est iudicium sicut de his qui sanae mentis existunt, qui baptizantur volentes, non autem inviti.

Rationes horum patet ex supradictis in articulis praecedentibus hujus quaestionis.

QUAESTIO LXIX

De effectibus baptismi

Deinde considerandum est de effectibus baptismi, et circa hoc quaeruntur decem:

Art. I. – *Utrum per baptismum tollantur omnia peccata.*

RESP. AFF. – R. EST: quia omne peccatum ad pristinam vetustatem pertinet, cui homo moritur per baptismum. Unde dicit Apostolus (Rom. vi, 3): *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus*; et postea concludit: *Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro.*

NOTANDUM: Nullius peccati remissio fieri potest nisi per virtutem passionis Christi; unde et Apostolus dicit (Hebr. ix, 22), quod *sine sanguinis effusione non fit remissio*. Unde motus humanae voluntatis, qui est in poenitente, non sufficeret ad remissionem culpae, nisi adesset fides passionis Christi, et propositum participandi ipsam, vel suscipiendo baptismum, vel subjiendo se clavibus Ecclesiae. (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum per baptismum liberetur homo ab omni reatu peccati.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia passio Christi, cui aliquis per baptismum incorporatur (Rom. vi, 8), est sufficiens satisfactio (qu. praec. art. 5): et ideo ille qui baptizatur, liberatur a reatu totius poenae sibi debitae pro peccatis, ac si ipse sufficienter satisfacisset pro omnibus peccatis suis.

Art. III. - *Utrum per baptismum debeant auferri poenalitates praesentis vitae.*

RESP. NEG. - *Scil.:* baptismus habet virtutem auferendi poenalitates praesentis vitae, non tamen eas aufert in praesenti vita; sed ejus virtute auferentur a justis in resurrectione, quando *mortale hoc induet immortalitatem* (I. Cor. xv, 54); et hoc rationabiliter propter tria:

PRIMA R. EST: quia conveniens est ut id agatur in membro incorporato quod est actum in capite, i. e., passio et mors. Unde Apostolus dicit (Rom. viii, 17): *Haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi; si tamen compatimur, ut et simul glorificemur.*

SECUNDA R. EST: quia hoc est conveniens propter spirituale exercitium, ut videlicet, Deo adjuvante, contra concupiscentiam et alias passibilitates pugnans homo, victoriae coronam acciperet.

TERTIA R. EST: quia hoc fuit conveniens ne homines ad baptismum accederent propter impassibilitatem praesentis vitae, et non propter gloriam vitae aeternae.

NOTANDUM: Quamvis poenalitates praesentis vitae, uti mors, fames, sitis, et alia hujusmodi, non auferuntur hic per baptismum, tamen tum concupiscentia, tum pronitas ad malum et difficultas ad bonum, diminuuntur (Art. subsequenti ad 3m). Tales enim poenalitates respiciunt naturam, ex cujus principiis causantur, prout est destituta originali justitia, et ideo non tolluntur, nisi in ultima reparatione naturae per resurrectionem gloriosam. (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum per baptismum conferantur homini gratia et virtutes.*

RESP. AFF. – R. EST: quia a capite Christo derivatur in omnia membra ejus plenitudo gratiae et virtutis, secundum illud (Jn. i, 16): *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.*

NOTANDUM: Sicut aqua baptismi per suam abluitionem significat emundationem culpae, et per suum refrigerium significat liberationem a poena; ita per naturalem claritatem significat splendorem gratiae et virtutum. (Ad 1m).

Art. V. – *Utrum convenienter attribuantur baptismi quidam actus virtutum.*

RESP. AFF. – Scil.: baptismi attribuuntur illuminatio a Christo circa cognitionem veritatis; et fecundatio bonorum operum per infusionem gratiae.

R. EST: quia sicut a capite naturali derivatur ad membra sensus et motus; ita a capite spirituali, quod est Christus, derivatur ad membra ejus sensus spiritualis, qui consistit in cognitione veritatis, et motus spiritualis, qui est per gratiae influxum. Unde Jn. i, 16: *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus.*

NOTANDUM: Adulti prius credentes in Christum sunt ei incorporati mentaliter; sed postmodum, cum baptizantur, incorporantur ei quodammodo corporaliter, scil. per visibile sacramentum, sine cuius proposito nec mentaliter incorporari potuissent. (Ad 1m).

Art. VI. – *Utrum pueri in baptismo consequantur gratiam et virtutes.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia pueri, sicut et adulti, in baptismo efficiuntur membra Christi; unde necesse est quod a capite percipiant influxum gratiae et virtutis: secus pueri decedentes post baptismum non pervenirent ad vitam aeternam, quia, ut dicitur Rom. vi, 23, *gratia Dei est vita aeterna*; et ita non profuisset eis ad salutem, baptizatos fuisse.

NOTANDUM: Impotentia operandi non accidit pueris ex defectu habituum, sed ex impedimento corporali; sicut etiam dormientes, quamvis habeant habitus virtutum, impediuntur tamen ab actibus propter somnum. (In fine art.). – Pueri autem credunt non per actum proprium, sed per fidem Ecclesiae, quae eis communicatur; et hujus fidei virtute conferuntur eis gratia et virtutes. (Ad 3m).

Art. VII. – *Utrum effectus baptismi sit apertio januae regni caelestis.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia impedimentum quo quis impeditur regnum caeleste introire, est culpa et reatus poenae. Per baptismum autem omnis culpa et omnis reatus poenae tollitur.

NOTANDUM: Quando passio Christi nondum erat realiter perfecta, sed solum in fide credentium, baptismus proportionaliter causabat januae aperitionem, non quidem in re, sed in spe; baptizati enim tunc decedentes ex certa spe introitum regni caelestis expectabant. (Ad 2m).

Art. VIII. – *Utrum baptismus habeat in omnibus aequalem effectum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : pueri omnes aequales effectus percipiunt in baptismo, non vero adulti.

R. EST: quia omnes pueri aequaliter se habent ad baptismum; non enim in fide propria, sed in fide Ecclesiae baptizantur. Adulti vero, quia per propriam fidem ad baptismum accedunt, non aequaliter se habent ad baptismum: quidam enim cum majori, quidam cum minori devotione ad baptismum accedunt, et ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt, sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris qui plus ei appropinquat; licet ignis, quantum est de se, aequaliter ad omnes suum calorem effundat. – Effectus autem qui miraculose operantur in baptismo, per accidens se habent ad baptismum, et non aequaliter, etiamsi cum aequali devotione accedant; sed dispensantur hujusmodi effectus secundum ordinem providentiae divinae.

Art. IX. – *Utrum fictio impediatur effectum baptismi.**

RESP. AFF. – R. EST: quia ad hoc quod aliquis justificetur per baptismum, requiritur quod voluntas hominis amplectatur baptismum et baptismi effectus. Dicitur autem aliquis fictus per hoc quod voluntas ejus contradicit vel baptismum, vel ejus effectui. Unde manifestum est quod fictio impedit effectum baptismi.

NOTANDUM: Etiam illi qui fecte recipiunt baptismum induunt Christum per configurationem characteris, non autem per conformitatem gratiae. (Ad 1m).

(*) Fictio est simulatio qua quis exterius demonstrat se velle quod revera non vult, sive quia non habet voluntatem suscipiendi baptismum, sive quia non habet dispositionem quae ad gratiam baptismalem est necessaria.

Art. X. - *Utrum fictione recedente baptismus suum effectum consequatur.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sicut cum aliquid generatur, simul cum forma recipit effectum formae, nisi sit aliquid impediens, quo remoto, forma rei generatae perficit suum effectum; ita quando aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, et consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem. Unde oportet quod remota ea per poenitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum.

NOTANDUM: Effectus baptismi non est tollere peccata futura, sed praesentia vel praeterita; et ideo, recedente fictione, peccata sequentia remittuntur quidem, sed per poenitentiam, non per baptismum. Unde non remittuntur quantum ad totum reatum, sicut peccata praecedentia baptismum. (Ad 3m).

QUAESTIO LXX

De circumcissione quae praecessit baptismum

Deinde considerandum est de praepparatoriis ad baptismum; et primo, de praepparatorio quod praecessit baptismum, id est, de circumcissione; secundo de praepparatoriis quae concurrunt simul cum baptismo, scil. de catechismo et exorcismo. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum circumcisio fuerit praepparatoria et figurativa baptismi.*

RESP. AFF. - R. EST: quia circumcisio erat quaedam protestatio fidei; unde dicitur Rom. iv, 11, quod *Abraham accepit circumcisionem, tanquam signaculum fidei*, sicut et baptismus est professio fidei et dicitur fidei sacramentum: una

enim est fides nostra et antiquorum patrum. Antiquis patribus autem omnia in figuram futuri contingebant, ut dicitur 1. Cor. x, sicut et fides eorum erat de futuro.

NOTANDUM: Circumcisio habebat similitudinem cum baptismo, quantum ad spiritualem effectum baptismi; nam sicut per circumcisionem auferbatur quaedam carnalis pellicula, ita per baptismum homo expoliatur a carnali conversatione. (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum circumcisio fuerit convenienter instituta.*

RESP. AFF. - *Scil.:* circumcisio fuit convenienter instituta in Abraham.

R. EST: quia inter antiquos patres primus Abraham promissionem accepit de Christo nascituro, cum dictum est ei (Gen. xxii, 18): *In semine tuo benedicentur omnes gentes terrae.* Ipse etiam primus se a societate infidelium segregavit, secundum mandatum Dei dicentis sibi (Gen. xii, 1): *Egredere de terra tua et de cognatione tua.*

NOTANDA: 1. Immediate post peccatum primi parentis, propter doctrinam ipsius Adae, qui plene instructus fuerat de divinis, adhuc fides et ratio naturalis in tantum vigeat in homine, quod non oportebat determinari hominibus aliqua signa fidei et salutis; sed unusquisque pro suo libito fidem suam aliquibus signis protestabatur. Sed circa tempus Abrahae diminuta erat fides, plurimis ad idololatriam declinantibus: obscurata etiam erat ratio naturalis per augmentum carnalis concupiscentiae usque ad peccatum contra naturam. Et ideo convenienter tunc, et non ante, fuit instituta circumcisio ad profitendum fidem, et ad minuendum carnalem concupiscentiam. (Ad 1m).

2. Baptismus in se continet perfectionem salutis, ad quam Deus omnes homines vocat; et ideo baptismus omnibus populis proponitur. Circumcisio autem non continebat perfectionem salutis, sed figurabat ipsam ut fiendam per Christum, qui erat ex Judaeorum populo nasciturus, et ideo

illi soli populo data est circumcisio. (Ad 3m). Item, circumcisio instituta est ut signum fidei Abrahae, qui credidit se patrem futurum Christi sibi repromissi: et ideo convenienter solis maribus competebat. Peccatum etiam originale, contra quod specialiter circumcisio ordinabatur, a patre trahitur, non a matre, ut dictum est (I-II, qu. lxxxii, art. 5). Sed baptismus continet virtutem Christi, qui est universalis causa salutis omnium, et remissionis omnium peccatorum. (Ad 4m).

Art. III. - *Utrum ritus circumcisionis fuerit conveniens.*

RESP. AFF. - R. EST: quia circumcisio quoddam signum est fidei, quod est institutum a Deo, cujus sapientia non est numerus.

NOTANDUM: Circumcisio convenienter fiebat in membro generationis, primo quidem quia signum erat fidei qua Abraham credidit Christum ex suo semine nasciturum; secundo quia erat in remedium peccati originalis, quod per actum generationis traducitur; tertio quia ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiscentiae, quae praecipue in membris illis viget, propter abundantiam delectationis venereorum. (Ad 1m). - Fiebat autem die octavo, et quidem sub praecepto (Jn. vii, 23), tum propter mysterium, quia in octava aetate, quae erit aetas resurgentium, quasi in octavo die perficietur per Christum spiritualis circumcisio, quando auferet de electis non solum culpam, sed etiam omnem poenalitatem; tum etiam propter teneritudinem infantis ante octavum diem, sicut etiam de animalibus praecipitur (Levit. xxii, 37).

Art. IV. - *Utrum circumcisio conferebat gratiam justificantem.*

RESP. AFF. - *Scil.:* in circumcissione conferebatur: a) gratia justificans; b) et haec ad omnes gratiae effectus; c) aliter tamen quam in baptismo.

R. PRIMI EST: quia ut ab omnibus communiter ponitur, circumcisio peccatum originale remittebat; culpa autem non remittitur nisi per gra-

tiam, secundum illud Rom. iii, 24: *Justificati gratis per gratiam*, etc.

R. SECUNDI EST: quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae, et vitare omne peccatum mortale quod committitur in transgressione mandatorum legis.

R. TERTII EST: quia in baptismo confertur gratia ex virtute ipsius baptismi quam habet, in quantum est instrumentum passionis Christi jam perfectae; in circumcisione autem conferebatur gratia non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat circumcisio. Et quia baptismus operatur instrumentaliter in virtute passionis Christi, non autem circumcisio; ideo baptismus imprimit characterem incorporantem hominem Christo, et copiosicrem gratiam confert quam circumcisio. Unde adulti quando circumcidebantur, consequencebantur remissionem non solum originalis peccati, sed etiam actualium peccatorum, non tamen ita quod liberarentur ab omni reatu poenae, sicut in baptismo, in quo confertur copiosior gratia. (Ad 5m). Major enim est effectus rei jam praesentis quam spei.

QUAESTIO LXXI

De praeparatoriis quae simul concurrunt cum baptismo

Deinde considerandum est de praeparatoriis quae simul concurrunt cum baptismo; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum catechismus debeat praecedere baptismum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia baptismus est fidei professio. Ad hoc autem quod aliquis fidem acci-

piat, requiritur quod in fide instruatur. Et ideo ante baptismum convenienter praecedat catechismus. - Unde et Dominus praeceptum baptizandi discipulis tradens, praemittit dictrina baptismi, dicens (Mt. ult., 19): *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc.

Art. II. - *Utrum exorcismus debeat praecedere baptismum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia omnes non baptizati potestati daemonum subijciuntur, saltem propter originalis peccati reatum. (Ad 1m). Et ideo conveniens est quod ante baptismum praecedat exorcismus quo daemones expelluntur, ne salutem hominis impediunt, inquantum impediunt hominem a perceptione hujus sacramenti.

NOTANDUM: Expulsio daemonis significatur per exsufflationem. Benedictio autem cum manus impositione praeccludit expulso viam, ne redire possit. Sal autem in os missum, et narium et aurium sputo linitio, significat receptionem doctrinae fidei quantum ad aures, et confessionem quantum ad os. Olei vero inunctio significat aptitudinem hominis ad pugnandum contra daemones. * (In fine art.).

Art. III. - *Utrum ea quae aguntur in exorcismo aliquid efficiant.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) quae aguntur in exorcismo non solum significant, sed etiam efficiunt; b) differenter tamen ab ipso baptismo.

(*) Exsufflationis meminit Ambrosius (cap. 1, lib. De iis qui initiuntur) et Augustinus (De peccato orig. cap. 40). - Impositionis manuum, Dion. (Eccles. hierar, c. 11), Conc. IV Carthag. (c. 85), et conc. II Hispal. (can. 7). - Usus salis, Isid. (Off. lib. II, c. 20), Augustinus (Confess. lib. I, c. 11), conc. III. Carthag. (can. 5). - Linitio aurium et narium, Ambros. (De sacram. lib. I, c. 1). - Inunctionis olei, Ambros. (De sacram. lib. I, c. 2, et lib. III, cap. 1), Cyrill. (Catech. 2).

R. PRIMI EST: quia Ecclesia in exorcismis imperativis verbis utitur ad expellendam daemonis potestatem, puta cum dicit: *Ergo, maledicte diabole, exi ab eo*, etc. Et ideo dicendum est quod aliquem effectum habeant.

R. SECUNDI EST: quia per baptismum datur homini gratia ad plenam remissionem culparum; per ea vero quae in exorcismo aguntur, excluditur tantum duplex impedimentum salutaris gratiae percipiendae. Quorum unum est extrinsecum, prout daemones hominis salutem impedire conantur, et hoc impedimentum excluditur per exsufflationes. Aliud est intrinsecum, prout scil. homo ex infectione originalis peccati habet sensus praeclosos ad percipienda salutis mysteria, et hoc impedimentum excluditur per salivam typicam et sacerdotis tactum, per quod sapientia et virtus divina salutem catechumeni operantur, ut scil. aperiantur ei nares ad percipiendum odorem notitiae Dei, ut aperiantur ei aures ad audiendum mandata Dei, ut aperiantur illi sensus in intimo corde ad respondendum, ut Rabanus dicit (De instit. cleri. lib. i, c. 27, ad finem.).

NOTANDUM: Quamvis exorcismus non sit de necessitate baptismi, tamen non est praetermittendus, nisi in necessitatis articulo; et tunc, cessante periculo debet suppleri, ut servetur uniformitas in baptismo. Nec frustra suppletur post baptismum, quia sicut impeditur effectus baptismi, antequam percipiatur, ita potest impediri postquam fuerit perceptus. (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum sit officium sacerdotis catechizare et exorcizare baptizandum.*

RESP. AFF. – *Scil.:* principaliter est officium sacerdotis; ministerialiter autem catechizare pertinet etiam ad lectores, et exorcizare ad exorcistas.

R. EST: quia agens secundarium non agit sine principali agente, sed cooperatur principali agenti in operando. Unde dicit Isidorus (in epist. ad Laudefred.), quod ad inferiores ministri pertinet cooperare sacerdotibus in his quae sunt praeparatoria ad sacramentum, sicut lectores in catechismo, et exorcistae in exorcismo.

QUAESTIO LXXII

De sacramento confirmationis

Consequenter considerandum est de sacramento confirmationis, et circa hoc quaeruntur duodecim:

Art. I. - *Utrum confirmatio sit sacramentum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* confirmatio est speciale sacramentum.

R. EST: quia ubi occurrit aliquis specialis effectus gratiae, ibi ordinatur speciale sacramentum. Sicut autem in corporali vita, praeter motum generationis, quo aliquis recipit vitam corporalem, est motus augmenti, quo aliquis perducitur ad perfectam aetatem, in qua homo perfectas actiones hominis agere possit; ita et in vita spirituali, praeter baptismum, qui est spiritualis regeneratio est confirmatio per quam homo accipit quasi quamdam perfectam aetatem spiritualis vitae. Unde confirmatio est speciale sacramentum distinctum a baptismo.

NOTANDA: 1. Cum institutio novi sacramenti pertinet ad potestatem excellentiae, quae soli Christo competit, dicendum est quod hoc sacramentum non fuit ab Apostolis institutum, sicut quidam dixerunt, * sed ab ipso Christo, non quidem exhibendo, sed promittendo, secundum illud

(*) Scil. in concilio Meldensi an. 845, ut voluerunt Alex. Halens. et S. Bonav.

Jn. xvi, 7: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Et hoc ideo, quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quae non erat danda ante Christi resurrectionem et ascensionem, secundum illud Jn vii, 39: *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* (Ad 1m).

2. Quia confirmatio est sacramentum plenitudinis gratiae, non potuit habere aliquid sibi respondens in veteri Testamento, quia *nihil ad perfectum adduxit lex*, ut dicitur Hebr. vii, 19. (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum chrisma sit conveniens materia hujus sacramenti.*

RESP. AFF. – R. EST: quia in oleo designatur gratia Spiritus sancti; unde Christus dicitur esse *unctus oleo laetitiae* (Psalm. xlv), propter plenitudinem Spiritus sancti quam habuit. Et ideo oleum competit materiae hujus sacramenti, quod est sacramentum plenitudinis gratiae. – Admisceatur autem balsamum propter fragrantiam odoris, quae redundat ad alios; unde Apostolus dicit (II. Cor. ii, 15): *Christi bonus odor sumus Deo*, etc. Et licet multa alia sint odorifera, tamen praecipue accipitur balsamum, propter hoc quod habet praecipuum odorem, et quia etiam incorruptionem praestat.

NOTANDUM: Tempore Apostolorum non erat necessaria sensibilis materia sacramentalis, ubi sensibilia signa miraculose exhibebantur divinitus. Utebantur tamen Apostoli communiter chrismate in exhibitione sacramenti, quando hujusmodi visibilia signa non exhibebantur. Dicit enim Dionysius (Eccl. hier. c. 4): « Est quaedam perfecta operatio, quam duces nostri, id est, apostoli, chrisimatis hostiam nominant ». (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum sit de necessitate hujus sacramenti quod chrisma fuerit prius per Episcopum consecratum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia unctionibus visibilibus Christus non est usus, ne fieret injuria in-

visibili unctioni, qua est *unctus prae consortibus suis* (Psal. xlv). Et ideo tam chrisma quam oleum sanctum infirmorum prius benedicuntur quam adhibeantur ad usum sacramenti. Usus est autem Christus materia baptismi et Eucharistiae; et ideo ex ipso usu Christi, materiae horum sacramentorum aptitudinem acceperunt ad perfectionem sacramenti. Et propter hoc non est de necessitate horum sacramentorum quod materia prius benedicatur, quia sufficit benedictio Christi. Si qua vero benedictio adhibeatur, pertinet ad solemnitatem sacramenti, non autem ad necessitatem. - Materia autem sacramenti confirmationis consecratur ab Episcopo, qui gerit in Ecclesia personam Christi. (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum haec sit conveniens forma hujus sacramenti: Consigno te signo crucis, etc.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia forma sacramenti continere debet quidquid pertinet ad speciem sacramenti. Ad speciem autem hujus sacramenti, in quo datur Spiritus sanctus ad robur spiritualis pugnae, tria requiruntur, quae in praedicta forma continentur: scil. a) causa conferens plenitudinem roboris spiritualis, quae est sancta Trinitas, et haec exprimitur cum dicitur: *In nomine Patris*, etc.; b) ipsum robur spirituale quod homini confertur per sacramentum materiae visibilis ad salutem, quod quidem tangitur cum dicitur: *Confirmo te chrisma salutis*; c) signum quod pugnatore datur, sicut et in pugna corporali milites insigniis ducum insignantur, et quantum ad hoc dicitur: *Consigno te signo crucis*, in quo scil. Rex noster triumphavit, ut dicitur Coloss. ii.

NOTANDUM: Ad objectionem quod neque Christum hanc formam instituisse, nec apostolos ea usos fuisse legitur, dicendum est quod quando-

que per ministerium apostolorum dabatur effectus hujus sacramenti, scil. plenitudo Spiritus sancti, quibusdam visibilibus signis miraculose a Deo effectis, et tunc non erat necessaria nec materia, nec forma hujus sacramenti. Quandoque autem tamquam ministri sacramentorum, hoc sacramentum praebebant, et tunc sicut materia, ita et forma ex mandato Christi utebantur. Multa enim servabant apostoli in sacramentorum collatione, quae in Scripturis communiter propositis non sunt tradita, ut Dionysius dicit in fine Ecclesiast. hierarch. (Cap. ult. inter medium et finem). - (Ad 1m).

Art. V. - *Utrum sacramentum confirmationis imprimat characterem.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia character est quaedam spiritualis potestas ad aliquas actiones sacras ordinata. Manifestum est autem ex similitudine corporalis vitae, quod alia est actio hominis statim nati, et alia actio quae competit ei, cum ad perfectam aetatem pervenerit. Et ideo in baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda quae ad propriam pertinet salutem, prout scil. secundum seipsum vivit; sed in confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea quae pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, sicut patet exemplo apostolorum. Unde manifestum est quod in sacramento confirmationis imprimitur character, ad fidem Christi publice profitendum, quasi ex officio. (Ad 2m).

NOTANDUM: Sacramenta veteris legis quae dicuntur *justitiae carnis* (Hebr. ix), interius nihil efficiebant; et ideo in circumcisione imprimebatur character solum in corpore, non autem in anima. Sed in confirmatione cum character corporali imprimitur simul character spiritualis, eo quod est sacramentum novae legis. (Ad 3m).

Art. VI. - *Utrum character confirmationis praesupponat characterem baptismi.*

RESP. AFF. - **Scil.:** character confirmationis ex necessitate praesupponit characterem bap-

tismalem, ita scil. quod si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, sed oportet ipsum confirmari post baptismum.

R. EST: quia ita se habet confirmatio ad baptismum, sicut augmentum ad generationem (art. I, hujus quaes.). Manifestum est autem quod nullus potest promoveri in aetatem perfectam, nisi primo fuerit natus.

Art. VII. - *Utrum per sacramentum confirmationis conferatur gratia gratum faciens.*

RESP. AFF. - *Scil.:* ad effectum specialem ad quod ordinatur hoc sacramentum.

R. EST: quia in hoc sacramento datur baptizato Spiritus sanctus ad robur (art. 4 hujus qu.). Ostensum est autem in prima parte (qu. xliii, art. 3), quod missio, seu datio Spiritus sancti non est nisi cum gratia gratum faciente. Unde manifestum est quod gratia gratum faciens confertur in hoc sacramento. Gratia enim gratum faciens non solum datur ad remissionem culpae, sed etiam ad augmentum et firmitatem justitiae. (Ad 1m). - Tamen sicut ex ipso nomine apparet, hoc sacramentum datur ad confirmandum quod prius invenerit; et ideo non debet dari his qui non habent gratiam; sed si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento consequetur etiam remissionem peccatorum. (Ad 2m).

Art. VIII. - *Utrum hoc sacramentum sit omnibus exhibendum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sicut de intentione naturae est ut omnis qui corporaliter nascitur, ad perfectam aetatem perveniat; ita multo magis de intentione Dei est, ut anima, ad quam pertinet spiritualis nativitas per baptismum, perve-

niat ad spiritualem aetatis perfectam, quod fit per confirmationem.

NOTANDUM: Quia anima ad quam pertinet spiritualis aetas, immortalis est, ideo est quod etiam moriturus hoc sacramentum est dandum, ut in resurrectione perfecti appareant. Unde Hugo de S. Victore dicit (De sacram. lib. ii, part. 7, cap. 3): « Omnino periculosum esset, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret »; non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur. Et ideo etiam pueri confirmati decedentes majorem gloriam consequuntur, sicut et hic majorem obtinent gratiam. (Ad 4m).

Art. IX. – *Utrum hoc sacramentum sit conferendum homini in fronte.*

RESP. AFF. – *Scil.:* propter duo.

PRIMA R. EST: quia inter omnia loca corporis humani maxime frons manifesta est, quae quasi nunquam obtegitur; et ideo linitur confirmatus chrismate in fronte, ut in manifesto demonstret se esse christianum, sicut et apostoli post acceptum Spiritum sanctum se manifestaverunt, qui prius in coenaculo latebant.

SECUNDA R. EST: quia aliquis impeditur a libera confessione nominis Christi propter duo, scil. propter timorem, et propter verecundiam. Utriusque autem horum signum maxime manifestatur in fronte; unde « verecundati erubescunt, timentes autem pallescunt », ut dicitur (Ethic. lib. iv, cap. ult.). Et ideo in fronte signatur chrismate, ut neque propter timorem, neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri praetermittat.

Art. X. – *Utrum ille qui confirmatur debeat teneri ab alio.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia sicut aliquis de novo nato indiget instructore in his quae pertinent ad

conservationem vitae; ita illi qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, a quibus instruuntur de his quae pertinent ad modum certaminis.

Art. XI. - *Utrum solus Episcopus hoc sacramentum conferre possit.*

RESP. AFF. - *Scil.:* hoc sacramentum Episcopis reservatur.

R. EST: quia sicut praeparatio materiae pertinet ad inferiores artifices, superior autem dat formam; ita in quolibet opere ultima consummatio supremæ arti aut virtuti reservatur. Hoc autem confirmationis sacramentum est quasi ultima consummatio sacramenti baptismi. Et ideo collatio hujus sacramenti Episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia, sicut et in primitiva Ecclesia per impositionem manus apostolorum, quorum vicem gerunt Episcopi, plenitudo Spiritus sancti dabatur, ut habetur Act. viii. - Attamen papa, qui in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, sicut quibusdam presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem episcopalem; ita et concedere potest quod simplices sacerdotes hoc sacramentum conferrent, quamdiu scandalum tolleretur. (Ad 1m). - Istis diebus nostris, decreto diei 14 septembris 1946, concessa est facultas parrochis et curatis hoc sacramentum administrare in casibus urgentibus, in quibus solitum est sacramentum extremæ unctionis conferre.

Art. XII. - *Utrum ritus hujus sacramenti sit conveniens.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ordinationes Ecclesiae diriguntur secundum sapientiam Christi,

secundum illud Mt. xviii, 20: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et propter hoc certum esse debet ritus quos Ecclesia observat in hoc et in aliis sacramentis esse convenientes.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE*

Consequenter considerandum est de sacramento Eucharistiae; et primo de ipso sacramento; secundo de materia; tertio de forma; quarto de effectibus; quinto de recipientibus hoc sacramentum; sexto de ministro; septimo de ritu.

QUAESTIO LXXIII

De sacramento Eucharistiae secundum se

Et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum Eucharistia sit sacramentum.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia sacramenta Ecclesiae ordinantur ad subveniendum homini in vita spirituali. Vita autem spiritualis vitae corporali conformatur, ut diximus (qu. lxi, art. 1). Cum igitur ad vitam corporalem praeter generationem, et augmentum quo homo perducitur ad perfectionem vitae, requiritur etiam alimentum quo homo conservatur in vita; ita ad spiritualem vitam praeter baptismum, qui est spiritualis generatio, et confirmatio, quae est spirituale augmentum, requiritur etiam sacramentum Eucharistiae, quod est spirituale alimentum.

NOTANDUM: Sacramentum dicitur ex eo quod continet aliquid sacrum. Eucharistia autem continet aliquid sacrum absolute, scil. ipsum corpus Christi; alia vero sacramenta continet aliquid sa-

(*) Vide nostram « Divisionem Schematicam », Tab. XXX.

crum in ordine ad aliud, scil. virtutem ad sanctificandum. Unde sacramentum Eucharistiae perficitur in ipsa consecratione materiae; alia vero sacramenta perficiuntur in applicatione materiae ad hominem sanctificandum. Ex hoc etiam consequitur quod id quod est res et sacramentum Eucharistiae, est in ipsa materia, scil. ipsum corpus Christi; id autem quod est res tantum, scil. gratia quae confertur, est in suscipiente; in baptismo autem utrumque est in suscipiente, scil. character, qui est res et sacramentum, et gratia remissionis peccatorum, quae est res tantum. Et eadem ratio est de aliis sacramentis. (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum hoc sacramentum sit unum vel plura.*

RESP.: hoc sacramentum multa est quidem materialiter, sed unum formaliter et perfective.

R. EST: quia unum dicitur non solum quod est indivisibile, vel quod est continuum, sed etiam quod est perfectum, sicut dicitur una domus et unus homo. Est autem unum perfectione, ad cuius integritatem concurrunt omnia quae requiruntur ad finem ejusdem. Et sic hoc sacramentum dicitur unum. Sicut enim ad unam eandemque refectionem duo requiruntur, scil. cibus; qui est alimentum siccum, et potus, qui est alimentum humidum; ita etiam ad integritatem hujus sacramenti duo concurrunt, scil. spiritualis cibus et spiritualis potus, secundum illud Jn. vi, 56: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Unde perfective et formaliter hoc sacramentum est unum.

Art. III. - *Utrum Eucharistia sit de necessitate salutis.*

RESP. NEG. - R. EST: quia id quod in hoc sacramento est de necessitate salutis, est res hujus sacramenti, quae consistit in gratia et unitate corporis mystici, sine qua non potest esse salus.

Dictum est autem (qu. lxviii, art. 2), quod res alicujus sacramenti haberi potest ante perceptionem sacramenti ex ipso voto sacramenti percipiendi. Unde ante perceptionem hujus sacramenti potest homo habere salutem ex voto percipiendi hoc sacramentum, sicut et ante baptismum ex voto baptismi (qu. lxviii, art. 2). Cum hac tamen differentia: quia perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam, perceptio autem Eucharistiae est necessaria ad consummandam ipsam, non ad hoc quod simpliciter habeatur (sicut de baptismo dictum est), sed sufficit eam habere in voto, sicut et finis habetur in desiderio et intentione.

NOTANDA: 1. Quantum ad verba (Jn. vi, 54): *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, dicendum est quod per haec verba, ut Augustinus dicit (Tract. 26 in Jn.), «societatem vult intelligi corporis, et membrorum suorum, quod est Ecclesia in praedestinatiis, etc.». Unde sicut ipse dicit in epist. ad Bonifacium, «nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptisate membrum Christi efficitur». (Ad 1m). *

2. Baptismus est sacramentum mortis et passionis Christi, prout homo regeneratur in Christo virtute passionis ejus; sed Eucharistia est sacramentum passionis Christi, prout homo perficitur in unione ad Christum passum. Unde sicut baptismus dicitur sacramentum fidei, quae est fundamentum spiritualis vitae, ita Eucharistia dicitur sacramentum charitatis, *quae est vinculum perfectionis*, ut dicitur Coloss. iii, 14. (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum convenienter hoc sacramentum pluribus nominibus nominetur.*

RESP. AFF. – *Scil.*: quod nominatur Sacrificium, Communio vel Synaxis, et Eucharistia vel Viaticum.

(*) Vide infra qu. LXXIX, art. 1. Notandum 1. (pag. 312).

R. EST: quia hoc sacramentum habet triplicem significationem: unam quidem respectu praeteriti, in quantum scilicet est commemorativum dominicae passionis, quae fuit verum sacrificium (qu. xlviij, art. 3), et secundum hoc nominatur *Sacrificium*; aliam autem significationem habet respectu rei praesentis, scilicet ecclesiasticae unitatis, cui homines aggregantur per hoc sacramentum, et secundum hoc nominatur *Communio* vel *synaxis*; tertiam significationem habet respectu futuri, in quantum scilicet hoc sacramentum est praefigurativum fruitionis Dei, quae erit in patria, et secundum hoc dicitur *Viaticum*, quia praebet nobis viam illuc perveniendi; et secundum hoc etiam dicitur *Eucharistia*, id est, *bona gratia*, quia *gratia Dei vita aeterna* (Rom. vi, 23). Dicitur etiam in graeco *metalepsis*, id est, *assumptio*, quia, ut Damascenus dicit (Orth. fid. lib. iv, c. 14), « per hoc Filii Deitatem assumimus ».

Art. V. - Utrum institutio hujus sacramenti fuerit conveniens.

RESP. AFF. - *Scilicet*: convenientissimum hoc sacramentum institutum fuit in coena, in qua Christus ultimo cum suis discipulis fuit conversatus, et hoc propter tria:

PRIMA R. EST: quia ipse Christus continetur in Eucharistia sicut in sacramento. Et ideo quando ipse Christus in propria specie a discipulis discessurus erat, in sacramentali specie seipsum eis reliquit; sicut in absentia imperatoris exhibetur veneranda ejus imago.

SECUNDA R. EST: quia sine fide passionis nunquam potuit esse salus (Rom. iii, 25). Et ideo oportuit omni tempore apud homines esse aliquid repraesentativum dominicae passionis; cujus quidem in veteri Testamento praecipuum sacra-

mentum erat agnus paschalis. Unde conveniens fuit ut imminente passione, celebrato priori sacramento, novum sacramentum institueret, ut ✓ in futurum esset memoriale dominicae passionis, secundum illud: *Haec quotiescumque feceritis*, etc. (I. Cor. xi, 25, aequivalenter). (Ad 3m).

TERTIA R. EST: quia ea quae ultimo dicuntur, maxime ab amicis recedentibus, magis memoriae ✓ commendatur, praesertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos; ea vero ad quae magis afficimur, profundius animo imprimuntur. Unde Augustinus dicit in libro Responsionum ad Januarium: « Salvator quo vehementius commendaret mysterii hujus altitudinem, ultimum hoc voluit arctius infigere cordibus et memoriae discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat ».

Art. VI. – *Utrum Agnus Paschalis fuerit praecipua figura hujus sacramenti.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Agnus Paschalis repraesentat hoc sacramentum, non secundum aliquid tantum, sicut oblatio Melchisedech quae repraesentabat eum ut sacramentum tantum, vel sicut sacrificia veteris Testamenti, quae ipsum repraesentabant quantum ad rem et sacramentum tantum, vel sicut manna, quae eum repraesentabat quantum ad rem tantum; sed secundum haec omnia simul: nam, quantum ad sacramentum tantum (quod est panis et vinum), quia Agnus Paschalis manducabatur cum panis azymis (Exod. xii, 8); quantum vero ad rem et sacramentum (quod est corpus Christi verum), quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Israel quarta decima luna, quod fuit figura passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur Agnus; quantum autem ad rem tantum (i. e., effectum gratiae), quia per sanguinem agni

paschalis protecti sunt filii Israel a devastante angelo, et educti de Aegyptiaca servitute. Et ideo figura praecipua hujus sacramenti fuit Agnus Paschalis.

QUAESTIO LXXIV

De materia Eucharistiae quantum ad speciem

Deinde considerandum est de materia hujus sacramenti; et primo de specie materiae; secundo de conversione panis et vini in corpus Christi; tertio de modo existendi Christi in hoc sacramento; quarto de accidentibus panis et vini, quae in hoc sacramento remanent. Circa primum quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum materia hujus sacramenti sit panis et vinum.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia Christus hoc sacramentum sub specie panis et vini instituit, ut patet Mt. xxvi. Unde panis et vinum sunt materia conveniens hujus sacramenti. Et hoc rationabiliter propter quatuor: primo quidem quantum ad usum hujus sacramenti, qui est manducatio: quia sicut aqua assumitur in sacramento baptismi ad usum spiritualis ablutionis, ita panis et vinum quibus communius homines reficiuntur, assumuntur in hoc sacramento ad usum spiritualis manducationis. Secundo quantum ad passionem Christi, in qua sanguis est a corpore separatus, et ideo in hoc sacramento, quod est memoriale dominicae passionis, seorsum sumitur panis ut sacramentum corporis, et vinum ut sacramentum sanguinis. Tertio quantum ad effectum consideratum in unoquoque sumentium, quia, ut Ambrosius dicit super Epist. I ad Cor.*, «hoc

(*) Alius auctor sub illud cap. xi: *Hic calix novum, etc.*

sacramentum valet ad tuitionem animae et corporis; et ideo corpus Christi sub specie panis pro salute corporis, sanguis vero sub specie vini pro salute animae offertur». Quarto quantum ad effectum respectu totius Ecclesiae, quae constituitur ex diversis fidelibus, « sicut panis conficitur ex diversis granis, et vinum fluit ex diversis uvis», ut dicit Glossa Ord. S. Aug., tract. 26 in Jn., super illud I. Cor. x: *Multi unum corpus sumus*, etc.

Art. II. – *Utrum requiratur determinata quantitas panis et vini ad materiam hujus sacramenti.*

RESP. NEG. – R. EST: quia finis hujus sacramenti est usus fidelium. Unde oportet quod quantitas materiae hujus sacramenti determinetur per comparisonem ad usum fidelium, scil. absolute; quia numerus fidelium est indeterminatum.

Art. III. – *Utrum requiratur ad materiam hujus sacramenti quod sit panis triticus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ad usum sacramentorum assumitur talis materia quae communius apud homines in talem usum venit. Inter alios autem panes communius homines utuntur pane triticeo. Et ideo Christus creditur in hujus panis specie hoc sacramentum instituisse. Alii autem panes videntur esse introducti in hujus panis defectum. Tamen ex talibus frumentis, quae nullo modo possunt ex semine tritici generari, non potest confici panis, qui sit debita materia hujus sacramenti. (Ad 2m).

NOTANDUM: Modica admixtio alterius frumenti non solvit speciem panis tritici; sed si magna sit permixtio, puta ex aequo, vel quasi, talis permixtio speciem mutat; unde panis exinde confectus non erit debita materia hujus sacramenti. (Ad 3m). – Similiter si corruptio panis est tanta, quod solvitur species panis, sicut cum continuitas solvitur, et sapor, et color, et alia accidentia mutantur; ex tali materia non potest confici corpus Christi. Ali-

quando vero non est tanta corruptio quae speciem solvat, sed est aliqua dispositio ad corruptionem, quod declarat aliqualis immutatio saporis, et ex tali pane potest confici corpus Christi; sed peccat conficiens propter irreverentiam sacramenti. (Ad 4m).

Art. IV. - *Utrum hoc sacramentum debeat confici ex pane azymo.*

RESP. AFF. - *Scil.:* quamvis conveniens sit ut unusquisque servet ritum suae Ecclesiae in sacramenti celebratione, tamen consuetudo de pane azymo celebrandi rationabilior est, quam illa de pane fermentato, quae est graecorum: et hoc propter tria:

PRIMA R. EST: quia Christus hoc sacramentum instituit *prima die azymorum*, ut habetur Mt. xxvi, et Mc. xiv, et Lc. xxii, qua die nihil fermentatum in domibus Judaeorum esse debebat, ut habetur Exodi xii.

SECUNDA R. EST: quia panis est proprie sacramentum corporis Christi, quod sine corruptione conceptum est, magis quam divinitatis ipsius, ut infra patebit (qu. lxxvi, art. 1). Graecae Ecclesiae autem offerunt fermentatum, pro eo quod Verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinae.

TERTIA R. EST: quia hoc magis competit sinceritati fidelium, quae requiritur ad usum hujus sacramenti, secundum illud I. Cor. v, 7: *Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.*

Art. V. - *Utrum vinum vitis sit propria materia hujus sacramenti.*

RESP. AFF. - *Scil.:* de solo vino vitis potest confici hoc sacramentum, et hoc propter tria:

PRIMA R. EST: quia Christus hoc sacramentum instituit in vino vitis, ut patet ex eo quod ipse

dicit circa institutionem hujus sacramenti (Mt. xxvi 29): *Non bibam amodo de hoc geminime vitis.*

SECUNDA R. EST: quia, sicut dictum est (art. 3 hujus qu.), ad materiam sacramentorum assumitur id quod proprie et communiter habet talem speciem. Proprie autem vinum dicitur quod de vite sumitur.

TERTIA R. EST: quia vinum vitis magis competit ad effectum hujus sacramenti, qui est spiritualis laetitia, quia scriptum est (Psal. ciii, 15), quod *vinum laetificat cor hominis.*

NOTANDA: 1. Sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc sacramentum, ita nec de aceto. Potest tamen confici de vino acescenti, sicut et de pane qui est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens, ut prius dictum est (art. 3). – (Ad 2m).

2. Agresta est in via generationis, et ideo nondum habet speciem vini: et propter hoc de ea non potest confici hoc sacramentum. Mustum autem jam habet speciem vini: nam ejus dulcedo attestatur digestionem, quae est completio a naturali calore; et ideo de musto potest confici hoc sacramentum. Non tamen debent uvae integrae huic sacramento misceri, quia jam esset ibi aliquid praeter vinum. Prohibetur etiam ne mustum statim expressum in calice offeratur, quia hoc est indecens propter impuritatem musti. Potest tamen in necessitate fieri; dicitur enim a Julio papa (Decr. 7): « Si necesse fuerit, botrus in calice comprimatur ». (Ad 3m).

Art. VI. – *Utrum aqua sit vino permiscenda.*

RESP. AFF. – *Scil.*: propter quatuor:

PRIMA R. EST: quia probabiliter creditur quod Dominus hoc sacramentum instituerit in vino aqua permixto secundum morem illius terrae; unde et Prov. ix, 5 dicitur: *Bibite vinum quod miscui vobis.*

SECUNDA R. EST: quia in passione Christi ex latere ejus profluxisse legitur non solum

sanguis, aut aqua sola, sed utrumque permixtum.

TERTIA R. EST: quia hoc convenit ad significandum effectum hujus sacramenti, qui est unio populi Christiani ad Christum, quia, ut Julius I papa dicit (Decr. 7), « videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendit sanguinem Christi. Ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur ».

QUARTA R. EST: quia hoc competit ad ultimum effectum hujus sacramenti, qui est introitus ad vitam aeternam; unde Ambrosius dicit (De sacram. lib. v, c. 1), « redundat aquam in calicem, et salit in vitam aeternam ».

Art. VII. - *Utrum permixtio aquae sit de necessitate hujus sacramenti.*

RESP. NEG. - R. EST: quia appositio aquae ad vinum refertur ad significandum participationem hujus sacramenti a fidelibus. Usus autem fidelium non est de necessitate sacramenti, sed est aliquid consequens ad sacramentum. Et ideo appositio aquae non est de necessitate sacramenti.

NOTANDUM: Effusio sanguinis a latere Christi directe pertinebat ad ipsam Christi passionem: est enim naturale corpori humano vulnerato quod ex eo profluat sanguis. Sed effusio aquae non fuit de necessitate passionis, sed ad demonstrandum effectum passionis, qui est ablutio a peccatis, et refrigerium contra ardorem concupiscentiae. (Ad 2m).

Art. VIII. - *Utrum aqua debeat in magna quantitate apponi.**

RESP. NEG. - R. EST: quia cum aqua apposita convertatur in vinum, et vinum in sanguinem,

(*) Aqua miscenda est in parva quantitate ne vinum corrumpatur; juxta conc. Triburiensem, saec. ix, tertiam partem calicis excedere non debet.

semper tutius est parum de aqua apponere, et praecipue si vinum sit debile, quia si tanta fieret appositio aquae ut solvetur species vini, non posset perfici sacramentum.

NOTANDUM: Si aqua apponeretur dolio, non sufficeret ad significationem hujus sacramenti, sed oportet aquam vino apponi circa ipsam celebrationem sacramenti. (Ad 3m).

QUAESTIO LXXV

De conversione panis et vini in corpus et sanguinem Christi

Deinde considerandum est de conversione panis et vini in corpus et sanguinem Christi, et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem.**

RESP. AFF. – *Scil.:* verum corpus Christi et sanguinem esse in hoc sacramento, neque sensu, neque intellectu deprehendi potest, sed sola fide, quae auctoritati divinae innititur, dicenti (Lc. xxii): *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Et hoc convenienter propter tria:

PRIMA R. EST: quia hoc competit perfectioni Novae Legis. Nam sacrificia veteris legis illud verum sacrificium passionis Christi continebant solum in figura. Et ideo oportuit ut aliquid plus haberet sacrificium novae legis a Christo institutum, ut scilicet contineret ipsum Christum passum, non solum in significatione vel figura, sed etiam in rei veritate. Et ideo hoc sacramentum,

(*) Evidens est quod hic S. Doctor non modo apologetico probat praesentiam Christi realem in hoc sacramento, sed modo dogmatico.

quod ipsum Christum realiter continet, ut Dionysius dicit (Eccl. hier. c. 3), est perfectivum omnium sacramentorum, in quibus virtus Christi participatur.

SECUNDA R. EST: quia hoc competit charitati Christi, ex qua pro salute nostra corpus verum nostrae naturae assumpsit. Nam maxime proprium amicitiae est convivere amicis; nec sua praesentia corporali nos in hac peregrinatione destituit. Et ideo per veritatem corporis et sanguinis sui nos sibi conjungit in hoc sacramento. Unde ipse dicit (Jn. vi, 37): *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem in me manet, et ego in eo.*

TERTIA R. EST: quia hoc competit perfectioni fidei: nam sicut fides est de divinitate Christi, ita est (hic) de ejus humanitate. Et quia fides est invisibilium, sicut divinitatem suam nobis exhibet Christus invisibiliter, ita et in hoc sacramento carnem suam nobis exhibet invisibili modo.

NOTANDUM: Corpus Christi non est eodem modo in hoc sacramento, sicut corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commensuratur; sed quodam speciali modo, qui est proprius huic sacramento. Unde dicimus quod corpus Christi est in diversis altaribus, non sicut in diversis locis, sed sicut in sacramento; per quod non intelligimus quod Christus sit ibi solum sicut in signo, licet sacramentum sit in genere signi; sed intelligimus corpus Christi hic esse, sicut dictum est secundum modum proprium huic sacramento; (Ad 3m) i. e., spiritualiter, seu invisibili modo, et virtute spiritus. (Ad 4m).

Art. II. - *Utrum in hoc sacramento remaneat substantia panis et vini post consecrationem.*

RESP. NEG. - R. EST: quia, primo, corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento per motum localem; nam, a) sequeretur quod desineret esse in caelo: non enim quod localiter movetur, per-

venit de novo ad aliquem locum, nisi deserat priorem; b) quia omne corpus localiter motum pertransit omnia media, quod hic dici non potest; c) quia impossibile est quod unus motus ejusdem corporis localiter moti terminetur simul ad diversa loca, cum tamen in pluribus locis corpus Christi sub hoc sacramento simul esse incipiat. Et ideo, secundo, relinquitur quod non possit aliter corpus Christi incipere esse de novo in hoc sacramento nisi per conversionem substantiae panis in ipsum; quod autem convertitur in aliquid, facta conversione, non manet. Unde relinquitur quod salva veritate hujus sacramenti, substantia panis post consecrationem remanere non possit. — Item, haec positio contrariatur formae hujus sacramenti, in qua dicitur: *Hoc est corpus meum*, quod non esset verum, si substantia panis ibi remaneret; nunquam enim substantia panis est corpus Christi; sed potius esset dicendum: *Hic est corpus meum*. — Item, contrariatur venerationi hujus sacramenti, si aliqua substantia creata esset ibi, quae non posset adorationi laetiae adorari. — Et ultimo, contrariatur ritui Ecclesiae, secundum quem post corporalem cibum non licet sumere corpus Christi, cum tamen post unam hostiam consecratam liceat sumere aliam. Unde haec positio vitanda est tamquam haeretica.

Art. III. — *Utrum substantia panis vel vini post consecrationem hujus sacramenti annihilatur.*

RESP. NEG. — *Scil.*: substantia panis et vini, post consecrationem, a) neque resolvitur in materiam primam; b) neque in pristinam praejaacentem materiam elementorum; c) neque annihilatur.

R. PRIMI EST: quia materia quae reducitur ad materiam primam, existeret sine forma; sine forma autem materia esse non potest.

R. SECUNDI EST: quia si fiat resolutio in praejacentem materiam elementorum, hoc esset per motum localem; quod sensu perciperetur. - Item, substantia panis et vini manet usque ad ultimum instans consecrationis; in ultimo autem instanti consecrationis jam est ibi substantia corporis vel sanguinis Christi. Unde non erit dare aliquod instans in quo sit ibi praejacens materia.

R. TERTII EST: quia si substantia panis et vini post consecrationem annihilatur, non esset ibi conversio substantiae panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi. - Item, non est dare unde talis annihilatio in hoc sacramento causetur, cum effectus sacramenti significetur per formam; neutrum autem horum (i. e., neque resolutio, neque annihilatio) significatur per haec verba formae: *Hoc est corpus meum*.

Art. IV. - *Utrum panis possit converti in corpus Christi.*

RESP. AFF. - *Scil. :* virtute divina, tota substantia panis in hoc sacramento convertitur in totam substantiam corporis Christi, et tota substantia vini in totam substantiam sanguinis Christi; et haec conversio non est formalis, sicut in naturalibus, i. e., per mutationem formae; sed substantialis: nec continetur inter species motus naturalis, sed proprio nomine potest dici transubstantiatio.

R. EST: quia cum in hoc sacramento sit verum corpus Christi, nec incipiat ibi esse de novo per motum localem, cum etiam nec corpus Christi sit ibi sicut in loco, ut ex dictis patet (art. 2 hujus qu.), necesse est dicere quod incipiat ibi esse per conversionem substantiae panis in ipsum. Unde in hoc sacramento recte dicitur quod panis *convertitur* in corpus Christi. - Haec tamen conversio

non est similis conversionibus naturalibus sed est omnino supernaturalis, sola Dei virtute effecta. Deus enim est actus infinitus, et ideo ejus actio se extendit ad *totam naturam* entis. Non igitur solum potest perficere conversionem formalem, ut scil. diversae formae sibi in eodem subjecto succedant, sed conversionem totius entis, ut scil. tota substantia hujus convertatur in totam substantiam illius; in conversione autem totius substantiae, non est accipere aliquod subjectum. (Ad 2m).

NOTANDUM: Virtute agentis finiti non potest forma in formam mutari, nec materia in materiam; sed virtute agentis infiniti (quod habet actionem in totum ens) potest talis conversio fieri, quia utriusque formae et utriusque materiae est communis natura entis; et id quod est entitatis in una, potest auctor entis convertere in id quod est entitatis in altera, sublato eo per quod ab illa distinguebatur. (Ad 3m).

Art. - V. - *Utrum in hoc sacramento remaneant accidentia panis et vini post conversionem.*

RESP. AFF. - R. EST: quia, facta consecratione, sensu apparet, omnia accidentia panis et vini remanere. Quod quidem rationabiliter per divinam providentiam fit propter tria: primo quidem quia non est consuetum hominibus, sed horribile carnem hominis comedere, et sanguinem bibere. Secundo ne hoc sacramentum ab infidelibus irrideretur, si sub specie propria Dominum nostrum manducaremus. Tertio ut dum invisibiliter corpus et sanguinem Domini nostri sumimus, hoc proficiat ad meritum fidei.

NOTANDUM: Sicut dicitur in lib. De causis (Prop. 1), effectus plus dependent a causa prima quam a causa secunda. Et ideo virtute Dei, qui est causa prima omnium, fieri potest ut remaneant posteriora, prioribus sublatis. (Sic virtute Dei in hoc sacramento, remanent accidentia panis, sublata substantia panis.). - (Ad 1m).

Art. VI. - *Utrum facta consecratione, remaneat in hoc sacramento forma substantialis panis.*

RESP. NEG. - **PRIMA R. EST:** quia si forma substantialis panis remaneret, nihil de parte converteretur in corpus Christi, nisi sola materia; et ita sequeretur quod non converteretur in corpus Christi totum, sed in ejus materiam, quod repugnat forma sacramenti, qua dicitur: *Hoc est corpus meum.*

SECUNDA R. EST: quia si forma substantialis panis remaneret, aut remaneret in materia, aut a materia separata. Si remaneret in materia panis, tunc tota substantia panis remaneret, quod est contra praedicta (art. 2 hujus qu.). Si autem remaneret a materia separata, jam esset forma intelligibilis actu, et etiam intelligens; nam omnes formae a materia separatae sunt tales.

TERTIA R. EST: quia esset inconueniens huic sacramento; nam accidentia panis in hoc sacramento remanent, ut sub eis videatur corpus Christi, non autem sub propria specie, ut dictum est (art. praec.).

NOTANDUM: Quamvis forma substantialis corporis Christi est ipsa anima Christi, tamen forma substantialis panis non convertitur in animam Christi, nisi in quantum anima Christi dat corpori Christi *esse* corporeum, non autem in quantum dat ei *esse* animatum tali anima. (Ad 2m).

Art. VII. - *Utrum ista conversio fiat in instanti.*

RESP. AFF. - *Scil. :* tum ex parte formae, quae est terminus mutationis; tum ex parte subjecti; tum etiam ex parte agentis, haec conversio fit in instanti.

R. PRIMI EST: quia substantia corporis Christi, ad quam terminatur ista conversio, non suscipit magis neque minus, sed subito fit (per totum); et ideo fit in instanti.

R. SECUNDI EST: quia in hac conversione non est aliquod subjectum, quod successive praeparatur, ut dictum est (art. 4 hujus qu.).

R. TERTII EST: quia haec conversio fit virtute Dei infinita, cujus actio se extendit ad totam naturam entis (art. 4).

NOTANDUM: Quia conversio panis in corpus Christi consequitur prolationem verborum (consecrationis), ideo necesse est inter quaelibet duo instantia circa istam conversionem signata esse tempus medium, quod motu caeli mensuratur. Cum tamen tempus non componitur ex instantibus consequenter se habentibus (ut probatur in Phys. lib. vi), ideo est quod datur primum instans in quo est corpus Christi in hoc sacramento, quod est ultimum instans prolationis verborum; sed non datur ultimum instans in quo sit substantia panis, sed datur ultimum tempus. Et idem est in mutationibus naturalibus. (Ad 1m passim).

Art. VIII. – *Utrum haec sit falsa: Ex pane fit corpus Christi.*

RESP. NEG. – R. EST: quia illud ex quo fit aliquid, quandoque quidem importat simul subjectum cum uno extremorum transmutationis, sicut cum dicitur: *Ex albo fit nigrum*, et secundum hoc esset falsa locutio dicentis *ex pane fit corpus Christi*; quia hujus conversionis non est aliquod subjectum, ut dictum est; – quandoque vero importat solum oppositum vel extremum, sicut cum dicitur: *Ex mane fit dies*. Et sic non conceditur quod mane fiat dies. Et ita etiam in proposito, licet proprie dicatur quod *ex pane fiat corpus Christi*, non tamen proprie dicitur quod *panis fiat corpus Christi*, nisi secundum quamdam similitudinem, scilicet ratione accidentium quae remanent, facta consecratione, ubi nomine panis non intelligitur substantia panis, sed in universali hoc quod sub speciebus panis continetur, sub quibus prius continetur substantia panis, et postea corpus Christi.

NOTANDUM: Quia in hoc sacramento tota substantia in totam substantiam mutatur, propter hoc haec conversio proprie transubstantiatio vocatur. Haec autem conversio habet hoc commune cum creatione quod non fit in aliquo subjecto; differt tamen, quia non fit ex nihilo. Similiter, habet commune cum trasmutatione naturali in hoc, quod in utraque unum extremorum transit in aliud, sicut panis in corpus Christi, et album in nigrum, et in utroque remanet aliquid idem, scilicet in trasmutatione naturali remanet materia, et in hoc sacramento remanent eadem accidentia: differunt tamen, quia in hoc sacramento *tota* substantia panis transit in *totum* corpus Christi, dum in trasmutatione naturali materia unius suscipit formam alterius, priori forma deposita. (In corp. passim).

QUAESTIO LXXVI

De modo quo Christus est in hoc sacramento

Deinde considerandum est de modo quo Christus existit in hoc sacramento; et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum totus Christus contineatur sub hoc sacramento.*

RESP. AFF. – *Scil.* : a) in hoc sacramento totus Christus continetur directe quidem quantum ad corpus et sanguinem, concomitanter vero etiam quantum ad animam et divinitatem; – b) totalitas corporis et sanguinis non est in hoc sacramento per modum quantitatis dimensionis, sed per modum substantiae.

R. PRIMI EST: quia vi hujus sacramenti est sub speciebus id in quod directe convertitur substantia panis et vini praeexistens, prout significatur per verba formae, quae sunt effectiva; et ideo in hoc sacramento, vi verborum formae, conti-

netur totus Christus quantum ad corpus et sanguinem. Ex naturali tamen concomitantia est in hoc sacramento etiam illud quod realiter est conjunctum ei in quod praedicta conversio terminatur. Conversio autem panis et vini terminatur in corpus et sanguinem Christi, quibus realiter conjuncta sunt anima et divinitas ejus. Nam anima Christi post resurrectionem semper est realiter corpori unita, secundum illud Rom. vi, 9: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur*; - et divinitas, quae corpus assumpsit, nunquam id deposuit, unde ubicumque est corpus Christi, necesse est et ejus divinitatem esse. (In corp. art. et ad 1m passim).

R. SECUNDI EST: quia Corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiae, et non per modum quantitatis. Proprie autem totalitas substantiae continetur indifferenter in parva vel magna quantitate; sicut tota natura hominis in magno vel parvo homine. Unde et tota substantia corporis et sanguinis Christi continetur in hoc sacramento post consecrationem, sicut ante consecrationem continebatur ibi tota substantia panis et vini. (Ad 3m). - Notandum est tamen quod quamvis vi sacramenti est in hoc sacramento substantia corporis Christi, tamen quantitatis dimensiva est ibi ex vi realis concomitantiae; et ideo corpus Christi est in hoc sacramento per modum quo substantia est sub dimensionibus, non autem per modum dimensionum, id est, non per modum illum quo quantitas dimensiva alicujus corporis est sub quantitate dimensiva loci. (Infra, in art. III, hujus qu.).

NOTANDUM: Si in illo triduo mortis fuisset hoc sacramentum celebratum, non fuisset ibi anima Christi nec ex vi sacramenti, nec ex vi reali concomitantia. (Ad 1m). - Item, ex vi sacramenti sub hoc sacramento continetur, quantum ad spe-

cies panis, non solum caro, sed etiam corpus Christi, scil. ossa, nervi, et alia hujusmodi. Et hoc apparet ex forma hujus sacramenti, in qua non dicitur: *Haec est caro mea*; sed: *Hoc est corpus meum*. Et ideo cum Dominus dixit (Jn. vi, 56): *Caro mea vere est cibus*, caro ponitur ibi pro toto corpore, quia secundum consuetudinem humanam videtur esse magis manducationi accomodata, prout scil. homines carnibus animalium vescuntur communiter, non autem ossibus, vel aliis hujusmodi. (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum totus Christus contineatur sub utraque specie hujus sacramenti.*

RESP. AFF. – Scil.: certissime tenendum est quod sub utraque specie sacramenti totus est Christus; aliter tamen et aliter.

R. EST: quia sub speciebus panis est quidem corpus Christi ex vi sacramenti, sanguis autem ex reali concomitantia, sicut supra dictum est (art. praec.) de anima et de divinitate Christi; sub speciebus vero vini est quidem sanguis Christi ex vi sacramenti, corpus autem Christi ex reali concomitantia, sicut anima et divinitas.

NOTANDUM: Quamvis totus Christus sit sub utraque specie, non tamen frustra. Nam, primo, hoc valet ad repraesentandam passionem Christi, in qua seorsum fuit sanguis a corpore separatus; unde et in forma consecrationis sanguinis fit mentio de ejus effusione. Secundo hoc est conveniens usui hujus sacramenti, ut seorsum exhibeatur fidelibus corpus Christi in cibum, et sanguis in potum. Tertio quantum ad effectum, secundum quod supra dictum est (qu. lxxiv, art. 1), quod corpus exhibetur pro salute corporis, et sanguis pro salute animae. (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis vel vini.*

RESP. AFF. – R. EST: quia natura substantiae tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur; sicut sub qualibet parte panis est tota natura panis; et hoc indifferenter, sive

sint dimensiones actu divisae (sicut cum panis secatur), vel etiam sint actu indivisae, divisibiles tamen potentia. Et ideo manifestum est quod totus Christus est sub qualibet parte specierum panis, etiam hostia integra manente, et non solum cum frangitur. – Tamen quamdiu quantitas manet indivisa actu, neque substantia rei est pluries sub dimensionibus propriis; nam numerus sequitur divisionem. (Ad 1m).

NOTANDUM: Distantia partium corporis Christi in hoc sacramento comparatur secundum modum suae substantiae; nam proprie et directe corpus Christi est in hoc sacramento secundum modum substantiae ejus ad quam directe terminatur conversio substantiae panis. (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum tota quantitas dimensiva corporis Christi sit in hoc sacramento.*

RESP. AFF. – *Scil. :* non ex vi sacramenti, sed ex vi realis concomitantiae.

R. EST: quia ex vi hujus sacramenti est in hoc sacramento illud in quod directe conversio terminatur, scil. substantia corporis Christi. Quia tamen substantia corporis Christi realiter non dividitur a sua quantitate dimensiva et ab aliis accidentibus, inde est quod ex vi realis concomitantiae est in hoc sacramento tota quantitas dimensiva corporis Christi, et omnia accidentia ejus. – Haec autem quantitas dimensiva corporis Christi non est in hoc sacramento secundum proprium modum (ut scil. sit tota in toto, et singulae partes in singulis partibus), sed per modum substantiae, cujus natura est tota in toto, et tota in qualibet parte. (Ad 1m).

Art. V. – *Utrum corpus Christi sit in hoc sacramento sicut in loco.*

RESP. NEG. – *Scil. :* corpus Christi in hoc sacramento non est in loco secundum modum quanti-

tatis dimensionis propriae, sed per modum substantiae, eo scilicet modo quo substantia continetur a dimensionibus non propriis.

R. EST: quia substantia corporis Christi comparatur ad locum illum (specierum) mediantibus dimensionibus alienis, scilicet panis; substantia enim corporis Christi non est subjectum illarum dimensionum sicut erat substantia panis. Dum, e converso, dimensiones propriae corporis Christi comparantur ad locum illum mediante substantia, quod est contra rationem corporis locati. – Unde corpus Christi non habet habitudinem ad medium quod circumstat hoc sacramentum, mediantibus propriis accidentibus, sed mediantibus speciebus sacramentalibus. (Art. VII, huius qu. ad 1m).

Art. VI. – Utrum corpus Christi sit mobiliter in hoc sacramento.

RESP. NEG. – Scilicet: non per se, sed solum per accidens, est mobiliter corpus Christi in hoc sacramento.

R. EST: quia quod non est in loco, non movetur per se in loco, sed solum ad motum ejus in quo est. Unde dicimus Christum moveri in hoc sacramento secundum esse quod habet in hoc sacramento. (Ad 1m).

NOTANDA: 1. Cum Christus habeat de se esse indeficiens et incorruptibile, non desinit esse sub hoc sacramento neque per hoc quod ipsum desinat esse, neque etiam per motum localem sui, ut ex dictis patet (art. praec.), sed solum per hoc quod species huius sacramenti desinunt esse; sicut Deus, cujus esse est indeficiens et immortale, desinit esse in aliqua creatura corruptibili per hoc quod creatura corruptibilis desinit esse. (In corp. art.).

2. Sicut omnes aliae consecrationes immobiliter manent, permanentibus rebus consecratis, ita corpus Christi remanet in hoc sacramento non so-

lum in crastino, sed etiam in futuro, quousque species sacramentales manent; quibus cessantibus, desinit esse corpus Christi sub eis, non quia ab eis dependeat, sed quia tollitur habitudo corporis Christi ad illas species; per quem modum Deus desinit esse Dominus creaturae desinentis. (Ad 3m).

Art. VII. – *Utrum corpus Christi, prout est in hoc sacramento, possit videri ab aliquo oculo saltem glorificato.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) a nullo oculo corporali corpus Christi potest videri, prout est in hoc sacramento; b) potest tamen videri solo intellectu, qui dicitur oculus spiritualis, et quidem supernaturali.

R. PRIMI EST: quia corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiae. Substantia autem, in quantum hujusmodi, non est visibilis oculo corporali, neque subjacet alicui sensui, nec etiam imaginationis, sed soli intellectui, cujus objectum est *quod quid est*, ut dicitur. (De anima, lib. iii, text. 26). – Item quia, ut dictum est (art. v), accidentia corporis Christi in hoc sacramento non habent immediatam habitudinem neque ad hoc sacramentum, neque ad corpora quae ipsum circumstant, sed solum ad ipsam substantiam; et ideo non possunt immutare medium, ut sic ab aliquo corporali oculo videri possint.

R. SECUNDI EST: quia modus essendi quo Christus est in hoc sacramento, est penitus supernaturalis; et ideo a supernaturali intellectu, scilicet divino, secundum se visibilis est, et per consequens ab intellectu beato vel angeli vel hominis, qui secundum participatam claritatem divini intellectus videt ea quae supernaturalia sunt per visionem divinae essentiae. – Ab intellectu autem hominis viatoris non potest conspici nisi

per fidem, sicut caetera supernaturalia. Sed nec etiam intellectus angelicus secundum sua naturalia sufficit ad hoc intuendum.

NOTANDUM: Oculus corporalis Christi videt seipsum sub sacramento existentem, non tamen potest videre ipsum modum essendi quo est sub sacramento, quod pertinet ad solum intellectum. Non tamen est simile de alio oculo glorioso, quia etiam ipse oculus Christi est sub hoc sacramento, in quo non conformatur ei alius oculus gloriosus. (Ad 2m).

Art. VIII. - *Utrum quando in hoc sacramento apparet miraculose caro vel puer, sit ibi vere corpus Christi.*

RESP. AFF. - *Scil.:* remanet ibi vere corpus Christi cum quando haec apparitio contingit ex parte videntium tantum, divinitus immutato oculo eorum; tum quando haec apparitio contingit non per solam immutationem videntium, sed specie quae videtur realiter exterius existente, sicut quando sub tali specie (carnis, pueri, etc.) ab omnibus videtur, et non ad horam, sed per longum tempus ita permanet.

R. PRIMI EST: quia per hunc modum nulla immutatio fit ex parte sacramenti, sed ex parte videntium tantum: unde non desinit Christus esse sub hoc sacramento, tali apparitione facta. Nec hoc tamen pertinet ad aliquam deceptionem, sicut accidit in magorum praestigiis, quia, talis species divinitus formatur in oculo ad aliquam veritatem figurandam, ad hoc scil. quod manifestetur vere corpus Christi esse sub hoc sacramento.

R. SECUNDI EST: quia corpus Christi non potest in propria specie videri nisi in uno loco, in quo definitive continetur. Unde cum videatur in propria specie, et adoretur in caelis, sub propria specie non videtur in hoc sacramento. Et ideo non

desinit corpus Christi esse sub hoc sacramento, facta apparitione secundo modo. Item, quia corpus gloriosum, quod apparet ut vult, post apparitionem, cum voluerit disparet. Hoc autem quod sub specie carnis in hoc sacramento apparet, diu permanet; quinimo legitur quandoque esse inclusum, et multorum episcoporum consilio in pyxide reservatum, quod nefas esset de Christo sentire, secundum propria speciem. Et ideo dicendum est quod manentibus dimensionibus quae prius fuerant, fit miraculose quaedam immutatio circa alia accidentia, puta figuram et colorem, et alia hujusmodi, *ut videatur* caro, vel sanguis, aut etiam puer. Et his dimensionibus remanentibus, quae sunt fundamenta aliorum accidentium, ut infra dicitur (qu. seq., art. 2), remanet vere corpus Christi in hoc sacramento. Immutatio autem fit quantum ad accidentia, ut dictum est (q. lxxv, art. 5). – (Ad 3m).

QUAESTIO LXXVII

De accidentibus remanentibus in hoc sacramento

Deinde considerandum est de accidentibus remanentibus in hoc sacramento; et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum accidentia remaneant sine subjecto in hoc sacramento.*

RESP. AFF. – *Scil.*: accidentia quae remanent in hoc sacramento non sunt sicut in subjecto, *a*) neque in substantia panis et vini, *b*) neque in substantia corporis Christi.

R. PRIMI EST: quia post consecrationem substantia panis et vini non remanet, ut supra dictum est (qu. lxxv, art. 2 et 6): neque etiam forma substantialis manet, et si remaneret, subjectum esse

non posset accidentium, ut patet per Boetium (De Trin., lib. 1).

R. SECUNDI EST: quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici; neque etiam est possibile quod corpus Christi gloriosum et impassibile existens alteretur ad suscipiendas hujusmodi qualitates.

NOTANDA: 1. Dici non potest quod accidentia remaneant in aere circumstante sicut in subjecto; aer enim non est susceptivus hujusmodi accidentium. Sed manent sine subjecto, quod quidem virtute divina fieri potest; quia Deus, qui est prima causa substantiae et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest in *esse* accidens, subtracta substantia per quam conservabatur in *esse* sicut per propriam causam; sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis, sicut humanum corpus formavit in utero Virginis sine virile semine. (In corp. art.).

2. Accidentia, manente substantia panis et vini, non habebant ipsa *esse*, sed subjecta eorum habebant hujusmodi *esse* per ea, sicut nix est alba per albedinem; sed post consecrationem ipsa accidentia, quae remanent, habent *esse*, unde sunt composita ex *esse* et *quod est*, sicut de angelis dictum est (prima Parte, qu. 1, art. 2), et cum hoc habent compositionem partium quantitativarum. (Ad 4m).

Art. II. - *Utrum in hoc sacramento quantitas dimensiva panis vel vini sit aliorum accidentium subjectum.*

RESP. AFF. - *Scil.* : necesse est dicere accidentia alia quae remanent in hoc sacramento, esse sicut in subjecto in quantitate dimensiva panis et vini remanente, et hoc propter tria:

PRIMA R. EST: quia in hoc sacramento ad sensum apparet aliquid *quantum* esse ibi coloratum, et aliis accidentibus affectum, nec in talibus sensus decipitur.

SECUNDA R. EST: quia prima dispositio materiae est quantitas dimensiva. Et quia primum subjectum est materia, consequens est quod omnia alia accidentia referantur ad subjectum mediante quantitate dimensiva. Et quia subtracto subjecto remanent accidentia secundum esse quod prius habebant, consequens est quod omnia accidentia remaneant fundata super quantitatem dimensionalem.

TERTIA R. EST: quia, cum subjectum sit principium individuationis accidentium, oportet id quod ponitur aliquorum accidentium subjectum, esse aliquo modo individuationis principium. Quantitas autem dimensiva est quoddam individuationis principium. Nam, divisio accidit substantiae ratione quantitatis; unde diversae formae numero sunt in diversis partibus materiae ratione quantitatis dimensionalis, quae se habet secundum quamdam individuationem. Et ideo quantitas dimensiva panis et vini est in hoc sacramento aliorum accidentium subjectum. - Quando enim accidenti datur divinitus ut per se sit, potest etiam per se alterius accidentis subjectum esse. (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum species quae remanent in hoc sacramento possint immutare aliquid extrinsecum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia unumquodque agit in quantum est ens actu; et ideo consequens est quod unumquodque sicut se habet ad esse, ita se habet ad *agere*. Speciebus autem sacramentalibus datum est divina virtute ut remaneant in suo esse quod habebant, substantia panis et vini existente, consequens est quod etiam remaneant in suo *agere*; et ideo omnem actionem quam poterant agere, substantia panis et vini existente,

possunt etiam agere, substantia panis et vini transeunte in corpus et sanguinem Christi. Et ideo sicut divina virtute datur speciebus sacramentalibus ut possint esse sine substantia, ita datur eis ut possint agere sine forma substantiali virtute Dei, a quo sicut a primo agente dependet omnis actio formae et substantialis et accidentalis. (Ad 2m).

Art. IV. - *Utrum species sacramentales possint corrumpi.*

RESP. AFF. - R. EST: quia, ut dictum est supra (art. praec.), species sacramentales retinent idem esse quod prius habebant, substantia panis et vini existente. Et ideo sicut esse horum accidentium poterat corrumpi, substantia panis et vini existente, ita etiam potest corrumpi, illa substantia abeunte.

NOTANDA: 1. Quantum ad corruptionem specierum hujus sacramenti, notandum est quod haec potest fieri tum per se, i. e., per additionem vel divisionem: quia ipsa quantitas dimensiva remanens potest divisionem et additionem suscipere; et cum sit subjectum qualitatum sensibilium, potest etiam esse subjectum alterationis earum, puta si alteretur color aut sapor panis et vini: - tum per accidens, i. e., per corruptionem subjecti: quia quamvis in hoc sacramento non remaneat subjectum, tamen remanet esse quod habebant hujusmodi accidentia in subjecto, quod quidem est proprium et conforme subjecto; et ideo hujusmodi esse potest corrumpi a contrario agente, sicut corrumpebatur substantia panis et vini, quae etiam non corrumpebatur, nisi praecedente alteratione circa accidentia. Unde si talis sit immutatio specierum, sive ex parte qualitatis, sive ex parte quantitatis, quod fuisset corrupta substantia panis aut vini, non remanent corpus et sanguis Christi sub hoc sacramento. Ex parte qualitatis species hujus sacramenti immutantur per colorem, et saporem, et alia hujusmodi, quae nullo modo possunt compati naturam panis et vini. Ex parte

quantitatis autem puta si pulverizetur panis, vel vinum in tam minutas partes dividatur, ut jam non remaneant species panis vel vini. (In corp. art. passim).

2. Corruptio illarum specierum non est miraculosa, sed naturalis; praesupponit tamen miraculum quod est factum in consecratione, scilicet quod illae species sacramentales retineant *esse* sine subjecto, quod prius habebant in subjecto, sicut et caecus miraculose illuminatus naturaliter videt. (Ad 3m).

Art. V. - *Utrum ex speciebus sacramentalibus aliquid possit generari.*

RESP. AFF. - R. EST: quia corruptio unius est generatio alterius; et ideo cum species in hoc sacramento corrumpantur, ut dictum est (art. praec.), necesse est quod ex eis aliquid generetur; non enim sic corrumpuntur ut omnino dispareant, quasi in nihilum redigantur; sed manifeste aliquid sensibile eis succedit.

NOTANDUM: Quantum ad id quod ex corruptione specierum generatur, melius videtur dicendum quod hoc accidit ex eo quod in ipsa consecratione miraculose datur quantitati dimensionis panis et vini omne illud quod ad materiam pertinet; et ideo quidquid possit generari ex materia panis et vini, si adesset, totum potest generari ex praedicta quantitate dimensionis panis et vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti. (In corp. art.). - Quantitas enim dimensionis panis et vini retinet naturam propriam, et accipit miraculose vim et proprietatem substantiae; et ideo potest transire in utrumque, i. e., in substantiam et dimensionem. (Ad 3m).

Art. VI. - *Utrum species sacramentales possint nutrire.*

RESP. AFF. - R. EST: quia cibus nutrit ex hoc quod convertitur in substantiam nutriti, ut dicitur (De anima, lib. ii, text. 45 et 46). Dictum est autem (art. praec.) quod species sacramentales

possunt converti in substantiam aliquam, quae ex eis generatur; per eandem autem rationem possunt converti in corpus humanum per quam possunt converti in cineres vel in vermes. Et ideo manifestum est quod nutriunt. Quamvis enim species sacramentales non sint substantia, habent tamen virtutem substantiae. (Ad 3m).

Art. VII. - *Utrum species sacramentales frangantur in hoc sacramento.*

RESP. AFF. - R. EST: quia in hoc sacramento veritatis sensus non decipitur circa ea quorum iudicium ad ipsum pertinet, inter qua est fractio per quam ex uno fiunt multa: quae quidem sunt sensibilia communia. Talis fractio tamen non fit in ipso corpore Christi, quod est incorruptibile et impassibile, sed fit in quantitate dimensiva panis, sicut alia accidentia. Et sicut species sacramentales sunt sacramentum corporis Christi veri, ita fractio hujusmodi specierum est sacramentum dominicae passionis, quae fuit in corpore Christi vero.

Art. VIII. - *Utrum aliquis liquor possit vino consecrato commisceri.*

RESP. AFF. - R. EST: quia species in hoc sacramento remanentes, sicut adipiscuntur virtute consecrationis modum essendi substantiae, ita etiam consequuntur modum agendi et patiendi, ut scil. agere et pati possint quidquid ageret vel pateretur substantia, si ibi praesens existeret. Manifestum est autem quod si esset ibi substantia vini, liquor aliquis posset ei permisceri.

NOTANDA: 1. Sicut supra dictum est (in art. 4 hujus qu.), corpus et sanguis Christi remanent in hoc sacramento quamdiu illae species manent eadem numero; consecratur enim *hic panis et hoc vinum*. Unde si fiat tanta permixtio liquoris cujuscumque quod pertingat ad totum vinum

consecratum, et fiat permixtum, erit aliud numero, et non permanebit ibi sanguis Christi; si vero fiat tam parva alicujus liquoris adjunctio quod non possit diffundi per totum, sed usque ad aliquam partem specierum, desinet esse sanguis Christi sub illa parte vini consecrati, remanebit tamen sub alia. (In fine art.).

2. Liquor appositus vino consecrato nullo modo miscetur substantiae sanguinis Christi; miscetur tamen speciebus sacramentalibus ita tamen quod permixtione facta, corrumpuntur praedictae species vel in toto vel in parte, secundum modum quo hic supra dictum est. (Ad 2m).

QUAESTIO LXXVIII

De forma sacramenti Eucharistiae

Deinde considerandum est de forma hujus sacramenti; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum haec sit forma hujus sacramenti:*

Hoc est corpus meum; *et*: Hic est calix sanguinis mei.

RESP. AFF. - *Scil.*: cum haec forma importet solum consecrationem materiae, quae in transubstantiatione consistit, et profertur quasi ex persona ipsius Christi loquentis, est conveniens huic sacramento Eucharistiae.

R. EST: quia hoc sacramentum ab aliis sacramentis differt in duobus: primo quidem, quantum ad hoc quod hoc sacramentum perficitur in consecratione materiae; alia vero sacramenta perficiuntur in usu materiae consecratae. Unde forma hujus sacramenti debet importare solam consecrationem materiae, puta cum dicitur: *Hoc est corpus meum*, vel: *Hic est calix sanguinis mei*. Secundo quia in aliis sacramentis consecratio materiae consistit solum in quadam benedictione, ex qua materia consecrata accipit instrumenta-

liter quamdam spiritualem virtutem, quae per ministrum, qui est instrumentum animatum, potest ad instrumenta inanimata procedere; sed in hoc sacramento consecratio materiae consistit in quadam miraculosa conversione substantiae, quae a solo Deo perfici potest; unde minister in hoc sacramento perficiendo non habet alium actum nisi prolationem verborum. Et ideo dum in aliis sacramentis formae proferuntur ex persona ministri, sive per modum exercentis actum, sicut cum dicitur: *Ego te baptizo*, vel: *Ego te confirmo*, etc.; sive per modum imperantis, sicut cum in sacramento ordinis dicitur: *Accipe potestatem*, etc.; sive per modum deprecantis, sicut cum in sacramento extremae unctionis dicitur: *Per istam unctionem et nostram intercessionem*, etc.; in hoc sacramento forma recte profertur quasi ex persona ipsius Christi loquentis ut detur intelligi quod minister in perfectione hujus sacramenti nihil agit, nisi quod profert verba Christi.

NOTANDUM: In verbis: *Accipite et comedite*, intelligitur usus materiae consecratae, qui non est de necessitate hujus sacramenti, ut supra habitum est (qu. lxxiv art. 7). Et ideo nec haec verba sunt de substantia formae. Per omnia ista verba tamen exprimitur tota perfectio hujus sacramenti. (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum haec sit conveniens forma consecrationis panis: Hoc est corpus meum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia haec forma convenientissime significat id quod in hoc sacramento efficitur; scil. conversionem substantiae panis in corpus Christi. In conversione autem tria considerantur: scil. ipsa conversio, et terminus *a quo*, et terminus *ad quem*. Conversio autem recte exprimitur in hoc sacramento non ut *in fieri*, sed *in facto esse*; quia haec conversio non est successiva, sed instantanea. Terminus autem *a quo*

convenienter exprimitur per pronomen demonstrativum (*hoc*) relatum ad accidentia sensibilia quae manent. Et terminus *ad quem* (*corpus meum*) convenienter exprimitur per nomen significans naturam ejus in quod fit conversio, quod quidem est totum corpus Christi, et non sola caro ejus, ut dictum est (qu. lxxvi, art. 1 et 2). Unde haec forma est convenientissima: *Hoc est corpus meum*.

NOTANDUM: Haec conjunctio *enim* apponitur in hac forma secundum consuetudinem Romanae Ecclesiae, a B. Petro apostolo derivatam; et hoc propter continuationem ad verba praecedentia; et ideo non est de forma, sicut nec verba praecedentia formam. (Ad 5m).

Art. III. - *Utrum haec sit conveniens forma consecrationis vini*: Hic est calix sanguinis mei, etc.

RESP. AFF. - *Scil.*: conveniens forma consecrationis vini non consistit solum in verbis, *Hic est calix sanguinis mei*, sicut quidam volunt; sed consistit etiam in caeteris verbis usque ad verba *remissionem peccatorum*, et hoc est de substantia formae.

R. EST: quia verba quae sequuntur, scil. *novi et aeterni testamenti*, etc. sunt quaedam determinationes praedicati, id est sanguinis Christi; unde pertinent ad integritatem ejusdem locutionis.* Verba autem quae postea sequuntur: *Haec quotiescumque feceritis*, etc., pertinent ad usum hujus sacramenti; unde non sunt de substantia formae.

NOTANDA: 1. Per verba: *Hic est calix sanguinis mei*, significatur ipsa conversio vini in sanguinem, eo modo quo dictum est (art. praec.), in forma consecrationis panis; per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione, quae

(*) Circa hanc quaestionem controversia est inter theologos. Partem affirmativam tenent plures et insignes Thomistae: negativam alii etiam Thomistae, et inter se de mente S. Thomae, qui videtur utrique sententiae favere, contendunt.

operatur in hoc sacramento, quae quidem ad tria ordinatur: primo ad adipiscendam aeternam hereditatem; unde dicitur: *Novi et aeterni Testamenti*; - secundo ad justitiam gratiae, quae est per fidem; et quantum ad hoc subditur, *Mysterium fidei*; - tertio autem ad removendum impedimenta, scilicet peccata; et quantum ad hoc subditur: *Qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* (In corp. art.).

2. Cum dicitur: *Hic est calix sanguinis mei*, est locutio figurativa, et potest dupliciter intelligi: uno modo secundum metonymiam, qua ponitur continens pro contento; - alio modo secundum metaphoram, prout per calicem similitudinarie intelligitur passio Christi, ut sit sensus: *Hic est calix passionis meae, de qua fit mentio in sanguine seorsum a corpore consecrato*; quia separatio sanguinis a corpore fuit per passionem. (Ad 1m).

3. Evangelistae non intendebant tradere formas sacramentorum; sed intenderunt historiam de Christo texere. Tamen haec omnia fere verba ex diversis Scripturae locis accipi possunt. Nam quod dicitur: *Hic est calix*, habetur Luc. xxii, et I. Cor. xxi; Matth. autem xxvi dicitur: *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quod autem additur *aeterni*, et iterum *mysterium fidei*, ex traditione Domini habetur, quae ad Ecclesiam per Apostolos pervenit, secundum illud I. Cor. xi, 23: *Ego accepi a Domino, quod et tradidi vobis*; ut et I. Timoth. iii, 9: *Habentes mysterium fidei.* (Ad 9m).

Art. IV. - Utrum praedictis verbis formarum insit aliqua vis creata effectiva consecrationis.

RESP. AFF. - *Scilicet*: in verbis formalibus hujus sacramenti est quaedam virtus creata ad conversionem hujus sacramenti faciendam, instrumentalis tamen, sicut et in aliis sacramentis.

R. EST: quia, ut dictum est (qu. lxii, art. 1, 2 et 3), sicut caetera Christi facta vel dicta habent instrumentaliter salutiferam virtutem, ab ipso Christo emanantem; ita, cum haec verba ex persona Christi proferantur, ex ejus mandato con-

sequuntur virtutem instrumentalem a Christo; et praesertim in hoc sacramento quod est caeteris dignius.

Art. V. – *Utrum praedictae locutiones sint verae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia hae locutiones habent virtutem factivam conversionis panis in corpus Christi et vini in sanguinem ejus, ut dictum est (art. praec.). Et ideo non habent vim significativam tantum; quia in sacramentis hoc efficitur quod significatur. Unde per verbum demonstrativum *hoc*, non datur intelligi *hic panis*, ac si sensus esset. *Hic panis est corpus meum*, vel quod sensus sit *Id quod est significatum per hoc est corpus meum*, vel etiam quod *Hoc* scilicet *corpus meum est corpus meum*; sed locutio est in generali, scilicet *Hoc est corpus meum*, nullo nomine apposito a parte subjecti, sed solo pronomine, quod significat substantiam in communi, sine qualitate, id est, forma determinata, ut sit sensus: *Hoc quod continetur sub istis speciebus est corpus meum*.

NOTANDUM: Propter infinitam virtutem Christi, sicut ex contactu carnis suae vis regenerativa pervenit non solum ad illas aquas quae Christum tetigerunt sed ad omnes ubique terrarum per omnia futura saecula, ita etiam ex prolatione ipsius Christi haec verba virtutem consecrativam sunt consecuta, a quocumque sacerdote dicantur, ac si Christus ea praesentialiter proferret. (In corp. art.).

Art. VI. – *Utrum forma consecrationis panis consequatur suum effectum, antequam perficiatur forma consecrationis vini.*

RESP. AFF. – R. EST: quia, sicut dictum est (art. 2 et 5 hujus qu.), ad veritatem hujus locutionis: *Hoc est corpus meum*, requiritur propter verbum praesentis temporis quod res significata

simul tempore sit cum ipsa significatione locutionis; alioquin locutio non esset vera. Unde et Ecclesia statim post prolationem verborum corpus Christi adorat. Tamen, ut dictum est (qu. lxxiii, art. 2), hoc sacramentum est unum perfectione in quantum constituitur ex duobus, scilicet cibo et potu.

QUAESTIO LXXIX

De effectibus sacramenti Eucharistiae

Deinde considerandum est de effectibus hujus sacramenti; et circa hoc quaeruntur octo:

Art. I. - *Utrum per hoc sacramentum conferatur gratia.*

RESP. AFF. - *Scilicet*: propter quatuor:

PRIMA R. EST: quia in hoc sacramento sumitur ipse Christus qui est auctor gratiae. Sicut igitur in mundum visibiliter veniens contulit mundo vitam gratiae, secundum illud Jn. i, 17: *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est*, ita in hominem sacramentaliter veniens vitam gratiae operatur, secundum illud Jn. vi, 58: *Qui manducat me, vivet propter me.*

SECUNDA R. EST: quia per hoc sacramentum repraesentatur (et applicatur) passio Christi; et ideo effectum, quem passio Christi fecit in mundo, hoc sacramentum facit in homine.

TERTIA R. EST: quia hoc sacramentum traditur per modum cibi et potus. Et ideo omnem effectum quem cibus et potus materialis facit quantum ad vitam corporalem, quod scilicet sustentat, auget, reparat et delectat, hoc totum facit hoc sacramentum quantum ad vitam spirituales. Unde et ipse Dominus dicit (Jn. vi, 56):

Caro mea vere est cibus, sanguis meus vere est potus.

QUARTA R. EST: quia, ut ipsae species indicant, scil. panis, qui « ex multis granis in unum constat », et vini, qui « in unum ex multis acinis confluit », hoc sacramentum pietatis est « signum unitatis » et « vinculum charitatis », ut Sanctus Augustinus dicit (In Jn. tract. 26). Caritas autem esse non potest sine gratia.

NOTANDA: 1. Hoc sacramentum ex seipso virtutem habet gratiam conferendi; nec aliquis habet gratiam ante susceptionem hujus sacramenti, nisi ex aliquo voto ipsius, vel per seipsum, sicut adulti, vel voto Ecclesiae, sicut parvuli, sicut supra dictum est (qu. lxxiii, art. 3). Unde ex efficacia virtutis ipsius est quod etiam ex voto ipsius aliquis gratiam consequatur (scil. in baptismo), per quam spiritualiter vivificetur. Per hoc autem sacramentum augetur gratia, et perficitur spiritualis vita, ad hoc quod homo in seipso perfectus existat per conjunctionem ad Deum. (Ad 1m). – Item, hoc sacramentum confert gratiam spiritualiter cum virtute charitatis. Et quia « amor Dei non est otiosus: magna enim operatur, si est », ut dicit Gregorius (In Hom. Pent.), ideo est quod per hoc sacramentum quantum est ex sui virtute, non solum habitus gratiae et virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum, secundum illud II. Cor. v, 14: *Charitas Christi urget nos*. Et inde est quod ex virtute hujus sacramenti anima spiritualiter reficitur, per hoc quod anima spiritualiter delectatur, et quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinae, secundum illud Cantic. v, 1: *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi*. (Ad 2m).

2. Quia sacramenta operantur salutem quam significant, ideo secundum quamdam assimilationem dicitur quod in hoc sacramento corpus offertur pro salute corporis, et sanguis pro salute animae; quamvis utrumque ad salutem utriusque operetur. Et licet corpus non sit immediatum subjectum gratiae, ex anima tamen redundat effectus gratiae ad corpus, dum in praesenti membra nostra exhibemus *arma justitiae* Deo (Rom. vi), et in futuro corpus nostrum sortietur incorruptionem et gloriam animae. (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum effectus hujus sacramenti sit adeptio gloriae.*

RESP. AFF. - *Scil.* : tum ex parte ipsius Christi contenti in hoc sacramento, et ex parte passionis ejus in hoc sacramento rapraesentata; tum ex usu hujus sacramenti et speciebus ejus.

R. PRIMI EST: quia ipse Christus, qui est in hoc sacramento, per suam passionem aperuit nobis aditum vitae aeternae, ut dicitur (Hebr. ix, 15).

R. SECUNDI EST: quia refectio cibi spiritualis et unitas significata per species panis et vini habentur quidem in praesenti, sed imperfecte; perfecte autem in statu gloriae.

Art. III. - *Utrum effectus hujus sacramenti sit remissio peccati mortalis.*

RESP. NEG. - *Scil.* : a) virtus hujus sacramenti secundum se considerata remittit quaecumque peccata; b) considerata per comparisonem ad eum qui recipit hoc sacramentum, in eo qui conscientiam habet peccati mortalis, non solum non operatur remissionem peccatorum, sed magis aggravat; c) in eo autem qui est in peccato mortali, cujus tamen conscientiam et affectum non habet, remittit peccatum.

R. PRIMI EST: quia virtus hujus sacramenti est ex passione Christi, quae est fons et causa remissionis (omnium) peccatorum.

R. SECUNDI EST: quia ille qui conscientiam, peccati mortalis habet, habet impedimentum percipiendi effectum hujus sacramenti, eo quod non est conveniens susceptor hujus sacramenti; tum quia non vivit spiritualiter, et ita non debet spirituale nutrimentum suscipere, quod non est nisi viventis; tum quia non potest uniri Christo (quod fit per hoc sacramentum), dum est in affectu

peccandi mortaliter. Talis enim *judicium sibi manducat et bibit*, ut dicit Apostolus (I. Cor. xi, 28).

R. TERTII EST: quia forte primo non fuit sufficienter contritus, sed devote et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quae (in hoc casu) contritionem perficiet, et remissionem peccati.

NOTANDUM: Hoc sacramentum in voto perceptum ab eo qui prius justificatur, sicut cum aliquis credens in Christum baptismum petit, remittit etiam peccatum mortale. (In corp. art.).

Art. IV. – *Utrum per hoc sacramentum remittantur peccata venialia.*

RESP. AFF. – *Scil.*: tum ex parte ipsius sacramenti; tum ex parte rei hujus sacramenti.

R. PRIMI EST: quia hoc sacramentum sumitur sub specie cibi nutrientis, cujus actio est ad restituendum id quod in nobis quotidie spiritualiter deperditur, scil. fervorem charitatis, ex calore concupiscentiae per peccata venialia. Unde et Ambrosius dicit (De sacram., lib. v, c. 4) quod «iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianae infirmitatis»; sicut et cibus materialis sumitur ad restaurandum id quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis.

R. SECUNDI EST: quia res hujus sacramenti est charitas, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc sacramento, per quem peccata venialia solvuntur.

Art. V. – *Utrum per hoc sacramentum tota poena peccati remittatur.*

RESP. NEG. – *Scil.*: a) sub ratione sacramenti, quod effectum habet in eo qui sumit non directe, sed ex consequenti per quamdam concomitantiam ad principalem effectum, hoc sacramentum

remittit remissionem poenae, non quidem totius, sed secundum modum devotionis et fervoris recipientis; b) sub ratione sacrificii autem, hoc sacramentum habet vim satisfactivam secundum affectum offerentis.

R. PRIMI EST: quia quamvis hoc sacramentum directe institutum est non ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum; tamen haec unitas fit per charitatem, ex cujus fervore aliquis consequitur remissionem non solum culpae, sed etiam poenae.

R. SECUNDI EST: quia quamvis haec oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni poena, tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suae devotionis, et non pro tota poena.

Art. VI. - *Utrum per hoc sacramentum praeservetur homo a peccatis futuris.*

RESP. AFF. - *Scil.* : per hoc sacramentum praeservatur homo a peccato futuro sicut a morte futura, et hoc dupliciter.

R. EST: quia sicut vita corporis praeservatur interius a morte per cibum contra interiora corruptiva, exterius autem per arma contra exteriores impugnationes; ita per hoc sacramentum praeservatur homo a morte spirituali, primo quidem in quantum hoc sacramentum est cibum et medicina spiritualis, secundum illud Ps. ciii, 5: *Panis cor hominis confirmat*; secundo autem in quantum est signum quoddam passionis Christi, qua daemones sunt victi, et daemonum impugnationes repelluntur. Unde Chrysostomus dicit (Super Joan. hom. 45): « Ut leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus terribiles effecti diabolo ».

NOTANDUM: Licet hoc sacramentum, quantum est de se, habeat virtutem praeservativam a peccato, non tamen aufert homini possibilitatem peccandi, quia homo in statu viae est hujus conditionis, quod liberum arbitrium ejus potest flecti in bonum et malum. Directe tamen hoc sacramentum confirmat cor hominis in bono, per quod etiam praeservatur homo a peccato; indirecte tamen et ex quadam consequentia diminuit fomitem, in quantum auget charitatem, quia sicut Augustinus dicit (Quaest. lib. lxxxiii, qu. 36), « augmentum charitatis est diminutio cupiditatis ». (In respon. passim).

Art. VII. – *Utrum hoc sacramentum prosit aliis quam sumentibus.*

RESP. AFF. – *Scil.*: a) sumentibus hoc sacramentum prodest et per modum sacramenti et per modum sacrificii; b) non sumentibus autem prodest per modum sacrificii, in quantum pro salute eorum offertur.

R. PRIMI EST: quia hoc sacramentum pro omnibus sumentibus offertur. Dicitur enim in canone missae: *Quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione caelesti et gratia repleamur.*

R. SECUNDI EST: quia secundum verba ipsius Christi: *pro vobis.* i. e. sumentibus, *et pro multis,* scil. aliis, *effundetur in remissionem peccatorum.* Unde et in canone missae dicitur: *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suis que omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et inco-lumitatis suae.* – Hoc tamen sacrificium, quod est memoriale dominicae passionis, non habet effectum nisi in illis qui junguntur huic sacramento per fidem et charitatem. (Ad 2m).

NOTANDUM: Hoc sacramentum habet rationem sacramenti in quantum sumitur et in eo traditur invisibilis gratia sub visibili specie; habet rationem sacrificii in quantum offertur et in hoc sacramento repraesentatur passio Christi, qua Christus *obtulit se hostiam Deo* (Ephes. v). – (In corp. art.).

Art. VIII. – *Utrum per veniale peccatum impediatur effectus hujus sacramenti.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) peccata venialia praeterita nullo modo impediunt effectum hujus sacramenti; b) peccata venialia actu exercita non ex toto impediunt hujus sacramenti effectum, sed in parte.

R. PRIMI EST: quia potest contingere quod aliquis post multa peccata venialia commissa, devote accedat ad hoc sacramentum, et plenarie hujus sacramenti consequatur effectum.

R. SECUNDI EST: quia effectus hujus sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiae vel charitatis, sed etiam quaedam actualis refectio spiritualis dulcedinis, quae quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiae vel charitatis.

NOTANDUM: Habitualis effectus hujus sacramenti est augmentum gratiae et charitatis. Actualis autem effectus est fervor charitatis, et actualis dulcedo, est enim refectio. (Ad 1m et 2m passim).

QUAESTIO LXXX

De usu, seu sumptione hujus sacramenti in commune

Deinde considerandum est de usu sive sumptione hujus sacramenti, et primo quidem in communi; secundo, quomodo Christus est usus hoc sacramento. Circa primum quaeruntur duodecim:

Art. I. – *Utrum distinguere debeant duo modi manducandi corpus Christi.*

RESP. AFF. – *Scil.* : sicut perfecta et imperfecta manducatio.

R. EST: quia hoc sacramentum potest sumi cum effectu ipsius, quo spiritualiter homo Christo conjungitur per fidem et charitatem; et haec est perfecta manducatio hujus sacramenti; – vel potest sumi sine effectu, et haec est manducatio imperfecta.

NOTANDUM: Sicut effectus sacramenti potest ab aliquo percipi, si sacramentum habeat in voto, quamvis non accipiat in re, ut dictum est de baptismo fluminis (qu. lxxiii, art. 3); ita et hoc sacramentum potest aliquis per desiderium spiritualiter, et non sacramentaliter manducare. Nec tamen frustra adhibetur sacramentalis manducatio, quia plenius inducit sacramenti effectum ipsa sacramenti susceptio quam solum desiderium, sicut supra circa baptismum dictum est (qu. lxix, art. 4). – (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum solius hominis sit hoc sacramentum spiritualiter sumere.*

RESP. AFF. – *Scil.* : prout est in hoc sacramento, Christus non manducatur ab angelis, sed solum ab homine.

R. EST: quia in hoc sacramento ipse Christus continetur non quidem in specie propria, sicut est in coelo, sed in specie sacramenti. Et ideo licet angeli spiritualiter manducant Christum, non tamen convenit eis spiritualiter manducare hoc Sacramentum. Dicitur autem hoc sacramentum *panis angelorum* quia primo et principaliter est angelorum, qui eo fruuntur in specie propria; secundario autem est hominum, qui Christum sub sacramento accipiunt. (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum solus homo justus possit Christum sacramentaliter manducare.*

RESP. NEG. – *Scil.* : contra illos qui credebant quod corpus Christi quam cito labiis peccatoris contingitur, tam cito desinit esse sub speciebus sacramentalibus.

R. EST: quia hoc derogat veritati hujus sacramenti, ad quam pertinet quod manentibus speciebus corporis Christi, sub eis esse non desinat (Qu. lxxvi, art. 6).*

NOTANDA: 1. Si quis corpus Christi sumens non utatur eo quod accipit ut sacramento, sed ut simplici cibo, non manducaret eum sacramentaliter, nisi ex parte manducati. (Ad 2m).

2. Etiam si mus vel canis hostiam consecratam manducet, substantia corporis Christi non desinit esse sub speciebus, quamdiu species illae manent, hoc est, quamdiu substantia panis maneret; sicut etiam si projiceretur in lutum. Nec hoc vergit in detrimentum dignitatis corporis Christi, qui voluit a peccatoribus crucifigi absque diminutione suae dignitatis, praesertim cum mus aut canis non tangat ipsum corpus Christi secundum propriam speciem, sed solum secundum species sacramentales. (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum peccator sumens corpus Christi sacramentaliter peccet.*

RESP. AFF. – *Scil.* : quicumque cum peccato mortali hoc sacramentum sumit, falsitatem in hoc sacramento comittit; et ideo incurrit sacrilegium, tanquam sacramenti violator, et propter hoc mortaliter peccat.

R. EST: quia quicumque hoc sacramentum sumit, ex hoc ipso significat se esse Christo unitum, et membris ejus incorporatum; quod quidem fit

(*) Unde in officio ven. sacr. sic canitur: « Sumunt boni, sumunt mali sorte temen inaequali, vitae vel interitus. Mors est malis, vita bonis; vide paris sumptionis quam sit dispar exitus ».

per fidem formatam, quam nullus habet cum peccato mortali.*

Art. V. – *Utrum accedere ad hoc sacramentum cum conscientia peccati sit gravissimum omnium peccatorum.*

RESP. NEG. – *Scil.* : a) per se et ex parte objecti hoc peccatum non est gravissimum omnium; b) per accidens et ex parte recipientis, potest esse in quibusdam gravius, in aliis minus grave.

R. PRIMI EST: quia ex parte objecti quanto id contra quod peccatur est majus, tanto peccatum est gravius. Et quia divinitas Christi est major humanitate ipsius, et ipsa humanitas est potior quam sacramenta humanitatis, inde est quod gravissima peccata sunt quae committuntur in ipsam divinitatem, sicut est peccatum infidelitatis et blasphemiae; (et generatim omnia peccata quae virtutibus theologicis opponuntur). Secundario autem sunt gravia peccata quae committuntur in humanitatem Christi. Tertio autem loco sunt peccata quae committuntur contra sacramenta, quae pertinent ad humanitatem Christi; et post haec sunt alia peccata contra puras creaturas.

R. SECUNDI EST: quia peccatum quod est ex ignorantia vel infirmitate, est levius peccato quod est ex contemptu, vel ex certa scientia; et eadem ratio est de aliis circumstantiis.

NOTANDUM: Peccatum infidelitatis, quod funditus separat hominem ab Ecclesiae unitate, simpliciter loquendo, maxime hominem ineptum red-

(*) In Sent. iv, dist. 9, qu. i, art. 3, S. D. dicit: « Si quis facta diligenti discussione suae conscientiae, quamvis forte non sufficienti, ad corpus Christi accedat, aliquo peccato mortali in ipso manente, quod ejus cognitionem praeterfugiat, non peccat; imo magis ex vi sacramenti remissionem consequitur ».

dit ad susceptionem hujus sacramenti; quod est sacramentum ecclesiasticae unitatis, ut supra dictum est (qu. lxxiii, art. 4). Unde et gravius peccat infidelis accipiens hoc sacramentum, quam fidelis peccator. Secundum quid tamen peccatum fornicationis magis reddit hominem ineptum ad perceptionem hujus sacramenti, inquantum scilicet per hoc peccatum spiritus maxime carni subjicitur et ita impeditur fervor dilectionis, qui requiritur in hoc sacramento. (Ad 2m).

Art. VI. – *Utrum sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti.*

RESP. NEG. – *Scilicet:* a) manifestis peccatoribus non debet etiam petentibus sacra communio dari; b) si vero non sunt manifesti peccatores, sed occulti, non potest eis petentibus sacra communio denegari.

R. PRIMI EST: quia hoc nec majestati divinae, nec evangelicae disciplinae congruit, ut pudor et honor Ecclesiae tam turpi et infami contagione foedetur, ut dicit S. Cyprianus (Epist. 10, lib. i).

R. SECUNDI EST: quia cum quilibet christianus, ex hoc ipso quod est baptizatus, sit admissus ad dominicam mensam, non potest ei jus suum tolli, nisi pro aliqua causa manifesta. – Potest tamen sacerdos, qui est conscius criminis, occulte monere peccatorem occultum, vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad mensam Domini accedant, antequam de peccatis poeniteant et Ecclesiae reconcilientur.

NOTANDUM: Nullo modo corpus Christi debet dari alicui suspecto de crimine, quasi ad examinationem, quia in omnibus talibus esse videtur Dei tentatio; unde sine peccato fieri non possunt. Et gravius videretur, si in hoc sacramento, quod est institutum ad remedium salutis, aliquis incurreret iudicium mortis. (Ad 3m).

Art. VII. – *Utrum nocturna pollutio aliquem impediatur a sumptione hujus sacramenti.*

RESP. AFF. – *Scil.* : secundum pollutionis causae gravitatem.

R. EST: quia quamvis nocturna pollutio secundum se considerata peccatum mortale esse non possit, nihilominus tamen ratione suae causae quandoque habet peccatum mortale annexum. Et ideo consideranda est causa pollutionis nocturnae, quae si sit cum peccato mortali, impedit ex necessitate; ex quadam vero congruentia impedit quantum ad duo: quorum unum semper accidit, scilicet quaedam foeditas corporis, cum qua, propter reverentiam sacramenti, non decet ad altare accedere; aliud autem est evagatio mentis, quae sequitur pollutionem nocturnam, praecipue quando cum turpi imaginatione contigit. Et licet per contritionem et confessionem auferatur reatus culpae, non tamen auferatur corporalis immunditia, et distractio mentis ex pollutione consecuta. (Ad 4m).

Art. VIII. – *Utrum cibus vel potus praeassumptus impediatur sumptionem hujus sacramenti.*

RESP. AFF. – *Scil.* : propter prohibitionem Ecclesiae, et hoc ex triplici ratione.

PRIMA R. EST in honorem hujus sacramenti, ut scil. in os hominis intret (hoc sacramentum) nondum aliquo cibo vel potu infectum.

SECUNDA R. EST propter significationem, ut scil. detur intelligi quod Christus, qui est res hujus sacramenti, et charitas ejus, debet primo fundari in cordibus nostris, secundum illud Mt. vi, 33: *Quaerite primum regnum Dei.*

TERTIA R. EST propter periculum vomitus et ebrietatis, quae quandoque contingunt ex hoc

quod homines inordinate cibis utuntur, sicut et Apostolus dicit (I. Cor. xi, 21): *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Ab hac tamen generali regula excipiuntur infirmi, qui statim communicandi sunt, etiam post cibum, si de eorum periculo dubitatur ne sine communione decedant, quia necessitas legem non habet.

NOTANDA: 1. Dominus ultimum *post* coenam dedit hoc sacramentum discipulis, ut vehementius commendaret mysterii illius altitudinem. Non tamen praecepit quo deinceps ordine sumeretur, ut apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc modum, ut Augustinus dicit (Epis. 54, al. 118, cap. 6). - (Ad 1m).

2. Jejunium quod ad hoc sacramentum requiritur propter praedicta, est jejunium naturae, quod importat privationem cujuscumque praeassumpti per modum cibi vel potus (Ad 4m), a principio diei in quo assumitur, qui, secundum Ecclesiam Romanam, a media nocte incipit. (Ad 5m). - Reliquiae tamen cibi remanentes in ore, si causaliter transglutiantur, non impediunt sumptionem hujus sacramenti, quia non trahuntur per modum cibi, sed per modum salivae, et eadem ratio est de reliquiis aquae vel vini, quibus os abluatur, dummodo non trahantur in magna quantitate, sed permixtae salivae, quod vitari non potest. (Ad 4m). - Inter sumptionem autem hujus sacramenti et reliquos cibos debet esse aliqua mora (saltem donec species sint consumptae). - (Ad 6m).

Art. IX. - *Utrum non habentes usum rationis debeant suscipere hoc sacramentum.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) illis qui habent debilem usum rationis hoc sacramentum non est dene-gandum; b) illis qui totaliter usum rationis non habent nec unquam habuerunt non est hoc sacramentum exhibendum; c) si vero prius, quando erant compotes suae mentis, apparuit in eis devotio hujus sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc sacramentum exhiberi, nisi forte timeatur periculum vomitus vel expuitionis.

R. PRIMI EST: quia tales possunt aliquam devotionem hujus sacramenti concipere.

R. SECUNDI EST: quia in talibus nullo modo praecessit devotio hujus sacramenti.

R. TERTII EST: quia talis eorum devotio consideratur ut ultima eorum dispositio, ut supra diximus de suscipientibus baptismum (qu. lxxviii, art. 12).

Art. X. - Utrum liceat quotidie hoc sacramentum suscipere.

RESP. AFF. - *Scil.*: tum ex parte ipsius sacramenti; tum ex parte sumentis, si ipse sit convenienter praeparatus.

R. PRIMI EST: quia virtus hujus sacramenti est hominibus salutaris, et ideo utilis est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat. Unde Ambrosius dicit (De sacram. lib. iv, cap. 6): « Si quotiescumque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere, qui semper pecco,* debeo semper habere medicinam ».

R. SECUNDI EST: quia ex parte sumentis requiritur ut cum magna devotione et reverentia ad hoc sacramentum accedat. Et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniatur, laudabile est quod quotidie sumat. Unde Augustinus cum dixisset: « Accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit », subjungit: « Sic vive ut quotidie merearis accipere ». Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animae, non est utile omnibus hominibus quotidie

(*) Ita communiter. Nicolaus ex Ambrosio sic: *Debeo semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur qui semper pecco, etc.*

ad hoc sacramentum accedere; sed quotiescumque se ad illud homo invenerit praeparatum.

NOTANDUM: Reverentia hujus sacramenti habet timorem amoris conjunctum: ex amore autem provocatur desiderium sumendi, ex timore vero surgit humilitas reverendi. Et ideo utrumque pertinet ad reverentiam hujus sacramenti, et quod quotidie sumatur, et quod aliquando abstinenceatur. Amor tamen et spes, ad quae semper Scriptura nos provocat, praefertur timori. Unde et cum Petrus dixisset: *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum*, respondit Jesus: *Noli timere*. (Ad 3m). - Per hoc autem quod aliquis *semel* in die communicat, representatur unitas passionis Christi. (Ad 4m).

Art. XI. - *Utrum liceat omnino a communione cessare.*

RESP. NEG. - *Scil.*: non solum ex statuto Ecclesiae, sed ex mandato Domini dicentis (Luc. xxii, 19): *Hoc facite in meam commemorationem*, tenetur homo hoc sacramentum sumere.

R. EST: quia sine voto percipiendi hoc sacramentum non potest aliquis Christo incorporari, secundum illud Joan. vi, 54: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, ut dictum est supra (qu. lxxiii, art. 3). Frustra autem esset votum, nisi impleretur quando opportunitas adesset.

Art. XII. - *Utrum liceat sumere corpus Christi sine sanguine.*

RESP. AFF. - *Scil.*: a) sacerdos nullo modo debet corpus Christi sumere sine sanguine; - b) in quibusdam ecclesiis * provide observatur ut populo sanguis sumendus non detur.

R. PRIMI EST: quia ad sacerdotem pertinet hoc sacramentum consecrare et perficere; ad perfec-

(*) Tempore S. Thomae adhuc vigeat usus in quibusdam Ecclesiis sumendi Eucharistiam sub utraque specie.

tionem autem hujus sacramenti requiritur ut utrumque, scil. corpus et sanguis, sumatur.

R. SECUNDI EST: quia in sanguinis sumptione de facili potest sanguis effundi, praecipue si senibus, et juvenibus, et parvulis administretur, quorum quidam non sunt tantae discretionis, ut cautelam debitam circa usum hujus sacramenti adhibeant.

NOTANDUM: Perfectio hujus sacramenti non est in usu fidelium, sed in consecratione materiae, (ubi etiam repraesentatur Domini passio). Et ideo nihil derogat perfectioni hujus sacramenti, si populus sumat corpus sine sanguine, dummodo sacerdos consecrans sumat utrumque. (Ad 2m).

QUAESTIO LXXXI

De modo quo Christi usus est hoc sacramento

Deinde considerandum est de usu hujus sacramenti, quo Christus usus est in prima sui institutione; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum Christus sumpserit suum corpus et sanguinem.*

RESP. AFF. – *Scil.*: primo ipse corpus suum et sanguinem sumpsit, et postea discipulis sumendum tradidit.

R. EST: quia Christus ea quae ab aliis observanda instituit, ipse primitus observavit. Unde et ipse prius baptizari voluit quam aliis baptismum imponeret, secundum illud Act. i, 1: *Coepit Jesus facere et docere.* Unde cum discipulis dixerit: *Accipite et comedite*: et iterum, *Accipite et bibite*, intelligendum est quod ipse accipiens comederit et biberit.

Art. II. – *Utrum Christus dederit Judae corpus suum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Christus debuit esse nobis exemplum justitiae; et ideo non conveniebat ejus magisterio ut Judam occultum peccatorem sine accusatore et evidenti probatione ab aliorum communione separaret; ne per hoc daretur exemplum praelatis Ecclesiae similia faciendi, et ipse Judas exasperatus inde sumeret occasionem peccandi. – Tamen sine dubio Judas sub pane intincto corpus Christi non sumpsit, sed simplicem panem. Nam, ut Augustinus dicit (Super Joan. tract. lxii), Dominus jam antea distribuerat omnibus discipulis suis sacramentum corporis et sanguinis sui, ubi et ipse Judas erat, sicut Lucas narrat; ac deinde ad hoc ventum est, ubi secundum narrationem Joannis Dominus per buccellam tinctam atque porrectam suum exprimit proditorem. (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum Christus sumpserit et discipulis dederit corpus suum impassibile.*

RESP. NEG. – Scil.: a) corpus ipsum quod Christus discipulis suis tunc dedit erat passibilis; b) inquantum vero erat sub speciebus sacramentalibus, impassibile erat.

R. PRIMI EST: quia idem verum corpus Christi erat quod a discipulis tunc in propria specie videbatur, et in specie sacramenti sumebatur. Non autem erat impassibile, secundum quod in propria specie videbatur; quinimo erat passioni paratum. Unde nec ipsum corpus Christi, quod in specie sacramenti dabatur, impassibile erat.

R. SECUNDI EST: quia corpus Christi, secundum quod est sub sacramento, ut supra dictum est (qu. lxxvi, art. 4, 5 et 6), non comparatur ad ea quae circumstant, mediis propriis dimen-

sionibus, quibus corpora se tangunt, sed mediantibus dimensionibus specierum panis et vini; et ideo species illae sunt quae patiuntur et videntur, non autem ipsum corpus Christi.

Art. IV. – *Utrum si hoc sacramentum tempore mortis Christi fuisset servatum vel consecratum, ibi moreretur.*

RESP. AFF. – quia cum corpus Christi sit idem in substantia in hoc sacramento, et in propria specie, inde est quod quidquid pertinet ad Christum secundum quod in se est, potest attribui ei et in propria specie, et in sacramento existenti, sicut vivere, mori, dolere, animatum vel inanimatum esse, et caetera hujusmodi. – Et ideo si tunc fuisset hoc sacramentum consecratum vel peractum, quando anima erat a corpore realiter separata, non fuisset anima Christi, sub hoc sacramento. (Ad 3m).

NOTANDUM: Passio convenit corpori passo, non secundum quod corpus est in se, sed per comparisonem ad agens extrinsecum. Et ideo Christus, secundum quod est sub hoc sacramento, pati non potest, ut dictum est (art. praec.), potest tamen mori. (Ad 1m).

QUAESTIO LXXXII

De ministro hujus sacramenti

Deinde considerandum est de ministro hujus sacramenti; et circa hoc quaeruntur decem:

Art. I. – *Utrum consecratio hujus sacramenti sit propria sacerdotis.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia quicumque aliquid agit in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam. Hoc autem sacra-

mentum, tantae dignitatis, non conficitur nisi in persona Christi, ut dictum est (qu. lxxviii, art. 1 et 4). Et ideo proprium est sacerdotum conficere hoc sacramentum, qui cum ordinantur, in gradu eorum ponuntur quibus dictum est a Domino (Lc. xxii, 19): *Hoc facite in meam commemorationem.*

NOTANDUM: Episcopus accipit potestatem ut agat in persona Christi super corpus ejus mysticum, id est, super Ecclesiam: quam quidem potestatem non accipit sacerdos in sua consecratione, licet possit eam habere ex episcopi commissione. Et ideo ea quae non pertinent ad dispositionem corporis mystici, non reservantur episcopo, sicut consecratio hujus sacramenti. Ad episcopum vero pertinet tradere non solum populo, sed etiam sacerdotibus ea ex quibus possunt propriis officiis uti. Et quia benedictio chrismatis, et olei sancti, et olei infirmorum, et aliorum quae consecrantur, puta altaris, Ecclesiae, vestium et vasorum, praestat quamdam idoneitatem ad sacramenta perficienda, quae pertinent ad officium sacerdotum; ideo tales consecrationes episcopo reservantur, tanquam principi totius ecclesiastici ordinis. (Ad 4m).

Art. II. - *Utrum plures sacerdotes possint unam et eandem hostiam consecrare.*

RESP. AFF. - *Scil.:* dummodo simul eadem verba proferunt, et omnium intentio feratur ad idem instans consecrationis.

R. EST: quia sicut apostoli Christo coenanti concoenaverunt, ita novi ordinati episcopo ordinanti concelebrant; sacerdos enim non consecrat nisi in persona Christi, et ideo multi sunt unum in Christo. Unde non refert utrum per unum aut per multos hoc sacramentum consecretur, nisi quod oportet ritum Ecclesiae servari. (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum dispensatio hujus sacramenti pertineat solum ad sacerdotem.*

RESP. AFF. - *Scil.:* propter tria.

PRIMA R. EST: quia ipse Christus sicut consecravit corpus suum in coena ita et aliis sumendum dedit. Unde sicut ad sacerdotem pertinet consecratio corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio.

SECUNDA R. EST: quia sacerdos constituitur medius inter Deum et populum; unde sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona sanctificata divinitus populo tradere.

TERTIA R. EST: quia in reverentiam hujus sacramenti, a nulla re contingitur nisi consecrata; unde et corporale et calix consecrantur, et similiter manus sacerdotis, ad tangendum hoc sacramentum; unde nulli alii tangere licet, nisi in necessitate, puta si caderet in terram, vel in aliquo alio necessitatis casu.

NOTANDUM: Diaconum licet dispensare sanguinem, qui in vase continetur et non oportet quod tangatur, non autem corpus, nisi in necessitate. Item, quia sanguis designat redemptionem a Christo in populum derivatam; ideo diaconis, qui sunt inter sacerdotem et populum, magis convenit dispensatio sanguinis, quam dispensatio corporis. (Ad 1m passim).

Art. IV. - *Utrum sacerdos consecrans teneatur sumere hoc sacramentum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia Eucharistia non solum est sacramentum, sed etiam sacrificium (qu. lxxix, art. 5 et 7). Quicumque autem sacrificium offert, debet sacrificii fieri particeps, quia exterius sacrificium, quod offertur, signum est interioris sacrificii, quo quis seipsum offert Deo. Per hoc autem fit particeps quod de sacrificio sumit, secundum illud Apostoli (I. Cor. x, 18): *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?*

Et ideo necesse est quod sacerdos, quotiescumque consecrat, sumat integre hoc sacramentum.*

NOTANDUM: Si miraculose corpus Christi in altari sub specie carnis appareat, aut sanguis sub specie sanguinis, non est sumendum. Nec propter hoc sacerdos transgressor efficitur, quia ea quae miraculose fiunt, legibus non subduntur. Consulendum tamen esset sacerdoti quod iterato corpus et sanguinem Domini consecraret et sumeret. (Ad 3m).

Art. V. – *Utrum malus sacerdos Eucharistiam consecrare possit.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sacerdos hoc sacramentum consecrat non virtute propria, sed sicut minister Christi, in cujus persona consecrat hoc sacramentum. Non autem ex hoc ipso desinit esse aliquis minister Christi, quod est malus. Et hoc ad excellentiam Christi pertinet, cui, sicut vero Deo, serviunt non solum bona, sed etiam mala, quae per ipsius providentiam in ejus gloriam ordinantur. – Et ideo benedictio sacerdotis peccatoris, in quantum ab ipso indigne fit, est maledictione digna, et quasi infamia, sive blasphemia, et non oratio reputatur; in quantum autem profertur ex persona Christi, est sancta et efficax ad sanctificandum. Unde signanter dicitur: *Maledicam benedictionibus vestris* (I. Reg. xxv, 27).

Art. VI. – *Utrum missa mali sacerdotis minus valeat quam missa sacerdotis boni.*

RESP. AFF. – *Scil. :* in quantum orationes quae fiunt in missa efficaciam habent ex devotione sacerdotis orantis, non autem ex parte ipsius sa-

(*) Unde sacerdos graviter peccaret si hostiam unicam in sua missa consecratam pro processione servaret, aliam veterem sumendo, quia tunc non integre sacrificium compleret.

cramenti, vel in quantum oratio profertur a sacerdote in persona Ecclesiae.

R. EST: quia quantum ad sacramentum ipsum sacerdos, sive bonus sive malus, idem conficit sacramentum. Orationes autem quae fiunt a sacerdote peccatore in nomine Ecclesiae, non minus valent, quia ministerium etiam in peccatoribus manet. (Art. praec.). Ex devotione autem ipsius sacerdotis, missa melioris sacerdotis magis est fructuosa, ut patet.

Art. VII. – *Utrum haeretici, schismatici et excommunicati possint consecrare.*

RESP. AFF. – R. EST: quia consecratio Eucharistiae est actus consequens ordinis potestatem. Et ideo illi (sacerdotes) qui sunt ab Ecclesia separati per haeresim aut schisma, vel excommunicationem, possunt quidem consecrare Eucharistiam, quae ab eis consecrata verum corpus et sanguinem Christi continet; non tamen hoc recte faciunt, sed peccant facientes; unde fructum sacrificii non percipiunt, quod est sacrificium spirituale.

NOTANDUM: Si sacerdos ab unitate Ecclesiae praecisus missam celebret, quia potestatem ordinis non amittit, consecrat verum corpus et sanguinem Christi; sed quia est ab Ecclesiae unitate separatus, orationes ejus efficaciam non habent. (Ad 3m).

Art. VIII. – *Utrum sacerdos degradatus possit hoc sacrificium conficere.*

RESP. AFF. – R. EST: quia potestas consecrandi Eucharistiam pertinet ad characterem sacerdotalis ordinis, qui, cum sit indelibilis, per degradationem non amittitur. – Degradatis tamen aufertur executio potestatis, quasi in perpetuum condemnatis. (Ad 3m).

Art. IX. - *Utrum liceat ab excommunicatis vel haereticis, seu peccatoribus, communionem recipere et eorum missam audire.*

RESP. NEG. - R. EST: quia quicumque communicat alicui in peccato, ipse particeps peccati efficitur. Sacerdotes autem haeretici, etc., qui sunt per sententiam Ecclesiae declarati, non recte potestate consecrandi Eucharistiam utuntur, sed peccant utentes. Et ideo non licet ab ipsis communionem accipere, et eorum missam audire. - Quantum autem ad peccatores, licet ab eis communionem accipere, et eorum missam audire usque ad sententiam Ecclesiae; quamvis enim sint suspensi quantum ad se ex sententia divina, non tamen quantum ad alios ex sententia Ecclesiae; nisi peccatum eorum sit publicum per evidentiam facti, nec aliqua tergiversatione celari potest. (Ad 3m).

Art. X. - *Utrum liceat sacerdoti omnino a consecratione Eucharistiae abstinere.*

RESP. NEG. - *Scil. :* sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare; sed saltem videtur quod celebrare teneatur in praecipuis festis, et maxime in illis diebus in quibus fideles communicare consueverunt.

R. EST: quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, secundum illud. II. Cor. vi, 1: *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Opportunitas autem sacrificium offerendi non solum attenditur per comparisonem ad fideles Christi, quibus oportet sacramenta ministrari, sed principaliter per comparisonem ad Deum, cui consecratione hujus sacramenti sacrificium offertur.

QUAESTIO LXXXIII

De ritu hujus sacramenti

Deinde considerandum est de ritu hujus sacramenti; et circa hoc quaeruntur sex.

Art. I. – *Utrum in hoc sacramento Christus immoletur.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) tum si consideretur hoc sacramentum ut imago repraesentativa passionis Christi; – b) tum quantum ad effectum passionis Christi qui in celebratione hujus sacramenti participatur.

R. PRIMI EST: quia, ut Augustinus dicit (Ad Simplicianum, Lib. ii, q. 3), « Solent imagines earum rerum nominibus appellari quarum imagines sunt ». Celebratio autem hujus sacramenti, sicut supra dictum est (qu. lxxix, art. 1), imago quaedam est repraesentativa passionis Christi, quae est vera ejus immolatio. Et ideo celebratio hujus sacramenti dicitur Christi immolatio; et secundum hoc poterat dici Christus immolari etiam in figuris veteris Testamenti.

R. SECUNDI EST: quia per hoc sacramentum participes efficimur fructus dominicae passionis; et secundum hoc proprium est huic sacramento quod in ejus celebratione Christus immoletur. – Unde, ut Ambrosius dicit (Ad Heb. x, super illud *Umbram enim*, etc.), « una est hostia », quam scilicet Christus obtulit, et nos offerimus, « et non multae, quia semel oblatus est Christus ». Hoc autem sacrificium exemplum est illius. (Ad 1m).

NOTANDUM: Sicut celebratio hujus sacramenti est imago repraesentativa passionis Christi, ita altare est repraesentativum crucis ipsius, in qua Christus in propria specie immolatus est. (Ad 2m). Item, per eandem rationem etiam sacerdos ge-

rit imaginem Christi, in cujus persona et virtute verba pronuntiat ad consecrandum. Et ita quodammodo idem est sacerdos et hostia. (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum convenienter sit determinatum tempus celebrationis.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) quod quotidie hoc sacramentum celebratur; et b) quod solemniter celebratur a tertia hora usque ad nonam.

R. PRIMI EST: quia fructu dominicae passionis quotidie indigemus propter quotidianos defectus. Et ideo in Ecclesia regulariter hoc sacramentum quotidie offertur. Unde et Dominus nos petere docet (Lc. xi, 3): *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

R. SECUNDI EST: quia dominica passio celebrata est a tertia hora usque ad nonam. Et ideo regulariter in illa parte diei solemniter hoc sacramentum in Ecclesia celebratur.

NOTANDUM: Tempore passionis (in liturgia ecclesiastica) recolitur passio Christi solum secundum hoc quod in ipso capite nostro fuit perfecta, quod quidem factum est semel; quotidie autem fructum dominicae passionis fideles percipiunt: et ideo illa commemoratio sit semel in anno, hoc autem quotidie et propter fructum, et propter jugem memoriam. (Ad 1m). In die autem quo ipsa passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio hujus sacramenti, quae est figura quaedam dominicae passionis: veniente enim veritate, cessat figura. - Ne tamen Ecclesia ea etiam die sit sine fructu passionis per hoc sacramentum nobis exhibito, corpus Christi consecratum die praecedenti reservatur sumendum in illo die; non autem sanguis, propter periculum, et quia sanguis specialius est imago dominicae passionis. - In die autem Nativitatis plures missae celebrantur propter triplicem Christi nativitatem. Quarum una est aeterna. Alia autem est temporalis, sed spiritualis, qua scil. Christus oritur, *tanquam lucifer in cordibus nostris*, ut dicitur II. Petr. i. Tertia est Christi nativitas temporalis et corporalis. (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum oporteat hoc sacramentum celebrari in domo et vasis sacris.*

RESP. AFF. – R. EST: quia tum propter hujus sacramenti reverentiam, tum ad repraesentandum effectum sanctitatis quae ex passione Christi provenit, convenienter adhibentur consecrationes his rebus quae hoc sacramentum circumstant. – Domus autem in qua hoc sacramentum celebratur, Ecclesiam significat, et ecclesia nominatur. Per altare autem significatur ipse Christus, de quo dicit Apostolus (Hebr. ult. 15): *Per ipsum offerimus hostiam laudis Deo.* Unde et consecratio altaris significat sanctitatem Christi. Propter quod etiam nunquam Ecclesia sine altari consecratur. Tamen sine Ecclesia quandoque consecratur altare cum reliquiis sanctorum, quorum vita *abscondita est cum Christo in Deo.* (Coloss. iii). (Ad 2m). – Ecclesia autem et altare et alia hujusmodi inanimata consecrantur, non quia sint gratiae susceptiva, sed quia ex consecratione adipiscuntur quamdam spiritualem virtutem, per quam apta redduntur divino cultui, ut scilicet homines devotionem quamdam exinde percipiant, ut sint paratiores ad divina, nisi hoc propter irreverentiam impediatur. (Ad 3m).

NOTANDUM: Consecratio altaris repraesentat sanctitatem Christi, consecratio vero domus sanctitatem Ecclesiae. Et ideo per singulos annos fiunt solemnitates dedicationum Ecclesiarum, et octo diebus celebrantur ratione perfecte dedicationis templi. (Ad 4m). – « Altaria autem, si non fuerint lapidae, chrismatis unctione non consecrantur », quia altare significat Christum, secundum illud I. Cor. x, 3: *Petra autem erat Christus*; tum etiam quia corpus Christi in sepulcro lapideo fuit reconditum. (Ad 5m). – Calix non fit lapideus, propter porositatem; neque vitreus, propter fragilitatem: sed aureus omnino, vel argenteus (propter reverentiam et securitatem). (Ad 6m). – Corpo-

rale fit de panno lineo, quo corpus Christi fuit involutum; et propter sui munditiam, ad puritatem conscientiae significandam (Ad 7m).

Art. IV. - *Utrum convenienter ordinentur ea quae circa hoc sacramentum dicuntur.*

RESP. AFF. - R. EST: quia quaecumque circa Eucharistiae sacramentum in Missa aguntur, magna ratione instituta sunt. - (Cum valde prolixius esset si rationes omnium particularium partium missae, quas S. Doctor minute in hoc articulo exponit, hic declararentur, benevolum lectorem ad textum Summae Theologicae principalem circa hoc referimus).

Art. V. - *Utrum ea quae in celebratione hujus sacramenti aguntur, sint convenientia.*

RESP. AFF. - R. EST: quia quaecumque caeremonialia circa hoc sacramentum aguntur, sunt certa ratione statuta, scil. vel ad repraesentandam passionem Christi (sicut cum in missa utuntur cruce signationibus cum verbis *Benedictam, adscriptam, ratam*, et alia hujusmodi); vel ad devotionem et reverentiam augendam (sicut habetur in *ablutione manuum*, in *thurificatione*, in *conjunctione digitorum post consecrationem*, scil. pollicis cum indice, quibus corpus Christi consecratum tetigerat sacerdos, et alia hujusmodi). - (Ad rationes autem omnes minutas, de quibus S. Doctor, videndus est textus principalis).

Art. VI. - *Utrum possit sufficienter occurri defectibus circa celebrationem hujus sacramenti occurrentibus, statuta Ecclesiae observando.*

RESP. AFF. - R. EST: quia quidam defectus in celebratione hujus sacramenti occurrentes, possunt praeveni; alii autem subsequentes emendari possunt, vel remedio adhibendo, vel saltem

per poenitentiam ejus qui negligenter egit circa hoc sacramentum. – De defectibus in particulari occurrentibus videndus est textus S. Doctoris.

QUAESTIO LXXXIV

De sacramento poenitentiae

Consequenter considerandum est de sacramento poenitentiae; circa quod primum considerandum est de ipsa poenitentia; secundo de effectu ipsius; tertio de partibus ejus; quarto de suscipientibus hoc sacramentum; quinto de potestate ministrorum, quae ad claves pertinet; sexto de solemnitate hujus sacramenti. Circa primum duo consideranda sunt: primo de poenitentia, secundum quod est sacramentum; secundo de poenitentia, secundum quod est virtus. Circa primum quaeruntur decem:

Art. I. – *Utrum poenitentia sit sacramentum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia in poenitentia ita res gesta fit quod aliquid sanctum significatur; et hoc tum ex parte peccatoris poenitentis, tum ex parte sacerdotis absolventis: nam, peccator poenitens per ea quae facit et dicit, ostendit cor suum a peccato recessisse; similiter etiam sacerdos per ea quae agit et dicit circa poenitentem, significat opus Dei remittentis peccata. « Sacramentum autem, sicut Gregorius dicit (Apud Isid. Etym., lib. v, cap. ult.), est in aliqua celebratione cum res gesta fit ut aliquid significare intelligatur quod sancte accipiendum est ». Unde poenitentia quae in Ecclesia agitur, est sacramentum.

NOTANDA: 1. Nomine corporalium rerum, quae in sacramentis adhibentur, large intelliguntur etiam ipsi exteriores actus sensibiles, qui ita se habent in hoc sacramento, sicut aqua in baptismo. In illis enim sacramentis quae habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sensibiles sunt loco materiae, ut accidit in poeni-

tentia et matrimonio; sicut etiam in medicinis corporalibus quaedam sunt res exterius adhibitae, sicut emplastra et electuaria, quaedam vero sunt actus sanandorum, puta exercitationes quaedam. (Ad 1m).

2. *Sacramentum tantum* in poenitentia est actus exterius exercitus tam per peccatorem poenitentem, quam etiam per sacerdotem absolventem; *res autem et sacramentum* est poenitentia interior peccatoris; *res tantum* autem et non sacramentum est remissio peccati; quorum primum totum simul sumptum est causa secundi; primum autem et secundum sunt quodammodo causa tertii. (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum peccata sint propria materia hujus sacramenti.*

RESP. AFF. – R. EST: quia, ut dictum est (art. praec.), materia hujus sacramenti sunt actus poenitentis. Materia autem horum actuum sunt peccata, de quibus poenitens dolet et quae confitetur, et pro quibus satisfacit. Unde relinquitur quod remota materia poenitentiae sint peccata, non acceptanda, sed detestanda et destruenda. (Materia autem proxima sunt actus poenitentis, qui proveniunt ex inspiratione interna; et ideo materia adhibetur ab ipso Deo interius operante: complementum autem sacramenti exhibet minister dum poenitentem absolvit). (Cfr. Ad 2m. art. praec.).

Art. III. – *Utrum haec sit forma hujus sacramenti : « Ego te absolvo ».*

RESP. AFF. – *Scil. :* est convenientissima.

R. EST: quia, cum sacramenta novae legis efficiant quod figurant, oportet quod forma sacramenti significet id quod in sacramento agitur proportionaliter materiae sacramenti. Hoc autem sacramentum, scil. poenitentiae, consistit in remotione cujusdam materiae, scil. peccati, prout peccata dicuntur esse materia poenitentiae, ut

ex supra dictis patet (art. praec.). Talis autem remotio significatur a sacerdote, cum dicitur: *Ego te absolvo*. Nam peccata sunt quaedam vincula (Prov. v, 22). Unde patet quod haec est convenientissima forma hujus sacramenti: *Ego te absolvo*.

NOTANDUM: In hoc sacramento potius dicit (sacerdos): *Ego te absolvo*, quam: *Ego tibi peccata remitto*, quia hoc magis congruit verbis quae Dominus dixit (Petro), virtutem clavium ostendens, per quas sacerdotes absolvunt; quia tamen sacerdos sicut minister absolvit, convenienter apponitur aliquid quod pertinet ad primam auctoritatem Dei, scil. ut dicatur: *Ego te absolvo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, vel per virtutem passionis Christi, vel auctoritate Dei. Quia tamen hoc non est determinatum ex verbis Christi, sicut in baptismo, talis appositio relinquatur arbitrio sacerdotis; (standum est tamen ad usum Ecclesiae). *

Art. IV. – *Utrum impositio manuum sacerdotis requiratur ad hoc sacramentum.*

RESP. NEG. – R. EST: quia sacramentum poenitentiae non ordinatur ad consequendam aliquam excellentiam gratiae, sicut ordinatur confirmatio vel ordo, sed ad remotionem peccatorum; et ideo ad hoc sacramentum non requiritur manum impositio, sicut etiam nec ad baptismum, in quo tamen fit plenior remissio peccatorum. Unde sicut in Eucharistia sacerdos sola prolatione verborum super materiam perficit sacramentum, ita etiam sola verba sacerdotis absolventis super poenitentem perficiunt absolutionis sacramentum. Et si aliquis actus corporalis sit

(*) Haec verba « *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* » non sunt de essentia formae sacramentalis; nonnulli putant hanc omissionem fore mortalem. Sed S. Alphonsus, et alii communiter dicunt esse tantum venialem. (Theol. mor. lib. vi, N. 430).

ex parte sacerdotis, hoc tamen non est de necessitate hujus sacramenti, sicut nec de necessitate Eucharistiae. (Ad 3m).

Art. V. - *Utrum hoc sacramentum sit de necessitate salutis.*

RESP. AFF. - *Scil.* : non absolute, sed ex suppositione.

R. EST: quia sacramentum poenitentiae est quidem necessarium non omnibus, sed peccato subjacentibus. Nam necessarium est ad salutem peccatoris quod peccatum removeatur ab eo; quod quidem non potest fieri sine poenitentiae sacramento, in quo operatur virtus passionis Christi per absolutionem sacerdotis simul cum opere poenitentis.

NOTANDUM: Ex quo aliquis peccatum incurrit, charitas, fides et misericordia non liberant hominem a peccato sine poenitentia. Requirit enim charitas quod homo doleat de offensa in amicum commissa, et quod homo studeat satisfacere; requirit etiam ipsa fides ut per virtutem passionis Christi, quae in sacramentis Ecclesiae operatur, quaerat justificari a peccatis; requirit etiam et ipsa misericordia ordinata ut homo subveniat poenitendo suae miseriae, quam per peccatum incurrit, secundum illud Prov. xiv, 34: *Miseros facit populos peccatum*; unde Eccli. xxx, 24 dicitur: *Miserere animae tuae, placens Deo.* (Ad 2m).

Art. VI. - *Utrum poenitentia sit secunda tabula post naufragium.*

RESP. AFF. - *Scil.* : poenitentia tenet secundum locum respectu status integritatis qui confertur et conservatur per alia sacramenta, scil. per baptismum, confirmationem et Eucharistiam.

R. EST: quia poenitentia ordinatur ad salutem hominis, non per se, sicut alia sacramenta praedicta, sed quasi per accidens, et supposito quodam, scil. ex suppositione peccati. - Et ideo sicut pri-

num remedium mare transeuntibus est ut conserventur in navi integra, secundum autem remedium est post navem fractam ut quis tabulae (et haec est secunda tabula) adhaereat: ita etiam primum remedium in mari hujus vitae est quod homo integritatem servet; secundum autem remedium est, si per peccatum integritatem perdidit, quod per poenitentiam redeat.

Art. VII. – *Utrum hoc sacramentum fuerit convenienter in nova lege institutum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Dominus modos actuum qui ad hoc sacramentum requiruntur determinavit. Nam, quod de jure naturali est, sicut quod aliquis poeniteat de malis quae fecit determinationem accipit ab institutione legis divinae secundum quod congruit imperfectioni veteris legis et perfectioni novae legis. Unde et poenitentia determinationem habuit in veteri lege, prout aliquo modo ministris Dei peccata sua (judaei) confiterentur, ad minus in generali, oblatione facta pro peccatis suis (Prov. xxviii, 13). In nova lege autem poenitentia determinationem habuit sub potestate clavium, quae a passione Christi derivatur. (In corp. art. et ad 2m).

Art. VIII. – *Utrum poenitentia debeat durare usque ad finem vitae.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) interior poenitentia debet durare usque ad finem vitae; – b) exterior vero poenitentia non oportet quod duret usque ad finem vitae, sed usque ad determinatum tempus secundum mensuram peccati.

R. PRIMI EST: quia interior poenitentia est qua quis dolet de peccato commisso: semper autem debet homini displicere, quod peccavit; si enim ei placeret peccasse, jam ex hoc ipso peccatum incurreret, et fructum veniae perderet.

R. SECUNDI EST: quia exterior poenitentia est qua quis exteriora signa doloris ostendit, et verbo tenus peccata sua confitetur sacerdoti absolventi, et juxta ejus arbitrium satisfacit.

Art. IX. – *Utrum poenitentia pòssit esse continua.*

RESP. AFF. – *Scil.* : secundum habitum.

R. EST: quia actu impossibile est quod homo continue poeniteat, quia necesse est quod actus poenitentis interpoletur ad minus somno. Secundum habitum autem oportet quod homo continue poeniteat, et quantum ad hoc quod homo nunquam aliquid contrarium poenitentiae faciat, per quod habitualis dispositio poenitentis tollatur, et quantum ad hoc quod debet homo in proposito genere quod semper sibi praeterita peccata displiceant.

NOTANDUM: Tristitia quae in appetitu sensitivo poenitentis consequitur ex displicentia voluntatis, passio quaedam est; unde moderanda est secundum virtutem, et ejus superfluitas est vitiosa, quia inducit in desperationem; quod significat Apostolus dicens: *Consolamini, ne majori tristitia absorbeat qui hujusmodi est.* Et sic consolatio de qua ibi Apostolus loquitur, est moderativa tristitiae, non autem totaliter ablativa. (Ad 3m).

Art. X. – *Utrum sacramentum poenitentiae debeat iterari.*

RESP. AFF. – *Scil.* : contra illos qui dicunt charitatem semel habitam per primam poenitentiam, i. e., per baptismum, amitti numquam posse; – et contra alios qui putabant adeo grave esse peccatum quod aliquis committit post veniam impetratam, quod non sit possibile ipsum remitti.

R. EST: quia charitas amitti potest propter libertatem arbitrii; et amissa reimpetrari potest per infinitam Dei misericordiam, quae superat omnem numerum et magnitudinem peccatorum.

Unde reprobatur verbum Cain dicentis (Gen. iv, 13): *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear*. Et ideo dicitur Matth. xviii, 21 Petro quaerenti: *Quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies?* respondit Jesus: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*. Ergo etiam Deus saepius per poenitentiam veniam peccantibus praebet, praesertim cum doceat nos petere (Mt. vi, 12): *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. (In corp. art. et in S^d Contra). « Medicorum enim » ut Augustinus dicit (Lib. De poeniten.) « est centies infirmum centies curare ». (Ad 3m). Nam « constat Deo multum displicere peccata, qui semper praesto est ea destruere, ne solvatur quod creavit, nec corrumpatur quod amavit », scil. per desperationem. (Ad 6m).

QUAESTIO LXXXV

De poenitentia secundum quod est virtus

Deinde considerandum est de poenitentia secundum quod est virtus; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum poenitentia sit virtus.*

RESP. AFF. – *Scil.:* in quantum dolor vel tristitia de peccato consistit in voluntate, non autem ut passio.

R. EST: quia in quantum dolor consistit in voluntate est cum quadam electione, quae quidem, si sit recta, necesse est quod sit virtus vel actus virtutis. Haec autem rectitudo habetur cum poenitens assumit moderatum dolorem de peccatis praeteritis cum intentione removendi ea. – Dolor autem vel tristitia prout est passio quaedam appetitus sensitivi, non est virtus, sed passio.

NOTANDUM: In sacramento poenitentiae materialiter se habent actus humani; quod non contingit in aliis sacramentis. Et ideo cum virtus sit principium alicujus actus, potius poenitentia est virtus vel cum virtute, quam alia sacramenta. (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum poenitentia sit specialis virtus.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia in poenitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scil. operari ad destructionem peccati praeteriti, in quantum est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Unde necesse est ponere quod poenitentia est specialis virtus.

NOTANDUM: Si in actu poenitentis consideretur sola displicentia peccati praeteriti, hoc immediate ad charitatem pertinet, sicut et gaudere de bonis praeteritis; sed intentio operandi ad deletionem peccati praeteriti requirit specialem virtutem sub charitate, (et haec virtus est poenitentia). (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum virtus poenitentiae sit species justitiae.*

RESP. AFF. - *Scil.:* est pars justitiae potentialis.

R. EST: quia emendatio offensae contra aliquem commissae, quam intendit poenitens, non fit per solam cessationem offensae; sed exigitur ulterius quaedam recompensatio, quae habet locum in offensis in alterum commissis, sicut et retributio; nisi quod recompensatio est ex parte ejus qui offendit, utpote cum satisfacit; retributio autem est ex parte ejus in quem est offensa commissa. Utrumque autem ad materiam justitiae pertinet, quia utrumque est commutatio quaedam. Unde manifestum est quod poenitentia, secundum quod est virtus, est pars justitiae, scil. pars potentialis, siquidem ad justitiam reducitur, ut imperfectum ad perfectum (cfr. II-II, qu. xlviij).

NOTANDA: 1. Justum quod in poenitentia habetur non est simpliciter, i. e., inter aequales sed secundum quid, i. e., inter illos quorum unus est sub potestate alterius. Unde in talibus ille qui est deficiens, debet facere quidquid potest. Nec tamen hoc erit sufficiens simpliciter, sed solum secundum acceptationem superioris; et hoc significatur per excessum, qui attribuitur poenitentiae, secundum illud Jeremiae vi, 26: *Luctum uni-geniti fac tibi planctum amarum.* (Ad 2m).

2. Poenitentia licet sit directe species justitiae, comprehendit tamen quodammodo ea quae pertinent ad omnes virtutes; inquantum enim est justitia quaedam hominis ad Deum, oportet quod participet ea quae sunt virtutum theologiarum, quae habent Deum pro objecto. Inquantum vero est virtus moralis, participat aliquid prudentiae, quae est directiva omnium moralium virtutum, et aliarum virtutum cardinalium. (Ad 4m).

Art. IV. – *Utrum voluntas sit proprie subjectum poenitentiae.*

RESP. AFF. – *Scil.:* poenitentia, secundum quod est virtus, est in voluntate sicut in subjecto.

R. EST: quia poenitentia, secundum quod est virtus, est species justitiae (art. praec.): justitia autem habet pro subjecto appetitum rationis, qui est voluntas (I-II. qu. lvi, art. 6). Unde poenitentia, secundum quod est virtus, est in voluntate sicut in subjecto, et proprius ejus actus est propositum emendandi illud quod contra Deum commissum est. – Ut passio autem, poenitentia est in concupiscibili, sicut in subjecto.

Art. V. – *Utrum principium poenitentiae sit ex timore.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) principium poenitentiae ut habitus est ipse Deus; – b) principium autem poenitentiae ut actus, prout est primus motus affectus ad poenitentiam ordinatus, est

timor servilis; proprium autem et immediatum principium actus poenitentiae est timor filialis.

R. PRIMI EST: quia poenitentia ut habitus a Deo immediate infunditur sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus per aliquos actus.

R. SECUNDI EST: quia peccatum prius incipit homini displicere, maxime peccatori, propter supplicia quae respicit timor servilis, quam propter Dei offensam vel peccati turpitudinem, quod pertinet ad charitatem. (Ad 1m). - Sic autem procedit actus poenitentiae: primum principium est Dei operatio convertentis cor, secundum illud Thren., 21: *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur*; secundus actus est motus fidei; tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum a peccatis retrahitur; quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniae consequendae assumit propositum emendandi; quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, et non jam propter supplicia; sextus actus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert. (In corp. art.).

Art. VI. - *Utrum poenitentia sit prima virtutum.*

RESP. NEG. - *Scil. : a) poenitentia non est simpliciter prima virtutum nec ordine temporis, nec ordine naturae; - b) secundum quid autem et ordine temporis tantum est prima virtutum moralium.*

R. PRIMI EST: quia quidam actus laudabiles etiam tempore praecedere possunt actum et habitum poenitentiae, sicut actus fidei et spei informium, et actus timoris servilis; actus autem et habitus charitatis simul sunt tempore cum actu et habitu poenitentiae. Horum tamen duorum

actuum primus naturaliter praecedit secundum; nam actus virtutis poenitentiae est contra peccatum ex amore Dei; unde primus actus est ratio et causa secundi.

R. SECUNDI EST: quia in justificatione impii simul est motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei per charitatem formatus, et motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus poenitentiae. Unde actus poenitentiae primus occurrit in justificatione impii. Et secundum hoc poenitentia est prima virtus inter caeteras virtutes morales ordine temporis. Sed ordine naturae videntur esse aliae virtutes priores, sicut quod est per se, est prius eo quod est per accidens; nam aliae virtutes per se videntur esse necessariae ad bonum hominis; poenitentia autem, supposito quodam, scil. peccato praeexistenti.

QUAESTIO LXXXVI

De effectu poenitentiae quoad mortali- um peccatorum remissionem

Deinde considerandum est de effectibus poenitentiae; et primo quantum ad remissionem peccatorum mortalium; secundo quantum ad remissionem peccatorum venialium; tertio quantum ad reditum peccatorum dimissorum; quarto quantum ad restitutionem virtutum. Circa primum quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum per poenitentiam omnia peccata removeantur.*

RESP. AFF. – *Scil.:* cum ex parte poenitentis viatoris, tum ex parte ipsius poenitentiae.

R. PRIMI EST: quia affectus hominis viatoris non est confirmatus in malo, sicut accidit in damnatis; sed ejus liberum arbitrium est flexibile ad

bonum et ad malum; et ideo gratia Dei converti potest.

R. SECUNDI EST: quia dicere aliquod peccatum per veram poenitentiam non posse remitti divinae misericordiae repugnaret: vinceretur enim quodammodo Deus ab homine, si homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet. Unde dicitur Ezech. xviii, 22: *Omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor amplius.* Item, derogaret virtuti passionis Christi, per quam poenitentia operatur, sicut et caetera sacramenta, cum scriptum sit (I. Jn. ii, 2): *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non solum autem nostris, sed etiam totius mundi.*

NOTANDUM: Verbum illud vel blasphemia in Spiritum sanctum, de quo Dominus apud Mt. xii, 32, est finalis impoenitentia, ut Augustinus dicit (Lib. De verbis Domini, serm. xi, c. 12), quae poenitentia irremissibilis est; vel, si intelligatur per blasphemiam Spiritus sancti, peccatum quod fit ex certa malitia, vel etiam ipsa blasphemia Spiritus sancti dicitur non remitti, scil. de facili vel quia tale peccatum non habet in se causam excusationis, vel quia pro tali peccato punitur aliquis et in hoc saeculo et in futuro, ut in secunda parte expositum est (II-II, qu. xiv). – (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum sine poenitentia peccatum remitti possit.*

RESP. NEG. – *Scil.:* impossibile est peccatum actuale mortale sine poenitentia remitti, loquendo de poenitentia quae est virtus.

R. EST: quia offensa peccati mortalis procedit ex hoc quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remissionem divinae offensae quod voluntas hominis sic immutetur ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis praedictae, et proposito emendandi; quod perti-

net ad rationem poenitentiae, secundum quod est virtus. Et quia Deus est causa omnis boni creati, non potest ipse Deus remittere peccatum, quin operetur conversionem poenitentis.

Art. III. – *Utrum possit per poenitentiam unum peccatum sine alio remitti.*

RESP. NEG. – **PRIMA R. EST:** quia nullum peccatum potest remitti sine gratia: omne autem peccatum mortale contrariatur gratiae, et excludit eam. Unde impossibile est quod unum peccatum sine alio remittatur.

SECUNDA R. EST: quia non potest esse vere poenitens qui de uno peccato poenitet, et non de alio. Si enim displiceret ei illud peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum (quod requiritur ad rationem verae poenitentiae), sequeretur quod de omnibus peccatis poeniteret.

TERTIA R. EST: quia, ex parte Dei, esset contra perfectionem divinae misericordiae si cujus miseretur non totaliter misereatur.

Art. IV. – *Utrum remissa culpa per poenitentiam remaneat reatus poenae.*

RESP. AFF. – *Scil. :* non remanet reatus poenae aeternae; potest tamen remanere reatus alicujus poenae temporalis.

R. EST: quia reatus poenae aeternae sequitur culpam (gravem) inquantum culpa importat aversionem a bono incommutabili: nam justum est ut qui contra aeternum bonum peccavit, in aeternum puniatur. Unde sublata culpa per gratiam, tollitur etiam reatus poenae aeternae. – Conversioni autem ad bonum commutabile, quae habetur in peccato, cum hoc bonum sit finitum, non debetur poena aeterna, sed poena temporalis: justum est enim ut qui voluntati suae plus

indulsit quam debuit contra voluntatem suam aliquid patiatur: sic enim erit aequalitas. Unde Apoc. xviii, 7 dicitur: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.*

NOTANDA: 1. In peccato veniali non habetur aversio a Deo, sed tantum conversio inordinata ad creaturam; et ideo peccatum veniale non punitur poena aeterna, sed poena temporali. (In corp. art.).

2. Aversio a Deo se habet in culpa mortali, ut formale, conversio autem ad creaturam, ut materiale. (Ad 1m). Primum tollitur per gratiam operantem; alterum per gratiam cooperantem. (Ad 2m); et solvitur reatus totius poenae, completis omnibus poenitentiae actibus, qui se habent ut materia poenitentiae, sicut aqua in baptismo, ut dictum est (qu. lxxxiv, art. 1 et 3). - (Ad 3m).

Art. V. - *Utrum, remissa culpa mortali, tollantur omnes reliquiae peccati.*

RESP. NEG. - *Scil. :* nihil prohibet quin, remissa culpa, remaneant dispositiones ex praecedentibus actibus causatae, quae dicuntur peccati reliquiae; remanent tamen debilitatae et diminutae, ita quod homini non dominantur; et hoc magis per modum dispositionum quam per modum habituum, sicut etiam remanet fomes post baptismum.

R. EST: quia sublato, per gratiam, eo quod est ex parte aversionis, nihilominus remanere potest id quod est ex parte conversionis inordinatae: conversio enim inordinata ad creaturam remanere potest sine aversione a Deo, sicut sublato formali, remanere potest materiale, ut dictum est (Art. praec.).

Art. VI. - *Utrum remissio culpae sit effectus poenitentiae.*

RESP. AFF. - *Scil. :* remissio culpae est effectus poenitentiae, secundum quod est virtus, princi-

palius tamen secundum quod est sacramentum.

R. EST: quia, ut sacramentum, poenitentia, scil. ex parte ministri, qui virtutem applicat clavium, se habet ut forma; actus vero poenitentis, qui ex virtute poenitentiae procedunt, in ordine ad claves Ecclesiae, se habent ut materia. Potior est autem forma quam materia: ex utroque tamen est unum sacramentum (qu. lx, art. 6).

NOTANDUM: Ad objectionem quod remissio culpae potest esse a Deo sine poenitentiae sacramento, non autem sine poenitentia, secundum quod est virtus, dicendum est quod ex hoc non potest concludi nisi quod gratia est principalior causa remissionis culpae quam poenitentiae sacramentum. (Resp. ad objectionem in *contrarium*).

QUAESTIO LXXXVII

De remissione venialium peccatorum

Deinde considerandum est de remissione venialium peccatorum; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum peccatum veniale possit remitti sine poenitentia.*

RESP. NEG. – *Scil.*: cum per utrumque peccatum, scil. mortale et veniale, deordinetur voluntas hominis per immoderatam conversionem ad bonum creatum, ideo utrumque peccatum per poenitentiam remitti oportet, aliter tamen et aliter.

R. EST: quia per peccatum mortale mens (propter conversionem ad creaturam) omnino a Deo avertitur, utpote contra charitatem agens; per

peccatum autem veniale retardatur affectus hominis, ne prompte in Deum feratur. Et ideo ad remissionem peccati mortalis exigitur perfectior poenitentia, ut scil. homo *actualiter* peccatum mortale commissum detestetur, quantum in ipso est, ut scil. diligentiam adhibeat ad memorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur. Ad remissionem autem venialium peccatorum sufficit *virtualis* displicentia, puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum, et res divinas, ut quidquid sibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret: quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem. - *Habitualis* autem displicentia, quae habetur per habitum charitatis vel poenitentiae virtutis, non sufficit ad remissionem peccatorum venialium; quia sic charitas non compateretur peccatum veniale, quod patet esse falsum.

Art. II. - *Utrum ad remissionem venialium peccatorum requiratur gratiae infusio.*

RESP. NEG. - R. EST: quia peccatum veniale non contrariatur habituali gratiae vel charitati, sed retardat actum ejus in quantum nimis inhaeret homo bono creato, licet non contra Deum, ut in secunda parte habitum est (I-II, qu. lxxxviii, art. 1). Et ideo ad hoc quod peccatum veniale tollatur, non requiritur, quod infundatur aliqua habitualis gratia, sed sufficit aliquis motus gratiae vel charitatis ad ejus remissionem. - Tamen quandocumque de novo gratia infunditur, peccata venialia (de quibus habetur displicentia) remittuntur.

NOTANDUM: Sicut in corpore contingit esse maculam dupliciter, uno modo per privationem ejus quod requiritur ad decorem, puta debiti coloris aut debitae proportionis membrorum, alio modo per superinductionem alicujus impediens decorem, puta luti aut pulveris; ita etiam animae inducitur macula uno modo per privationem decoris gratiae per peccatum mortale, alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale, et hoc fit per peccatum veniale. Et ideo ad tollendam maculam peccati mortalis requiritur infusio gratiae, sed ad tollendam maculam venialis peccati requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quam removeatur inordinata adhesio ad rem temporalem. (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum venialia peccata remittantur per aspersionem aquae benedictae, et caetera hujusmodi.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia aspersione aquae benedictae, benedictio episcopalis, oratio in Ecclesia dedicata, et si aliqua sunt hujusmodi fiunt cum aliquo moto reverentiae in Deum, in quo est saltem implicite, detestatio peccati venialis. Et hoc sufficit ad remissionem venialis peccati. – Haec autem quantum est de se, operantur ad remissionem *omnium* peccatorum venialium; potest tamen impediri remissio quantum ad aliqua peccata venialia, quibus mens actualiter inhæret; sicut et per fictionem interdum impeditur effectus baptismi. (Ad 2m).

Art. IV. – *Utrum veniale peccatum possit remitti sine mortali peccato.*

RESP. NEG. – **R. EST:** quia remissio culpae sive mortalis sive venialis nunquam fit nisi per virtutem gratiae. Ille autem qui est in peccato mortali, caret gratia. Unde nullum veniale ei remittitur.

QUAESTIO LXXXVIII

De reditu peccatorum per poenitentiam dimissorum

Deinde considerandum est de reditu peccatorum per poenitentiam dimissorum; et circa hoc quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum peccata dimissa redeant per sequens peccatum.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) peccata dimissa, considerata ex parte conversionis ad bonum creatum non redeunt per sequens peccatum; – b) item, macula et reatus poenae aeternae, secundum quod causabantur ex actibus peccatorum prius dimissorum, non redeunt per peccatum sequens.

R. PRIMI EST: quia ex parte conversionis ad bonum creatum peccata mortalia sunt diversa, et interdum contraria. Unde manifestum est quod ex hac parte peccatum mortale sequens non facit redire peccata mortalia prius abolita; alioquin sequeretur quod homo per peccatum prodigalitatis reduceretur in habitum vel dispositionem avaritiae prius abolitae; et sic contrarium esset causa sui contrarii, quod est impossibile.

R. SECUNDI EST: quia opus Dei per hominis opus irritari non potest. Remissio autem peccatorum priorum (sicut etiam remissio maculae et reatus poenae aeternae) fuit opus divinae misericordiae; unde non potest irritari per sequens peccatum hominis, secundum illud Rom. iii, 3: *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit?* – Item, quia remissio peccatorum per gratiam et gratiae sacramenta fit *absolute*; nam si non fieret absolute, sed cum quadam conditione in

futurum dependente, sequeretur quod gratia et gratiae sacramenta non essent sufficiens causa remissionis peccatorum, quod est erroneum, utpote derogans gratiae Dei. Et ideo nullo modo potest esse quod macula et reatus praecedentium peccatorum redeant, secundum quod ex talibus actibus causabantur.

NOTANDUM: Per peccatum sequens poenitentiam tamen redit quodammodo reatus peccatorum prius dimissorum, non inquantum causabatur ex illis peccatis prius dimissis, sed inquantum causatur ex peccato ultimo perpetrato, quod aggravatur ex peccatis prioribus. Et hoc non est peccata dimissa redire simpliciter, sed redire secundum quid, inquantum scil. virtualiter in peccato sequenti continentur. (In fine art.).

Art. II. – *Utrum peccata dimissa redeant per ingratitudinem, quae specialiter est secundum odium fraternum, apostasiam a fide, contemptum confessionis, et dolorem de poenitentia habita.*

RESP. AFF. – *Scil.*: redeunt secundum sensum explicatum in praecedenti articulo.

R. EST: quia, ut dictum est (art. praec.), peccata dimissa per poenitentiam redire dicuntur, inquantum reatus eorum ratione ingratitudinis virtualiter continentur in peccato sequenti. Quatuor autem genera ingratitudinis, scil. odium fraternum, etc. directius opponuntur beneficio remissionis peccatorum (Ad 1m); et ideo ex his major ingratitudo sequitur. Sunt enim quatuor species motus gratitudinis contra quos sunt quatuor praedictae species ingratitudinis. Primus quidem est motus ex parte benefactoris, qui remittere debet fratri veniam petenti, contra quod est odium fraternum; alii autem sunt ex parte poenitentis: et primo quidem est motus in Deum per fidem formatam, contra quem est apostasia; secundus motus est in peccatum, contra quem

est dolor de poenitentia; et tertius motus est subjectio poenitentis Ecclesiae clavibus, contra quem est contemptus confessionis.

Art. III. - *Utrum per ingratitude peccati sequentis consurgat tantus reatus, quantus fuerat peccatorum prius dimissorum.*

RESP. NEG. - R. EST: quia reatus praecedentium peccatorum non redit per peccatum sequens, in quantum sequebatur ex actibus praeteritorum peccatorum, sed in quantum consequitur actum sequentis peccati. Et ideo oportet quod quantitas reatus redeuntis sit secundum gravitatem peccati subsequenter. Tamen, cum proportionaliter quantitas ingratitude adaequetur quantitati beneficii, necesse est quod proportionaliter, quanto peccata prius dimissa fuerunt plura et majora, tanto redeat major reatus per quaecumque sequens mortale peccatum. Absolute autem non oportet quod quantitas ingratitude sit aequalis quantitati beneficii suscepti secundum remissionem peccatorum praeteritorum; quia, caeteris paribus, potest esse major contemptus vel major culpa subsequens in uno, quam in alio.

Art. IV. - *Utrum ingratitude, ratione cuius sequens peccatum facit redire peccata prius dimissa, sit speciale peccatum.*

RESP. NEG. - *Scil.* : ingratitude peccantis quandoque est speciale peccatum, sed non semper.

R. EST: quia quamvis omni peccato Deus contemnitur in suis praeceptis, tamen non omne peccatum est ex contemptu. Unde si aliquis peccator in contemptum Dei et suscepti beneficii aliquod peccatum committat, illud peccatum trahitur ad speciem ingratitude. Si vero aliquis

intendens aliquod peccatum committere, puta homicidium aut adulterium, non retrahatur ab hoc propter hoc quod pertinet ad Dei contemptum, ingratitude non erit speciale peccatum, sed trahetur ad speciem alterius peccati, sicut circumstantia quaedam.

QUAESTIO LXXXIX

De virtutum recuperatione per poenitentiam

Deinde considerandum est de recuperatione virtutum per poenitentiam; et circa hoc quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum per poenitentiam virtutes restituantur.*

RESP. AFF. – R. EST: quia per poenitentiam reinfunditur gratia, ex qua, sicut potentiae ex animae essentia, consequuntur omnes virtutes gratuitae, ut dictum est (I-II, q. cx, art. 4).

NOTANDUM: Poenitentia causat gratiam in quantum est sacramentum; nam in quantum est virtus, est magis gratiae effectus. (Ad 1m). Et quia formalis vis hujus sacramenti dependet ex virtute clavium, ideo virtus clavium effective causat gratiam et virtutes, instrumentaliter tamen; sed actus primus poenitentis se habet ut ultima dispositio ad gratiam consequendam, scil. contritio. (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum post poenitentiam resurgat homo in aequali virtute.*

RESP. NEG. – *Scil.:* potest resurgere etiam in majori, vel minori gratia.

R. EST: quia formae quae possunt recipere magis et minus, intenduntur et remittuntur secundum diversam dispositionem subjecti (I-II,

qu. lii, art. 1). Et inde est quod secundum quod motus liberi arbitrii in poenitentia est intensior vel remissior, secundum hoc poenitens consequitur majorem vel minorem gratiam; et eadem est ratio de virtutibus quae ex gratia consequuntur.

Art. III. – *Utrum per poenitentiam restituatur homo in pristinam dignitatem.*

RESP. AFF. – *Scil.* : a) quantum ad Deum homo per poenitentiam recuperat dignitatem filiationis; b) non autem innocentiae, sed quandoque aliquid majus; c) quantum ad dignitatem ecclesiasticam non semper eam recuperat.

R. PRIMI EST: quia in Luca xv habetur de filio prodigo quod pater poenitenti jussit restitui *stolam primam, et annulum, et calceamenta*, quae dignitatem principalem significant, qua scilicet filius prodigus computatus erat inter filios Dei per gratiam.

R. SECUNDI EST: quia, ut Gregorius dicit (In hom. de centum ovibus): « qui errasse a Deo se considerant, damna praecedentia lucris sequentibus recompensant. Major ergo gaudium de eis fit in caelo, quia et dux in praelio plus eum militem diligit qui post fugam reversus hostem fortiter premit, quam illum qui nunquam terga praebuit, et nunquam aliquid fortiter fecit ».

R. TERTII EST: quia si peccator non poenitet, vel negligenter poenitentiam facit, pristinam dignitatem ecclesiasticam non recuperat; similiter etiam propter irregularitatem et scandalum, secundum Ecclesiae canones.

Art. IV. – *Utrum opera virtutum in charitate facta possint mortificari.*

RESP. AFF. – R. EST: quia effectus operum virtuosorum, quae in charitate fiunt, est perdu-

cere ad vitam aeternam; quod quidem impeditur per peccatum mortale sequens, quod gratiam tollit. Et secundum hoc opera in charitate facta mortificari dicuntur per consequens peccatum mortale.

Art. V. – *Utrum opera mortificata per peccatum, per poenitentiam reviviscant.*

RESP. AFF. – *Scil.:* opera meritoria, etiam postquam per peccatum mortificantur, per poenitentiam, quantum est de se, reviviscunt.

R. EST: quia illa opera, prout facta fuerant, Deus semper acceptabit, et sancti de eis gaudebunt, secundum illud Apoc. iii, 11: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Unde opera prius mortificata, per poenitentiam, sublato impedimento peccati, recuperant efficaciam perducendi eum qui fecit ea in vitam aeternam, quod est ea reviviscere. – Opera enim in charitate facta non mortificantur secundum se, sed solum per impedimentum superveniens ex parte operantis. (Ad 2m).

NOTANDUM: Ille qui per poenitentiam resurgit in minori charitate, consequetur quidem praemium essenziale, secundum quantitatem charitatis in qua invenitur; habebit tamen gaudium majus de operibus in prima charitate factis, quam de operibus quae in secunda fecit, quod pertinet ad praemium accidentale. (Ad 3m).

Art. VI. – *Utrum per poenitentiam subsequentem etiam opera mortua vivificentur.*

RESP. NEG. – *Scil.:* neque opera quae dicuntur mortua *effective*, i. e., quae causant mortem animae, quae etiam *opera mortifera* nuncupantur; neque illa quae *privative* dicuntur mortua, quae scil. non fiunt ex charitate, vivificantur per poenitentiam.

R. PRIMI EST: quia talia opera, cum sint mortifera, non vivificantur, sed proprie abolentur per poenitentiam secundum illud Hebr. vi, 1: *Non rursus facientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis.*

R. SECUNDI EST: quia differentia mortis et vitae in operibus est secundum comparisonem ad principium a quo procedunt. Opera autem non possunt iterum a principio procedere, quia transeunt, et iterum eadem numero resumere non possunt. Unde impossibile est quod opera mortua iterum fiant viva per poenitentiam.

NOTANDUM: Deus recordatur bonorum quae quis facit in statu peccati, non ut remuneret ea in vita aeterna, quae debetur solis operibus vivis, id est, ex charitate factis; sed remunerat ea temporali remuneratione; vel etiam ad hoc quod peccator patietur tolerabilius iudicium. (Ad 3m).

QUAESTIO XC

De partibus poenitentiae in generali

Deinde considerandum est de partibus poenitentiae, et primo in generali; secundo in speciali de singulis. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum poenitentiae debeant partes assignari.*

RESP. AFF. – *Scil.* : ex parte materiae.

R. EST: quia, ut dictum est supra (qu. lxxxiv, art. 2 et 3), in sacramento poenitentiae actus humani se habent per modum materiae. Et ideo cum plures actus humani requirantur ad poenitentiae perfectionem, scilicet contritio confessio et satisfactio, ut infra patebit (art. seq.), consequens est quod sacramentum poenitentiae habeat partes.

NOTANDUM: Poenitentiae, secundum quod est virtus, non assignantur partes: actus enim humani qui multiplicantur in poenitentia, non comparantur ad habitum virtutis sicut partes, sed sicut effectus. (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum convenienter assignentur partes poenitentiae, contritio, confessio et satisfactio.*

RESP. AFF. – *Scil.:* ex parte poenitentis, cujus actus sunt quasi materia hujus sacramenti.

R. EST: quia in hoc sacramento non quaeritur sola redintegratio aequalitatis justitiae, sicut in justitia vindicativa; sed magis reconciliatio amicitiae, quod fit dum offendens recompensat secundum voluntatem ejus quem offendit. Sic igitur requiritur ex parte poenitentis, primo quidem voluntas recompensandi, quod fit per contritionem; secundo quod se subiciat arbitrio sacerdotis loco Dei, quod fit in confessione; tertio quod recompenset secundum arbitrium ministri Dei, quod fit in satisfactione. Et ideo contritio, confessio et satisfactio ponuntur partes poenitentiae.

NOTANDUM: Quia plura requiruntur ad bonum, « quod procedit ex integra causa, quam ad malum, quod procedit ex singularibus defectibus », ideo licet peccatum perficiatur in consensu cordis, ad perfectionem tamen poenitentiae requiritur et contritio cordis, et confessio oris, et satisfactio operis. (Ad 4m).

Art. III. – *Utrum praedicta tria sint partes integrales poenitentiae.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia singulis istis partibus non adest tota poenitentiae virtus, neque secundum totam virtutem, neque secundum totam ejus essentiam, sed omnibus simul: et haec est propria ratio partium integralium. – Partibus autem *subjectivis* adest tota virtus totius et simul et aequaliter, sicut tota virtus animalis salvatur

in qualibet specie animalis. Singulis autem partibus *potentialibus* adest totum secundum totam essentiam, sicut tota essentia animae adest cui-libet ejus potentiae.

NOTANDUM: Una pars integralis potest continere totum, licet non secundum essentiam; fundamentum enim quodammodo virtute continet totum aedificium, et hoc modo contritio continet virtute totam poenitentiam. (Ad 2m).

Art. IV. - *Utrum convenienter dividatur poenitentia in poenitentiam ante baptismum, poenitentiam mortalium, et poenitentiam venialium.*

RESP. AFF. - *Scil.* : considerata poenitentia ut virtus.

R. EST: quia species poenitentiae accipiuntur secundum diversas immutationes, quas poenitens intendit. Immutatio autem a poenitente intenta est triplex: prima quidem per regenerationem in novam vitam, et haec pertinet ad poenitentiam quae est ante baptismum; secunda autem immutatio est per reformationem vitae praeteritae jam corruptae, et haec pertinet ad poenitentiam mortalium post baptismum; tertia autem immutatio est in perfectiorem operationem vitae, et haec pertinet ad poenitentiam venialium, quae remittuntur per aliquem ferventem actum charitatis.

(Hic finitur quidquid de S. Thomae Aquinatis Tertia Parte Summae Theologicae, quam ille morte occupatus imperfectam reliquit, ad posteritatem pervenit).

S U P P L E M E N T U M
T E R T I A E P A R T I S
S U M M A E T H E O L O G I C A E
S A N C T I T H O M A E A Q U I N A T I S

DOCTORIS ANGELICI

Ex Eiusdem Auctoris Scripto In IV Sententiarum Collectum *

QUAESTIO I

De partibus poenitentiae in speciali.
Et primo de contritione

Deinde considerandum est de singulis partibus poenitentiae; et 1. de contritione; 2. de confessione; 3. de satisfactione. De contritione autem consideranda sunt quinque: 1. quid sit; 2. de quo esse debet; 3. quanta esse debet; 4. de duratione ipsius; 5. de effectu ipsius. Circa primum quaeruntur tria:

Art. I. — *Utrum contritio sit dolor pro peccatis assumptus cum proposito confitendi et satisfaciendi.*

RESP. AFF. — *Scil.:* sumpta contritio secundum substantiam actus, prout est actus virtutis poenitentiae et pars poenitentiae sacramenti.

R. EST: quia in praedicta definitione contritio manifestatur in quantum est actus virtutis, in hoc scil. quod ponitur genus ipsius, scil. *dolor*; et objectum, in hoc quod dicitur *pro peccatis*; et electio, quae requiritur ad actum virtutis, in hoc

(*) Collectum est probabiliter a Fratre Rainaldo a Piperno, qui fuit condiscipulus et amicus Sancti Doctoris,

quod dicitur *assumptus*; sed inquantum est pars sacramenti, per hoc quod tangitur ordo ipsius ad alias partes, cum dicitur, *cum proposito confitendi et satisfaciendi*. – Aliae autem definitiones dantur secundum quod contritio sub aliis aspectibus consideratur. Sic secundum quod est actus virtutis tantum, definitur: « Dolor voluntarius pro peccato, puniens in se quod dolet se commisisse ». – Alia definitio sumitur ex verbis Augustini (Implic. sup. Psal. xlvi), quae tangit effectum contritionis, quae est: *Contritio est dolor remittens peccatum*. Alia sumitur ex verbis Gregorii (Hom. xxii in Ezech.), quae talis est: *Contritio est humilitas spiritus, annihilans peccatum inter spem et timorem*.

NOTANDUM: Contritio est a Deo solo quantum ad formam qua informatur; sed quantum ad substantiam actus est ex libero arbitrio, et a Deo, qui cooperatur in omnibus operibus et naturae et voluntatis. (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum contritio sit actus virtutis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia contritio, specialiter sumpta, importat rectitudinem voluntatis, inquantum peccatum praeteritum ab ipsa voluntate commissum, ab eadem detestatur et destruitur. Rectitudo autem voluntatis est actus virtutis. – Materialiter autem sumpta contritio importat corporalem quamdam passionem.

NOTANDA: 1. In contritione est duplex dolor de peccato: unus in parte sensitiva, qui est passio, et hic non est essentialiter contritio, prout est actus virtutis, sed magis effectus ejus. Sed tamen hic dolor potest pertinere ad contritionem, inquantum est pars sacramenti, quia sacramenta non solum in interioribus actibus, sed etiam in exterioribus, et in rebus sensibilibus nata sunt esse. Alius dolor est in voluntate, qui nihil aliud est quam displicentia alicujus mali. Et sic est dolor per essentiam, et est actus virtutis poenitentiae. (Ad 1m).

2. Attritio dicitur accessum ad perfectam contritionem; unde in corporalibus dicuntur attrita quae aliquo modo diminuta sunt, sed non adhuc perfecte sunt comminuta; sed contrita dicuntur, quando omnes partes tritae sunt simul per divisionem ad minima. Et ideo significat attritio in spiritualibus quamdam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam; contritio autem perfectam. (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum attritio possit fieri contritio.*

RESP. NEG. - R. EST: quia contritionis actus supponit infusionem gratiae, quam non supponit attritio. Contritionis enim principium est timor filialis, attritionis vero est timor servilis.

QUAESTIO II

De objecto contritionis

Deinde considerandum est de objecto contritionis. Circa quod quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum homo debeat conteri de poenis, et non solum de culpa.*

RESP.: de malis poenae potest esse dolor, sed non contritio, quae est solum de culpa.

R. EST: quia contritio importat comminutionem alicujus duri et integri, quod metaphorice in malo culpae invenitur. Est enim voluntas causa ipsius mali; et hujus mali displicentia *contritio* per similitudinem dicitur. Unde contritio solum est de culpa, non autem de poena, quae simul cum contritione esse potest.

Art. II. – *Utrum contritio debeat esse de peccato originali.*

RESP. NEG. – R. EST: quia contritio respicit et quodammodo comminuit duritiam voluntatis. Et ideo solum de illis peccatis potest esse quae ex duritia nostrae voluntatis in nos proveniunt. De peccato autem originali potest esse displicentia et dolor.

Art. III. – *Utrum de omni actuali peccato debeamus conteri.*

RESP. AFF. – R. EST: quia in omni actuali peccato est duritia quaedam voluntatis; et propter hoc si debeat peccatum curari, oportet quod per contritionem comminuentem remittatur.

Art. IV. – *Utrum de peccatis futuris quis debeat conteri.*

RESP. NEG. – R. EST: quia objectum proprium contritionis est peccatum commissum. Tamen, quia contritio est actus virtutis poenitentiae, et omnis virtus cum motu proprio habet aliquid de motu prudentiae, quae *auriga* virtutum dicitur, inde est quod contritio importat *cautionem* de futuro, quae est pars prudentiae contritioni adjuncta.

Art. V. – *Utrum homo debeat conteri de peccato alieno.*

RESP. NEG. – R. EST: quia illud idem conteritur quod prius durum et integrum fuit. Unde oportet quod contritio de peccato sit in eodem in quo peccati duritia praecessit; et sic de alienis peccatis non est contritio, sed dolor.

Art. VI. – *Utrum de singulis peccatis mortalibus requiratur contritio.*

RESP. AFF. – *Scil.:* quantum ad principium contritionis, oportet quod de singulis peccatis,

quae quis in memoria habet, conteratur; sed quantum ad terminum sufficit quod sit una communis de omnibus.

R. EST: quia principium contritionis est cogitatio, qua quis cogitat de peccato, et dolet. Et sic oportet de omnibus et singulis peccatis mortalibus commissis cogitare et dolere. Terminus autem contritionis est quando dolor ille jam gratia informatur; et secundum hoc sufficit quod sit una contritio de omnibus: tunc enim motus contritionis agit in vi omnium dispositionum praecedentium.

QUAESTIO III

De quantitate contritionis

Deinde considerandum est de quantitate contritionis. Circa quod quaeruntur tria:

Art. I. - *Utrum contritio sit major dolor qui esse possit in natura.*

RESP. AFF. - *Scil.* : contritio essentialiter sumpta, prout est in voluntate (seu *appretiative*) est dolor qui excedit omnes alios dolores.

R. EST: quia quantum aliquid placet, tantum contrarium ejus displicet; finis autem ultimus super omnia placet, cum omnia propter ipsum desiderentur; et ideo peccatum, quod a fine ultimo avertit, super omnia displicere debet. - Prout autem est in parte sensitiva non est maximus dolor, quia vires inferiores moventur vehementius ab objectis propriis quam ex redundantia superiorum virium.

NOTANDUM: Gaudium illud quod poenitens de dolore habet, non minuit displicentiam, quia ei non contrariatur, sed auget, secundum quod omnis operatio augetur per propriam delectationem; sicut qui delectatur in addiscendo aliquam scientiam, melius addiscit, et similiter qui gaudet de displicentia, vehementiorem displicentiam habet. Sed bene potest esse quod illud gaudium temperet dolorem ex ratione in partem sensitivam resultantem. (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum possit esse nimis magnus contritionis dolor.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) contritio ex parte doloris qui est in ratione, scilicet displicentiae, quo peccatum displicet, inquantum est offensa Dei, non potest esse nimia; b) sed quantum ad dolorem sensibilem potest esse nimia, sicut etiam exterior corporis afflictio potest esse nimia.

R. PRIMI EST: quia offensa Dei est contra charitatem: et ideo sicut amor charitatis, quo intenso displicentia de peccato intenditur, non potest esse nimius; ita nec talis displicentia potest esse nimia.

R. SECUNDI EST: quia in his omnibus debet accipi pro mensura conservatio subjecti, et bonae habitudinis sufficientis ad ea quae agenda incumbunt; et propter hoc dicitur Rom. xii, 1: *Rationabile sit obsequium vestrum.*

Art. III. – *Utrum debeat esse major dolor de uno peccato quam de alio.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ratio doloris est magis in uno quam in alio, scil. offensa Dei. Quamvis enim quodlibet peccatum mortale a Deo avertat et gratiam tollat, quoddam plus elongat quam aliud, inquantum habet majorem dissonantiam ex sua inordinatione ad ordinem divinae bonitatis quam aliud. (Ad 3m).

QUAESTIO IV

De tempore contritionis

Deinde considerandum est de tempore contritionis. Circa quod tria quaeruntur:

Art. I. - *Utrum tota haec vita sit contritionis tempus.*

RESP. AFF. - *Scil.:* quantum ad utrumque dolorem, i. e., rationis et partis sensitivae.

R. EST: quia detestatio peccati, quae est in ratione, oportet quod semper maneat in hujus vitae tempore; nam tempus illud peccati, quod deputatum erat ad currendum recuperari non potest, sicut nec innocentia. Unde semper adest ratio doloris. Similiter etiam quantum ad sensibilem dolorem, qui ut poena a voluntate assumitur: homo enim poenam aeternam peccando meruit, et contra aeternum Deum peccavit; et ideo debet poena aeterna in temporalem mutata, saltem dolor in toto hominis aeterno, id est, in statu hujus vitae, manere.

NOTANDUM: Oportet distinguere inter satisfactionem et dolorem. Satisfactio attenditur secundum poenam taxatam, quae pro peccatis injungi debet; et ideo potest terminari, ut non oporteat ulterius satisfacere. Haec autem poena praecipue proportionatur culpae ex parte conversionis, ex qua finitatem habet. Sed dolor contritionis respondet culpae ex parte aversionis, ex qua habet quamdam infinitatem; unde et contritio semper debet manere; nec est inconveniens, si remoto posteriori, remaneat prius. (Ad 5m).

Art. II. - *Utrum expediat continue de peccato dolere.*

RESP. AFF. - *Scil.:* ex parte rationis, non autem ex parte passionis.

R. EST: quia displicentia quae est in appetitu rationis, est actus virtutis poenitentiae; actus

autem virtutis non potest accipere superfluum et diminutum (Ethic. lib. ii, cap. 6 et 7). Et ideo sicut nec quantum ad intensionem, ita nec quantum ad durationem, potest in rationis dolore esse superfluum, nisi secundum quod actus unius virtutis impedit actum alterius magis necessarium pro tempore illo. – Sed passiones possunt habere superfluum et diminutum, et quantum ad intensionem, et quantum ad durationem. Et ideo sicut passio doloris, quem voluntas assumit, debet esse moderate intensa, ita debet moderate durare, ne si nimis duret, homo in desperationem, et pusillanimitatem, et hujusmodi vitia labatur.

Art. III. – *Utrum etiam post hanc vitam animae de peccatis conterantur.*

RESP. NEG. – **R. EST:** quia animae beatorum carent dolore propter gaudii plenitudinem. Animae autem damnatae, etsi dolorem habeant, carent tamen contritione, quia deficit in eis gratia dolorem informans. Animae vero quae in purgatorio sunt, habent dolorem de peccatis gratia informatum, sed non meritorium, quia non sunt in statu merendi, et sic deest in illis efficacia contritionis, unde ille dolor non est proprie contritionis. (Ad 2m).

QUAESTIO V

De effectu contritionis

Deinde considerandum est de effectu contritionis. Circa quod tria quaeruntur:

Art. I. – *Utrum remissio peccati sit contritionis effectus.*

RESP. AFF. – *Scil.:* tum ut pars sacramenti, tum ut actus virtutis, contritio est causa remissionis peccati, sed diversimode.

R. EST: quia inquantum est pars sacramenti, primo operatur ad remissionem peccati instrumentaliter, sicut et de aliis sacramentis patet; inquantum autem est actus virtutis, sic est quasi causa materialis remissionis peccati, eo quod dispositio est quasi necessitas ad justificationem, et haec dispositio reducitur ad causam materialem; causa autem efficiens principalis remissionis peccati est solus Deus. (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum contritio possit totaliter tollere reatum poenae.*

RESP. AFF. - *Scil.:* cum ex parte charitatis, tum ex parte doloris sensibilis.

R. PRIMI EST: quia intensio contritionis quae ex parte charitatis sequitur, sic contingere potest, ut mereatur non solum culpae amotionem, sed etiam absolutionem ab omni poena.

R. SECUNDI EST: quia dolor sensibilis, quem voluntas, in contritione excitat, poena quaedam est, et tantum potest intendi quod sufficiet ad deletionem culpae et poenae. Quamvis enim dolor contritionis sit finitus, tamen virtutem habet ex charitate, qua informatur, et secundum hoc potest valere ad deletionem culpae et poenae. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum parva contritio sufficiat ad deletionem magnorum peccatorum.*

RESP. AFF. - *Scil.:* quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.

R. EST: quia dolor contritionis quantumcumque parvus sit, dum ad rationem contritionis sufficiat, semper importat majorem displicentiam propter separationem a fine, quamvis minorem displicentiam de peccato importet quam debet. - Unde

sicut patet de baptismo, quo et magna et parva solvuntur; ita est et de contritione, dummodo ad rationem contritionis pertingat. (Ad 1m).

QUAESTIO VI

De confessione quoad ejus necessitatem

Deinde considerandum est de confessione, de qua sex sunt consideranda: 1. de confessionis necessitate; 2. de ejus quidditate; 3. de ipsius ministro; 4. de qualitate ejus; 5. de ejus effectu; 6. de ejus sigillo. Circa primum quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum confessio sit necessaria ad salutem.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia illa sacramenta quae ordinantur contra culpam, cum qua salus esse non potest, sunt de necessitate salutis; et ideo sicut baptismus, quo deletur originale peccatum, est de necessitate salutis; ita et poenitentiae sacramentum, cujus minister hoc congruum remedium adhibere non potest, nisi peccatum cognoscat, quod fit per confessionem peccantis. Et ideo confessio, saltem in voto, est de necessitate salutis ejus qui in peccatum mortale actuale cecidit.

NOTANDA: 1. Gratiae infusio sufficit ad culpae remissionem; sed ad gratiae infusionem consequendam ordinata sunt gratiae sacramenta, ante quorum susceptionem vel actu vel proposito aliquis gratiam non consequitur, sicut in baptismo patet; et simile est de confessione. Nam ex parte aversionis peccatum habet infinitatem, et ex hac parte oportet quod peccati remissio incipiat ab alio, scil. a Deo (Ad 2m). Insuper, per confessionis erubescantiam, et vim clavium, quibus se confitens subjicit, et satisfactionem injunctam, quam sacerdos moderatur secundum qualitatem criminum sibi per confessionem innotescentium, poena

temporalis expiatur (Ad 1m). Et ideo necessaria est confessio.

2. Etsi de Petro, de Magdalena, de Paulo et caeteris non legatur quod confessi sunt, potuit tamen fieri: multa enim facta sunt quae non sunt scripta. Et praeterea, Christus habet potestatem excellentiae in sacramentis; unde sine his quae ad sacramentum pertinent, potuit rem sacramenti conferre. (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum confessio sit de jure naturali.*

RESP. NEG. - *Scil.:* a) confessio que fit Deo per recognitionem peccati est de jure naturali; b) sed confessio sacramentalis non est de jure naturali, sed de jure divino (positivo).

R. PRIMI EST: quia cuilibet rei illud est naturale, quod ei a suo creatore imponitur, tamen proprie dicuntur naturalia quae ex principiis naturae causantur.

R. SECUNDI EST: quia cum sacramenta sunt quaedam fidei protestationes, et fides superat cognitionem rationis naturalis, ideo sacramenta sunt de jure divino, quod est supernaturale.

NOTANDUM: Confessio quamvis aliquammodo esset in lege Moysi, non tamen eodem modo sicut in lege nova, nec sicut in lege naturae; in lege enim naturae sufficiebat cognitio peccati interior apud Deum; sed in lege Moysi oportebat aliquo signo exteriori peccatum protestari, sicut per oblationem hostiae pro peccato, ex quo etiam homini innotescere poterat eum peccasse; non autem oportebat ut speciale peccatum a se commissum manifestaret, aut peccati circumstantias, sicut in nova lege oportet. (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum omnes ad confessionem teneantur.*

RESP. AFF. - *Scil.:* a) jure divino non omnes tenentur ad confessionem, sed illi tantum qui mortaliter peccant; b) jure Ecclesiastico omnes tenentur etiam illi qui mortaliter non peccant.

R. PRIMI EST: quia jure divino, sacramentum poenitentiae, est medicina necessaria ad vitam

spiritualem recuperandam; et secundum hoc non omnes tenentur ad confessionem, sed illi tantum qui peccatum mortale incurrunt post baptismum.

R. SECUNDI EST: quia quamvis ex vi sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, tenetur tamen ex institutione Ecclesiae ad confessionem, tum ut cum majori reverentia ad Eucharistiam accedatur; tum etiam ut ecclesiarum rectoribus sui subditi innotescant, ne lupus intra gregem lateat. – Ad praeceptum tamen Ecclesiae implendum, sufficit ut quis se sacerdoti repraesentet, et se ostendat absque conscientia mortalis esse; et hoc ei pro confessione reputatur. (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum aliquis licite possit confiteri peccatum quod non habet.*

RESP. NEG. – R. EST: quia ille qui sacerdoti de se loquitur aliud quam in sua conscientia habet, sive bonum, sive malum, non se sacerdoti manifestat, sed magis occultat; et ideo non est idonea confessio, sed ad hoc quod sit idonea, requiritur quod os cordi concordet, ut solum hoc os accuset quod conscientia tenet.

NOTANDA: 1. Justus non confitetur peccatum quantum ad actum, quem non commisit; sed quantum ad conditionem actus, quia in actu qui de se bonus est, formidat ne aliquis defectus ex parte sua fuerit. Et ideo ad bonam mentem etiam pertinet, ut hanc formidinem, quam corde tenet, lingua accuset. (Ad 1m).

2. Quando aliquis dubitat de aliquo peccato an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente, quia qui aliquid committit vel omittit, in quo dubitat esse peccatum mortale, peccat mortaliter, discrimini se committens, et similiter periculo se committit qui de hoc quod dubitat esse mortale, negligit confiteri; non tamen debet asserere illud mortale esse, sed dubitative loqui, et iudicium sacerdotis expectare, cujus est discernere inter lepram et lepram. (Ad 3m).

Art. V. – *Utrum statim teneatur quis confiteri.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) quantum ad propositum confitendi tenetur aliquis quando tenetur ad contritionem; b) quantum autem ad confessionem actualiter faciendam, non statim aliquis tenetur nisi per accidens.

R. PRIMI EST: quia propositum confitendi annexum est contritioni. Tenetur autem aliquis ad contritionem quando peccata memoriae occurrunt, praecipue cum in periculo mortis existit, aut in aliquo articulo, in quo sine peccati remissione oporteat eum peccatum incurrere.

R. SECUNDI EST: quia praecepta affirmativa non obligant ad statim, sed ad tempus determinatum; nam impletio praecepti affirmativi obligat semper, sed non ad semper. (Ad 3m). – Per accidens tamen tenetur aliquis statim confiteri, i. e., quando ad aliquid tenetur quod non potest sine peccato facere, nisi confessus, sicut, e. g., si debeat Eucharistiam percipere, nisi desit copia sacerdotis et necessitate urgente.

Art. VI. – *Utrum possit cum aliquo dispensari ne confiteatur.*

RESP. NEG. – R. EST: quia praeceptum de confessione non est ab homine primo institutum, quamvis sit a Jacobo * promulgatum, sed a Deo institutionem habet. Et ideo sicut papa non potest dispensare ut aliquis sine baptismo salvetur, ita nec quod salvetur sine confessione, secundum quod obligat ex ipsa vi sacramenti, sed potest dispensare in confessione, secundum quod obligat ex

(*) Haec verborum S. Jacobi (v. 6: *Confitemini alterutrum peccata vestra*) expositio de confessione sacramentali probabilis est eam tradunt S. Doctor (hic et art. 1 ad 1, qu. viii), et Hugo Victorin. (De sacram. lib. ii, c. 1, p. 14), et Calixtus papa (apud Burchard. lib. xviii, c. 2).

praecepto Ecclesiae, ut possit aliquis diutius confessionem differre quam ab Ecclesia institutum est.

NOTANDUM: Quamvis expressa institutio confessionis sacramentalis non legatur, tamen quaedam praefiguratio ipsius invenitur in hoc quod Joanni confitebantur peccata sua, qui baptismo ipsius ad gratiam Christi praeparabantur, et in hoc quod Dominus sacerdotibus leprosos transmissit; qui quamvis non essent novi Testamenti sacerdotes, tamen in eis novi Testamenti sacerdotium significabatur. (Ad 2m).

QUAESTIO VII

De confessionis quidditate

Deinde considerandum est de quidditate confessionis, et circa hoc quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum Augustinus convenienter definiat confessionem.*

RESP. AFF. – Scil.: « confessio est per quam morbus latens spe veniae aperitur ».

R. EST: quia in confessione sunt quinque consideranda, quae omnia in definitione supradicta tanguntur. Haec sunt: *Primo*, ipsa substantia actus, sive genus ejus, quod est manifestatio quaedam, et haec exprimitur in *aperitione*; *secundo*, de quo fiat confessio, scil. de peccato: et hoc tangitur cum dicitur *morbus latens*; *tertio*, causa confessionis, quod habetur in verbis *spe veniae*. Deinde sunt *alia duo* quae in definitione S. Augustini implicite tanguntur, scil. cui fit confessio, i. e. *sacerdoti*, et effectus ejus, seu *absolutio* a parte poenae, et *obligatio* ad aliam partem exsolvendam.

Art. II. – *Utrum confessio sit actus virtutis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ad hoc quod aliquid dicatur actus virtutis, sufficit quod in sui

ratione aliquam conditionem implicet quae ad virtutem pertineat. Haec autem conditio ad virtutem pertinet ut aliquis ore confiteatur quod corde tenet, quod fit in confessione. Quamvis ergo confessio non importet omnia quae ad virtutem requiruntur, potest enim male fieri; tamen est bonum ex genere, et est *actus* virtutis.

NOTANDUM: Jus naturale inclinat ad confessionem, mediante jure divino, quo circumstantiae determinantur; sicut etiam in omnibus est quae sunt de jure positivo. (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum confessio sit actus poenitentiae virtutis.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) absolute loquendo confessio pertinet ad virtutem veritatis; b) sed confessio peccatorum pertinet elicitive ad virtutem poenitentiae, c) imperative potest pertinere ad multas virtutes.

R. PRIMI EST: quia est confessio veri.

R. SECUNDI EST: quia quando supra obiectum virtutis additur specialis ratio boni et difficilis, requiritur specialis virtus. Et ideo confessio peccatorum ad remissionem eorum consequendam, non pertinet elicitive ad virtutem veritatis, sed ad virtutem poenitentiae.

R. TERTII EST: quia actus confessionis potest trahi in finem multarum virtutum.

QUAESTIO VIII

De ministro confessionis

Deinde considerandum est de ministro confessionis. Circa quod quaeruntur septem:

Art. I. - *Utrum necessarium sit confiteri sacerdoti.*

RESP. AFF. - *Scil. :* soli sacerdoti, qui est minister Ecclesiae, fieri debet sacramentalis confessio.

R. EST: quia in sacramento poenitentiae confertur gratia. Sacramentorum autem, in quibus gratia datur, ille solus minister est qui habet ministerium super corpus Christi, i. e., sacerdoti qui consecrari Eucharistiam potest. Eadem enim est ratio ministri est instrumenti, quibus gratia confertur, ut dictum est supra (qu. lxiv, art. 3).

Art. II. – *Utrum in aliquo casu liceat aliis quam sacerdotibus confiteri.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non ex officio, sed ratione necessitatis, etiam laicus vicem sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri possit.*

R. EST: quia poenitentia, sicut baptismus, est sacramentum necessitatis. Sicut igitur baptismus duplicem habet ministrum, scil. unum ex officio, i. e., sacerdotem; alium ratione necessitatis, i. e., quilibet homo; ita etiam poenitentia. Nam quando necessitas imminet debet facere poenitens quod ex parte sua est, scilicet confiteri, et confiteri cui potest; qui quamvis sacramentum perficere non possit, ut faciat id quod ex parte sacerdotis est, scil. absolvere, defectum tamen sacerdotis supplet summus sacerdos, i. e. Christus. Nihilominus confessio laico ex defectu sacerdotis facta sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit sacramentum perfectum, quia deest ei id quod est ex parte sacerdotis. – Et ideo eum oportet quod iterum confiteatur sacerdoti, cum copiam habere potuerit. (Ad 1m et ad 3m passim).

(*) Iste autem mos qui diu ante S. Thomam viguerat et ejus temporibus adhuc vigeat, jam diu et merito exolevit, ait Billuart; censentque theologi illum nunc non expedire; partim quia hoc esset apparenter connivum haereticis hodiernis; partim quia hujusmodi confessionis nulla est necessitas nullumque praeceptum, neque expedit peccata, praesertim occulta et gravia extra sacramentum manifestare.

Art. III. - *Utrum extra casum necessitatis possit aliquis non sacerdos confessionem venialium audire.*

RESP. AFF. - R. EST: quia per peccatum veniale homo nec a Deo, nec a sacramentis Ecclesiae separatur. Et ideo non indiget novae gratiae collatione ad ejus dimissionem, neque indiget reconciliari Ecclesiae. Et propter hoc non oportet quod venialia aliquis sacerdoti confiteatur. Et quia ipsa confessio laico facta sacramentale quoddam est, quamvis non sit sacramentum perfectum, et est ex charitate procedens, talibus natum est veniale remitti, sicut per tusionem pectoris, et per aspersionem aquae benedictae.*

Art. IV. - *Utrum sit necessarium quod homo confiteatur proprio sacerdoti.*

RESP. AFF. - *Scil. :* sacerdoti illi qui jurisdictionem super talem hominem habet.

R. EST: quia ille solus potest absolvere qui potest per imperium ad aliquid faciendum ligare. Imperare autem in confessione ad aliquid agendum ille solus potest qui jurisdictionem habet. Nam imperium non competit alicui in alium, nisi ei qui habet super eum jurisdictionem. Et ideo de necessitate hujus sacramenti est, non solum ut minister habeat ordinem, sicut in aliis sacramentis, sed etiam quod habeat jurisdictionem.

Art. V. - *Utrum aliquis possit alteri quam proprio sacerdoti confiteri, ex privilegio vel mandato superioris.*

RESP. AFF. - R. EST: quia quidquid potest inferior, potest superior. Sed ipse sacerdos po-

(*) Attamen, ut ait Sylvius, cum nulla sit necessitas confitendi venialia, melius est illa nunquam laico confiteri; quamvis possit super aliquo vel aliquibus ab eo consilium peti, sicut et de mortalibus.

test suo parochiano dare licentiam ut alteri confiteatur. Ergo multo fortius ejus superior hoc potest. Nec in hoc fit praejudicium proprio sacerdoti. Nam potestas jurisdictionis non est commissa alicui homini in favorem suum, sed in utilitatem plebis et honorem Dei. Et ideo si superioribus praelatis expedire videatur ad salutem plebis et honorem Dei promovendum, quod alii quae sunt jurisdictionis committant, in nullo fit praejudicium inferioribus praelatis, nisi illis *qui quaerunt quae sua sunt, non quae Jesu Christi* (Philipp. ii, 21), et qui gregi praesunt, non ut eum pascant, sed ut ab eo pascantur. (Ad 1m).

Art. VI. – *Utrum poenitens possit in fine vitae a quolibet sacerdote absolvi.*

RESP. AFF. – R. EST: quia quilibet sacerdos, quantum est de virtute clavium, habet potestatem indifferenter in omnes, et quantum ad omnia peccata; sed quod non possit omnes ab omnibus peccatis absolvere, hoc est quia per ordinationem Ecclesiae habet jurisdictionem limitatam, vel omnino nullam habet. Sed quia necessitas legem non habet, ideo quando necessitatis articulus imminet, per Ecclesiae ordinationem non impeditur quin absolvere possit. Imo nec solum a peccatis tunc potest quilibet sacerdos absolvere, sed etiam ab excommunicatione, a quacunque sit lata, quia haec absolutio etiam ad jurisdictionem pertinet, quae per legem ordinationis Ecclesiae coarctatur.

Art. VII. – *Utrum poena temporalis taxetur secundum quantitatem culpae.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) quantum ad debitum quantitas poenae radicaliter respondere debet quantitati culpae, antequam de ea aliquid dimit-

tatur; b) quantum ad remedium quandoque pro minori peccato injungenda est major poenitentia.

R. PRIMI EST: quia quanto per contritionem plus de poena dimissum est, tanto per confessionem minus dimittendum restat.

R. SECUNDI EST: quia peccatum unius difficilius potest resisti quam peccato alterius, et ideo juveni imponitur pro fornicatione major poena quam seni, quamvis minus peccet; vel quia in uno peccatum est periculosius, sicut in sacerdote, quam in alio; vel quia multitudo magis prona est ad illud peccatum, et ideo per poenam unius alii sunt exterrendi.

QUAESTIO IX

De qualitate confessionis

Deinde considerandum est de qualitate confessionis. Circa quod quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum confessio possit esse informis.*

RESP. AFF. - *Scil.:* non inquantum confessio est actus virtutis, sed inquantum est pars sacramenti.

R. EST: quia actus virtutis est actus meritorius proprie; et sic confessio non valet sine charitate, quae est principium merendi. Sed secundum quod est pars sacramenti, sic ordinat confitentem ad sacerdotem, qui habet claves Ecclesiae, qui per confessionem conscientiam confitentis cognoscit; et secundum hoc confessio potest esse etiam in eo qui non est contritus, quia potest peccata sua pandere sacerdoti, et clavibus

Ecclesiae se subicere; et quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet,* sicut etiam in aliis sacramentis est. Unde non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri.

Art. II. – *Utrum oporteat confessionem esse integram.*

RESP. AFF. – *Scil.*: de necessitate confessionis est quod homo omnia peccata confiteatur quae in memoria habet; quod si non faciat, non est confessio, sed confessionis simulatio.

R. EST: quia sicut in medicina corporali oportet quod medicus non unum solum morbum, contra quem medicinam dare debet, cognoscat, sed etiam universaliter totam habitudinem ipsius infirmi, eo quod unus morbus ex adjunctione alterius aggravatur, et medicina quae uni morbo competeret, alteri nocumentum praestaret; ita et quantum ad peccata, oportet quod sacerdos cognoscat omnia peccata mortalia poenitentia; quia unum aggravatur ex adjunctione alterius, et illud quod uni peccato esset conveniens medicina, alteri, incentivum praestaret, cum quandoque aliquis contrariis peccatis infectus sit, ut Gregorius in Pastoralis (Parte iii, c. 3) docet. – Item, quia sicut non esset contritio, nisi quis de omnibus peccatis quae memoriae occurrunt, contereretur, ita non esset confessio, nisi quis de omnibus quae memoriae occurrerint, confiteatur. (Ad 2m).

(*) Veteres Thomistae ex istis verbis S. Thomae opinati sunt sacramentum poenitentiae posse esse informe ac validum; hanc vero sententiam tacite retractavit S. Doctor (qu. xxix, art. 8), quae hodie ab omnibus theologis prorsus rejicitur.

Art. III. - *Utrum quis possit per alium, vel per scriptum confiteri.*

RESP. NEG. - *Scil.:* confessio peccatorum, quatenus pars est sacramenti, proprio ore facienda est, nisi naturae aliquod impedimentum affuerit.

R. EST: quia ut actus virtutis confessio sufficeret qualitercumque fieret; sed ut pars sacramenti est materia propria determinata hujus sacramenti prout est manifesta proprio verbo poenitentis. In eo autem qui usus linguae non habet, sufficit quod per scriptum, aut per nutum, aut per interpretem confiteatur, quia non exigitur ab homine plus quam possit.

Art. IV. - *Utrum sexdecim conditiones assignatae requirantur ad confessionem.*

RESP. AFF. - *Scil.:* oportet confessionem, ut actus virtutis, esse discretam, libentem, puram, fortem, verecundam, lacrymabilem, humilem, veram, nudam, simplicem, integram; ut pars autem sacramenti, necesse est esse accusantem, et parere paratam, atque secretam: utile deinde est illam esse frequentem et acceleratam.

R. est: quia confessio, ut actus virtutis, debet esse: primo, secundum rationem virtutis in genere, et secundum hoc debet esse *discreta* secundum prudentiam, *libens* per electionem, *pura* secundum intentionem, et *fortis* ut propter verecundiam non dimittatur. - Secundo, ut actus poenitentiae: et secundum hoc debet esse *verecunda*, prout initium sumit in horrore turpitudinis peccati: *lacrymabilis*, prout progreditur ad dolorem de peccato commisso; *humilis*, prout in abiectione sui terminatur. - Tertio, ex propria ratione hujus actus confessio debet esse: *fidelis*, id est, *vera*, prout est manifestativa; *nuda*, prout non

involvat obscuritatem verborum; *simplex*, prout non recitet nisi quod ad quantitatem peccati pertinet; *integra*, ut non substrahatur aliquid de his quae manifestanda sunt. – Ut pars sacramenti confessio debet esse: ex parte confitentis, *accusans*; per comparisonem ad sacerdotem, *parere parata*; *secreta* quantum ad conditionem fori. – De *bene esse*, autem confessionis, confessio debet esse *frequens* et *accelerata*, scil. ut statim confiteatur. – (Haec autem sexdecim ad quatuor reduci possunt, scil. ad integritatem, simplicitatem, humilitatem et charitatem.).

QUAESTIO X

De effectu confessionis

Deinde considerandum est de effectu confessionis. Circa quod quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum confessio liberet a morte peccati.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia in sacramento poenitentiae non infunditur gratia nisi per confessionem saltem in voto: per confessionem enim homo ministris Ecclesiae se subdit, qui sunt sacramentorum dispensatores. – Et ideo eo modo liberet confessio a morte peccati sicut et baptismus. Sicut enim liberat baptismus a morte peccati, non solum secundum quod actu suscipitur, sed etiam secundum quod in voto habetur, et si aliquis impedimentum non praestaret, ex ipsa collatione baptismi gratiam consequeretur remittentem peccata, si prius ei remissa non fuissent; ita dicendum est de confessione adjuncta absolutioni, quia secundum quod in voto poenitentis praecessit, a culpa liberavit; postmodum autem in actu confessionis et absolutionis gratia auge-

tur, et etiam remissio peccatorum daretur, si praecedens dolor de peccatis non sufficiens ad contritionem fuisset, et ipse tunc obicem gratiae non praeberet.

Art. II. - *Utrum confessio liberet aliquo modo a poena.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) tum vi absolutionis; b) tum ex ipsa natura actus confessionis.

R. PRIMI EST: quia poena temporalis, quae restat expianda, sublata jam poena aeterna per remissionem culpaе, quamvis sit improporcionata viribus poenitentis in hoc mundo viventis, tamen per vim clavium, i. e., meritis Christi, intantum minuitur quod proporcionata viribus poenitentis remanet, ita quod satisfaciendo se in hac vita purgare potest.

R. SECUNDI EST: quia actus confitentis habet poenam erubescenciae annexam; et ideo quanto aliquis pluries de eisdem peccatis confitetur, tanto magis poena minuitur.

Art. III. - *Utrum confessio aperiat paradisum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia confessio amovet impedimenta, scil. culpam et reatum poenae, quibus aliquis a paradisi introitu prohibetur.

NOTANDUM: Contritio, quae votum confessionis importat, aperit quidem paradisum, non tamen obstaculum reatus est totaliter amotum ante confessionem et satisfactionem. (Ad 2m).

Art. IV. - *Utrum confessio spem tribuat salutis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia homo per confessionem se subjicit clavibus Ecclesiae ex passione Christi virtutem habentibus, per quem habemus spem remissionis peccatorum.

Art. V. – *Utrum confessio generalis sufficiat ad delenda peccata mortalia oblita.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia plus ab homine requiri non potest, quam id quod memoria tenet. Unde per confessionem generalem delentur peccata mortalia oblita; quod si peccatum mortale memoria aliquis teneat, confessione speciali est opus.

QUAESTIO XI

De sigillo confessionis

Deinde quaeritur de sigillo confessionis, et circa hoc quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum in quolibet casu teneatur sacerdos celare peccata quae sub sigillo confessionis novit.*

RESP. AFF. – *Scil.:* quod sacerdos confessionem celet est de necessitate sacramenti, et tanquam violator sacramenti peccat qui confessionem revelat.

R. EST: quia confessio sacramentalis signum est interioris subjectionis, qua quis Deo subicitur. Deus autem peccatum illius qui se subicit per poenitentiam, tegit. Unde et hoc oportet in sacramento poenitentiae significari. – Praeter hoc autem sunt aliae utilitates hujus celationis, quia per hoc homines magis ad confessionem attrahuntur, et simplicius etiam peccata confitentur.

NOTANDUM: Sicut baptismus est sacramentum, quamvis quis fictus accedat, nec est immutatum aliquid propter hoc de essentialibus sacramenti, ita confessio non desinit esse sacramentalis, quamvis ille qui confitetur, emendationem non proponat. Et ideo nihilominus sub occulto tenenda est (Ad 1m). Praeceptum enim de confessione celanda consequitur ipsum sacramentum. Et ideo sicut praeeptum de confessione sacramentali facienda

est de jure divino, et non potest aliqua dispensatione vel jussione humana homo absolvi ab eo, ita nullus ad revelationem confessionis potest ab homine cogi vel licentari. Hoc autem quod sacerdos scit ex confessione, non scit ut homo, sed ut Deus. (Ad 2m). Et ideo etiam sine laesione conscientiae potest jurare se nescire quod scit tantum ut Deus; homo enim non adducitur in testimonium, nisi ut homo. Similiter etiam potest praelatus sine laesione conscientiae dimittere peccatum impunitum, quod scit tantum ut Deus, vel sine aliquo remedio, quia non tenetur adhibere remedium, nisi eo modo quo ad ipsum defertur. (Ad 3m).

Art. II. *Utrum sigillum confessionis se extendat ad alia quam illa quae sunt de confessione.*

RESP. NEG. - *Scil.* : nisi indirecte.

R. EST: quia sigillum confessionis directe non se extendit nisi ad illa de quibus est sacramentalis confessio; sed indirecte id quod non cadit sub sacramentali confessione, etiam ad sigillum confessionis pertinet; sicut illa per quae posset peccator, vel peccatum deprehendi.* Nihilominus etiam illa summo studio sunt celanda, tum propter scandalum, tum propter pronitatem, quae ex consuetudine accidere posset.

Art. III. - *Utrum solus sacerdos habeat sigillum confessionis.*

RESP. AFF. - *Scil.* : proprie loquendo solus sacerdos habet sigillum confessionis.

(*) Hinc cadunt sub sigillo non solum omnia peccata mortalia et venialia, eorum objecta, complices et aliae circumstantiae, sed etiam, ut ait Billuart, poenitentia injuncta, indispositio poenitentis, negatio absolutionis ut schedae confessionis, defectus tam naturales quam morales et scrupuli ex sola confessione cogniti, ex quorum revelatione contristaretur poenitens.

R. EST: quia sigillum confessionis est de necessitate annexum sacramento poenitentiae, cujus minister est solus sacerdos. Tamen si quis aliquid de confessione sciat, participat etiam aliquo modo de actu sigilli, et tenetur celare, quamvis proprie loquendo, sigillum confessionis non habeat.

Art. IV. – *Utrum de licentia confitentis possit sacerdos ejus peccatum quod habet sub sigillo confessionis, alteri prodere.*

RESP. AFF. – R. EST: quia confitens potest facere ut sacerdos illud quod sciebat tantum ut Deus, sciat etiam ut homo, quod facit dum licentiat eum ad dicendum; et ideo si dicat, non frangit sigillum confessionis; tamen debet cavere scandalum, dicendo, ne fractor sigilli praedicti reputetur. – Insuper ille ad quem notitia peccati devenit mediante sacerdote de voluntate confitentis, participat in aliquo actu sacerdotis, et ideo simile est de eo et de interprete, nisi forte peccator, velit quod ille absolute sciat et libere. (Ad 4m).

Art. V. – *Utrum illud quod quis scit per confessionem, et etiam aliquo alio modo, possit alteri revelare.*

RESP. AFF. – R. EST: quia illud quod homo alias scit sive ante confessionem sive post, non tenetur celare quantum ad id quod scit ut homo; potest enim dicere: *Scio illud, quia vidi*. Tenetur tamen celare illud, in quantum scit ut Deus; non enim potest dicere: *Ego audivi hoc in confessione*. Tamen propter scandalum vitandum debet abstinere ne de hoc loquatur, nisi immineat necessitas, scil. ratione justitiae et veritatis.

QUAESTIO XII

De satisfactione quoad ejus quidditatem

Deine considerandum est de satisfactione, de qua quatuor considerata sunt: primo de ejus quidditate; secundo de ipsius possibilitate; tertio de ejus qualitate; quarto de his per quae homo Deo satisfacit. Circa primum quaeruntur tria:

Art. I. - *Utrum satisfactio sit virtus vel actus virtutis.*

RESP. AFF. - *Scil.* : satisfactio est actus virtutis formaliter.

R. EST: quia in ipso nomine *satisfactionis*, satisfactio formam et rationem habet virtutis implicitam. Importat enim rationem medii (quod est formale cujuslibet virtutis moralis), in hoc quod importat aequalitatem, non enim dicitur aliquid satisfieri nisi secundum proportionem aequalitatis ad aliquid.

NOTANDUM: Quamvis satisfacere in se sit debitum, tamen in quantum satisfaciens voluntarie hoc pous exequitur, rationem gratuiti accipit ex parte operantis, et sic operans facit de necessitate virtutem. (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum satisfactio sit actus justitiae.*

RESP. AFF. - *Scil.* : a) satisfactio sacramentalis est actus justitiae formaliter; b) et quidem vindicativae.

R. PRIMI EST: quia hoc nomen *satisfactionis* adaequationem rei ad rem importat secundum proportionalitatem aliquam, sicut ex ipso verbo *satis* constat.

R. SECUNDI EST: quia nulla pars justitiae respicit offensam praecedentem, nisi justitia vindicativa, quae aequalitatem constituit in eo qui justum patitur. Satisfactio autem aequalitatem respectu offensae praecedentis in faciente, i. e., in poenitente, importat, cum ipse poenitens poenam tenet.

NOTANDUM: Sicut injuria illata immediate ad inaequalitatem justitiae pertingebat, et per consequens ad inaequalitatem amicitiae oppositam, ita et satisfactio directe ad aequalitatem justitiae perducit, et ad aequalitatem amicitiae ex consequenti. Et quia actus aliquis elicitive ab illo habitu procedit, ad cujus finem immediate ordinatur, imperative autem ab illo ad cujus finem ultimo tendit, ideo satisfactio elicitive est a justitia, sed imperative a charitate. (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum definitio satisfactionis in littera convenienter ponatur.*

RESP. AFF. – *Scil.*: satisfactio secundum quod praeservat a culpa futura, « est peccatorum causas excidere, et eorum suggestionibus aditum non indulgere ».

R. EST: quia satisfactio, quae est justitiae actus poenam inferentis, est medicina curans peccata praeterita, et praeservans a futuris. Quantum ad primum necessaria est excisio causarum; quantum autem ad secundum, necessaria est renitentia liberi arbitrii. Haec autem duo tanguntur in definitione praedicta. – Respectu autem culpae praeteritae quam satisfactio recompensando curat, sic definitur: « Illatae injuriae recompensatio secundum justitiae aequalitatem »; et ad idem redit definitio S. Anselmi, qui dicit quod « satisfacere est honorem debitum Deo impendere », ut consideretur debitum ratione culpae commissae.

QUAESTIO XIII

De satisfactionis possibilitate

Deinde considerandum est de possibilitate satisfactionis. Circa quod duo quaeruntur:

Art. I. – *Utrum homo possit Deo satisfacere.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non secundum aequalitatem quantitatis, sed secundum aequalitatem proportionis.

R. EST: quia sicut ratione beneficii accepti, homo in honoribus qui sunt ad parentes, et Deum, impossibile est aequivalens reddere secundum quantitatem, sed sufficit ut homo reddat quod potest, quia amicitia non exigit aequivalens, sed quod possibile est; ita et ratione peccati commissi, homo in satisfactione non potest Deo debitum reddere, nisi secundum proportionem quamdam, quae consistit in hoc quod sicut se habet hoc quod Deo est debitum, ad ipsum Deum, ita hoc quod homo potest reddere ad ipsum (hominem).

NOTANDA: 1. Sicut offensa habuit quamdam infinitatem ex infinitate divinae majestatis, ita etiam satisfactio accipit quamdam infinitatem ex infinitate divinae misericordiae, prout est gratia informata, per quam acceptum redditur quod homo reddere potest. (Ad 1m).

2. Quamvis homo suum totum posse Deo debeat, non tamen ab eo exigitur de necessitate salutis ut totum quod possit faciat, quia hoc est ei impossibile secundum statum praesentis vitae, ut totum posse suum in aliquid unum expendat, cum oporteat eum circa multa esse sollicitum; sed est quaedam mensura homini adhibita, quae ab eo requiritur, scil. impletio mandatorum Dei; et super ea potest aliquid erogare, ut satisfaciat. (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum unus pro alio possit poenam satisfactoriam explere.*

RESP. AFF. – *Scil.* : a) inquantum poena satisfactoria est ordinata ad solutionem debiti; – b) non autem inquantum est ordinata ad medicinam pro peccato vitando.

R. PRIMI EST: quia, mediante charitate, per quam *omnes unum sumus in Christo* (Gal. iii, 29), actus unius effici potest alterius (Ad 1m), et pro alio mereri saltem merito congrui. (Ad 3m).

R. SECUNDI EST: quia ex jejuniis unius caro alterius non domatur; nec ex actibus unius alius bene agere consuevit, nisi secundum accidens, inquantum scil. aliquis per bona opera potest alteri mereri augmentum gratiae, quae efficacissimum remedium est ad vitandum peccatum. Sed hoc est per modum meriti magis quam per modum satisfactionis.

NOTANDUM: Quia major charitas apparet in hoc quod aliquis pro altero satisfacit, quam si ipse satisfaceret, ideo minor poena requiritur in eo qui pro alio satisfacit, quam in principali requiretur. (In corp. art.).

QUAESTIO XIV

De qualitate satisfactionis

Deinde considerandum est de qualitate satisfactionis; et circa hoc quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum homo possit de uno peccato satisfacere sine alio.*

RESP. NEG. – R. EST: quia offensae ablatio est amicitiae restitutio. Et ideo si aliquid sit quod

amicitiae restitutionem impediat, etiam apud homines, satisfactio esse non potest.

Art. II. - *Utrum quis extra charitatem existens possit satisfacere de peccatis ante contritis.*

RESP. NEG. - *Scil.* : si aliquis recte absolutus a peccatis, si ante satisfactionem peractam in peccatum decidat, et in peccato existens satisfaciat, talis satisfactio ei non valet.*

R. EST: quia satisfactio est Deo accepta non ratione aequalitatis, sed magis secundum acceptionem ipsius, prout opera satisfactoria sint ex charitate facta. Et ideo sine charitate opera facta non sunt satisfactoria.

Art. III. - *Utrum valere incipiat satisfactio praecedens homini, postquam charitatem habuerit.*

RESP. NEG. - R. EST: quia opera quae non sunt facta ex charitate non sunt Deo grata; consequenter nec praecedens satisfactio valet, etiamsi charitas sequatur.

NOTANDUM: Aliquae satisfactiones sunt ex quibus manet aliquis effectus in satisfaciendis, etiam postquam actus satisfactionis transiit; sicut ex jejuniis manet corporis debilitatio, et ex eleemosynarum largitione substantiae diminutio; et sic de similibus. Et tales satisfactiones in peccatis factae non oportet quod iterentur, quia quantum ad hoc quod de eis manet, per poenitentiam Deo acceptae sunt. Satisfactiones autem quae non relinquunt aliquem effectum in satisfactione, postquam actus transiit, oportet quod iterentur, sicut est de oratione, et similibus. Actus autem interior, quia totaliter transit, nullo modo vivificatur, sed oportet quod iteretur. (Ad 3m).

(*) Si agatur de satisfactione sacramentali, juxta sententiam communiorem potest impleri in statu peccati mortalis, sed, ut ajunt S. Alphons., Layman, Suarez et alii theologi, adest peccatum, quia parte integralli sacramentum poenitentiae privatur.

Art. IV. – *Utrum opera extra charitatem facta sint alicujus boni meritoria.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) opera extra charitatem facta non sunt meritoria ex condigno neque aeterni neque temporalis alicujus boni apud Deum; – b) tamen ex merito congrui dicitur aliquis mereri aliquod bonum per opera bona extra charitatem facta.

R. PRIMI EST: quia cum in omnibus illis quae gratis dantur, prima ratio dandi sit amor, impossibile est quod aliquis proprie sibi debitum faciat qui amicitia caret. Et ideo cum omnia temporalia, et aeterna ex divina liberalitate nobis donentur, nullus acquirere potest debitum recipiendi aliquod illorum, nisi per charitatem ad Deum.

R. SECUNDI EST: quia divinam bonitatem decet ut ubicumque dispositionem invenit, perfectionem adjiciat.

NOTANDA: 1. Sicut justitia dupliciter dicitur: una proprie, quae respicit debitum ex parte recipientis; alia similitudinarie, quae respicit debitum ex parte dantis, in quantum decet dantem dare; ita etiam duplex meritum dicitur: uno *condigni*, qui importat actum per quem efficitur ut ipse agens habeat debitum recipiendi; alius *congrui*, qui importat actum per quem efficitur ut sit debitum dandi in dante secundum decentiam ipsius, sicut Anselmus (in Prosologico, c. 10) dicit, quod « Deus justus est, cum peccatoribus parcat, quia eum decet ». (In corp. art.).

2. Per opera bona extra charitatem facta aliquis merito congrui mereri potest: consecutionem temporalium, dispositionem ad gratiam, et assuefactionem bonorum operum. (In corp. art.).

Art. V. – *Utrum opera praedicta valeant ad mitigationem poenarum infernalium.*

RESP. AFF. – *Scil.:* quatenus meritum poenae impediatur, et hoc propter duo:

PRIMA R. EST: quia homo reatu omissionis evadit, qui hujusmodi opera perficit.

SECUNDA R. EST: quia hujusmodi opera aliquo modo ad bonum disponunt, ut homo ex minori contemptu peccata faciat, atque etiam a multis peccatis per hujusmodi opera retrahatur.

QUAESTIO XV

De his per quae fit satisfactio

Deinde considerandum est de his per quae fit satisfactio. Circa quod quaeruntur tria:

Art. I. - *Utrum oporteat fieri satisfactionem per opera poenalia.*

RESP. AFF. - *Scil. :* satisfactio per opera poenalia exigitur tum respectu ad offensam praeteritam, tum ad futuram culpam, a qua per eam praeservamur.

R. EST: quia peccator, quamvis Deo, quantum est ex parte Dei nihil subtrahere potest, tamen, quantum in ipso est, aliquid ei subtrahit peccando, ut dictum est (qu. xii, art. 3). Et ideo ad hoc quod aliquod opus sit satisfactorium, oportet non solum quod sit bonum, ut in honorem Dei sit, sed etiam quod sit poenale, ut per hoc aliquid peccatori subtrahatur secundum justitiam.

NOTANDUM: Diminutio difficultatis quae est ex promptitudine voluntatis, non diminuit meritum, sed auget; et similiter diminutio poenalitatis ex promptitudine voluntatis, quam facit charitas, non diminuit efficaciam satisfactionis, sed auget. (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum flagella praesentis vitae sint satisfactoria.*

RESP. AFF. - *Scil. :* si patiens ea acceptet ad purgationem peccatorum, eis (flagellis) utens patienter.

R. EST: quia sic flagella, quae pro peccatis a Deo infliguntur, fiant aliquo modo ipsius patientis, et rationem satisfactionis accipiunt. - Si autem omnino eis per impatientiam dissentiat, tunc non efficiuntur aliquo modo ipsius, et ideo non habent rationem satisfactionis, sed vindicationis tantum.*

Art. III. - *Utrum convenienter enumerentur opera satisfactoria.*

RESP. AFF. - *Scil.:* eleemosyna, jejunium et oratio.

R. EST: quia satisfactio debet esse talis, per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei. Nos autem non habemus nisi tria bona, scilicet bona animae, et bona corporis, et bona fortunae; et his correspondent respective *oratio*, qua Deo submittimus; *jejunium*, quo subtrahimus aliquod bonum corporis; et *eleemosyna*, per quam aliquid bonae fortunae nobis diminuimus. - Haec etiam tria sunt contra tres peccatorum redices, scilicet *jejunium* contra *concupiscentiam carnis*; *eleemosyna* contra *concupiscentiam oculorum*; et *oratio* contra *superbiam vitae*. - Item oratio, eleemosyna et jejunium recte ordinantur respective contra peccata in Deum, in proximum, et in nos ipsos commissa.

QUAESTIO XVI

De suscipientibus sacramentum poenitentiae

Deinde considerandum est de suscipientibus sacramentum poenitentiae. Circa quod tria quaeruntur:

(*) Hinc monendi sunt fideles, ut morbos, omnesque molestias et afflictiones patienter ferant, si velint eas sibi prodesse ad remissionem poenae purgatorii.

Art. I. – *Utrum poenitentia possit esse in innocentibus.*

RESP. AFF. – *Scil.* : in innocentibus in statu innocentiae, non potest esse poenitentia quantum ad actum, sed potest esse quantum ad habitum.

R. EST: quia in statu innocentiae deest eis materia poenitentiae; non enim habent peccata. Tamen peccata possunt habere; et circa hoc habere possunt habitum poenitentiae, qui est medius inter potentiam et actum, et ideo existere potest sine actu. Innocentes, ergo, qui gratiam habent, simul cum aliis habitibus, etiam hunc poenitentiae habitum recipiunt.

Art. II. – *Utrum sancti homines qui sunt in gloria habeant poenitentiam.*

RESP. AFF. – *Scil.* : habent poenitentiam non secundum actum, quem nunc habent.

R. EST: quia virtus poenitentiae est pars iustitiae, quae est virtus cardinalis. Virtutes autem cardinales remanebunt in patria secundum actus quos habent in fine suo (qu. lxvii, art. 1). Unde quicumque habet habitum poenitentiae in hac vita, habebit in futura; sed non habebit eundem actum quem nunc habet, sed alium, scilicet gratias agere Deo pro misericordia relaxante peccata.

Art. III. – *Utrum angelus sit susceptivus poenitentiae.*

RESP. NEG. – *Scil.* : a) neque bonus, neque malus angelus est susceptivus poenitentiae virtutis; b) in malo autem angelo poenitentia est ut passio vel actus similitudinarie ad passionem quae est in concupiscibili.

R. PRIMI EST: quia in angelis beatis non praecesserunt peccata commissa, nec peccare possunt.

Et ideo non est eis locum habitus poenitentiae. In malis autem angelis peccatum est irremissibile vel inexpiabile, unde non est propria materia virtutis poenitentiae.

R. SECUNDI EST: quia in nulla creatura ordo vel inclinatio naturalis ad bonum totaliter tollitur per peccatum; et ideo etiam in damnatis detestatio mali manet, et per consequens poenitentiae passio vel similis ei, ut dicitur Sapientiae v. 3, *Intra se poenitentiam agentes*, etc.

QUAESTIO XVII

De potestate clavium

Consequenter considerandum est de potestate ministrorum hujus sacramenti, quae ad claves pertinet. Circa quod, primo, videndum est de clavibus; secundo, de excommunicatione; tertio, de indulgentia: haec enim duo sunt annexa potestati clavium. Circa primum considerata sunt quatuor: primo de entitate et quidditate clavium, et usu earum; secundo de effectu earum; tertio de ministris clavium; quarto de his in quibus potest exerceri usus clavium. Circa primum quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum claves in Ecclesia esse debeant.*

RESP. AFF. – *Scil.*: potestas quae metaphorice clavis dicitur, et est clavis ministerii.

R. EST: quia in sacramentis Ecclesiae, quae a latere Christi in cruce dormientis fluxerunt, efficacia passionis Christi manet, quibus obstaculum removetur, id est, macula peccati et reatus poenae, quibus regni ostium nobis clauditur.

Art. II. – *Utrum clavis sit potestas ligandi et solvendi*, etc.

RESP. AFF. – *Scil.*: clavis est potestas ligandi et solvendi, qua «ecclesiasticus iudex dignos

recipere, indignos excludere debet a regno », ut ex Glossa Hieronymi Matth. xvi (Ord. sup. illud: *Tibi dabo claves*) habetur.

R. EST: quia in praedicta definitione omnia tanguntur quae ad claves significationem pertinent. Habetur enim in praedicta definitione clavis *genus*, scil. *potestas*; et subjectum potestatis, scil. *judex ecclesiasticus*; et actus, scil. *excludere* et *recipere*; secundum duos actus materialis clavis, qui sunt aperire et claudere; cujus obiectum tangitur in hoc quod dicit, a *regno*; modus autem in hoc quod dicit, *dignos* et *indignos*; nam dignitas et indignitas in illis in quos actus exercetur, pensatur.

NOTANDUM: Omnis potestas spiritualis datur cum aliqua consecratione. Et ideo clavis cum ordine (sacro) datur; sed executio clavis indiget materia debita, quae est plebs subdita per jurisdictionem; et ideo antequam jurisdictionem habeat, habet claves, sed non habet actum clavium. Et quia clavis per actum definitur, ideo in definitione clavis ponitur aliquid ad jurisdictionem pertinens. (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum sint duae claves, vel tantum una.*

RESP.: sunt duae. - *Scil.*: una ad iudicium de idoneitate ejus qui absolvendus est, quae scientia discernendi dicitur, altera ad absolutionem ipsam pertinet, quae potestas iudicandi appellatur.

R. EST: quia in omni actu qui requirit idoneitatem ex parte recipientis, duo sunt necessaria ei qui debet actum illum exercere, scil. iudicium de idoneitate recipientis, et expletio actus. Et quia actus clavis requirit idoneitatem in eo in quem exercetur, quia *recipit* per clavem iudex ecclesiasticus *dignos, et excludit indignos*, ideo indiget iudicio discretionis quo idoneitatem iudicet ex ipso recipientis actu. Et secundum hoc distinguuntur duae claves supra dictae, quae

tamen non distinguuntur in essentia auctoritatis, quia utrumque ex officio eis competit sed ex comparatione ad actus, quorum unus alium praesupponit.

QUAESTIO XVIII

De effectu clavium

Deinde considerandum est de effectu clavium: circa quod quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum potestas clavium se extendat ad remissionem culpae.*

RESP. NEG. – *Scil.:* solus Deus remittit per se culpam: sacerdos vero ministerialiter virtute potestatis clavium, quae quodammodo ordinatur ad culpae remissionem.*

R. EST: quia sicut sanctificatio vel consecratio quae requiritur in sacramento baptismi est in aqua, non autem exigitur in ministro; ita et sacramentum poenitentiae sanctificatio habetur in ministro non autem in materia. Et ideo eadem est ratio causae gratiae per aquam baptismi, et per sacerdotem utentem clavibus. Sicut igitur baptismus non agit sicut principale agens, sed sicut instrumentum, non quidem pertingens ad ipsam gratiae susceptionem causandam, etiam instrumentaliter, sed disponens ad gratiam, per quam fit remissio culpae; ita est de potestate clavium. Et sic patet quod potestas clavium ordinatur aliquo modo ad remissionem culpae, non sicut causans, sed sicut disponens ad eam.

(*) Sentire hic videtur B. Thomas quod sacramenta non causent gratiam, nisi dispositive, et poenitentia solum ostendat absolutionem fieri; sed hic Magistrj (Lombardi) sententiam potius quam suam exponit; doctrinam enim contrariam tradidit (P. III, qu. lxxxiv, art. 3, et in opusculo de forma absolutionis, cap. 1, 2 et 3, et lect. iv in cap. xx Joan.).

Art. II. - *Utrum sacerdos possit remittere peccatum quoad poenam.*

RESP. AFF. - *Scil.:* etsi ex vi clavium non tota poena remittitur, aliquid tamen de poena temporali sacerdos remittere potest.

R. EST: quia in poenitentia non mutatur homo in aliam vitam, sicut accidit in susceptione baptismi, per quod etiam tota poena temporalis remittitur; non est enim poenitentia regeneratio, sed sanatio quaedam. Et ideo ex vi clavium, quae operantur in sacramento poenitentiae, non tota poena remittitur, sed aliquid de poena temporali, cujus reatus post absolutionem a poena aeterna remanere potuit; nec solum de poena illa quam hic poenitens habet in confitendo, ut quidam dicunt; quia sic confessio et sacramentalis absolutio non essent nisi in onus, quod non competit sacramentis novae legis; sed etiam de illa poena quae in purgatorio debetur aliquid remittitur, ut minus in purgatorio puniatur absolutus ante satisfactionem decedens, quam si ante absolutionem decederet.

Art. III. - *Utrum sacerdos per potestatem clavium possit ligare.*

RESP. AFF. - *Scil.:* quantum ad culpam sacerdos ligare dicitur *indirecte*, in quantum non solvit; quantum autem ad poenam *directe* solvit et ligat.

R. EST: quia operatio sacerdotis in usu clavium est conformis Dei operationi, cujus minister est. Deus autem habet operationem et in culpam et in poenam; sed in culpam ad solvendum quidem *directe*, ad ligandum autem *indirecte*, in quantum obdurare dicitur, dum gratiam non largitur; sed in poenam habet operationem *directe* quantum

ad utrumque, quia et poena parcit, et poenam infligit.

Art. IV. – *Utrum sacerdos possit ligare et solvere secundum proprium arbitrium.*

RESP. NEG. – *Scil.:* arbitrium illud debet esse divino instinctu regulatum.

R. EST: quia sacerdos operatur in usu clavium sicut instrumentum et minister Dei. Nullum autem instrumentum habet efficacem actum, nisi secundum quod movetur a principali agente. Et ideo, ut habetur Joan. xx, praemittitur potestati remissionis apostolis datae Spiritus sancti donum, quo *filiis Dei aguntur* (Rom. viii). Unde si quis praeter illum modum divinum uti sua potestate praesumeret, non consequeretur effectum, ut Dionysius dicit (In fine Eccl. hierarch.), et praeter hoc a divino ordine averteretur, et sic culpam incurreret.

NOTANDUM: Sicut medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quae ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturae majus periculum oriatur, ita sacerdos divino instinctu motus non semper totam poenam quae uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine poenae desperet, et a poenitentia totaliter recedat. (In fine art.).

QUAESTIO XIX

De ministris clavium

Deinde considerandum est de ministris clavium et usu earum. Circa quod quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum sacerdos legalis claves habuerit.*

RESP. NEG. – *Scil.:* sacerdotes veteris legis non habebant claves, sed in eis clavium figura praecessit.

R. EST: quia potestas sacerdotii veteris legis non se extendebat ad caelestia, sed ad figuras caelestium. Unde ait Apostolus (Hebr. x): *Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata.*

Art. II. - *Utrum Christus clavem habuerit.*

RESP. AFF. - *Scil.:* habuit clavem excellentiae.

R. EST: quia Christus aperit et claudit non sicut minister, sed ut per se agens ad salutem nostram; per auctoritatem quidem, in quantum est Deus, sed per meritum, in quantum est homo.

NOTANDUM: In sacerdotibus novi Testamenti potestas clavium, quae in ipsis a Christo derivata est, sequitur characterem, quo Christo conformantur; sed in Christo non sequitur characterem, sed principalem formam. (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum soli sacerdotes claves habeant.*

RESP. AFF. - *Scil.:* clavis ordinis, solis presbyteris competit; clavis autem jurisdictionis, etiam aliis ecclesiasticis, uti archidiaconis et electis.

R. PRIMI EST: quia clavis ordinis est illa quae se extendit ad ipsum caelum immediate, removendo impedimenta intrcitus in caelum per remissionem peccati; et hanc soli sacerdotes habent, quia ipsi soli ordinantur populo in his quae directe sunt ad Deum.

R. SECUNDI EST: quia clavis jurisdictionis non directe se extendit ad ipsum caelum, sed mediante militante Ecclesia, scil. per excommunicationem et absolutionem; et hanc etiam non sacerdotes habere possunt, sicut archidiaconi et electi, et alii qui excommunicare possunt. Sed non proprie dicitur clavis caeli, sed quaedam dispositio ad ipsum.

NOTANDA: 1. Ostiarii habent clavem custodiendi ea quae in templo materiali continentur; et habent iudicium a tali templo excludendi et admittendi, non quidem sua auctoritate iudicantes qui sint digni vel indigni, sed iudicium sacerdotum exequentes, ut sic quodammodo executores potestatis sacerdotalis videantur. (Ad 1m).

2. Reges non habent aliquam potestatem in spiritualibus; et ideo clavem regni caelestis non accipiunt, sed solum in temporalibus, quae etiam non nisi a Deo esse potest, ut patet Rom. xiii. (Ad 2m). – Mulier etiam non habet neque clavem ordinis, neque clavem jurisdictionis, quia est in statu subjectionis. Sed committitur mulieri aliquis usus clavium, sicut habere correctionem in subditas mulieres, propter periculum quod imminere posset, si viri mulieribus cohabitarent. (Ad 4m).

Art. IV. – *Utrum etiam sancti homines non sacerdotes claves habeant.*

RESP. NEG. – *Scil. :* homo sanctus qui non est sacerdos, neque potest esse principale agens in actu clavium, neque agens instrumentale.

R. primi est: quia principale agens in actu clavium est solus Christus; ipse enim solus habet formam (gratiae), quam in alterum transfundere potest, ut Deus quidem per auctoritatem, et ut homo per meritum, ex ipsa plenitudine divinae bonitatis in eo, et ex perfectione gratiae.

R. SECUNDI EST: quia ille qui effectum clavium consequitur per agens instrumentale, non assimilatur utenti clavibus, sed Christo. Unde nullus potest esse minister clavium, nisi per ordinis susceptionem, per quam merita Christi applicantur. – Sancti homines tamen cooperantur ad remissionem peccatorum, non ex vi clavium, sed ex merito congrui. (Art. seq., ad 3m).

Art. V. – *Utrum mali sacerdotes usum clavium habeant.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia ad rationem in-

strumenti non requiritur quod ipsum instrumentum participet formam in effectum a principale agente inducendam. Unde minister clavium, etiamsi in gratia non existens, remanet minister, quamvis incongrue potestate utatur.

Art. VI. – *Utrum schismatici, haeretici, excommunicati, suspensi et degradati usum clavium habeant.*

RESP. NEG. – *Scil.:* in omnibus praedictis manet clavium potestas quantum ad essentiam; sed usus impeditur ex defectu materiae.

R. EST: quia propria materia, in quam exercetur usus clavium, est homo subditus. Unde cum Ecclesia haereticos, et schismaticos, et alios hujusmodi privet, subtrahendo subditos vel simpliciter, vel quantum ad aliquid, quantum ad hoc quod privati sunt, non possunt usum clavium habere.

QUAESTIO XX

De his in quos usus clavium exerceri potest

Deinde considerandum est de his in quos usus clavium exerceri potest. Circa quod quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum sacerdos possit uti clave quam habet in quemlibet hominem.*

RESP. NEG. – *Scil.:* nisi praelationem habeat super omnes.

R. EST: quia usus clavium requirit aliquam praelationis potestatem, per quam ille in quem usus clavium communicatur, efficitur materia propria illius actus; ideo ille qui habet indistinctam potestatem super omnes, sicut Summus

Pontifex, potest uti clavibus in omnes; illi autem qui sub eo distinctas potestates acceperunt, non in quoslibet uti possunt clavibus, sed in eos tantum qui eis in sortem venerunt, nisi in necessitatis articulo, ubi nemini sacramenta sunt deneganda.

Art. II. – *Utrum sacerdos possit semper suum subditum absolvere.*

RESP. AFF. – *Scil. :* potestate ordinis, non autem jurisdictionis, potest quilibet sacerdos in omnibus peccatis absolvere.

R. est: quia potestas ordinis, quantum est de se, extendit se ad omnia peccata remittenda. Sed quia ad usum hujusmodi potestatis, requiritur jurisdictio, quæ a majoribus in inferiores descendit; ideo potest superior aliqua sibi reservare, in quibus iudicium inferiori non committat.

Art. III. – *Utrum aliquis uti possit clavibus in suum superiorem.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ille (superior) qui jurisdictionem limitavit, potest extendere in quem voluerit: et propter hoc etiam potestatem ei dare potest in seipsum. Quamvis enim superior, quem simplex sacerdos absolvit, sit superior eo simpliciter, est tamen inferior eo, in quantum ei se ut peccatorem subjicit. (Ad 1m).

QUAESTIO XXI

De excommunicationis definitione

Consequenter videndum est de excommunicatione. De qua primo considerandum est de definitione excommunicatione. De qua primo considerandum est de definitione excommunicationis, et congruitate, et causa; secundo de eo qui

potest excommunicare et excommunicari; tertio de participatione cum excommunicatis; quarto de absoluteione ab excommunicatione. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum competens sit haec definitio excommunicationis: Excommunicatio est separatio a communione Ecclesiae quoad fructum, et suffragia generalia.*

RESP. AFF. - *Scil.*: excommunicatio major.

R. EST: quia sicut per baptismum aliquis adscribitur ad caetum fidelium, et ad participationem sacramentorum redditur aptus; ita potest extra Ecclesiam fieri, et inquantum a participatione sacramentorum excluditur, et haec est excommunicatio minor, et inquantum excludatur ab utroque, et haec est excommunicatio major, quae hic definitur. Praemissa autem definitio importat separationem a sacramentis, in hoc quod dicit, *quoad fructum*; et a communione fidelium quantum ad spiritualia in hoc quod dicit, *et suffragia Ecclesiae generalia seu communia*.

NOTANDUM: Quis juste excommunicari non potest nisi pro culpa mortali, per quam quis a charitate jam divisus est, etiamsi non excommunicetur. Injusta autem excommunicatio charitatem alicui auferre non potest; cum sit de maximis bonis, quae non possunt alicui invito auferri. (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum Ecclesia debeat aliquem excommunicare.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia Ecclesia in excommunicationis sententia divinum iudicium imitatur. Inquantum enim aliquem a communione fidelium separat, ut erubescat, imitatur divinum iudicium, quo per flagella castigat; inquantum autem a suffragiis, et aliis spiritualibus separat, imitatur divinum iudicium, quo hominem sibi

relinquit, ut per humilitatem seipsum cognoscens ad Deum redeat.

Art. III. – *Utrum aliquis pro aliquo temporali damno debeat excommunicari.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia in damnificando aliquem corporaliter, vel in rebus temporalibus, aliquis mortaliter peccat, et contra charitatem facit; ideo pro damno temporali illato Ecclesia aliquem excommunicare potest. Sed quia excommunicatio est gravissima poenarum, poenae autem medicinae sunt, sapientis autem medici est a levioribus incipere medicinis, et minus periculosis; ideo excommunicatio infligi non debet etiam pro peccato mortali, nisi contumax fuerit. Tunc enim, postquam monitus fuerit, si obedire contempserit, contumax reputatur; et excommunicari debet a iudice jam non habente quid contra ipsum faciat amplius.*

Art. IV. – *Utrum excommunicatio injuste lata aliquem effectum habeat.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) excommunicatio si sit injusta ex parte excommunicantis, in quantum ex odio, vel ira aliquem excommunicat, habet effectum suum; b) si sit injusta ex parte ipsius excommunicationis, ita quod error sententiam nullam faciat, tunc non habet effectum.

R. PRIMI EST: quia odium vel ira excommunicantis non impedit quominus excommunicatio effectum sortiatur; unde excommunicatus juste patitur, quamvis iudex injuste faciat et peccet.

R. SECUNDI EST: quia talis excommunicatio, cum sit nulla, non est excommunicatio. Si autem

(*) Ad praxim circa excommunicationem quod attinet, standum est ad Codicem Juris Canonici.

error non annullat sententiam, habet effectum suum; et debet excommunicatus humiliter obedire (et erit ei ad meritum), et vel ad superiorem judicem recurrere, vel petere ab excommunicante absolutionem. Si autem contemneret, eo ipso mortaliter peccaret. Contingit autem quandoque quod sit debita causa ex parte excommunicantis, quae non est debita ex parte excommunicati; sicut cum aliquis pro falso crimine in iudicio probato excommunicatur: et tunc si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum.

QUAESTIO XXII

De his qui possunt excommunicare et excommunicari

Deinde considerandum est de his qui possunt excommunicare et excommunicari. Circa quod quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum quilibet sacerdos possit excommunicare.*

RESP. NEG. – **R. EST:** quia excommunicatio pertinet ad forum exterioris iudicii; et ideo illi soli possunt excommunicare qui habent jurisdictionem in foro iudiciali. Et propter hoc soli episcopi propria auctoritate, et majores praelati, secundum communioem opinionem, possunt excommunicare; sed presbyteri parochiales non nisi ex commissione eis facta.

Art. II. – *Utrum non sacerdotes excommunicare possint.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia excommunicatio non directe respicit gratiam, sed ex consequenti,

inquantum homo suffragiis Ecclesiae privatur, quae ad gratiam disponunt, vel in gratia conservant. Et ideo etiam non sacerdotes, dummodo jurisdictionem habeant in foro contentioso, possunt excommunicare.

Art. III. - *Utrum excommunicatus vel suspensus possit alium excommunicare.*

RESP. NEG. - R. EST: quia omnis excommunicatus a communione fidelium separatur; et ideo excommunicatus usu jurisdictionis privatur. Si autem suspensus aliquis sit ab ordine tantum, tunc non potest ea quae sunt ordinis, sed potest ea quae sunt jurisdictionis; et e contra si sit suspensus a jurisdictione, et non ab ordine, non potest ea quae sunt jurisdictionis, sed potest ea quae sunt ordinis: si autem ab utroque, tunc neutrum potest.

Art. IV. - *Utrum aliquis possit seipsum, vel aequalem, vel superiorem excommunicare.*

RESP. NEG. - R. EST: quia per jurisdictionem aliquis constituitur in gradu superioritatis respectu ejus in quem habet jurisdictionem, quia iudex est ejus; et ideo nullus habet in seipsum, vel superiorem, vel aequalem, jurisdictionem.

Art. V. - *Utrum in aliquam universitatem sententia excommunicationis ferri possit.*

RESP. NEG. - R. EST: quia actus (peccati) non est communitatis, sed singularium personarum, ut frequenter. Credibile enim non est communitatem totam in malitia colligari. Et ideo singuli de communitate excommunicari possunt, non autem ipsa communitas. Et in hoc Ecclesia Dei iudicium imitatur, cujus non est iudicare *omnem terram ut condemnet justum cum impio*, ut

dicitur Genes. cap. xviii. – De suspensione autem et interdicto non est similis ratio sicut de excommunicatione, quia suspensi et interdicti non fraudantur Ecclesiae suffragiis, sicut excommunicati. (Ad 2m).

Art. VI. – *Utrum ille qui semel est excommunicatus, excommunicari possit ulterius.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia potest adesse iterum causa novae excommunicationis. – Nam privatio, quamvis non recipiet *magis et minus* secundum se, recipit tamen *magis et minus* secundum causam: et secundum hoc excommunicatio potest iterari; et magis est elongatus a suffragiis Ecclesiae qui pluries est excommunicatus quam qui semel tantum. (Ad 2m).

QUAESTIO XXIII

De participatione cum excommunicatis

Deinde considerandum est de participatione cum excommunicatis. Circa quod quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum excommunicato liceat communicare in pure corporalibus.*

RESP. NEG. – *Scil.:* si agatur de excommunicatione majori, per se loquendo, non licet excommunicato communicare; in aliquibus autem casibus haec communicatio permittitur.

R. EST: quia excommunicatio major separat hominem a sacramentis Ecclesiae, et a communione fidelium. Et ideo tali excommunicatione excommunicato communicare non licet. Sed quia Ecclesia excommunicationem ad medelam, et non

ad interitum, inducit, ideo excipiunt ab hac generalitate quaedam, in quibus communicare licet. Ista autem hoc versu continentur:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Ut *utile* referatur ad verba salutis, *lex* ad matrimonium, eo scil. quod excommunicato possint communicare uxor et filii et domestici; *humile* ad subjectionem: caetera patent.

Art. II. – *Utrum participans excommunicato sit excommunicatus.*

RESP. AFF. – *Scil.*: participans cum excommunicato, excommunicatus quoque est, aliquando majori, nonnunquam minori excommunicatione.

R. EST: quia si excommunicatio feratur etiam in participantes, tunc, ut patet, omnis participans excommunicato incurrit excommunicationem. – Item, si aliquis participet ei in crimine, ei praebendo consilium, auxilium, favorem; sic iterum est excommunicatus majori excommunicatione: si autem participet in aliis, sicut in verbo, vel in osculo, vel in mensa, tunc est excommunicatus minori excommunicatione.

Art. III. – *Utrum participare cum excommunicato in casibus non concessis semper sit peccatum mortale.*

RESP. NEG. – R. EST: quia hoc videtur valde grave, quod homo pro uno verbo levi, quo excommunicatum alloquitur, mortaliter peccet, et multis communicantes laqueum damnationis injicerent, quod in eos retorqueretur; ideo probabilius videtur quod non semper peccet mortaliter, sed solum quando in crimine illi participat, vel in divinis (i. e. in sacramentis, et in officiis quae publico nomine et ministerio in ecclesiis celebrantur), vel in contemptum Ecclesiae.

QUAESTIO XXIV

De absolute ab excommunicatione

Deinde considerandum est de absolute ab excommunicatione. Circa quod tria quaeruntur:

Art. I. – *Utrum quilibet sacerdos possit subditum suum ab excommunicatione absolvere.*

RESP. NEG. – R. EST: quia in absolvendo ab excommunicatione requiritur jurisdictione in foro exteriori, quam sacerdos non semper habet in suos subditos, nisi excommunicatio sit *nemini* reservata; nam ejusdem potestatis est excommunicare, et excommunicatum absolvere.

Art. II. – *Utrum aliquis possit absolvi invitus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia malum poenae non habet principium in voluntate patientis; et ideo sicut excommunicatio in aliquem invitum ferri potest, ita etiam invitus ab ea absolvi poterit.

Art. III. – *Utrum aliquis possit absolvi ab una excommunicatione, nisi absolvatur ab omnibus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia excommunicationes non habent connexionem in aliquo: et ideo possibile est quod aliquis ab una absolvatur, et in altera remaneat.

QUAESTIO XXV

De indulgentia secundum se

Consequenter considerandum est de indulgentia; et primo de ea secundum se; secundo de facientibus indulgentiam; tertio de recipientibus eam. Circa primum quaeruntur tria:

Art. I. - *Utrum per indulgentiam possit aliquid remitti de poena satisfactoria.**

RESP. AFF. - *Scil.:* indulgentiae valent et quantum ad forum Ecclesiae, et quantum ad iudicium Dei ad remissionem poenae residuae post contritionem, et confessionem, et absolutionem, sive sit injuncta, sive non.

R. EST: quia, ut dictum est supra (qu. xiii, art. 2), ratione corporis Christi mystici, unus pro alio satisfacere potest; et sic tanta copia meritorum Christi et sanctorum communia sunt totius Ecclesiae. Ea autem quae sunt alicujus multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine, secundum arbitrium ejus qui multitudini praeest.

NOTANDUM: Consulendum est eis qui indulgentias consequuntur, ne propter hoc ab operibus poenitentiae injunctis absterneant, ut etiam ex his remedium consequantur, quamvis a debito poenae essent immunes; et praecipue quia quandoque sunt plurium debitores quam credant. (Ad 4m).

Art. II. - *Utrum indulgentiae tantum valeant, quantum pronuntiantur.*

RESP. AFF. - *Scil.:* simpliciter dicendum est quod indulgentiae tantum valent, quantum praedicantur; dummodo ex parte dantis sit auctoritas, et ex parte recipientis charitas; et ex parte causae pietas, quae comprehendit honorem Dei, et proximi utilitatem.

R. EST: quia causa remissionis poenae in indulgentiis non est pensanda nisi in abundantia meritorum Ecclesiae. Et ideo secundum quod haec

(*) De fide est Ecclesia habere potestatem concedendi indulgentias: quod ita definivit concilium Tridentinum: «Sacrosancta synodus eos anathemate damnat qui aut inutiles esse indulgentias asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant». (sess. xxv, Decr. *De indulgentiis*).

merita applicantur ad istum, secundum hoc remissionem consequitur. Ad hoc autem quod applicentur isti, requiritur auctoritas dispensandi hujusmodi thesaurum, et unio ejus cui dispensatur, ad eum qui merebatur (quod fit per charitatem), et ratio dispensationis, secundum quam salvetur intentio illorum qui opera meritoria fecerunt: fecerunt enim ad honorem Dei, et utilitatem Ecclesiae in generali. Unde quaecumque causa adsit quae in utilitatem Ecclesiae et honorem Dei vergat, sufficiens est ratio indulgentias faciendi.

NOTANDA: 1. Quia sacramentorum effectus non sunt determinati ab homine, sed a Deo; ideo non potest taxare sacerdos quantum per clavem ordinis in foro confessionis de poena debita dimitatur; sed tantum dimittitur, quantum Deus ordinavit. Sed clavis jurisdictionis non est quid sacramentale, et effectus ejus arbitrio hominis subjacet. Et ideo etiam legati non sacerdotes indulgentias facere possunt. Unde in arbitrio dantis indulgentiam est taxare, quantum per indulgentiam de poena remittitur. Si tamen inordinate remittat, ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus poenitentiae revocentur, peccat faciens tales indulgentias: nihilominus quis plenam indulgentiam consequitur. (Ad 1m).

2. Quando datur indulgentia indeterminate, e. g., ei qui dat auxilium ad fabricam ecclesiae, intelligitur tale auxilium quod sit conveniens ei qui auxilium dat; et secundum quod accedit ad hoc, secundum hoc plus, vel minus de indulgentia consequitur. Unde etiam aliquis pauper dans unum denarium consequitur totam indulgentiam, non autem dives, quem non decet ad opus tam pium et fructuosum ita parum dare: sicut non diceretur rex alicui homini auxilium facere, si ei obulum daret. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum pro temporali subsidio fieri debeat indulgentia.*

RESP. AFF. - R. EST: quia temporalia ad spiritualia ordinari possunt; et ideo in hoc non est

simonia, quia non datur spirituale pro temporali, sed pro spirituali.

QUAESTIO XXVI

De his qui possunt indulgentias facere

Deinde considerandum est de his qui possunt indulgentias facere. Circa quod quatuor quaeruntur:

Art. I. – *Utrum quilibet sacerdos parochialis possit indulgentias facere.*

RESP. NEG. – *Scil.* : sacerdotes parochiales, et abbates, aut alii hujusmodi praelati non possunt indulgentias facere.

R. EST: quia tales non sunt proprie praelati. Proprie autem solus Episcopus praelatus Ecclesiae dicitur. Et ideo ipse solus quasi sponsus anulum Ecclesiae recipit: et ideo ipse habet solus potestatem plenam in dispenatione sacramentorum, et jurisdictionem in foro causarum quasi persona publica; alii autem sacerdotes qui plebibus praeficiuntur, non sunt simpliciter praelati, sed quasi coadjutores; unde in consecratione sacerdotum episcopus dicit: « Quanto fragiliores sumus, tanto magis auxiliis his indigemus ».

Art. II. – *Utrum diaconus, vel alius non sacerdos possit indulgentias facere.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non potestate propria, sed potestate illis commissa.

R. EST: quia potestas faciendi indulgentias sequitur jurisdictionem, ut supra dictum est (qu. praec. art. 2). Et quia diaconi, et alii non sacerdotes possunt habere jurisdictionem vel commissam, sicut legati, vel ordinariam, sicut electi;

ideo possunt indulgentias facere etiam non sacerdotes, quamvis non possint absolvere in poenitentiali foro; quod est ordinis.

Art. III. - *Utrum episcopus possit indulgentias facere.*

RESP. AFF. - *Scil.*: potestas faciendi indulgentias plene residet in papa. Sed in episcopis est taxata secundum ordinationem papae.

R. EST: quia papa habet plenitudinem pontificalis potestatis, quasi rex in regno. Sed episcopi assumuntur in partem sollicitudinis quasi iudices singulis civitatibus praepositi: propter quod eos solos in suis litteris papa *fratres* vocat; reliquos autem omnes vocat *filios*.

Art. IV. - *Utrum ille qui est in peccato mortali, possit indulgentias facere.*

RESP. AFF. - R. EST: quia per peccatum homo non amittit jurisdictionem; non enim homo remittit poenam ex vi meritorum suorum, sed ex vi meritorum reconditorum in thesauris Ecclesiae.

QUAESTIO XXVII

De his quibus valent indulgentiae

Deinde considerandum est de his quibus valent indulgentiae. Circa quod quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum indulgentia valeat existentibus in peccato mortali.*

RESP. NEG. - *Scil.*: a) neque ad remissionem poenae, b) neque ad acquirendam gratiam, c) nisi communicatio indulgentiarum fiat per modum quemdam particularem.

R. PRIMI EST: quia qui non est consecutus operationem Dei in remissionem culpae, non potest

consequi remissionem poenae a ministro Ecclesiae neque in indulgentiis, neque in foro poenitentiali.

R. SECUNDI EST: quia quamvis merita illa quae per indulgentiam communicantur, possint valere ad merendum gratiam (de congruo et per modum impetrationis), non tamen propter hoc dispensantur, sed determinantur ad remissionem poenae. Et ideo non valent existentibus in peccato mortali. Et ideo in omnibus indulgentiis fit mentio de vere contritis et confessis.

R. TERTII EST: quia si communicatio fieret per hunc modum: «Facio te participem meritorum totius Ecclesiae, vel unius congregationis, vel unius specialis personae»; sic possent valere ad merendum aliquid illi qui est in peccato mortali.

Art. II. – *Utrum indulgentiae valeant religiosis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia religiosi non sunt minus adjuvabiles meritis aliorum quam saeculares. – Quamvis enim religiosi sint in statu perfectionis, tamen ipsi sine peccato vivere non possunt; et ideo si aliquando propter peccatum aliquod commissum sint rei alicujus poenae, possunt per indulgentias ab hac expiari. (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum ei qui non facit illud pro quo indulgentia datur, possit quandoque indulgentia dari.*

RESP. NEG. – R. EST: quia indulgentia non potest applicari ad aliquem, nisi ex intentione ejus qui dat indulgentiam. Si ergo ille qui indulgentiam dat, sub conditione det, indulgentiam non consequitur ille qui conditionem praescriptam non adimpleat.

Art. IV. - *Utrum indulgentia valeat ei qui facit (indulgentiam).*

RESP. AFF. - *Scil. : a) non valet ei si eam facit sibi tantum; b) potest tamen uti indulgentia quam pro aliis facit.*

R. PRIMI EST: quia praelatus cui cura Ecclesiae utilitatis, et honoris divini propagandi est commissa, non habet causam ut seipsum ad hoc provocet, scil. ad utilitatem Ecclesiae et honorem Dei. (Jam hoc habet ex commissione ei data). - Item, quia actum jurisdictionis non potest aliquis in seipsum exercere. (Ad 1m).

R. SECUNDI EST: quia pro aliis subest causa faciendi indulgentiam, et ideo praelatus potest ea uti sicut alii.

QUAESTIO XXVIII

De solemnī ritu poenitentiae

Consequenter considerandum est de solemnī ritu poenitentiae. Circa quod tria quaeruntur:

Art. I. - *Utrum aliqua poenitentia debeat publicari, vel solemnizari.*

RESP. AFF. - *Scil. : propter quatuor:*

PRIMO, ut peccatum publicum habeat medicinam; SECUNDO, quia maxima confusione in hoc mundo etiam est dignus qui gravissimum scelus commisit; TERTIO, ut aliis sit ad terrorem; QUARTO ut sit ad exemplum poenitendi, ne desperent qui in gravibus peccatis detinentur.

NOTANDUM: Poenitentia solemnī, quantum ad injunctionem, non exit forum occultum; quia sicut occulte quis confitetur, ita occulte ei poenitentia injungitur: sed executio exit forum occultum; et hoc non est inconveniens. (S. Doctor hic supponit peccatum publicum esse. Nunquam enim datur poenitentia publica, nisi ob peccatum publicum)

Art. II. – *Utrum solemnis poenitentia iterari possit.*

RESP. NEG. – *Scil.* : solemnis poenitentia iterari non debet, propter tria:

PRIMO, ne ex iteratione vilescat; SECUNDO, propter significationem, quia significat expulsionem primi hominis de paradiso, quae semel tantum est facta; TERTIO, quia solemnizatio est quasi quaedam professio perpetuo poenitentiam conservandi. – Si tamen postmodum peccavit non clauditur ei locus poenitentiae, sed poenitentia solemnis iterum ei injungenda non est.

Art. III. – *Utrum solemnis poenitentia sit imponenda mulieribus, atque clericis, et utrum a quolibet sacerdote possit imponi.*

RESP.: a) solemnis poenitentia est imponenda etiam mulieribus, quin tamen eis comam abjiciatur; – b) non est imponenda clericis; – c) nec a quolibet sacerdote imponi potest, sed ab episcopo tantum.

R. PRIMI ET SECUNDI EST: quia clericis non imponitur poenitentia solemnis, quae scil. fit in capite Quadragesimae secundum ritualem, propter scandalum, et ne ordo sacer veniat in contemptum: haec autem ratio pro mulieribus non valet, sicut nec pro viris. – Quantum ad abjectionem comae considerandum est quod mulier habet comam in signum subjectionis, non autem vir. Et ideo non competit ut poenitentia mulieri coma deponatur, sicut viro. (Ad 1m).

R. TERTII EST: quia talis poenitentia solemnis non imponitur nisi pro peccato gravissimo quod totam comoverit urbem; et ideo soli episcopo reservatur.

NOTANDUM: Publica et non solemnis poenitentia est quae in facie Ecclesiae fit, sed non cum solemnitate praedicta. Et haec potest iterari, et a simplici sacerdote injungi: et potest etiam clerico imponi. (In fine art.).

QUAESTIO XXIX

De sacramento extremae unctionis quantum ad ipsius essentiam et institutionem

Post haec considerandum est de sacramento extremae unctionis: de quo quinque videnda sunt: primo, de essentialibus ipsius, et de ejus institutione; secundo, de effectū ipsius; tertio, de ministro ipsius; quarto, de eo cui conferri debet, et in qua parte; quinto, de ejus iteratione. Circa primum quaeruntur novem:

Art. I. - *Utrum extrema unctio sit sacramentum.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia extrema unctio non ordinatur ad aliud sacramentum, quasi ei annexa, sicut sacramentalia ordinantur; sed pertingit (directe) ad effectum principaliter intentum in administratione sacramentorum, scil. curationem morbi peccati, ut patet ex verbis Jacobi, v., 14-15.* Et ideo extrema unctio, non est sacramentale, sed sacramentum.

NOTANDUM: Hoc sacramentum immediate hominem ad gloriam disponit, cum exeuntibus a corpore detur. Et quia in veteri lege non erat tempus adhuc perveniendi ad gloriam, quia *neminem ad perfectum adduxit lex* (Hebr. vii, 19), ideo istud sacramentum ibi prefigurari non debuit per aliquod sacramentum sibi respondens; quamvis per figuras remotas aliquo modo figuratum sit in omnibus curationibus quae leguntur in veteri Testamento. (Ad 2m).

(*) « *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei* ».

Art. II. – *Utrum extrema unctio sit unum sacramentum.*

RESP. AFF. – *Scil.*: non ratione individualitatis, sicut punctus, et unitas; nec ratione continui, sicut linea; sed ratione perfectionis, in quantum aliquid perfectum ex pluribus partibus constituitur, sicut domus.

R. EST: quia plures actiones, seu unctiones hujus sacramenti sunt ad perfectiones ejus; ordinantur enim ad unum significandum, vel causandum, scil. curationem interiorum vulnerum quae non potest perfecte significari nisi per appositionem medicinae ad diversas vulnerum radices. – Sicut igitur Eucharistia, quamvis habeat diversitatem materiae et formae, tamen est unum sacramentum; ita etiam hoc sacramentum extremae unctionis. (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum hoc sacramentum fuerit a Christo institutum.*

RESP. AFF.: imo, et omnia sacramenta Christus instituit per seipsum.

R. EST: quia sacramenta pertinent ad fundamentum legis; et ideo ad legislatorem pertinet eorum institutio: et iterum quia ex institutione efficaciam habent, quae in eis non nisi divinitus inest.* – Quod si de hoc sacramento non fit mentio in Evangelio, dicendum est quod multum Dominus fecit et dixit, quae Evangelio non continentur. Illa enim praecipue curaverunt evangelistae tradere quae ad necessitatem salutis, et ecclesiasticae dispositionis pertinent. Et ideo potius institutionem Baptismi, et Poenitentiae,

(*) Unde Concilium Tridentinum (Sess. vii, can. 1): « Si quis dixerit sacramenta novae legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta...; anathema sit ».

et Eucharistiae, et Ordinis factam a Christo nar-
raverunt, quam Extremae unctionis, vel Confir-
mationis, quae neque sunt de necessitate salutis,
neque ad dispositionem, sive distinctionem Eccle-
siae pertinent. Tamen etiam de olei unctione fit
mentio in Evangelio Marc. cap. vi, 13, ubi dici-
tur quod apostoli *oleo ungebant infirmos*. (Ad 1m).

Art. IV. - *Utrum oleum olivae sit materia conve-
niens hujus sacramenti.*

RESP. AFF. - R. EST: quia spirituali et ultimae,
et ideo perfectae sanationi, quam hoc sacramen-
tum significat et efficit, optime respondet unctio
olei, quod est lenitivum, et penetrativum usque
ad intima, et etiam diffusivum. Et quia oleum
principaliter nominatur olivae liquor, cum alii
liquores solum ex similitudine ad ipsum, olei
nomen accipiant, ideo oleum olivae etiam debet
esse quod assumitur in materiam hujus sacra-
menti.

Art. V. - *Utrum oporteat oleum esse consecratum.*

RESP. AFF. - R. EST: in sacramentis quae non
perficiuntur in ipsa consecratione materiae, sicut
perficitur Eucharistia, sed in usu ipsorum, sicut
in caeteris sacramentis, habent materiam sancti-
ficatam, vel ex usu seu contactu ipsius Christi,
sicut in aqua baptismi, vel ex consecratione Ec-
clesiae, sicut est in hoc sacramento. Christus
enim non est usus hoc sacramento, nec aliqua
corporali unctione, quia non ei competeat (cum
sit ipse auctor gratiae et sanctitatis); et ideo in
omnibus unctionibus requiritur sanctificatio ma-
teriae.*

(*) Theologi quaerunt an illa sanctificatio sit de necessitate
praecepti aut sacramenti; sententia quae posteriorem partem
affirmat probabilior est, et in praxi eam sequi necessarium est.

Art. VI. - *Utrum oporteat materiam hujus sacramenti esse consecratam per episcopum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia in omnibus sacramentis quae indigent materia sanctificata, prima sanctificatio materiae fit per episcopum, et usus quandoque per sacerdotem, ut ostendatur sacerdotalis potestas ab episcopali derivata.

Art. VII. - *Utrum hoc sacramentum habeat aliquam formam.*

RESP. AFF. - R. EST: quia significatio materiae sacramentorum non determinatur ad effectum determinatum, cum ad multa se possit habere, nisi per formam verborum. Jacobus autem (v, 14-15) totam vim hujus sacramenti videtur constituere in oratione, quae est forma hujus sacramenti, ut dicitur (in resp. art. 8 et 9, seq.).*

NOTANDUM: Sacra Scriptura omnibus communiter proponitur. Et ideo forma baptismi, qui ab omnibus dari potest, debet in Sacra Scriptura exprimi: et similiter forma Eucharistiae, quae exprimit sacramenti illius fidem, quae est de necessitate salutis. Sed formae aliorum sacramentorum non inveniuntur in Sacra Scriptura traditae; sed has Ecclesia ex traditione Apostolorum habet, qui a Domino acceperunt, ut dicit Apostolus (I. Cor. xi, 23): *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis*, etc. (Ad 1m).

Art. VIII. - *Utrum forma hujus sacramenti debeat proferri per orationem indicativam, et non per deprecativam.*

RESP.: debet proferri per orationem deprecativam, ut patet per verba Jacobi (v, 14), et ex usu Ecclesiae; et hoc propter tria.

(*) Juxta Con. Trid. (Sess. xiv, cap. 1) hujus sac. forma est: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Deus quidquid per visum, etc. deliquisti.*

PRIMA R. EST: quia suscipiens sacramentum hoc est viribus propriis destitutus, unde indiget orationibus sublevari.

SECUNDA R. EST: quia hoc sacramentum datur exeuntibus, qui jam desinunt esse de foro Ecclesiae, et in solius Dei manu requiescunt: unde et ei per orationem committuntur.

TERTIA R. EST: quia hoc sacramentum non habet aliquem effectum, qui semper ex oratione ministri consequatur, sicut character in baptismo. Et ideo in hoc sacramento non potest esse forma indicativi modi, sicut in aliis sacramentis. Quaedam autem verba, scil. *Ungo hos oculos oleo sanctificato in nomine Patris*, etc., quae in quibusdam Ecclesiis utebantur in collatione hujus sacramenti, non sunt forma hujus sacramenti, sed sunt dispositio ad formam, in quantum intentio ministri determinatur ad actum illum per verba. (Ad 3m).

Art. IX. – *Utrum praedicta oratio sit competens forma hujus sacramenti.*

RESP. AFF. – R. EST: quia tangit sacramentum in hoc quod dicitur: *Per istam sanctam unctionem*; et illud quod operatur in sacramento, scil. *divinam misericordiam*; et effectum, scil. *remissionem peccatorum*.

QUAESTIO XXX

De effectu hujus sacramenti

Deinde considerandum est de effectu hujus sacramenti. Circa quod quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum extrema unctio valeat ad remissionem peccatorum.*

RESP. AFF. – Scil. : principalis effectus hujus sacramenti est remissio peccatorum quoad reli-

quas peccati, ex consequenti autem etiam quoad culpam, si eam inveniatur.

R. EST: quia sacramentum efficit principaliter quod figurat. Hoc autem sacramentum adhibetur secundum modum cujusdam medicationis, seu sanationis. Sicut autem corporalis medicatio praesupponit corporalem vitam in medicato; ita spiritualis spiritualem. Et ideo hoc sacramentum non datur contra defectus quibus spiritualis vita tollitur, scil. contra peccatum originale, vel mortale; sed contra illos defectus quibus homo spiritualiter infirmatur; et hic defectus nihil aliud est quam quaedam debilitas, et ineptitudo, quae in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali, et quae *reliquiae peccati* dicuntur. Sed quia gratia non patitur secum peccatum, ideo, ex consequenti, si hoc sacramentum invenit peccatum aliquod vel mortale vel veniale, tollit ipsum quoad culpam; dummodo non ponatur obex ex parte recipientis; sicut etiam de Eucharistia et Confirmatione supra dictum est. Et ideo etiam Jacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens: *Si in peccatis sit, dimittentur ei.*

Art. II. – *Utrum sanitas corporalis sit effectus hujus sacramenti.*

RESP. AFF. – *Scil.:* unctio hujus sacramenti non ex proprietate naturali, sed ex virtute divina, sanationem etiam corporalem facit, et ideo non semper eam inducit.

R. EST: quia sanatio corporalis, quod est secundarius effectus hujus sacramenti, non sequitur, nisi secundum quod expedit ad principalem, scil. spiritualem sanationem; et tunc semper corporalem sanationem inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis; nam hoc sa-

cramentum, quantum est de se, efficaciam habet ad sanationem corporalem, ut patet ex forma ipsa. (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum hoc sacramentum characterem imprimat.*

RESP. NEG. – R. EST: quia hoc sacramentum est solum in remedium: et non deputatur per ipsum homo ad aliquid sacrum agendum, vel suscipiendum. – Unctio autem quae adhibetur in hoc sacramento non est consecrationis, sicut illa quae fit in Ordine et in Confirmatione; sed est unctio medicationis (Ad 2m).*

QUAESTIO XXXI

De ministro hujus sacramenti

Deinde considerandum est de administratione hujus sacramenti. Circa hoc quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum laicus possit hoc sacramentum conferre.*

RESP. NEG. – R. EST: quia quamvis in mortis articulo, ne alicui via salutis praecludatur, possit baptismus etiam a laico conferri, non tamen extrema unctio, cujus tanta non est necessitas, ut dispensatione egeat.

Art. II. – *Utrum diaconi possit hoc sacramentum conferre.*

RESP. NEG. – R. EST: quia diaconus vim habet purgativam tantum, non autem illuminativam. Et quia illuminatio fit per gratiam, ideo nullum

(*) In extrema unctione sacramentum tantum est unctio simul cum forma; gratia autem infusa est res tantum; spiritualis devotio, allevatio et confortatio est res et sacramentum simul.

sacramentum, in quo gratia confertur, diaconus potest dare ex officio.

Art. III. – *Utrum solus episcopus possit hoc sacramentum conferre.*

RESP. NEG. – *Scil.* : etiam simplices sacerdotes possunt hoc sacramentum administrare.

R. EST: quia illa sacramenta dispensanda solis episcopis reservantur quae suscipientem in aliquo statu perfectionis super alios ponunt. Hoc autem non est in hoc sacramento, cum omnibus detur. – Quantum autem ad confirmationem, quae a solo episcopo ex officio administratur, considerandum est quod haec imprimit characterem, quo collocatur homo in statu perfectionis. Non autem hoc est in hoc sacramento. Et ideo non est simile. (Ad 1m).

QUAESTIO XXXII

Quibus hoc sacramentum conferri debeat et in qua parte corporis

Deinde considerandum est de quibus hoc sacramentum conferri debeat et in qua parte corporis. Circa quod quaeruntur septem:

Art. I. – *Utrum hoc sacramentum sanis conferri debeat.*

RESP. NEG. – R. EST: quia hoc sacramentum est quaedam spiritualis curatio, ut dictum est (qu. xxx, art. 1 et 2), quae quidem per quemdam corporalis curationis modum significatur. Et ideo illis quibus corporalis curatio non competit, scil. sanis, non debet hoc sacramentum conferri.

Art. II. - *Utrum hoc sacramentum dari debeat in qualibet infirmitate.*

RESP. NEG. - R. EST: quia hoc sacramentum est ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre, quasi immediate disponens ad gloriam. Et ideo illis tantum infirmitatibus debet exhiberi qui sunt in statu exeuntium, propter hoc quod aegritudo nata est inducere mortem, et de periculo timetur.

Art. III. - *Utrum hoc sacramentum dari debeat furiosis et amentibus.*

RESP. NEG. - R. EST: quia cum forma hujus sacramenti sit deprecativa, ut dictum est (qu. xxix, art. 8), ideo ad effectum hujus sacramenti percipiendum plurimum valet devotio suscipientis, quae in furiosis et amentibus non invenitur, nisi haberent lucida intervalla, in quibus sacramentum recognoscerent; et sic eis conferri in statu illo posset.*

NOTANDUM: Propter rationem formae hujus sacramenti, ad effectum percipiendum multum valet etiam personale meritum conferentium, et generale totius Ecclesiae (In corp. art.).

Art. IV. - *Utrum hoc sacramentum debeat dari pueris.*

RESP. NEG. - *Scil. :* non debet dari pueris qui nondum habent usum rationis.

R. EST: quia hoc sacramentum exigit actua-lem devotionem in suscipiente, sicut et Eucharistia. Unde sicut Eucharistia non debet dari

(*) Non requiritur devotio praesens aut actualis; sed sufficit ad extremam unctionem recipiendam devotio praeterita, dummodo absit irreverentiae periculum. Hinc illud sacramentum administrandum est iis qui vi morbi usum rationis amiserunt, etiamsi tam repentino morbo corrupti fuerint et sine confessione moriantur.

pueris, ita nec hoc sacramentum. – Item, quia hoc sacramentum contra illas praecipue infirmitates datur, quae sunt ex peccato actuali causatae, quasi peccati reliquiae, quae non sunt in pueris. (Ad 1m et 2m).

Art. V. – *Utrum in hoc sacramento totum corpus inungi debeat.*

RESP. NEG. – R. EST: quia hoc sacramentum exhibetur per modum curationis. Curatio autem corporalis non oportet quod fiat per medicinam toti corpori appositam, sed illis partibus ubi est radix morbi. Eti deo etiam unctio sacramentalis debet fieri in illis partibus tantum in quibus est radix spiritualis infirmitatis.

Art. VI. – *Utrum convenienter determinentur partes ungentae.*

RESP. AFF. – *Scil. :* quinque sensuum organa, renes et pedes, quorum prima sunt de necessitate sacramenti.

R. EST: quia convenienter ungentur radices proximae principiorum peccandi, quae sunt principia agendi. Haec autem sunt principium dirigens, quod est in vi cognoscitiva, principium imperans, quod est in vi appetitiva, et principium motus, quod est in vi motiva. Cognitio autem a sensu vitam habet, et ideo inunguntur loca quinque sensum, scil. oculi propter visum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum, manus propter tactum, qui in pulpis digitorum praecipue viget. – Propter vim appetitivam inunguntur renes; * pedes autem inunguntur propter motivam, qui sunt principalius ejus

(*) Unctio renum, ut praescribit Rituale, in mulieribus honestatis gratia semper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest.

instrumentum. Et quia primum principium operationis humanae est cognoscitiva, ideo illa unctio ab omnibus observatur quae fit ad quinque sensus, quasi de necessitate sacramenti.

Art. VII. – *Utrum mutilati debeant inungi in illis dictis partibus.*

RESP. AFF. – *Scil.* : mutilati etiam inungi debent, quanto propinquius fieri potest ad partes illas in quibus unctio fieri debuerat.

R. EST: quia quamvis non habeant membra, habent tamen potentias animae, quae illis membris debentur, saltem in radice; et interius peccare possunt per ea quae ad partes illas pertinent, quamvis non exterius.

QUAESTIO XXXIII

De iteratione hujus sacramenti

Deinde considerandum est de iteratione hujus sacramenti. Circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum hoc sacramentum debeat iterari.*

RESP. AFF. – R. EST: quia effectus hujus sacramenti, qui est sanitas mentis et corporis, non est perpetua, sed potest amitti, postquam fuerit per sacramentum effecta: ideo hoc sacramentum sine sui injuria potest iterari.

Art. II. – *Utrum in eadem infirmitate debeat iterari.*

RESP. AFF. – *Scil.* : eadem infirmitate laborantibus non secundum eundem, sed diversum infirmitatis statum, potest extrema unctio iterum exhiberi.

R. EST: quia si aegrotus recidivum patiat, erit alia infirmitas; et ideo poterit fieri alia unctio, cum infirmus iterum ad mortis articulum pervenit.

QUAESTIO XXXIV

**De sacramento ordinis quoad ejus
essentiam et ejus partes**

Post haec considerandum est de sacramento ordinis. Et primo, de ordine in communi; secundo, de distinctione ordinum; tertio, de conferentibus ordinem; quarto, de impedimentis ordinandorum; quinto de his quae sunt ordinibus annexa. – De ipso autem ordine in communi tria videnda sunt: primo de ejus entitate, et quidditate, et partibus ejus; secundo, de ejus effectu; tertio de suscipientibus ipsum. Circa primum quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum ordo in Ecclesia esse debeat.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Deus, ut in suis operibus repraesentaretur, non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod aliis influit, hanc legem naturalem omnibus imposuit, ut ultima per media reducerentur et perficerentur, et media per prima. Et ideo ut ista pulchritudo Ecclesiae non deesset, posuit ordinem in ea, ut quidam aliis sacramenta traderent, suo modo Deo in hoc assimilati, quasi Deo cooperantes; sicut et in corpore naturali quaedam membra aliis influunt.

Art. II. – *Utrum convenienter ordo definiatur.*

RESP. AFF. – Scil. : ordo secundum quod est Ecclesiae sacramentum, est *signaculum quoddam Ecclesiae, quo spiritualis potestas traditur ordinato.*

R. EST: quia in hac definitione duo ponuntur quae sunt essentialia in hoc sacramento, scil. signum exterius, ibi *signaculum quoddam*; id est, signum quoddam; et effectum interiorem, ibi *quo spiritualis potestas, etc.*

NOTANDUM: Nomen ordinis dupliciter accipitur: quandoque significat ipsam relationem inter superiores et inferiores; et sic non accipitur hic. Quandoque autem accipitur pro ipso gradu, qui ordinem primo modo acceptum facit: et quia ratio ordinis, prout est relatio, invenitur ubi primo aliquid superius altero occurrit; ideo hic gradus eminentens per potestatem spiritualem ordo nominatur. (Ad 4m).*

Art. III. - *Utrum ordo sit sacramentum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sacramentum, ut ex dictis patet (qu. xxix, art. 1), nihil est aliud quam quaedam sanctificatio homini exhibita cum aliquo signo visibili. Unde cum in susceptione ordinis quaedam consecratio homini exhibeatur per visibilia signa, constat ordinem esse sacramentum.

NOTANDUM: Inunctio regalis non est sacramentum, quia non ordinatur ad dispensationem divinatorum sacramentorum, sicut ordinatur inunctio ordinis. (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum forma hujus sacramenti convenienter exprimat.***

RESP. AFF. - Scil. : forma qua Ecclesia in hoc sacramento utitur conveniens est.

R. EST: quia per ipsam exprimitur traductio potestatis, in qua hoc sacramentum principaliter consistit, et usus ipsius potestatis, per quam

(*) Hoc sac. potest plenius definiri: *Signaculum quo spiritualis potestas traditur et gratia confertur ad ecclesiastica munia rite obeunda.*

(**) De forma hujus sac. non consentiunt inter se theologi. Alii volunt formam consistere in verbis quae ab episcopo in impositione manuum recitantur; alii dicunt formam esse illa verba quae profert episcopus in traditione instrumentorum, quod magis D. Thomae sententiae consentaneum videtur.

ipsa potestas innotescit; nam potentiae notificantur per actus.

Art. V. – *Utrum hoc sacramentum habeat materiam.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) hoc sacramentum materiam habet sicut alia sacramenta praeter poenitentiam; b) diversimode tamen ab aliis sacramentis quae materiam habent.

R. PRIMI EST: quia effectus proprius hujus sacramenti, scil. character, non percipitur ex aliqua operatione ipsius qui ad sacramentum accedit, sicut est in poenitentia; sed omnino ex extrinseco advenit; et ideo ei materiam competit habere sicut alia sacramenta.

R. SECUNDI EST: quia hoc quod confertur in aliis sacramentis, derivatur tantum a Deo, non a ministro, qui sacramentum dispensat; sed illud quod in hoc sacramento traditur, scil. spiritualis potestas, derivatur etiam ab eo qui sacramentum dat, sicut potestas imperfecta a perfecta. Et ideo efficacia aliorum sacramentorum principaliter consistit in materia, quae virtutem divinam et significat, et continet, ex sactificatione per ministrum adhibita; sed efficacia hujus sacramenti principaliter residet penes eum qui sacramentum dispensat.* Et ideo porrectio materiae magis est de essentia hujus sacramenti quam tactus. Tamen ipsa verba formae videntur ostendere quod tactus materiae sit de essentia sacramenti; ** quia dicitur: *Accipe hoc, vel illud.* (Ad 3m).

(*) Non negat auctor materiam simul cum forma habere vim conferendi effectum, sed hanc principaliter vim attribuit ministro, facta comparatione ad materiam.

(**) Quibus verbis significat S. Doctor hanc sententiam esse probabilem; unde si quis de facto materiam non tangeret, sacramentum esset iterandum saltem sub conditione.

QUAESTIO XXXV

De effectu hujus sacramenti

Deinde considerandum est de effectu hujus sacramenti. Circa quod quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum in sacramento ordinis conferatur gratia gratum faciens.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sicut gratia gratum faciens est necessaria ad hoc quod homo digne sacramenta recipiat; ita etiam ad hoc quod digne sacramenta dispenset. Deus autem, cujus *perfecta sunt opera* (Deut. xxxii, 4), qui dat potentiam aliquam, dat etiam ea per quae executio illius potentiae possit congrue fieri. (Unde Apostolus ad Tim. (I Tim. iv, 14): *Noli negligere gratiam quae est in te, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii, etc.*).

NOTANDUM: Ad idoneam executionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens; ut sicut illi qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis. Et ideo praeexigitur gratia quae sufficiat ad hoc quod digne connumerentur in plebem Christi; sed confertur in ipsa susceptione ordinis amplius gratiae munus, per quod ad majora reddantur idonei. (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum in hoc sacramento ordinis imprimatur character quantum ad omnes ordines.*

RESP. AFF. – R. EST: quia per quaemlibet ordinem aliquis constituitur supra plebem in aliquo gradu potestatis ordinatae ad sacramentorum dispensationem. – Unde cum character sit signum distinctivum ab aliis, oportet quod in omnibus

character imprimatur: cujus etiam signum est quod perpetuo manent, et nunquam iterantur.

Art. III. - *Utrum character ordinis praesupponat characterem baptismalem.*

RESP. AFF. - R. EST: quia per characterem baptismalem efficitur homo receptivus aliorum sacramentorum. Unde qui characterem baptismalem non habet, nullum aliud sacramentum recipere potest.

Art. IV. - *Utrum character ordinis praesupponat de necessitate characterem confirmationis.*

RESP. NEG. - *Scil. :* character confirmationis praesupponitur de congruitate.

R. EST: quia de congruitate requiritur omnis perfectio, per quam aliquis reddatur idoneus ad executionem ordinis; et unum de istis est ut sit confirmatus. (Unde qui confirmationem non suscepissent, valide quidem, sed illicite ordinarentur).

Art. V. - *Utrum character unius ordinis de necessitate praesupponat characterem alterius ordinis.*

RESP. NEG. - R. EST: quia potestates sunt distinctae, et una, quantum est de sui ratione, non requirit aliam in eodem subjecto. Et ideo etiam in primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in presbyteros, qui prius inferiores ordines non susceperant; tamen per constitutionem Ecclesiae determinatum est quod ad majores ordines se non ingerat qui prius minoribus officiis se non humiliavit. Et inde est quod qui ordinantur per saltum secundum canones non reordinantur, sed id quod omissum fuerat de praecedentibus ordinibus, eis confertur.

QUAESTIO XXXVI

De qualitate suscipientium hoc sacramentum

Deinde considerandum est de qualitate suscipientium hoc sacramentum. – Circa quod quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum in suscipientibus ordinem requiratur bonitas vitae.*

RESP. AFF. – *Scil.*: sanctitas vitae requiritur ad ordinem de necessitate praecepti, sed non de necessitate sacramenti.

R. EST: quia cum in quolibet ordine aliquis constituatur dux aliis in rebus divinis, quasi praesumptuosus mortaliter peccat qui cum conscientia peccati mortalis ad ordines accedit.

NOTANDUM: Quia per ordinem ministri spirituales efficiuntur medii inter Deum et plebem, ideo debent bona conscientia nitere quoad Deum, et bona fama quoad homines. (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum requiratur scientia totius sacrae scripturae.*

RESP. NEG. – *Scil.*: non requiritur scientia totius sacrae scripturae, sed tanta de scientia requiritur quod sufficiat ad hoc quod aliquis dirigatur in actu illius ordinis.

R. EST: quia illi qui aliis praeponuntur curam animarum suscipientes, scire debent ea quae ad doctrinam fidei et morum pertinent, et quae ad executionem sui ordinis spectant. Ad superiores autem sacerdotes, scil. episcopos, pertinet ut etiam ea quae difficultatem in lege facere possunt, sciant, et tanto magis, quanto in majiori gradu collocantur. (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum ex merito vitae aliquis gradus ordinis consequatur.*

RESP. NEG. – R. EST: quia in ministris Ecclesiae non constituitur gradus ordinis ex hoc quod habent gratiam, sed ex hoc quod participant aliquod gratiae sacramentum (scil. sacramentum ordinis).

Art. IV. – *Utrum promovens indignos ad ordines peccet.*

RESP. AFF. – *Scil.:* promovens indignos ad ordines crimen mortale committit, quasi summo Domino infidelis, et praecipue cum hoc in detrimentum Ecclesiae vergat, et honoris divini.

R. EST: quia quicumque indignos promovet, infidelitatis reus efficitur, cum supra mensuram traderet divina, contra illud Luc. xii, ubi describitur fidelis servus, qui constitutus est *supra familiam suam, ut det illis tritici mensuram.*

Art. V. – *Utrum aliquis in peccato existens possit sine peccato ordine suscepto uti.**

RESP. NEG. – R. EST: quia quicumque cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, indigne illud faciat; de jure enim naturale est, ut sancta sancte pertractentur.

QUAESTIO XXXVII

De distinctione ordinum, et eorum actibus, et characteris impressione

Consequenter agendum est de distinctione ordinum, et eorum actibus, et characteris impressione. Circa quod quaeruntur quinque:

(*) De hac qu. confer quod jam dictum est (P. III, qu. lxiv, art. 6).

Art. I. - *Utrum debeant plures ordines distingui.*

RESP. AFF. - *Scil.* : propter tria:

PRIMA R. EST propter Dei sapientiam commendandam: quia divina sapientia maxime relucet in distinctione rerum tam in naturalibus, quam in spiritualibus.

SECUNDA R. EST ad subveniendum humanae infirmitati: quia per unum non poterant omnia quae ad divina mysteria pertinebant, expleri, sine magno gravamine.

TERTIA R. EST ut via proficiendi hominibus amplior detur: nam, dum plures in diversis officiis distribuuntur plures efficiuntur Dei cooperatores, quo « nihil est divinius », ut Dionysius dicit (Eccle. Hier. cap. 3).

NOTANDUM: Divisio ordinis non est totius integralis in suas partes, neque totius universalis, sed totius potestativi: cujus haec est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ejus. Et ita est hic: tota enim plenitudo sacramenti hujus est in uno ordine, scil. sacerdotio, sed in aliis est quaedam participatio ordinis. Et ideo omnes ordines sunt unum sacramentum. (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum sint septem ordines.*

RESP. AFF. - R. EST: quia distinctio ordinum, qui sunt gradus ad Eucharistiam ordinati, accipienda est secundum relationem ad Eucharistiam; et secundum hoc septem sunt gradus potestatis seu ordinis. Nam potestas ordinis aut est ad consecrationem ipsius Eucharistiae, aut ad aliquod ministerium ordinatum ad hoc sacramentum Eucharistiae. In primo habetur ordo sacerdotum, in alio est cooperatio ministrorum, quae est vel in ordine ad ipsum sacramentum, vel in ordine ad suscipientes. In primo habetur triplex cooperatio: prima est quantum ad dispensationem

ipsius sacramenti, et hoc pertinet ad diaconum, qui sanguinem Christi dispensat; secunda est ad materiam sacramenti ordinandam in sacris vasis ipsius sacramenti, et hoc pertinet ad subdiaconum; tertia est ad praestandum materiam sacramenti, et hoc pertinet ad acolythum, qui urceolum cum vino et aqua praeparat. Et sic in ordine ad ipsum sacramentum sunt tres ordines, scil. diaconatus, subdiaconatus et acolythatus. – In ordine autem ad suscipientes hoc sacramentum aliis tres gradus seu ordines distinguuntur secundum triplex genus immundorum, scil., primo, infidelium qui credere nolunt, qui a visione divinorum et coetu fidelium arcendi sunt: et hoc pertinet ad ostiarios: secundo, illorum qui volunt credere, sed nondum instructi, scil. catechumeni; et ad horum instructionem ordinatur ordo lectorum; tertio, illorum qui sunt fideles, et instructi, sed impedimentum habentes ex daemonis potestate, scil. energumeni; et ad hoc ministerium est ordo exorcistarum. Et sic patet ratio et numeri et gradus ordinum.

NOTANDUM: In primitiva Ecclesia, propter paucitatem ministrorum, omnia inferiora ministeria diaconis committebantur, ut patet per Dionysium (Eccl. Hier. cap. 3), ubi dicit: « Ministrorum alii stant ad portas templi clausas; alii aliud proprii ordinis operantur; alii autem sacerdotibus proponunt super altare sacrum panem et benedictionis calicem ». Nihilominus erant omnes praedictae potestates, sed implicite, in una diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus; et Ecclesia quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis. (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum ordines debeant distinguere per sacros et non sacros.*

RESP. AFF. – *Scil. : a) non secundum se considerati; sed b) ratione materiae circa quam habent aliquem actum.*

R. PRIMI EST: quia sic omnis ordo est sacer, cum sit sacramentum quoddam.

R. SECUNDI EST: quia tres ordines, scil. presbyteratus, diaconatus et subdiaconatus, habent actum circa rem aliquam consecratam; alii autem ordines non habent. Nam presbyteratus et diaconatus habent actum circa corpus Christi et sanguinem consecratum, et subdiaconatus habet actum circa vasa consecrata: et ideo eis etiam continentia indicitur, ut sancti et mundi sint qui sancta tractant.

Art. IV. - *Utrum actus ordinum convenienter in littera assignentur.**

RESP. AFF. - R. EST: quia in littera principalis actus unicuique ordini assignatur secundum quod unusquisque ordinum magis proxime ordinatur ad Eucharistiae sacramentum.

Art. V. - *Utrum sacerdoti character imprimatur in ipsa calicis porrectione.*

RESP. AFF. - R. EST: quia collatio potestatis fit ordinandis per hoc quod datur eis aliquid quod ad proprium et principalem actum pertinet. Principalis autem actus sacerdotis est consecrare corpus et sanguis Christi. Et ideo character sacerdotalis imprimatur in ipsa datione calicis cum patena sub forma verborum determinata, scil. *accipe potestatem offerendi sacrificium Deo missasque celebrandi, tam pro vivis quam pro defunctis.*

NOTANDA: 1. Benedictio, manus impositio et unctio fiunt ut proxima praeparatio ad suscipiendum ordinem; traditio autem potestatis fit per collationem instrumentorum quae ad proprium actum pertinet: ejusdem enim est formam inducere, et materiam de proximo praeparare ad formam. - Benedictio autem per quam ordinandi di-

(*) In littera, i. e. Sent. iv. dist. 24.

vinis obsequiis manciantur, datur omnibus. Manus vero impositio fit solis diaconis et sacerdotibus, quibus competit dispensatio sacramentorum, quia significat plenitudinem gratiae.* Unctio autem solis sacerdotibus competit, qua ad sacramentum tractandum consecrantur. (Passim in corp. art.).

2. Cum principalis actus diaconatus sit portare corpus Christi in patena, et dispensare sanguinem cum calice, et quia talis actus non potest exprimi per dationem vasis tantum, ideo potestas ejus exprimitur per actum secundarium, scil. per collationem libri Evangeliorum, et in hac potestate intelligitur alia, et ideo in ipsa libri datione imprimitur character. (Ad 5m).** - Character autem acolytho imprimitur in datione urceoli, in quo principaliter acolythus ministrat. Denominatur tamen ab actu secundario quo ministrat in candelabro propter hoc quod est magis notum. (Ad 6m).

QUAESTIO XXXVIII

De conferentibus hoc sacramentum

Deinde considerandum est de conferentibus hoc sacramentum. Circa quod quaeruntur duo:

Art. I. - *Utrum tantum episcopus ordinis sacramentum conferat.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ad episcopum pertinet cura communitatis. Sicut igitur officia saecularia in civitatibus distribuuntur ab illo qui habet excellentiorem potestatem, sicut a rege; ita ad episcopum pertinet in omnibus divinis ministeriis alios collocare. Unde ipse solus confirmat; ipse etiam solus virgines benedicit, quae

(*) Quia sacerdotes indigent amplissima gratia, ideo sacerdotes manus cum episcopo imponunt eis qui in sacerdotes promoventur, sed diaconis solus episcopus (Qu. seq. art. 1, ad 1m).

(**) St. Alphonsus habet ut probabilior sententia tenet characterem imprimi per solam impositionem manuum.

figuram gerunt Ecclesiae Christo desponsatae; ipse etiam in ministeriis ordinum ordinandos consecrat; et vasa, quibus uti debent, eis determinat sua consecratione.

NOTANDUM: Papa, qui habet plenitudinem potestatis pontificalis, potest committere non episcopo ea quae ad episcopalem dignitatem pertinent, dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum corpus Christi. Et ideo ex ejus commissione aliquis sacerdos simplex potest conferre minores ordines, et confirmare, non autem aliquis non sacerdos; nec iterum sacerdos majores ordines, qui habent relationem immediatam ad corpus Christi, supra quod consecrandum papa non habet majorem potestatem quam simplex sacerdos. (Ad 3m).

Art. II. - Utrum haeretici et ab Ecclesia praecisi possint ordines conferri.*

RESP. AFF. - Scil. : a) Episcopi haeretici et ab Ecclesia praecisi conferunt sacros ordines, sicut et caetera sacramenta; b) ordinati tamen ab illis nullam susceptorum ordinum executionem suscipiunt aut gratiam.

R. PRIMI EST: quia nullo casu potestas cum consecratione data, re ipsa manente, perdi queat; sicut etiam altare vel chrisma semel consecrata perpetuo consecrata manent.

R. SECUNDI EST: quia recipientes ab eis sacramenta contra prohibitionem Ecclesiae recipiunt, et ideo illicitè recipiunt et peccant.

NOTANDUM: In promotione ipsius episcopi datur ei potestas, quae perpetuo manet in eo, quamvis dici non possit character;** quia per eam non ordinatur homo directe ad Deum, sed ad corpus Christi mysticum; et tamen indelebiter manet, sicut character, quia per consecrationem datur. (Ad 2m).

(*) Circa hoc confr. P. III, qu. lxiv, art. 5 et 9.

(**) Ita loquitur S. Th., quia episcopatum non habet ut sacramentum. (Vide infra qu. xl, art. 5).

QUAESTIO XXXIX

De impedimentis hujus sacramenti

Deinde considerandum est de impedimentis hujus sacramenti. Circa quod quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum sexus foemineus impediatur ordinis susceptionem.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia in sexu foemineo non possit significari aliqua eminentia gradus, quam ordo significat: mulier enim statum subjectionis habet. Unde de necessitate sacramenti est quod recipientes ordinem sint ex sexu virili. – Unde quamvis in his quae sunt animae mulier non differat a viro, imo et quandoque melior inveniatur multis viris, et donum prophetiae et alia hujusmodi recipere possit, tamen non potest (jure naturali) ordinis sacramentum recipere.

Art. II. – *Utrum pueri et carentes usu rationis ordines possint suscipere.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia in ordine non requiritur actus suscipientis de necessitate sacramenti, sed potestas spiritualis divinitus datur: et ideo pueri et alii usu rationis carentes ordinem quidem suscipere possunt, hac tamen distinctione habita: scil. in minoribus ordinibus requiritur discretionis tempus de honestate, propter dignitatem sacramenti, sed non de necessitate praecepti, neque de necessitate sacramenti. Sed ad majores ordines requiritur usus rationis et de honestate, et de necessitate praecepti, et propter votum continentiae quod habent annexum, et quia etiam eis sacramenta tractanda committuntur. Sed ad episcopatum, ubi etiam in corpus mysticum accipitur potestas, requiritur actus

suscipientis curam animarum pastorem; et ideo est etiam de necessitate consecrationis episcopalis quod usum rationis habeat.*

Art. III. - *Utrum servitus impediatur aliquem a susceptione ordinis.*

RESP. AFF. - *Scil.*: quantum ad actum.

R. EST: quia servus non habet potestatem sui. Si tamen promovetur, ordinem suscipit: quia libertas non est de necessitate sacramenti, licet sit de necessitate praecepti; cum non impediatur potestatem, sed actum tantum.

Art. IV. - *Utrum propter homicidium debeat aliquis ab ordinibus proberi.*

RESP. AFF. - R. EST: quia Eucharistiae sacramentum, ad quod omnes ordines referuntur, est sacramentum pacis nobis factae per effusionem sanguinis Christi. Homicidium autem maxime contrariatur paci, et homicidae magis conformantur occidentibus Christum, quam ipsi Christo occiso, cui omnes ministri praedicti sacramenti debent conformari. Ideo de necessitate praecepti est quod non sit homicida qui ad ordines promovetur.

Art. V. - *Utrum illegitime nati debeant ab ordinibus suscipiendis impediri.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ordinati constituuntur prae aliis in quadam dignitate, et ideo requiritur in eis claritas quaedam honestatis et bonae famae. In illegitime natis autem, cum sint ex vitiosa origine, haec claritas obscuratur; et ideo a susceptione ordinum repelluntur, nisi cum eis dispensetur: et tanto est difficilior eorum dispensatio, quanto eorum origo est turpior.

(*) Ad praxim autem quod attinet standum est ad Cod. J. C.

Art. VI. – *Utrum propter defectu membrorum debeat aliquis impediri.*

RESP. AFF. – *Scil.:* si talis defectus inferat maculam notabilem, e. g. abscissio nasi.

R. EST: quia per talem maculam obscuratur personae claritas, vel potest facere periculum in executione ordinis.

QUAESTIO XL

De his quae sunt annexa sacramento ordinis

Deinde considerandum est de his quae sunt annexa sacramento ordinis: et circa hoc quaeruntur septem:

Art. I. – *Utrum ordinati debeant tonsuram deferre.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia illi qui divinis ministeriis applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, et debent esse in virtute perfecti. Tonsura enim (et idem dicitur de rasura), cum sit circularis, signum est regni et perfectionis. – Conversi autem tondantur propter renuntiationem temporaliū; sed non raduntur, quia non occupantur divinis ministeriis, in quibus divina oporteat eos mente contemplari. (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum corona sit ordo.*

RESP. NEG. – *Scil.:* non est ordo, sed praeambulum ad ordinem.

R. EST: quia per coronam non confertur potestas ordinis, sed fit deputatio ad officium quod communiter a toto ministrorum collegio exercetur, sicut dicere divinas laudes. – Haec autem deputatio non imprimit characterem, sed debet fieri per episcopum, qui etiam vestes be-

nedicit, et vasa, et alia omnia quae ad divinum cultum applicantur. (Ad 2m).

Art. III. - *Utrum per acceptionem coronae aliquis renuntiet temporalibus bonis.*

RESP. NEG. - R. EST: quia terrenorum possessio non contrariatur divino cultui, ad quem clerici deputantur, sed nimia eorum sollicitudo: quia, ut dicit Gregorius (Moral. lib. x, cap. 17), « affectus in crimine est, non census ».

Art. IV. - *Utrum supra sacerdotalem ordinem debeat esse aliqua potestas episcopalis.*

RESP. AFF. - *Scil.:* oportet esse potestatem episcopalem supra sacerdotalem, quantum ad actum secundarium sacerdotis, non autem quantum ad primum.

R. EST: quia quantum ad primum actum sacerdotis, quod est consecrare corpus Christi, potestas sacerdotis non dependet ab aliqua superiori potestate, nisi divina.* Quantum autem ad secundum actum, quod est praeparare populum Dei ad susceptionem sacramenti corporis Christi, sacerdos dependet ab aliqua superiori potestate, scil. et humana, per quam possit exire in actum absolvendi et ligandi. Unde praesupponit quantum ad hoc praelationis jurisdictionem, qua sibi subdantur illi quos absolvit.

Art. V. - *Utrum episcopatus sit ordo.*

RESP. NEG. - *Scil.:* a) in quantum ordo est sacramentum ad Eucharistiae sacramentum ordinatum, episcopatus non est ordo; b) est autem ordo secundum quod est officium quoddam respectu quarundam actionum sacrarum.

(*) Ex quadam congruitate praesupponitur actus episcopalis in consecratione altaris, et vestium, et huiusmodi. (In corp. art.).

R. PRIMI EST: quia episcopus non habet potestatem superiorem sacerdote respectu ad corpus Christi. (Art. praec.).

R. SECUNDI EST: quia episcopus habet potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis mystici supra sacerdotem. – Unde licet detur aliqua potestas spiritualis episcopo in sui promotione respectu aliquorum sacramentorum, non tamen illa potestas habet rationem characteris. (Ad 2m). – Potestas tamen episcopalis, cum sit respectu quarundam actionum sacrarum,* non est tantum jurisdictionis, sed etiam ordinis, secundum quod ordo communiter accipitur. (Ad 3m).

Art. VI. – *Utrum supra episcopos possit esse aliquis superior in Ecclesia.*

RESP. AFF. – R. EST: quia cum tota Ecclesia sit unum corpus, oportet, si ista unitas debet conservari, quod sit aliqua potestas regitiva respectu totius Ecclesiae supra potestatem episcopalem, qua unaquaeque specialis Ecclesia regitur: et haec est potestas papae. Et ideo illi qui hanc potestatem negant, schismatici dicuntur, quasi divisores unitatis Ecclesiae.

NOTANDUM: Potestas sacerdotis exceditur a potestate episcopi, quasi a potestate alterius generis; sed potestas episcopi exceditur a potestate papae, quasi a potestate ejusdem generis. Et ideo omnem actum hierarchicum, quem potest facere papa in ministracione sacramentorum, potest facere episcopus: non autem omnem actum quem potest facere episcopus, potest facere sacerdos in colla-

(*) Novem enumerantur actiones propriae episcoporum, scil.: clericos ordinare, virgines benedicere, pontifices consecrare, manus imponere, basilicas dedicare, clericos deponere, synodos celebrare, chrisma conficere, vestes et vasa consecrare. (Infra, Art. vii in corp.).

tione sacramentorum. Et ideo quantum ad ea quae sunt episcopalis ordinis, omnes episcopi sunt aequales: et propter hoc quilibet episcopus alium potest consecrare. (Ad 3m).

Art. VII. – *Utrum vestes ministrorum convenienter sint in Ecclesia institutae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia vestes ministrorum, prout Ecclesia a Spiritu sancto edocta unicuique conveniens indicavit, idoneitatem designant quae in eis requiritur ad tractandum divina. – (Ad particularia autem quod attinet videndus est textus principalis).

QUAESTIO XLI

De sacramento matrimonii in quantum est in officium naturae *

Post haec considerandum est de matrimonio: et primo agendum est de eo, in quantum est officium naturae; secundo, in quantum est sacramentum, tertio, in quantum absolute et secundum se consideratur. Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum matrimonium sit de jure naturali.*

RESP. AFF. – *Scil.:* secundum quod naturale dicitur ad quod natura inclinatur, sed mediante libero arbitrio completur.

R. EST: quia ratio naturalis ad ipsum matrimonium naturaliter inclinatur; et quidem dupliciter: primo quantum ad principalem ejus finem, qui est bonum prolis, quod consistit in *esse, nutrimentum* et *disciplinam* prolis: non enim intendit natura solum generationem prolis, sed

(*) De his quae de matrimonio hic dicenda sunt, quantum ad ea quae ad legem ecclesiasticam pertinent, standum est ad normas Codicis Juris Canonici.

etiam traductionem et promotionem usque ad perfectum statum hominis, inquantum homo est. Secundo quantum ad secundarium finem matrimonii, qui est mutuuum obsequium sibi a conjugibus in rebus domesticis impensum.

NOTANDUM: Quantum ad principalem finem matrimonii, natura hominis inclinatur ex parte generis, unde dicit Philosophus (Ethic. lib. viii, cap. 11 et 12) quod filiorum procreatio communis est omnibus animalibus. Quantum autem ad finem secundarium natura inclinatur ex parte differentiae, quae est proprium speciei. – Ex parte generis autem natura ad hoc non inclinatur eodem modo in omnibus animalibus, sed secundum quod proles indiget sustentatione. In homine autem, quia filius indiget cura parentum usque ad magnum tempus, est maxima determinatio masculi ad foeminam, ad quam etiam natura generis inclinatur. (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum matrimonium cadat sub praecepto.*

RESP. NEG. – R. EST: quia inclinatio naturalis ad matrimonium non est necessaria ad perfectionem unius (seu personalem), sed ad perfectionem multitudinis, quae satisficit cum diversa quae competunt ad multitudinis perfectionem per diversos complentur. Ad perfectionem autem humanae multitudinis necessarium est quod aliquos contemplativae vitae inserviant, quae maxime per matrimonium impeditur; et ideo inclinatio naturae ad matrimonium non obligat per modum praecepti, etiam secundum philosophos, nisi aliquando, sicut tempore primitivo, quo paucitas hominum exigebat ut quilibet generationi vacaret. (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum actus matrimonii sit licitus.*

RESP. AFF. – *Scil.:* contra illam pessimam haeresim et insaniam secundum quam res corruptibiles creatae sunt a malo Deo.

R. EST: quia inclinatio ad prócreationem prolis, ad quam actus matrimonii ordinatur, est naturae, et quidem ad conservationem speciei. Unde impossibile est dicere quod talis actus sit universaliter illicitus, ut in eo medium virtutis inveniri non possit.

NOTANDUM: Turpitude illa concupiscentiae, quae actum matrimoniale semper concomitatur, non est turpitude culpae, sed poenae, ex peccato primo proveniens, ut scil. inferiores vires et membra corporis rationi non obediant. (Ad 3m). Unde actus matrimonialis propter corruptionem concupiscentiae habet similitudinem actus inordinati, ideo per bona matrimonii excusatur a toto, ut non sit peccatum. (Ad 4m). Intensio autem delectationis in actu matrimoniali, quamvis impediatur actum rationis, non tamen tollit rationis ordinem, quia actus matrimonii est a ratione praeordinatus. (Ad 6m).

Art. IV. - *Utrum actus matrimonii sit meritorius.*

RESP. AFF. - *Scil.* : potest, imo et debet esse meritorium, non quidem ex difficultate actus, sed ex charitate.

R. EST: quia ad actum matrimonialem virtus inducere potest, imo et debet, vel justitiae, ut debitum reddat, vel religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur. Si autem moveat libido sistens intra bona matrimonii, ut scil. nullo modo ad aliam accedere vellet, est peccatum veniale; si autem extra bona matrimonii efferatur, ut scil. cum quadam muliere idem facere proponeret, est peccatum mortale.

NOTANDUM: Difficultas laboris requiritur ad meritum praemii accidentaliter; sed ad meritum praemii essentialiter requiritur difficultas consistens in ordinatione medii, et hoc est etiam in actu matrimoniali. (Ad 4m).

QUAESTIO XLII

De matrimonio, in quantum est sacramentum

Deinde considerandum est de matrimonio, in quantum est sacramentum. Circa quod quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum matrimonium sit sacramentum.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia matrimonium contra peccatum importat homini sanctitatis remedium quod exhibetur per sensibilia signa. Et hoc est de ratione sacramenti.

NOTANDA: 1. Forma hujus sacramenti sunt verba quibus exprimitur consensus matrimonialis; benedictio autem sacerdotis est quoddam sacramentale. (Ad 1m). – Talis actus (consensus mutuus), qui est sensui subjectus, habet rationem materiae hujus sacramenti, sicut actus confitentis in sacramento poenitentiae. (Ad 2m). – Conformatur autem passioni Christi non quantum ad poenam (sicut alia sacramenta), sed quantum ad charitatem, per quam pro Ecclesia Christus sibi in sponsam conjungenda passus est. (Ad 3m).

2. Res significata in hoc sacramento est unio Christi ad Ecclesiam. Res et Sacramentum est obligatio quae innascitur viri ad mulierem ex actibus hujus sacramenti exterius apparentibus. Res autem ultima contenta est effectus hujus sacramenti, scil. gratia peculiaris quam illud sacramentum suscipientibus confert (Ad 5m).

Art. II. – *Utrum hoc sacramentum debuerat institui ante peccatum.*

RESP. AFF. – **Scil.:** non ut sacramentum, sed ut officium naturae.

R. EST: quia etiam peccato non existente, matrimonium, secundum naturam, ordinatur ad procreationem prolis. In quantum autem est sa-

cramentum, quia de ratione sacramenti est quod sit signum et remedium, matrimonium institutionem habuit in nova lege, utpote mysterium conjunctionis Christi et Ecclesiae repraesentat, et remedium seu auxilium gratiae contra concupiscentiam carnis praebet.*

NOTANDUM: Secundum determinationem personarum (inter quas non deberet iniri) matrimonium institutionem habuit in lege Moysi. Quantum vero ad alias utilitates quae ex matrimonio consequuntur, sicut est amicitia, et mutuum obsequium sibi a conjugibus impensum, habet institutionem in lege civili. (In corp. art.).

Art. III. - *Utrum matrimonium conferat gratiam.*

RESP. AFF. - *Scil.* : matrimonium, in quantum in fide Christi contrahitur, habet ut conferat gratiam adjuvantem ad illa operanda quae in matrimonio requiruntur.

R. EST: quia ubicumque datur divinitus aliqua facultas, dantur etiam auxilia quibus homo convenienter uti possit facultate illa. Unde cum in matrimonio detur homini ex divina institutione facultas utendi uxore sua ad procreationem prolis, datur etiam gratia, sine qua id convenienter facere non posset; sicut etiam de potestate ordinis supra dictum est (qu. xxxv, art. 1). Et sic ista gratia data, est ultima res contenta in hoc sacramento.

NOTANDA: Sanctificatio matrimonii non est principaliter ex sanctificatione sacerdotis, sed ex hoc quod Christus sua passione illud repraesentavit. (Ad 1m).

2. Sicut aqua baptismi cum forma verborum

(*) Quatenus sac. novae leg. matrimonium videtur institutum fuisse Joan. ii, ubi Christus nuptiis benedixit, non solum bene praecando, vel aquas in vinum mutando, sed gratiamtribuendo et institutum conjugale firmando.

non operatur immediate ad gratiam, sed ad characterem; ita actus exteriores, et verba exprimentia consensum directe faciunt nexum quemdam, qui est sacramentum matrimonii: et hujusmodi nexus ex virtute divinae institutionis dispositive operatur ad gratiam. (Ad 2m).

Art. IV. - *Utrum carnalis commixtio sit de integritate matrimonii.*

RESP. NEG. - *Scil.* : non est de integritate quae attenditur secundum perfectionem primam, sed est de illa quae attenditur secundum perfectionem secundam.

R. EST: quia perfectio prima consistit in ipso esse rei; alia autem in operatione. Carnalis commixtio autem est quaedam operatio, siue usus matrimonii, per quod facultas ad hoc datur; et ideo erit carnalis commixtio de secunda integritate matrimonii et non de prima.

QUAESTIO XLIII

De matrimonio quantum ad sponsalia

Consequenter considerandum est de matrimonio absolute considerato: ubi primo agendum est de sponsalibus; secundo, de matrimonii ratione; tertio, de ejus causa efficiente; quarto, de ejus bonis; quinto, de impedimentis ipsius; sexto, de secundis nuptiis; septimo, de quibusdam matrimonio annexis. Circa primum quaeruntur tria:

Art. I. - *Utrum sponsalia sint futurarum nuptiarum promissio.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia, ut verbum illud *sponsalia*, quod a *spondendo* derivatur, indicat, consensus in conjugalem copulam per verba de futuro non facit matrimonium, sed matrimonii promissionem.

NOTANDUM: Ex tali promissione obligatur unus alteri ad matrimonium contrahendum; et peccat mortaliter non solvens promissum, nisi legitimum impedimentum interveniat. (Ad 2m). Si tamen promissio facta fuerit sub conditione inhonesta, quae est contraria bonis matrimonii, ut si dicam: *Accipiam te, si venena sterilitatis procures*, tunc talis promissio nihil est; si vero non contrariatur bonis matrimonii, ut si dicam: *Accipiam te, si furtis meis consentias*, tunc stat promissio; sed tollenda est conditio. (In corp. art.).

Art. II. - *Utrum tempus septennii sit conveniens assignatum sponsalibus contrahendis.*

RESP. AFF. - *Scil.* : jam in fine primi septenni homo sponsalia contrahere potest, non autem ad obligandum se perpetuo vinculo.

R. EST: quia cum sponsalia sint quaedam promissiones futurorum, ut dictum est (art. praec.), oportet quod illorum sint qui aliquo modo promittere possunt; quod non est nisi illorum, qui habent aliquam providentiam de futuris quae usum rationis requirit. - In fine autem primi septennii incipit esse homo aptus ad aliqua promittenda in futurum, praecipue de his ad quae ratio naturalis inclinatur magis; non autem ad obligandum se perpetuo vinculo, quia adhuc non firmam voluntatem habet.

NOTANDUM: Si ante annos pubertatis fiunt contractus sponsalium per alium, ambo, vel alter reclamare possunt: unde nihil tunc actum est, adeo quod nec aliqua affinitas ex hoc contrahatur. Et ideo sponsalia quae inter aliquos per personas alias contrahuntur, robur habent, inquantum illi inter quos contrahuntur, ad aetatem debitam venientes non reclamant, ex quo intelliguntur consentire his quae per alios facta sunt. (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum sponsalia dirimi possint.*

RESP. AFF. - *Scil.* : diversimode.

R. EST: quia cum quis ad religionem confugit, et cum alter conjugum cum altero per verba de

praesenti contrahit, ipso jure sponsalia dirimuntur, sed in aliis casibus dirimi debent secundum iudicium Ecclesiae.*

QUAESTIO XLIV

De matrimonii definitione

Deinde considerandum est de ratione matrimonii. Circa quod quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum matrimonium sit in genere conjunctionis.*

RESP. AFF. – *Scil. :* prout conjunctio importat vinculum quo vir et mulier ad invicem obligantur.

R. EST: quia cum per matrimonium ordinentur aliqui ad unam generationem et educationem proles, et iterum ad unam vitam domesticam, constat quod in matrimonio est aliqua conjunctio, secundum quam dicitur maritus et uxor; et talis conjunctio ex hoc quod ordinatur ad aliquid unum, est matrimonium; conjunctio autem corporum et animorum ad matrimonium consequitur.

Art. II. – *Utrum matrimonium convenienter nominetur.*

RESP. AFF. – *Scil. :* ratione effectus.

R. EST: quia secundum essentiam matrimonium nominatur *conjugium*; secundum causam, quae est desponsatio, vocatur *nuptiae*, a *nubo*, quia in ipsa solemnitate desponsationis, qua matrimonium perficitur, capita nubentium velantur; secundum effectum autem proprie dicitur matrimonium, quia, ut Augustinus dicit (Contra Faustum, lib. xix, c. 26), « mulier non debet ob aliud nubere, nisi ut sit mater ». – Quantum au-

(*) De his standum est hodie ad normas Codicis Juris Canonici.

tem ad compositionem illius verbi *matrimonii*, diversae interpretaetiones habentur, ut significet scil. *matris munium*, i. e. officium; vel *matrem muniens*, quia per matrimonium mulier ponitur in defensione viri; vel *matrem monens*, ne scil. virum relinquat, alteri adhaerens; vel dicitur matrimonium, quasi *materia unius*; vel etiam a *matre* et *nato*, quia per matrimonium efficitur aliqua mater nati.

NOTANDUM: Quamvis pater est dignior quam mater, tamen circa prolem mater magis est officiosa quam pater. Vel dicendum quod mulier ad hoc principaliter facta est ut sit homini in adiutorium prolis; non autem vir propter hoc factus est. Unde magis pertinet ad rationem matrimonii mater quam pater. (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum matrimonium convenienter definiatur in littera.*

RESP. AFF. – *Scil.* : quod sit « viri mulierisque conjunctio maritalis inter legitimas personas, individuum vitae consuetudinem retinens ».

R. EST: quia talis definitio in littera (IV Sent. D. 27), est secundum essentiam matrimonii, scil. *conjunctionem*, et addit determinatum subiectum, in hoc quod dicit, *inter legitimas personas*; ponit etiam differentiam contrahentium ad speciem, in hoc quod dicit, *maritalis*; et ponit etiam virtutem hujus conjunctionis, quia indissolubilis est, in hoc quod dicit, *individuum*, etc. – Aliae autem definitiones proponuntur secundum causam, vel secundum effectum.*

(*) Matrimonium, quatenus est sacramentum, defini potest Christianorum viri et foeminae personarum legitimarum conjunctio vel contractus maritalis, ad individuum vitae societatem retinendam institutus, et gratiam conjuges sanctificantem conferendi vim habens.

QUAESTIO XLV

De consensu matrimonii secundum se

Consequenter considerandum est de consensu; ubi primo agendum est de ipso consensu secundum se considerato; secundo de consensu juramento vel carnali copula firmato; tertio de consensu coacto et conditionato; quarto de objecto consensus. - Circa primum quaeruntur quinque:

Art. I. - *Utrum consensus sit causa efficiens matrimonii.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia sicut conjunctiones materialium contractuum fiunt per mutuum consensum; ita oportet quod hoc modo etiam fiat matrimonialis conjunctio, quae quidem est spiritualis, inquantum matrimonium est sacramentum; et materialis, inquantum matrimonium est officium naturae et civilis vitae: unde mediante conjunctione materiali fit spiritualis conjunctio, virtute divina, sicut postulat ratio sacramentorum, ubi spiritualis operatio, mediante materiali operatione, ex divina institutione, significatur et efficitur.

NOTANDUM: Consensus directe non est in virum, sed in conjunctionem ad virum ex parte uxoris; et similiter ex parte viri est consensus in conjunctionem ad uxorem. (Ad 3m).

Art. II. - *Utrum oporteat consensum per verba exprimi.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia consensus in contractibus materialibus, ad cujusmodum fit conjunctio matrimonialis, ut dictum est (art. praec.), non potest fieri nisi sibi invicem voluntatem suam verbis promant qui contrahunt. Et ideo etiam oportet quod consensus matrimonium faciens verbis exprimatur, ut expressio verborum se

habeat ad matrimonium, sicut ablutio exterior ad baptismum. – Illi autem qui vota sua mutuo verbis exprimere non possunt, uti muti, vel diversarum linguarum, possunt tamen exprimere nutibus, et tales nutus pro verbis computantur. (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum consensus expressus per verba de futuro faciat matrimonium.*

RESP. NEG. – R. EST: quia cum aliquis consensum suum per verba de futuro exprimit, non significat se facere matrimonium, sed promittit se facturum, ideo talis expressio consensus non facit matrimonium, sed sponsionem ejus, quae *sponsalia* nominatur.

Art. IV. – *Utrum consensus etiam per verba de praesenti expressus, si desit interior consensus, faciat matrimonium.*

RESP. NEG. – R. EST: quia sicut se habet ablutio exterior ad baptismum, ita se habet expressio verborum ad hoc sacramentum, ut dictum est (art. 2 hujus qu.). Unde si aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens recipere sacramentum, sed ludum et dolum facere, non esset baptizatus; ita expressio verborum sine interiori consensu matrimonium non facit. – Tamen probabiliter potest credi dolus non esse, nisi signa evidentialia doli appareant, quia de quolibet praesumendum est bonum, nisi probetur contrarium. (Ad 2m). Ecclesia igitur secundum ea quae foris apparent judicat; nec decipitur in justitia sive jure, quamvis decipiatur in facto. (Ad 3m).

Art. V. – *Utrum consensus in occulto factus per verba de praesenti faciat matrimonium.*

RESP. AFF. – R. EST: quia quod consensus non fiat in occulto non est de essentia hujus sacra-

menti, sed de solemnitate ejus. De essentia enim matrimonii est quod consensus exprimat per verba de praesenti, et quod fiat inter personas legitimas ad contrahendum. Caetera autem sunt de solemnitate sacramenti, quibus matrimonium fit convenientius. Unde si haec omittantur, verum est matrimonium, quamvis peccent sic contrahentes, nisi per aliquam legitimam causam excusentur.*

QUAESTIO XLVI

De consensu cui advenit juramentum vel copula carnalis

Deinde considerandum est de consensu cui advenit juramentum vel copula carnalis. Circa quod quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum juramentum adjunctum consensui per verba de futuro expresse faciat matrimonium.*

RESP. NEG. – R. EST: quia juramentum tantum confirmat quod in dictis significatur, nec significatum mutat. Et ideo cum verba de futuro ex ipsa sua significatione habeant quod matrimonium non faciant, nondum est matrimonium factum.

NOTANDUM: Juramento in proposito non facit novam obligationem, sed factum confirmat, et sic gravius peccat qui eam (culpabiliter) violat. (Ad 4m).

Art. II. – *Utrum carnalis copula post verba de futuro consensum exprimentia faciat matrimonium.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) in foro conscientiae talis carnalis copula matrimonium non facit,

(*) Vide Can. 1094.

nisi adsit interior consensus; *b*) in foro autem Ecclesiae talis copula matrimonium facere iudicatur.

R. PRIMI EST: quia etiam verba de praesenti consensum exprimentia, si consensus mentalis, deesset, non facerent matrimonium, ut supra dictum est (qu. praec. art. 4).

R. SECUNDI EST: quia in foro exteriori nihil potest expressius significare consensum quam carnalis copula, ideo secundum iudicium Ecclesiae carnalis copula, consequens sponsalia, matrimonium facere iudicatur, nisi aliqua signa expressa doli vel fraudis appareant.*

QUAESTIO XLVII

De consensu coacto et conditionato

Deinde considerandum est de consensu coacto et conditionato. - Circa quod quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum aliquis consensus possit esse coactus.*

RESP. AFF. - *Scil. :* *a*) non coactione vel violentia simpliciter; *b*) sed coactione mixta.

R. PRIMI EST: quia *violentum simpliciter* dicitur cum quis aliquem corporaliter impellit ad motum. Hoc autem non potest dici de voluntate.

R. SECUNDI EST: quia coactio mixta, seu « violentum mixtum » est quod facit necessitatem conditionatam, sicut cum quis projicit merces in mare, ne periclitetur: et in isto violento quamvis

(*) Sed haec non valent post Con. Trid.; et standum est ad Cod. J. C.

hoc quod fit, non sit per se voluntarium, tamen consideratis circumstantiis hic et nunc, voluntarium est. Et quia actus in particularibus sunt, ideo simpliciter voluntarium est, sed secundum quid involuntarium. Unde haec violentia, vel coactio, potest esse in consensu, qui est actus voluntatis; haec autem coactio in proposito idem est ac metus.

Art. II. - *Utrum aliqua coactio metus cadat in constantem virum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia constans non est pertinax, sed medius est inter inconstantem et pertinacem. Unde aliquis quantumcumque constans, cogi potest metu majoris mali, ad minus malum sustinendum, sicut patet de illo qui tempore naufragii merces projicit in mari. - Inconstans autem, e contra, cogitur ad majus malum propter metum minoris mali, scil. ad peccatum propter metum corporalis poenae. Pertinax autem non potest cogi etiam ad minus malum sustinendum vel faciendum, ut evitet majus malum.

Art. III. - *Utrum consensus coactus lollat matrimonium.*

RESP. AFF. - *Scil.;* consensus coactus metu gravi.

R. EST: quia metus qui cadit in constantem virum, perpetuitatem contractus tollit; potest enim peti restitutio in integrum. Et ideo haec coactio metus quae cadit in constantem virum, tollit matrimonium, et non alia, i. e., coactio levis quae cadit in virum inconstantem.

NOTANDUM: Ad matrimonium non sufficit quodcumque voluntarium, sed voluntarium complete, quia debet esse perpetuum: et ideo per violentum mixtum impeditur. (Ad 2m).

Art. IV. - *Utrum consensus coactus ex parte cogentis faciat matrimonium.*

RESP. NEG. - R. EST: quia matrimonium est quaedam relatio quae non potest innasci in uno extremorum sine hoc quod fiat in alio; ideo non potest esse quod aliquis sit vir non uxoris, vel quod aliqua sit uxor non habens virum: et ideo dicitur communiter quod matrimonium non claudicat.

Art. V. - *Utrum per consensum conditionatum fiat matrimonium.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) si conditio est de praesenti et non contraria bonis matrimonii, matrimonium facit; b) si autem est de futuro necessario conditio facit matrimonium; c) si vero est de futuro contingenti, e. g. datio pecuniae, vel acceptatio parentum, matrimonium non facit.

R. PRIMI EST: quia stante conditione, matrimonium stat.

R. SECUNDI EST: quia futura necessaria sunt praesentia in causis suis, sicut solem oriri cras.

R. TERTII EST: quia idem est iudicium de tali consensu (qui respicit futurum contingens), sicut de consensu qui fit per verba de futuro, quod non facit matrimonium, sed promissionem tantum.

Art. VI. - *Utrum aliquis praecepto patris possit compelli ad matrimonium.*

RESP. NEG. - R. EST: quia in matrimonio est quasi quaedam servitus perpetua, ad quam filius, cum sit liberae conditionis, cogi non potest. - Potest tamen pater eum inducere ex rationabili causa; et tunc si causa illa cogat de necessitate, vel de honestate, et praeceptum patris similiter cogat; alias non.

QUAESTIO XLVIII

De objecto consensus

Deinde considerandum est de objecto consensus.
– Circa quod quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum consensus qui facit matrimonium, sit consensus in carnalem copulam.*

RESP. NEG. – R. EST: quia, ut dictum est supra (qu. XLIV, art. 1), matrimonium non est essentialiter ipsa conjunctio carnalis, sed quaedam associatio viri et uxoris in ordine ad carnalem copulam, et alia quae ex consequenti ad virum et uxorem pertinent, secundum quod eis datur potestas ad invicem respectu carnalis copulae, et haec associatio conjugalis copula dicitur. Unde consentire in matrimonium est consentire in carnalem copulam implicite, non explicite.

Art. II. – *Utrum matrimonium possit esse ex consensu alicujus in aliquam propter causam inhonestam*

RESP. AFF. – *Scil.:* dummodo causa inhonesta non afficit causam finalem per se matrimonii, quae est procreatio prolis.

R. EST: quia talis causa inhonesta est causa finalis matrimonii per accidens, ex qua matrimonium ipsum non recipit bonitatem, vel malitiam, sed ipsi contrahentes, quorum est finis per se. Et quia causae per accidens sunt infinitae, ideo infinitae tales causae possunt esse in matrimonio, quarum sunt quaedam honestae, et quaedam inhonestae.

QUAESTIO XLIX

De bonis matrimonii

Consequenter considerandum est de bonis matrimonii. Circa quod quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum haberi debeant aliqua bona ad excusandum matrimonium.*

RESP. AFF. – R. EST: quia nullus sapiens debet jacturam aliquam sustinere, nisi pro aliqua recompensatione alicujus aequalis vel melioris boni. In conjunctione autem viri et mulieris rationis jactura accidit: tum quia propter vehementiam delectationis absorbetur ratio; tum etiam propter tribulationem carnis, quam oportet tales sustinere ex sollicitudine temporalium, ut patet I. Cor. vii. Ei ideo talis conjunctionis electio non potest esse ordinata, nisi per recompensationem aliquorum, ex quibus dicta conjunctio honestetur: et haec sunt bona quae matrimonium excusant, et honestum reddunt.

Art. II. – *Utrum bona matrimonii sufficienter assignentur.*

RESP. AFF. – *Scil.:* proles, fides ac sacramentum prima et potiora sunt bona, quibus matrimonii ratio honesta redditur.

R. EST: quia matrimonium est in officium naturae, et est sacramentum Ecclesiae. In quantum autem est officium naturae, duobus ordinatur, sicut et quilibet alius virtutis actus: quorum unum exigitur ex parte ipsius agentis, et hoc est intentio finis debiti: et sic bonum matrimonii proles: aliud exigitur ex parte ipsius actus, qui

est bonus in genere ex hoc quod cadit supra debitam materiam; et sic est fides, per quam homo ad suam accedit, et non ad aliam. Sed ulterius habet aliquam bonitatem, inquantum est sacramentum: et hoc significatur ipso nomine sacramenti.

NOTANDUM: In prole non solum intelligitur procreatio prolis, sed etiam educatio ipsius, ut dictum est (qu. XLI, art. 1). – Fides autem non accipitur hic prout est fides theologica, sed prout est pars iustitiae, secundum quod fides dicitur ex hoc quod fiant dicta in conservatione promissorum. Ad fidem matrimonii etiam pertinet quod sibi invicem debitum reddant; hoc enim ex ipsa mutua potestate invicem data sequitur. – Quantum vero ad bonum sacramenti, hic intelligenda sunt non solum indivisio, sed omnia illa quae consequuntur matrimonium, ex hoc quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiae. (Passim in responsionibus).

Art. III. – *Utrum sacramentum sit principalius inter bona matrimonii.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) ut dignius, sacramentum est simpliciter principalius; b) ut essentialius, sacramentum est principalius ratione inseparabilitatis; c) ratione naturae principales sunt proles et fides, ad debitum finem servandum.

R. PRIMI EST: quia sacramentum pertinet ad matrimonium inquantum est sacramentum gratiae; alia vero duo pertinent ad ipsum, inquantum est quoddam naturae officium: perfectio autem gratiae est dignior perfectione naturae.

R. SECUNDI EST: quia proles et fides pertinent ad usum matrimonii; indivisibilitas autem, quam sacramentum importat, pertinet ad ipsum matrimonium secundum se, quia ex hoc ipso quod per pactionem conjugalem sui potestatem sibi invicem in perpetuum conjuges tradunt, sequi-

tur quod separari non possunt: et inde est quod matrimonium nunquam invenitur sine inseparabilitate; invenitur autem sine fide et prole, quia esse rei non dependet ab usu suo.

R. TERTII EST: quia sic accipiendo fidem et prolem, scil. in suis principiis, prout ex ipsa pacatione conjugali causantur, constat quod proles est essentialissimum in matrimonio, et secundo fides, et tertio sacramentum; sicut etiam homini est essentialius esse naturae quam esse gratiae, quamvis esse gratiae sit dignius.

NOTANDUM: Quamvis consensus, qui facit matrimonium, non sit perpetuus materialiter, id est, quantum ad substantiam actus, quia ille actus cessat, et potest contrarius succedere; tamen formaliter loquendo, est perpetuus, quia est de perpetuitate vinculi: alias non faceret matrimonium; non enim consensus ad tempus in aliquam matrimonium facit. Et ideo formaliter, secundum quod actus accipit speciem ab objecto: et secundum hoc matrimonium ex consensu inseparabilitatem accipit. (Ad 4m).

Art. IV. - *Utrum actus matrimonii excusetur per bona praedicta.*

RESP. AFF. - *Scil.:* praedictis bonis actus matrimonii excusatur ex parte ipsius actus, ita ut quod ipse actus non sit malus, sed quod sit bonus et sanctus.

R. EST: quia talis actus, inquantum fide et prole in medio ponitur, habet bonitatem virtutis; inquantum autem bonitatem sacramenti habet, quae conjunctione Christi et Ecclesiam significat, sanctus dicitur. - Malum autem quod inseparabiliter concomitatur actum matrimonii, non est malum culpae, sed poenae, quae est inobedientia concupiscentiae ad rationem. (Ad 2m). - Eru-

bescentia autem sequitur actum, quia de quolibet defectu homo naturaliter erubescit. (Ad 4m).

Art. V. – *Utrum actus matrimonialis excusari possit sine bonis matrimonii.*

RESP. NEG. – *Scil.*: duobus solis modis conjuges absque peccato conveniunt, scilicet causa procreandae proles, et debiti reddendi: alias autem semper est ibi peccatum, ad minus veniale.

R. EST: quia illa duo bona (proles at fides), quae ipsius actum matrimonii respiciunt, honestatem matrimonii faciunt, secundum quod sunt in actuali intentione. Aliud autem tertium bonum, quod est sacramentum, est bonum in habitu, quod non pertinet ad usum matrimonii, sed ad essentiam ipsius, ut dictum est (art. 3 hujus qu.).

Art. VI. – *Utrum cognoscens uxorem, non intendens aliquod bonum matrimonii, sed solam delectationem, mortaliter peccet.*

RESP. NEG. – *Scil.*: nisi aliquis in conjunge non attendat quod conjunx est, sed solum quod mulier, et paratus sit idem facere cum ea, si non esset conjux; si autem in alia non quaeretur delectatio quam in conjunge, tunc est veniale tantum.

R. PRIMI EST: quia sic delectatio quaeritur ultra honestum matrimonii; et ideo talis dicitur ardentior amator uxoris, quia scilicet ardor ille extra bona matrimonii effertur.

R. SECUNDI EST: quia talis delectatio, quamvis excludat bona matrimonii, tamen intra limites est matrimonii; sed minus honesta est quam debet.

QUAESTIO L

De impedimentis matrimonii in generali

Deinde considerandum est de impedimentis matrimonii: primo in generali; secundo in speciali.

Art. Unicus. – *Utrum matrimonio convenienter impedimenta assignentur.**

RESP. AFF. – R. EST: quia, sicut in aliis sacramentis, quaedam sunt de essentia, et quaedam de solemnitate sacramenti, ideo convenienter assignantur impedimenta matrimonio, quorum aliqua contrariantur solemnitati, quae tamen non invalidant contractum, sicut prohibitio Ecclesiae, et tempus feriatum; alia vero contrariantur matrimonii essentiae, et contractum dirimunt. Haec sunt aut ex parte ipsius contractus matrimonii, aut ex parte contrahentium. Quantum ad primum habetur *vis*, id est, coactio, et *error* ex parte ignorantiae, quae voluntarium vitiant. Quantum ad secundum habetur *impotentia coeundi*, et *servitutis conditio*, qua quis impeditur ab actu matrimonii, et impedimentum *ordinis*, et *voti* emissi. Haec autem dirimunt contractum simpliciter, ita quod cum nulla possit matrimonium contrahi. Alia autem impediunt respectu alicujus personae, sicut *ligamen matrimonii*, propter obligationem ad alteram personam; *disparitas cultus*, propter nimiam distantiam; *cognatio*, *affinitas*, et *publicae honestatis justitiae*, propter nimiam propinquitatem; et *crimen adulterii*, propter indebitam conjunctionem. – Haec autem impedimenta his versibus continentur:

(*) De his standum est hodie ad Codicem J. C.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
 Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
 Si sis affinis, si forte coire nequibus,
 Haec socianda vetant connubia, facta re-
 tractant.

NOTANDUM: Personae illegitimae ad matrimo-
 nium contrahendum dicuntur ex eo quod sunt
 contra legem, qua matrimonium statuitur. Ma-
 trimonium autem, inquantum est in officium na-
 turae, statuitur lege naturae; inquantum est sa-
 cramentum, statuitur jure divino; inquantum est
 in officium communitatis, statuitur lege civili. Et
 ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua per-
 sona effici ad matrimonium contrahendum ille-
 gitima. Nec est simile de aliis sacramentis, quae
 sunt sacramenta tantum. Et quia lex naturalis
 secundum diversos status recipit determinaciones
 diversas, et jus positivum etiam variatur secundum
 diversas hominum conditiones, in diversis tempo-
 ribus, ideo Magister (Sent. iv, dist., 34) ponit in
 diversis temporibus diversas personas illegitimas
 fuisse. (Ad 4m).

QUAESTIO LI

De impedimento erroris

Deinde considerandum est de impedimentis
 matrimonii in speciali: et primo de impedimento
 erroris. Circa quod quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum error convenienter ponatur impe-
 dimentum matrimonii.*

RESP. AFF. – *Scil.* : error qui impedit cognitio-
 nem.

R. EST: quia cum consensus sit actus voluntatis,
 qui autem intellectus actum praesupponit, ex
 errore qui cognitionem impedit, sequitur defectus
 in ipso consensu, et per consequens in matrimo-
 nium.

Art. II. - *Utrum omnis error matrimonium impedit.*

RESP. NEG. - R. EST: quia error qui matrimonium impedit oportet quod sit de essentia matrimonii. Matrimonium autem includit duo, scilicet personas duas quae conjunguntur, et mutuam potestatem in invicem, in qua matrimonium consistit. Primum autem tollitur per errorem personae; secundum per errorem conditionis, quia servus non potest potestatem sui corporis libere alteri tradere sine consensu sui domini. Et ideo duplex est error qui matrimonium impedit, unus est circa personam, quo aliqua persona putatur esse illa quae non est, alius est circa conditionem servitutis, qua servus non potest potestatem sui corporis libere alteri tradere sine consensu sui domini.

NOTANDUM: Error nobilitatis, in quantum hujusmodi, non evacuat matrimonium, eadem ratione qua nec error qualitatis. Sed si error nobilitatis, vel dignitatis, redundat in errorem personae, tunc impedit matrimonium. Unde si consensus mulieris feratur in istam personam directe, error nobilitatis ipsius non impedit matrimonium; si autem directe intendit consentire in filium regis, quicumque sit ille, tunc si alius praesentetur ei quam filius regis, est error personae, et impediatur matrimonium. (Ad 5m).

QUAESTIO LII

De impedimento conditionis servitutis

Deinde considerandum est de impedimento conditionis servitutis. Circa quod quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum conditio servitutis impediatur matrimonium.*

RESP. AFF. - *Scil.* : si talis conditio sit ignorata, non autem si sciatur.

R. EST: quia sicut impotentia coeundi ignorata impedit matrimonium, non autem si sciatur (ut infra patebit, qu. lviii), ita conditio servitutis ignorata impedit matrimonium, non autem servitus scita. Nam servitus contrariatur matrimonio quantum ad actum, ad quem quis per matrimonium alteri obligatur, quem non potest libere exequi; et quantum ad bonum proles, quae pejoris conditionis efficitur ex servitute parentis. Sed quia quilibet potest in eo quod sibi debetur, sponte detrimentum aliquod subire, ideo si alter conjugum scit alterius servitatem, nihilominus tenet matrimonium. (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum servus matrimonium contrahere possit sine consensu domini.*

RESP. AFF. – R. EST: quia jus positivum, de quo est servitus, non potest praejudicare his quae sunt de jure naturali. Servus enim est res domini quantum ad ea quae naturalibus superadduntur, sed quantum ad naturalia omnes sunt pares. (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum servitus matrimonio possit supervenire.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) vir, nolente uxore, potest se alteri in servum dare; b) non tamen ex hoc matrimonium dissolvitur.

R. PRIMI EST: quia vir subditur uxori solum in his quae actum naturae pertinent, in quibus sunt aequales, ad quae servitutis subjectio se non extendit.

R. SECUNDI EST: quia nullum impedimentum matrimonio superveniens potest dissolvere ipsum.

NOTANDUM: Quantum ad dispensationem domus, et ad alia hujusmodi superaddita, vir est caput uxoris, et debet corrigere eam; non autem e converso: et ideo uxor non potest se dare in ancillam, nolente viro. (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum filii debeant sequi conditionem patris.*

RESP. NEG. – *Scil.* : filii sequi debent, quantum ad servitutem, magis conditionem matris quam patris.

R. EST: quia conditio servitutis est ut servitus sit corporalis; servus enim est quasi instrumentum domini in operando: proles autem substantiam corporis habet a matre; a patre autem habet complementum formale. Et ideo proles in libertate et servitute sequitur matrem; sed in his quae pertinent ad dignitatem secundum quod est ex forma rei, sequitur patrem; sicut in honoribus, et municipiis, et haereditate, et aliis hujusmodi.

QUAESTIO LIII

De impedimento voti et ordinis

Deinde considerandum est de impedimento voti et ordinis. Circa quod quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum per obligationem voti simplicis matrimonium contractum dirimi debeat.*

RESP. NEG. – R. EST: quia in voto simplici non est nisi simplex promissio proprii corporis ad continentiam Deo servandam facta; ideo post votum simplex adhuc remanet homo dominus sui corporis: unde potest ipsum alteri dare, scilicet uxori, in qua datione sacramentum matrimonii consistit, quod indissolubile est. Et propter hoc votum simplex, quamvis impediatur matrimonium contrahendum, quia peccat contrahens matrimonium post votum simplex continentiae; tamen quia verus contractus est, non potest matrimonium per hoc dirimi. – Postquam tamen consummatum est matrimonium, obligatio voti non se extendit ad hoc quod ipse debitum non

reddat uxori exigendi. (Ad 2m). Quantum autem ad ea in quibus non est factus impotens votum continentiae servare, adhuc post contractum matrimonium obligatur ad servandum; unde non potest petere debitum sine peccato; et mortua uxore tenetur totaliter continere. (Ad 4m).

Art. II. – *Utrum votum solemne dirimat matrimonium jam contractum.*

RESP. AFF. – *Scil.*: non ex statuto Ecclesiae, sed ex natura sui votum solemne dirimit matrimonium contractum.

R. EST: quia per votum solemne homo sui corporis amisit potestatem, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens. Et ideo non potest ipsum tradere in potestatem uxoris, matrimonium contrahendo.

Art. III. – *Utrum ordo impediatur matrimonium.*

RESP. AFF. – *Scil.*: ordo sacer de sui ratione habet ex quadam congruentia quod matrimonium impedire debeat.

R. EST: quia in sacris ordinibus constituti sacra vasa et sacramenta tractant; et ideo decens est ut munditiam corporis per continentiam servent.

NOTANDA: 1. Ordo sacer apud Graecos impedit matrimonium contrahendum solum ex vi ordinis, sed apud Latinos impedit ex vi ordinis, et ulterius ex voto continentiae, quod est ordinibus sacris annexum. Et ideo apud Graecos et alios Orientales sacer ordo impedit matrimonium contrahendum, non tamen matrimonii prius contracti usum; possunt enim matrimonio prius contracto uti, quamvis non possint matrimonium denuo contrahere. Sed apud Occidentalem Ecclesiam impedit matrimonium, et matrimonii usum. (In corp. art.).

2. Illi qui sunt in minoribus ordinibus constituti, ex vi ordinis non prohibentur matrimonium contrahere; quia quamvis ordines illi deputentur ad

aliqua spiritualia, non tamen immediate habent accessum ad tractandum sacra, sicut illi qui sunt in sacris ordinibus. Sed secundum statutum occidentalis Ecclesiae, matrimonii usus executionem ordinis non sacri impedit, propter servandam majorem honestatem in officiis Ecclesiae. (Ad 4m).

Art. IV. - *Utrum ordo sacer matrimonio possit supervenire.*

RESP. AFF. - R. EST: quia si matrimonio junctus ad sacros ordines accedat, etiam reclamante uxore, nihilominus characterem ordinis suscipit sed executione ordinis caret. Si autem volente uxore, vel ipsa defuncta, recipit ordinem, et executionem.

NOTANDUM: Quod matrimonium potest impediri ex ordine praecedenter suscepto, sed, e contra, ordo non potest impediri ex praecedente matrimonio, ratio est quia matrimonium habet pro causa consensum nostrum, dum ordo habet causam sacramentalem a Deo determinatam: sacramentorum autem virtus est immutabilis; actus autem humani impediri possunt. (Passim ad 5m).

QUAESTIO LIV

De impedimento consanguinitatis

Deinde considerandum est de impedimento consanguinitatis. Circa quod quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum definitio consanguinitatis sit competens.*

RESP. AFF. - *Scil.:* consanguinitas est vinculum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum.

R. EST: quia haec definitio continet et explicat consanguinitatis genus, subjectum, et principium.

– Genus quidem cum dicitur *vinculum*, quod indicat communicationem amicitiae; subjectum, vel quasi subjectum habetur in verbis *personae descendentes ab uno stipite*; et principium in *ly carnali propagatione*.

NOTANDA: 1. In definitione consanguinitatis non oportet accipere stipitem remotum, sed propinquum; quia virtus generantis, quae jam minus perfecta est in nepote quam in filio, subsequenti- bus generationibus debilitatur. (Passim ad 1m).

2. Non dicitur *carnalitas*, sed *consanguinitas*, quia illud quod proxime convertitur in semen, est sanguis, ut probatur De animalibus lib. xv: et quod aliquando unus consanguineus dicitur esse caro alterius, hoc est in quantum sanguis, qui in semen viri, aut in mestruum convertitur, est potentia caro et os. (Ad 4m).

3. Quod autem hoc impedimentum est apud homines, non autem apud animalia, hoc contingit quia animalia non conjunguntur ad amicitiae unitatem propter propagationem multorum ex uno parente proximo, sicut est de hominibus. (Ad 5m).

Art. II. – *Utrum convenienter consanguinitas distinguatur per gradus et lineas.*

RESP. AFF. – *Scil.*: per gradus seu lineas descendentium ab uno communi principio, vel ascendentium ad idem, vel transversalium.

R. EST: quia communicatio consanguinitatis est triplex: una secundum habitudinem principii ad principiatum, et haec est consanguinitas patris ad filium; – alia est secundum habitudinem principiatum ad principium, et haec est filii ad patrem; – tertia est secundum habitudinem eorum quae sunt ab uno principio ad invicem, sicut fratres, qui dicuntur ex eisdem nasci. – Alii autem gradus sumuntur prout istae lineae magis exten-

duntur, et secundum legem sive canonicam, sive civilem computantur.

Art. III. – *Utrum consanguinitas de jure naturali impediatur matrimonium.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) consanguinitas quantum ad aliquas personas, i. e., inter patrem et filiam, et inter matrem et filium impedit matrimonium de jure naturali; b) quantum ad alias, i. e., inter personas ejusdem domus, sicut inter fratrem et sororem, impedit de jure divino; c) quantum ad alias, i. e., consanguineos uxoris, et viri, impedit secundum leges humanas et statuta Ecclesiae.

R. PRIMI EST: quia finis matrimonii per se et primo est bonum prolis: quod quidem per consanguinitatem inter patrem et filiam, vel filium et matrem impeditur; non quidem ut totaliter tollatur, quia filia ex semine patris potest prolem suscipere, sed quia inordinatum est quod filia patri per matrimonium conjungatur in sociam causa generandae prolis et educandae, quam oportet per omnia patri esse subjectam, velut ex eo procedentem; et magis mater quam pater, quia magis reverentiae, quae debetur parentibus, derogatur si filius matrem ducat in uxorem; cum uxor viro aequaliter debeat esse subjecta.

R. SECUNDI EST: quia finis matrimonii secundarius per se est concupiscentiae repressio; qui deperiret, si quaelibet consanguinea posset in matrimonium duci, quia magnus concupiscentiae aditus praeberetur, nisi inter illas personas quas oportet in eadem domo conversari, esset carnalis copula interdicta. Et hanc causam assignat divina lex dicens (Levit. xviii): *Ne reveles turpitudinem talis, vel talis, quia turpitudine tua est.*

R. TERTII EST: quia per accidens finis matrimonii est confederatio hominum, et amicitiae multi-

plicatio; dum homo ad sanguineos uxoris, sicut ad suos, se habet. Et ideo huius multiplicationi amicitiae praeiudicium fieret, si aliquis sanguine conjunctam uxorem duceret, quia ex hoc nova amicitia per matrimonium nulli accresceret.

NOTANDUM: Nulli generi animalium indidit natura sollicitudinem filiorum, aut reverentiam parentum in omne tempus, nisi homini. Unde etiam in quibusdam animalibus abhorret filius cognoscere matrem carnaliter, quamdiu manet apud ipsum cognitio matris, et reverentia quaedam ad ipsam, ut recitat Philosophus (De animalibus, lib. ix, cap. 47) de camelo et equo. (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum consanguinitatis gradus matrimonium impediens potuerint taxari ab Ecclesia.*

RESP. AFF. – R. EST: quia praeceptum Ecclesiae firmitatem habet sicut praeceptum Dei, secundum illud Luc. x, 16: *Qui vos audit, me audit.* Sicut igitur olim per leges civiles determinabantur gradus consanguinitatis qui matrimonium impediunt; ita et modo hoc fieri potest et fit per Ecclesiae statutum.

NOTANDA: 1. Quod Ecclesia gradus consanguinitatis qui matrimonium impediunt usque ad quartum restringit, hoc convenienter facit, quia usque ad quartam generationem homines vivere consueverunt, ut sic non possit consanguinitatis memoria aboleri: unde Deus in tertiam et quartam generationem peccata parentum se visitaturum in filiis comminatur. (In corp. art.).

2. In gradibus consanguinitatis prohibendis Ecclesia praecipue observat rationem amoris. (Ad 7m). Unde in lege nova, quae est spiritus et amoris, plures gradus consanguinitatis sunt prohibiti (In corp. art.), quam in lege veteri, quae in personis prohibendis attendit praecipue cohabitationem contra concupiscentiam, prohibens illas personas, ad quas faciliter pateret accessus propter mutuam cohabitationem. (Ad 7m).

QUAESTIO LV

De impedimento affinitatis

Deinde considerandum est de impedimento affinitatis. Circa quod quaeruntur undecim:

Art. I. - *Utrum ex matrimonio consanguinei affinitas causetur.**

RESP. AFF. - *Scil.* : affinitas, quae est propinquitas viri cum consanguineis uxoris, et uxoris cum consanguineis viri, causatur ex matrimonio et carnali copula, sive licita, sive illicita.

R. EST: quia matrimonio et copula vir et mulier efficiuntur una caro; et ideo sicut vir secundum carnem attinet omnibus suis consanguineis, in eodem genere seu radice; ita et mulier attinet eisdem (viri consanguineis), tamen in alio genere, scil. quasi extrinsecus adjuncta, hoc enim aliud genus vinculi dicitur affinitas.

NOTANDUM: Matrimonium affinitatem causat, non solum ratione carnalis copulae, sed etiam ratione societatis conjugalis, secundum quam etiam matrimonium naturale est. Unde et affinitas contrahitur ex ipso contractu matrimonii per verba de praesenti ante carnalem copulam; et similiter etiam ex sponsalibus, in quibus fit quaedam pactio conjugalis societatis, contrahitur aliquid affinitati simile, scil. publicae honestatis justitia. (Art. IV, hujus qu., ad 2m).

(*) Secundum Codicem Juris Canonici hodie vigentem, affinitas oritur ex matrimonio valido, sive rato tantum, sive rato et consummato. Viget inter virum dumtaxat et consanguineos mulieris, itemque mulierem inter et viri consanguineos. Et ita computatur ut qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris, et vice versa. (Can. 97).

Art. II. – *Utrum affinitas maneat post mortem viri aut uxoris.*

RESP. AFF. – R. EST: quia affinitas non oritur ex eo quod aliqui conjunguntur, sed ex eo quod conjuncti sunt. Et ideo manentibus illis personis inter quas affinitas est contracta, affinitas ipsa non dirimitur, quamvis moriatur persona ratione cujus contracta fuit. Nam aptitudo ad motum, et ipsum moveri, transit; sed motum esse perpetuum est, quia quod factum est, nunquam desinit esse factum, nisi per corruptionem subjecti.

Art. III. – *Utrum illicitus concubitus affinitatem causet.*

RESP. AFF. – R. EST: quia matrimonium affinitatem causabat, secundum quod erat quaedam carnalis commixtio; et ideo etiam fornicarius concubitus affinitatem causat, inquantum habet aliquid de carnali conjunctione. (Ita ante C. J. C.).

Art. IV. – *Utrum ex sponsalibus causetur affinitas.*

RESP. AFF. – *Scil. :* non proprie affinitas causatur, sed solum aliquid affinitati simile, quod est publicae honestatis justitia.

R. EST: quia sicut sponsalia non habent perfectam rationem matrimonii, ita ex sponsalibus non causatur affinitas; sed oritur propinquitas, quae publicae honestatis justitia vocatur, ab Ecclesia instituta propter honestatem, quae etiam impedit matrimonium sicut et affinitas.

Art. V. – *Utrum affinitas sit causa affinitatis.*

RESP. NEG. – R. EST: quia affinitas non oritur per carnis propagationem, in quo semper manet eadem species; sed per matrimonialem conjunc-

tionem, secundum aliam speciem attinentiae, scil. per aliquid exterius adjunctum. Unde si ille modus procedendi iteretur, non erit affinitas sed aliud attinentiae genus.

Art. VI. - *Utrum affinitas impediatur matrimonium.*

RESP. AFF. - *Scil.* : affinitas, praecedens matrimonium impedit contrahendum, et dirimit contractum, eadem ratione qua et sanguinitas.

R. EST: quia sicut inest necessitas quaedam cohabitandi consanguineis ad invicem, ita et affinis; et sicut est quoddam amicitiae vinculum inter consanguineos, ita inter affines. - Sine impedimento affinitatis impediretur multiplicatio amicitiae, et repressio concupiscentiae, quae per matrimonium quaeruntur. (Ad 1m).

Art. VII. - *Utrum affinitas habeat per se gradus.*

RESP. NEG. - *Scil.* : affinitas non habet per se aliquos gradus, sed omnes gradus affinitatis causantur ex gradibus consanguinitatis.

R. EST: quia gradus attinentiae distinguuntur per carnis propagationem. Propagatio autem carnis per se comparatur ad consanguinitatem, non autem ad affinitatem, nisi mediante consanguinitate, quae est causa ejus. Et ideo ad inveniendum gradus affinitatis est regula generalis, quod quoto gradu consanguinitatis attinet mihi vir, toto gradu affinitatis attinet mihi uxor.

Art. VIII - *Utrum gradus affinitatis extendantur, sicut gradus consanguinitatis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ex quo gradus affinitatis sumuntur juxta gradus consanguinitatis, oportet quod tot sint gradus affinitatis, quot sunt gradus consanguinitatis.

NOTANDUM: In lege Veteri frater non poterat accipere uxorem fratris sui defuncti, nisi in casu, scilicet quando moriebatur sine prole, ut suscicaret semen fratri suo: quod tunc requirabatur, quando per propagationem carnis cultus religionis multiplicabatur, quod nunc locum non habet. Et sic patet quod non ducebat eam in uxorem, quasi gerens propriam personam, sed quasi supplens defectum fratris sui. (Ad 2m).

Art. IX. – *Utrum conjugium contractum inter affines, vel consanguineos, semper sit dirimendum.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia consanguinitas et affinitas impediunt contrahendum, et dirimunt contractum. Ergo si probatur affinitas vel consanguinitas, separandi sunt (aut per dispensationem vel aliter impedimentum tollatur et novus utrisque detur consensus), etiamsi de facto contraxerint. Consanguinei enim et affines sine incestu contrahere non possunt carnaliter.

Art. X. *Utrum ad separationem matrimonii contracti inter affines et consanguineos sit procedendum per viam accusationis.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia accusatio ad hoc est instituta ne aliquis sustineatur quasi innocens, qui revera non est, vel quod reputetur aliquid licitum, cum non sit. Et sic matrimonium accusatur, quando propter ignorantiam impedimenti aestimatur legitimum quod est illegitimum.

Art. XI. – *Utrum ad separationem matrimonii contracti inter affines et consanguineos procedi debeat per testes.*

RESP. AFF. – *Scil. :* sicut in aliis causis.

R. EST: quia in causa ista, sicut in aliis, in quibus dubitatur, facienda est iudici fides, per testes: non debet enim iudex praecipitare sententiam

de eo quod non constat. Tamen, ut juristae dicunt, in hac causa multa specialia inveniuntur; scilicet quod «idem potest esse accusator et testis, et quod non juratur de calumnia, cum sit causa quasi spiritualis; et quod consanguinei admittuntur ad testificandum; et quod non observatur omnino ordo judiciarius, quia denuntiatione facta, contumax potest excommunicari, lite non contestata; et valet hic testimonium de auditu: et post publicationem testium testes possunt induci»; et hoc totum est ut peccatum impediatur, quod in tali conjunctione esse potest.

QUAESTIO LVI

De impedimento cognationis spiritualis *

Deinde considerandum est de impedimento cognationis spiritualis. Circa quod quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum cognatio spiritualis impediatur matrimonium.*

RESP. AFF. – *Scil. : ex Ecclesiae statuto.*

R. EST: quia sicut per carnis propagationem accipit homo esse naturae, quod est causa vinculi cognationis carnalis, in quantum est res quaedam naturae; ita per sacramenta accipit homo esse spirituale gratiae, quod est causa vinculi cognationis spiritualis, in quantum est membrum Ecclesiae. Et ideo sicut carnalis cognatio impedit matrimonium ex ipsa natura rei, ita spiritualis ex Ecclesiae statuto.

NOTANDA: 1. Si cognatio spiritualis non praecedit, sed sequitur matrimonium, tunc non dirimit vinculum matrimonii; sed quantum ad actum matrimonii, si cognatio spiritualis fiat ex industria

(*) Ut saepe diximus, de his in praxi standum est ad C. J. C.

extra causam necessitatis, tunc ille ex cujus actus inducitur, amittit jus petendi debitum: sed tamen debet reddere, si petatur; quia ex culpa ejus non debet aliquod incommodum alius reportare. (In corp. art.).

2. Quamvis spiritualis cognatio non impediatur aliquod de principalibus bonis matrimonii, tamen impedit aliquod de secundariis bonis, quod est amicitiae multiplicatio, quia spiritualis cognatio est sufficiens ratio amicitiae per se: unde oportet quod ad alios per matrimonium familiaritas et amicitia quaeratur. (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum per solum baptismum spiritualis propinquitas contrahatur.*

RESP. NEG. – *Scil.*: contrahitur etiam per sacramentum confirmationis.

R. EST: quia nativitas spiritualis, quae habetur per baptismum, completur et confirmatur per sacramentum confirmationis, sicut prima nativitas carnalis quae est in utero matris, perficitur et confirmatur per secundam, quae fit ad extra. Unde sicut per baptismum contrahitur cognatio spiritualis ita etiam per sacramentum confirmationis.

NOTANDUM: Cognatio spiritualis non contrahitur ex aliis spiritualibus, praeter baptismum et confirmationem, quia sicut cognatio carnalis non contrahitur nisi per actum generationis completum, et affinitas non contrahitur nisi facta commixtione seminum, ex qua potest sequi generatio carnalis; ita spiritualis generatio non perficitur nisi per aliquod sacramentum. Unde non videtur conveniens quod spiritualis cognatio contrahatur nisi per aliquod sacramentum. (In corp. art.).

Art. III. – *Utrum cognatio spiritualis contrahatur inter suscipientem sacramentum baptismi, et levantem de sacro fonte.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ille qui baptizatum suscipit de sacro fonte, aut confirmandum tenet, gerit personam Ecclesiae, tanquam mater.

NOTANDUM: Non baptizatus non potest aliquem levare de sacro fonte, cum non sit membrum Ecclesiae, cujus typum gerit in baptismo suscipiens; quamvis possit baptizare, quia est creatura Dei, cujus typum gerit baptizans. Nec tamen aliquam cognationem spiritualem contrahere potest, quia ipse est expers spiritualis vitae, in quam homo primo per baptismum nascitur. (Ad 3m).

Art. IV. - *Utrum cognatio spiritualis transeat a viro in uxorem.**

RESP. AFF. - *Scil. :* a) si vir uxorem suam carnaliter cognoverit; b) et per proprium actum alterius filium de sacro fonte levabit.

R. PRIMI EST: quia ad rationem affinitatis requiritur ut homo et mulier effecti sint caro una.

R. SECUNDI EST: quia per actum alterius, qui baptizat, vel in ipso baptismo suscipit filium ejus, cognatio spiritualis non transit a viro in uxorem. - Si vero uxor non sit baptizata, non perveniet ad eam spiritualis cognatio, propter hoc quod non est capax. (Ad 3m).

Art. V. - *Utrum cognatio spiritualis transeat ad filios carnales patris spiritualis.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia filius est aliquid patris; et ideo cognatio spiritualis patris transit in filios carnales. (Ita juxta jus antiquum. Hoc autem sublatum fuit per Concilium Trid.).

QUAESTIO LVII

De cognatione legali, quae est per adoptionem

Deinde considerandum est de cognatione legali, quae est per adoptionem. Circa quod quaeruntur tria:

(*) Affirmative respondet S. Doctor juxta jus antiquum; nunc vero post constitutionem concilii Trident., res non ita se habet.

Art. I. – *Utrum adoptio convenienter definiatur.*

RESP. AFF. – *Scil. : adoptio est extraneae personae in filium, vel nepotem, vel deinceps legitima assumptio.*

R. EST: quia praedicta assignatio in verbis *legitima assumptio* comprehendit genus adoptionis; in verbis *extraneae personae* habet terminum *a quo*, et ubi dicitur *in filium, vel nepotem*, indicatur terminus *ad quem*. Et sic recte exprimitur adoptio, cum sit generatio quaedam legalis, quae similitudinem habet ad generationem naturalem, in qua terminus *ad quem* est forma seu finis generationis, et terminus *a quo* est forma contraria. – Adoptio autem ordinatur ad haereditatis successionem; et ideo illis solis competit qui habent potestatem disponendi de haereditate sua. Unde ille qui non est sui juris, vel qui est minor viginti quinque annis, aut mulier, non potest adoptare aliquem, nisi ex speciali concessione principis. (Ad 3m). – (Ita juxta jus tempore S. Thomae vigens).

Art. II. – *Utrum ex adoptione contrahatur aliquod vinculum impediens matrimonium.*

RESP. AFF. – R. EST: quia per adoptionem causatur propinquitas. Nam filius adoptatus conversatur in domo patris adoptantis, sicut filius naturalis. Et ideo legibus humanis prohibitum est inter tales matrimonium contrahi; et talis prohibitio est per Ecclesiam approbata. Et inde est quod legalis cognatio matrimonium impediat.

Art. III. – *Utrum cognatio legalis contrahatur solum inter adoptantem patrem et filium adoptatum.*

RESP. NEG. – R. EST: quia cognatio legalis contrahitur etiam inter patrem adoptantem et filium filii adoptivi, et nepotem, et sic deinceps;

contrahitur secundo inter filium adoptivum et filium naturalem; et, tertio, per modum cujusdam affinitatis, inter patrem adoptantem et uxorem filii adoptivi, vel e contrario inter filium adoptatum et uxorem patris adoptantis. Prima autem et tertia perpetuo matrimonium impediunt; secunda autem non, nisi quamdiu manet in potestate patris adoptantis; unde, mortuo patre, vel filio emancipato, potest contrahi inter eos matrimonium.

QUAESTIO LVIII

De impedimentis frigiditatis, maleficii, furiae vel amentiae, incestus et defectus aetatis

Deinde considerandum est de quinque impedimentis matrimonii, scilicet de impedimento frigiditatis, maleficii, furiae vel amentiae, incestus et defectus aetatis. Et circa hoc quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum frigiditas matrimonium impediat.*

RESP. AFF. – R. EST: quia causa frigiditatis seu impotentiae coeundi, obligatio ad debitum carnale, quae ex contractu matrimonii exoritur, solvi non potest.

NOTANDA: 1. Si impotentia coeundi est temporalis tantum, tunc non solvit matrimonium; si autem est perpetua (et antecedens matrimonio), tunc solvit matrimonium. (In corp. art.). – Si impotentia impediret per triennium carnalem copulam, tunc, secundum praxim Ecclesiae, impotentia judicatur perpetua. (Ad 2m). Sed in hoc Ecclesia errare potest. (In corp. art.).

2. Quamvis actus carnalis copulae non sit de essentia matrimonii, tamen potentia ad actum est de ejus essentia, quia per matrimonium datur utrique conjugum potestas in corpus alterius respectu carnalis copulae. (Ad 1m).

3. Senes quamvis quandoque non habeant caliditatem sufficientem ad generandum, tamen habent caliditatem sufficientem ad carnalem copulam. Et ideo conceditur eis matrimonium, secundum quod est in remedium, quamvis non competat eis secundum quod est in officium naturae. (Ad 3m).

4. Si altera pars matrimonii, cum qua impotens contrahit, sciat hanc impotentiam, et nihilominus contrahit, ostenditur quod alium finem ex contractu quaerit, et ideo contractus stat. Si autem nescit, tunc contractus nullus est. (Ad 4m).

5. Impotentia ex parte mulieris non provenit ex frigidityte, quia ipsa est passiva; sed ex arctatione, et tunc idem est iudicium de arctatione mulieris et de frigidityte viri. (Ad 6m).

Art. II. – *Utrum maleficium possit impedire matrimonium.**

RESP. AFF. – *Scil.:* si impotentia coeundi, quae est ex maleficio, est perpetua; secus autem si est tantum temporalis.

R. patet ex supra dictis (art. praec.).

NOTANDUM: Est differentia inter maleficium et frigiditytem, quia qui propter frigiditytem est impotens, ita est impotens ad unam sicut ad aliam; et ideo quando matrimonium dirimitur, non datur licentia ei ut jungatur alteri; sed ex maleficio homo potest esse impotens ad unam, et non ad aliam, et ideo quando iudicio Ecclesiae matrimonio dirimitur, utrique datur licentia ut alteram copulam quaerat. (In corp. art.).

Art. III. – *Utrum furia impediatur matrimonium.*

RESP. AFF. – *Scil.:* si furiosus contrahit matrimonium dum habeat lucida intervalla, matrimonium facit; secus matrimonium non facit.

R. EST: quia si habet lucida intervalla, tunc quamvis dum est in illo intervallo, non sit tutum

(*) Melefici vocantur illi homines, qui daemones inducunt ad faciendum ea quae ex subtilitate suae naturae possunt, quae nos non possumus.

quod matrimonium contrahat, quia nesciret prolem educare; tamen si contrahit, est matrimonium, propter possibilitatem consensus.

Art. IV. – *Utrum incestus quo cognoscit quis sororem uxoris suae, matrimonium dirimat.*

RESP. AFF. – *Scil. :* si incestus fiat ante matrimonium contractum.

R. EST: quia sic per incestum contrahitur affinitas. – Si autem post matrimonium contractum et consummatum (fiat incestus), non debet totaliter matrimonium separari; sed vir amittit jus petendi debitum, nec potest sine peccato petere; sed tamen debet reddere petenti, quia uxor non debet puniri de peccato viri. Sed post mortem uxoris debet omnino manere absque spe conjugii, nisi cum eo dispensetur propter fragilitatem suam, cum timetur de illicito coitu. Si tamen praeter dispensationem contrahat, peccat, contra statutum Ecclesiae faciens; non tamen propter hoc matrimonium est separandum. (Ita secundum jus antiquum).

Art. V. – *Utrum defectus aetatis impediatur matrimonium.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia contractus matrimonii, sicut et alii contractus, ordinationi legis positivae subjacet. Unde secundum jura determinatum est quod ante illud tempus discretionis, quo uterque possit sufficienter de matrimonio deliberare, et debitum sibi invicem reddere, matrimonia non contrahantur; et si non ita facta fuerint, dirimuntur. Hoc autem tempus, ut in pluribus, est in masculis in quarto decimo anno, in foemina autem in duodecimo anno. Si tamen aliquis ad perfectionem debitam ante tempus praedictum perveniat, ita quod vigor naturae et rationis defectum aetatis suppleat, matrimonium non dissolvitur.

QUAESTIO LIX

De disparitate cultus quae matrimonium impediatur *

Deinde considerandum est de disparitate cultus quae matrimonium impediatur. Circa quod quae-runtur sex:

Art. I. – Utrum fidelis possit contrahere cum infideli.

RESP. NEG. – R. EST: quia si contrahentes ma-trimonium sint diversae fidei, tunc intentio unius, quantum ad educationem proles alterius intentio-ni contraria erit: et ita inter eos non potest esse conveniens matrimonium.

NOTANDUM: In Veteri lege, quando non pote-rat esse timor pertrahendi ad idololatriam, per-mittebatur matrimonium cum infideli. Et sic Jo-seph et Moyses, et Esther cum infidelibus matri-monia contraxerunt. Sed in Nova lege, quae per totum orbem diffunditur, similis ratio prohibendi est de omnibus infidelibus. (Ad 1m).

Art. II. – Utrum inter infideles possit esse matri-monium.

RESP. AFF. – R. EST: quia matrimonium prin-cipaliter est institutum ad bonum proles non tan-tum generandae, quia hoc etiam sine matrimo-nio fieri potest, sed etiam promovendae ad per-

(*) Cultus aut religionis disparitas non vocatur hic ea qua unus est fidelis, alter haereticus; sed qua unus est baptizatus, alter infidelis.

fectum statum, sive naturae, sive gratiae. Matrimonium autem infidelium attingere potest primam perfectionem, quae est communis fidelibus et infidelibus; et haec tamen est imperfecta et materialis respectu secundae perfectionis, scilicet gratiae. - Inter infideles autem est matrimonium prout matrimonium est in officium naturae, determinabile tamen per jus positivum, ut dictum est (qu. praec., art. v).

Art. III. - *Utrum conjux conversus ad fidem possit commanere cum uxore nolente converti.*

RESP. AFF. - *Scil.* : si adsit spes correctionis, seu conversionis.

R. EST: quia infidelitas et adulterium pari passu currunt, cum utrumque sit contra bonum prolis. Unde sicut vir innocens potest libere manere cum adultera spe correctionis, non autem si adulterii peccato fuerit obstinata, ne videatur patronus turpitudinis; quamvis etiam cum spe correctionis possit eam libere dimittere; similiter fidelis conversus potest cum infideli commanere cum spe conversionis, si eam in infidelitate obstinatam non viderit; et bene facit commanendo, tamen non tenetur. Et de hoc est consilium Apostoli (I. Cor. vii, 10).

Art. IV. - *Utrum fidelis conversus possit uxorem infidelem dimittere volentem cohabitare sine contumelia Creatoris.**

RESP. AFF. - R. EST: quia ille qui ad baptismum accedit, regeneratur in Christo, et priori vitae moritur, cum generatio unius sit corruptio alte-

(*) Circa hoc videndum est C. J. C. de Privilegio Paulino.

rius; et ideo liberatur ab obligatione qua uxori tenebatur reddere debitum, et ei cohabitare non tenetur, quando converti non vult; nam unus conjugum non obligatur alteri quasi possessio ejus, sicut domino servus, sed per modum societatis cujusdam, quae non congrue est infidelis ad fidelem, ut patet II. Cor. vi.

Art. V. – *Utrum fidelis discedens ab uxore infideli possit aliam ducere.*

RESP. AFF. – Scil.: si pars infidelis non vult cohabitare sine contumelia Creatoris, i. e., si in verba blasphemiae prorumpat, et nomen Christi audire nolit, et ad infidelitatem pertrahere nitatur.

R. EST: quia si infidelis vult cohabitare sine contumelia Creatoris, potest fidelis libere discedere, sed discedens non potest alteri nubere. – Crimen autem uxoris nolentis cohabitare sine contumelia Creatoris absolvit virum a servitute qua tenebatur uxori, ut non posset ea vivente aliam ducere; sed nondum solvit matrimonium, quia si de blasphemia illa convertetur, antequam ille aliud matrimonium contraheret, redderetur ei vir suus. Sed solvitur per matrimonium sequens, ad quod pervenire non posset vir fidelis nisi solutus a servitute uxoris suae per culpam ejusdem. (Ad 2m). In poenam autem uxoris infidelis indicitur ei quod non possit cum alio contrahere. Sed si postea convertatur, potest ei concedi dispensative ut alteri nubat, si vir ejus aliam in uxorem duxit. (Ad 3m).

NOTANDUM: Matrimonium infidelium est imperfectum, ut dictum est (art. 2 hujus qu.); sed matrimonium fidelium est perfectum, et ita est firmitus. Semper autem firmitus vinculum solvit minus firmum, si sit ei contrarium; et ideo matrimonium quod post in fide Christi contrahitur, solvit matrimonium quod prius in infidelitate con-

tractum fuerat. Unde matrimonium infidelium non est omnino firmum et ratum, sed ratificatur postmodum per fidem Christi. (Ad 1m).

Art. VI. – *Utrum alia vitia solvant matrimonium.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) quantum ad matrimonium ratificatum vinculum matrimonii non solvitur ne quidem per infidelitatem, neque per fornicationem, seu adulterium; b) quantum ad matrimonium non ratificatum, solvitur vinculum, permanente infidelitate in altero conjugum, si alter conversus ad fidem ad aliud conjugium transeat; c) tamen vinculum praedictum non solvitur per adulterium; d) quantum vero ad actum (non autem ad vinculum) matrimonium etiam ratificatum solvi potest tam per infidelitatem, quam per fornicationem, sed non propter alia peccata, nisi forte ad tempus cum pars innocens velit se substrahere a consortio alterius partis ad castigationem ejus, substrahendo ei praesentiae suae solatium.

R. PRIMI EST: quia matrimonium ratificatum non solvitur nisi per novum matrimonium, sicut dictum est supra (art. praec.).

R. SECUNDI patet ex praecedenti articulo.

R. TERTII EST: quia alias infidelis libere posset dare libellum repudiij uxori adulterae, et ea dimissa, aliam ducere, quod falsum est.

R. QUARTI EST: quia si etiam propter alia peccata (i. e., praeter infidelitatem et fornicationem seu adulterium) dissolvatur matrimonium, tota die fierent divortia, cum raro inveniatur matrimonium in quo alter conjugum in peccatum non labatur, propterea dicitur (Mt. v, 32): *Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari.*

QUAESTIO LX

De uxoricidio

Deinde considerandum est de uxoricidio. Circa quod quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum liceat interficere uxorem deprehensam in actu adulterii.*

RESP. NEG. – *Scil.* ; non licet eam occidere per seipsum, sed per iudicium civile, juxta leges patriae.

R. EST: quia vir zelo justitiae, non livore vindictae aut odii motus, uxorem adulteram in iudicio saeculari accusare criminaliter de adulterio potest, et poenam mortis a lege statutam petere; sicut etiam licet aliquem accusare de homicidio aut de alio crimine. (Non tamen talis accusatio potest fieri in iudicio ecclesiastico, quia Ecclesia non habet gladium materiale.).

Art. II. – *Utrum uxoricidium impediat matrimonium.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia in eo in quo quis peccat, debet etiam puniri. Sed peccat contra matrimonium qui uxorem occidit. Ergo debet puniri, ut matrimonio privetur. Tamen cum distinctione: si vir occidat uxorem propter adulterium, aut etiam propter odium, tunc uxoricidium impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum; si vero occidat uxorem suam, ut ducat eam cum qua moechatur, tunc uxoricidium dirimit matrimonium, quia tunc efficitur illegitima persona simpliciter ad contrahendum cum illa.

QUAESTIO LXI

De impedimento matrimonii, quod est votum solemne

Deinde considerandum est de impedimentis quae superveniunt matrimonio: et primo de impedimento quod provenit matrimonio inconsummato, scilicet de voto solemn; secundo de impedimento quod provenit matrimonio consummato, scilicet de fornicatione. Circa primum quaeruntur tria:

Art. I. - *Utrum alter conjugum, altero invito, post carnalem copulam possit religionem intrare.*

RESP. NEG. - R. EST: quia nullus potest facere oblationem Deo de alieno. Per matrimonium autem consummatum, jam est corpus viri factum uxoris; et ideo non potest sine consensu ejus Deo ipsum offerre per continentiae votum.

Art. II. - *Utrum alter conjugum possit, altero invito, ante carnalem copulam religionem intrare.*

RESP. AFF. - R. EST: quia ante carnalem copulam est inter conjuges tantum vinculum spirituale. Et ideo sicut post carnalem copulam matrimonium solvitur per mortem carnalem; ita per ingressum religionis, vinculum quod est ante carnalem copulam, solvitur, quia religio est quaedam mors spiritualis, qua aliquis saeculo moriens vivit Deo.

NOTANDUM: Ante carnalem copulam non statim tenetur aliquis reddere debitum post matrimonium contractum per verba de praesenti; sed datur ei tempus duorum mensium propter tria: primo ut interim possit deliberare de transeundo ad religionem; secundo ut praeparentur quae sunt necessaria ad solemnitatem nuptiarum; tertio ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiravit dilatam. (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum mulier possit nubere alteri, viro suo ante carnalem copulam religionem ingresso.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sicut mors corporalis viri hoc modo vinculum matrimoniale solvit, ut mulier nubat cui vult, secundum Apostoli sententiam (I. Cor. vii); ita etiam post mortem spiritualem viri per religionis ingressum, poterit cui voluerit nubere.

QUAESTIO LXII

De impedimento quod supervenit matrimonio consummato, quod est fornicatio

Deinde considerandum est de impedimento quod supervenit matrimonio consummato, scilicet de fornicatione, quae impedit matrimonium praecedens quoad actum, remanente vinculo matrimoniali. Circa quod quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum propter fornicationem liceat viro uxorem dimittere.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Dominus dimittere uxorem concessit propter fornicationem in poenam illius qui fidem fregit, et in favorem illius qui fidem servavit, ut non sit adstrictus ad reddendum ei debitum qui non servavit fidem. Excipiuntur tamen casus, in quibus, non licet viro uxorem dimittere fornicantem, in quibus vel uxor a culpa immunis est, vel utrique aequaliter culpabiles sunt.

Art. II. – *Utrum vir teneatur ex praecepto uxorem fornicantem dimittere.*

RESP. NEG. – R. EST: quia dimissio uxoris fornicantis introducta est ad corrigendum uxoris crimen per talem poenam. Et ideo si mulier

dé peccato poeniteat, vir non tenetur eam dimittere; si autem non poeniteat, tenetur, ne peccato ejus consentire videatur, dum correctionem debitam non apponit.

Art. III. – *Utrum vir proprio judicio possit uxorem fornicantem dimittere.*

RESP. NEG. – *Scil.* : quantum ad torum et cohabitationem non potest eam dimittere nisi judicio Ecclesiae. (Nunc autem requiritur judicium civilium sententia).

R. EST: quia nullus in eadem causa est actor et judex. Tamen quantum ad torum tantum potest eam proprio arbitrio dimittere, quam cito sibi constat de fornicatione uxoris.

Art. IV. – *Utrum vir et uxor in causa divortii debeant ad paria judicari.*

RESP. AFF. – *Scil.* : quantum ad bonum fidei, non autem quantum ad bonum prolis.

R. EST: quia quantum ad bonum fidei conjuges aequaliter sibi invicem tenentur; unde tantum peccat contra matrimonium adulterium unius, sicut adulterium alterius, et haec causa in utroque sufficit ad divortium. Sed quantum ad bonum prolis plus peccat adulterium uxoris quam viri, et ideo major est causa divortii in uxore quam in viro.

Art. V. – *Utrum post divortium vir alteri nubere possit.*

RESP. NEG. – R. EST: quia adulterium non facit quin sit verum matrimonium: nihil autem adveniens supra matrimonium potest ipsum dissolvere. Quantum autem ad verba Domini (Matt. xix, 9), non referuntur ad vinculum, sed ad dimissionem uxoris tantum. (Ad 4m).

Art. VI. – *Utrum post divortium vir et uxor possint reconciliari.*

RESP. AFF. – R. EST: quia vir potest eam non dimittere post fornicationem. Ergo eadem ratione potest eam post divortium reconciliare sibi, si ipsa de peccato poenitentiam agens emendata fuerit (I. Cor. vii, 11).

QUAESTIO LXIII

De secundis nuptiis

Consequenter considerandum est de secundis nuptiis. Circa hoc quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum secundae nuptiae sint licitae.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non solum secundae, sed et tertiae, et sic deinceps.

R. EST: quia vinculum matrimoniale non durat nisi usque ad mortem, ut patet Rom. vii.

Art. II. – *Utrum secundum matrimonium sit sacramentum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia in secundis nuptiis inveniuntur omnia quae sunt de essentia sacramenti matrimonii, scilicet debita materia, et debita forma, id est, expressio consensus interioris per verba de praesenti.

QUAESTIO LXIV

De annexis matrimonio, et primo de debiti redditione

Consequenter considerandum est de annexis matrimonio, et primo de debiti redditione; secundo de pluritate uxorum; tertio de bigamis; quarto de libello ripudii; quinto de filiis illegitime natis. Circa primum quaeruntur decem;

Art. I. - *Utrum alter conjugum teneatur alteri ad redditionem debiti.*

RESP. AFF. - *Scil.* : salva tamen prius personae incolumitate.

R. EST: quia uxor potestatem habet in viro quantum ad generativam virtutem, non autem quantum ad ea quae sunt de conservatione individui ordinata. Unde si uxor ultra exigat, non est petitio debiti, sed injusta exactio; et propter hoc vir non tenetur ei satisfacere. (Ad 2m).

NOTANDUM: Uxor viro leproso tenetur reddere debitum; non tamen tenetur ei cohabitare; quia non ita cito inficitur ex coitu, sicut ex frequenti cohabitatione. Et quamvis generetur infirma proles, tamen melius est ei sic esse, quam penitus non esse. (Ad 4m).

Art. II. - *Utrum vir teneatur reddere debitum uxori non petenti.*

RESP. AFF. - *Scil.* : uxori non expresse petenti.

R. EST: quia aliquando propter verecundiam UXOR non expresse sed interpretative petit, cum aliqua signa in ea apparent voluntatis reddendi debiti.

NOTANDUM: Non debet vir uxorem avertere ne petat debitum, nisi propter aliquam rationabilem causam; et tunc etiam non debet cum magna instantia averti, propter pericula imminencia. (Ad 4m).

Art. III. - *Utrum liceat mulieri menstruatae debitum coniugale petere.*

RESP. AFF. - *Scil.* : a) si fluxus menstruorum est innaturalis, ex aliqua infirmitate proveniens, tunc vir potest debitum petere; b) si autem fluxus est naturalis, quem mulieres sanae determinatis temporibus patiuntur, debitum petere non licet.

R. PRIMI EST: quia talis fluxus est perpetuus et diuturnus; unde oporteret quod vir perpetuo

abstineret. Nec est in hoc periculum prolis, quia mulier in tali statu concipere non potest.

R. SECUNDI EST: quia ex tali commixtione frequenter sequitur nocumentum in prolem; et iterum talis fluxus non durat nisi ad modicum tempus.

Art. IV. – *Utrum debeat sive licite possit mulier menstruata viro poscenti debitum conjugale reddere.*

RESP. AFF. – *Scil.* : si vir a petitione non desistat.

R. EST: quia secus derogaretur matrimonio, per quod datur omnimoda potestas viro in corpus mulieris, quantum ad matrimonialium actum. – Et quamvis ex hac copula possit, sequi nocumentum in prolem, tamen hoc nocumentum non potest comparari infirmitati mulieris; quia si mulier infirmatur, certissimum est quod ex carnali actu periculum ei immineret, non autem ita certum est de prole, quae forte nulla sequeretur. – Item, in casu mulier reddere debet etiam et propter periculum incontinentiae viri, et ne forte ex hoc abominationem ad eam concipiat.

Art. V. – *Utrum vir et mulier sint in actu matrimoniali aequales.*

RESP. AFF. – *Scil.* : a) non aequalitate quantitatis; sed b) aequalitate proportionis.

R. PRIMI EST: quia quantum ad actum conjugalem id quod nobilius est debetur viro; et quantum ad dispensationem domus, vir est qui regit, uxor autem regitur.

R. SECUNDI EST: quia sicut tenetur vir uxori in actu conjugali et dispensatione domus ad id quod viri est; ita uxor viro ad id quod uxoris est.

Et secundum hoc dicitur quod sunt aequales in reddendo et petendo debitum.

Art. VI. - *Utrum vir et uxor possint emittere votum contra debitum matrimonii sine mutuo consensu.*

RESP. NEG. - R. EST: quia de illis tantum bonis potest esse votum quae nostrae subjacent voluntati: qualia non sunt ea in quibus unus alteri tenetur. Unde cum conjuges sibi invicem teneantur in redditione debiti, per quam continentia impeditur, non potest unus absque consensu alterius continentiam vovere; et si voverit, peccat; et non debet servare votum, sed agere poenitentiam de voto male facto.

NOTANDUM: Circa votum non petendi debitum duplex est opinio: quidam enim dicunt quod unus absque consensu alterius potest vovere quod non petet debitum, non autem quod non reddet; quia in primo uterque est sui juris, sed non in secundo. Sed quia si alter nunquam peteret debitum, ex hoc alteri matrimonium nimis onerosum redderetur, dum oporteret unum semper confusionem debiti petendi subire; ideo alii probabilius dicunt quod neutrum potest unus sine consensu alterius vovere. (Ad 3m).

Art. VII. - *Utrum in diebus sacris impediatur petitio debiti.*

RESP. AFF. - *Scil.:* non licet petere, sed reddere non est vetitum. (Vide Art. ix, hujus quaestionis).

R. EST: quia actus matrimonialis quamvis culpa careat, tamen rationem deprimit, propter carnalem delectationem; et ideo hominem reddit ineptum ad spiritualia.

Art. VIII. - *Utrum petens debitum in tempore sacro mortaliter peccet.*

RESP. NEG. - R. EST: quia debitum petere in die festivo non est circumstantia trahens in aliam speciem peccati: unde non potest in infinitum

aggravare. Et ideo non peccat mortaliter uxor, vel vir, si in die festo debitum petat.*

Art. IX. – *Utrum unus conjux teneatur alteri debitum reddere in tempore festivo.*

RESP. AFF. – *Scil.* : salva debita honestate, unus alteri tenetur debitum reddere quocumque tempore, et quacumque hora.

R. EST: quia mulier habet potestatem in corpore viri, quantum ad actum generationis spectat, et e converso.

Art. X. – *Utrum nuptiae certis quibusdam temporibus interdici debeant.*

RESP. AFF. – *Scil.* : temporibus in quibus fideles ad communionem se praeparare debent juxta praxim Ecclesiae, id est, temporibus Nativitatis, Paschae et Pentecostes.

R. EST: quia illis temporibus homines praecipue debent se ad spiritualia elevare; in nuptiis autem consueverunt signa multae laetitiae solutae ostendi.

QUAESTIO LXV

De pluralitate uxorum

Deinde considerandum est de pluralitate uxorum. Circa quod quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum habere plures uxores sit contra legem naturae.*

RESP. AFF. – *Scil.* : a) plures habere uxores non est contra bonum prolis; sed b) est quodam-

(*) Sententia communior negat esse illicitum, et hanc tenent S. Bonav., Scotus, Cajetanus, Sotus et multi alii. Quod si canones et SS. Patres videantur iis diebus expresse prohibere usum conjugii, dicunt praefati auctores id intelligi de consilio, non autem de praecepto (S. Alphons. lib. vi, n. 25).

modo contra bonum fidei; et c) totaliter est contra bonum sacramenti.

R. PRIMI EST: quia pluralitas uxorum neque totaliter tollit, neque aliquo modo impedit matrimonii primum finem, cum unus vir sufficiat pluribus uxoribus foecundandis, et educandis filiis ex eis natis.

R. SECUNDI EST: quia pluralitas uxorum etsi non totaliter tollat, sed multum impedit communicationem operum quae est necessaria in vita domestica; nam non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur; cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, et etiam quia communicatio plurium in uno officio causat, litem; sicut figuli corrixantur ad invicem,* et similiter plures uxores unius viri.

R. TERTII EST: quia matrimonium inter fideles significationem habet unionis inter Christum et Ecclesiam. Sicut autem Christus est unus, et Ecclesia una, ita vir unus, uxorem unam habere debet.

NOTANDUM: Unum virum habere plures uxores, non est contra prima praecepta legis naturae, ut dictum est (hic supra). Sed unam uxorem habere plures viros, est contra prima praecepta legis naturae, eo quod per hoc, quantum ad aliquid, totaliter tollitur, et quantum ad aliquid impeditur bonum prolis, quod est principalis matrimonii finis. In bono enim prolis intelligitur non solum procreatio, sed etiam educatio. Ipsa enim procreatio prolis, etsi non totaliter tollatur, quia contingit post impraegnationem primam iterum mulierem impraegnari, ut dicitur (De Animal. lib. vii, cap 4), tamen multum impeditur, quia vix potest accidere quin corruptio accidat quantum ad utrumque fetum, vel quantum ad alterum. Sed educatio

(*) Vulgare proverbium a Philosopho usurpatum (Rhet. lib. ii, cap. 4).

totaliter tollitur, quia ex hoc quod una mulier plures maritos haberet, sequeretur incertitudo prolis respectu patris, cujus cura necessaria est in educando. Et ideo nulla lege, vel consuetudine, est permissum una mulierem nubere plures viros, sicut e converso. (Ad 8m).

Art. II. – *Utrum aliquando licitum fuerit habere plures uxores.*

RESP. AFF. – *Scil.* : per dispositionem divinam

R. EST: quia lex de unitate uxoris non est humanitas, sed divinitus instituta, nec unquam verbo aut litteris tradita, sed cordi impressa, sicut et alia quae ad legem naturae qualitercumque pertinent. Et ideo in hoc a solo Deo dispensatio fieri potuit per inspirationem internam, quae quidem principaliter patribus sanctis facta est, et per eorum exemplum ad alios derivata est eo tempore quo oportebat praedictum naturae praeceptum praetermitti, ut major esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandae; non est enim inconueniens, si propter bonum prolis aliquid detrahatur aliis duobus bonis, scilicet fidei et sacramento. (Ad 5m).

Art. III. – *Utrum habere concubinam sit contra legem naturae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia concubinae nomen illam conjunctionem exprimit qua solus concubitus propter seipsum quaeritur, non autem propter bonum prolis, ad quod matrimonium ex ipsa natura est ordinatum. – Et si aliquando ex tali concubitu prolem aliquis quaerat, non tamen est conueniens ad prolis bonum, in quo non solum intelligitur ipsius procreatio, per quam proles esse accipit, sed etiam educatio et instructio. Cum autem educatio et instructio prolis a parentibus debeantur per longum tempus, exigit lex naturae ut pater et mater in lon-

gum tempus commaneant ad subveniendum communiter proli. Haec autem obligatio ad commendandum foeminam marito matrimonium facit. Et ideo patet quod accedere ad mulierem non junctam sibi matrimonio, quae concubina vocatur, est contra legem naturae.

Art. IV. – *Utrum accedere ad concubinam sit peccatum mortale.*

RESP. AFF. – R. EST: quia concubitus fornicarius (quod est idem quod accedere ad concubinam) tollit debitam ordinationem parentis ad prolem, quam natura ex concubitu intendit; ex hoc autem violatur foedus societatis humanae, quod est contra praeceptum charitatis. Et ideo non est dubium quin fornicatio simplex de sui ratione est peccatum mortale, etiamsi lex scripta non esset.

Art. V. – *Utrum aliquando licitum fuerit concubinam habere.*

RESP. NEG. – R. EST: quia ut dictum est supra (art. 3 hujus qu.), concubitus cum ea quae non est matrimonio conjuncta, non est conveniens actio ad bonum prolis, quod est principalis finis matrimonii. Et ideo est contra prima praecepta legis naturae, quae dispensationem non recipiunt.

NOTANDUM: Ubi cumque legitur in veteri Testamento aliquos concubinas habuisse, quos necesse sit a peccato mortali excusari, oportet eas esse matrimonio junctas, et tamen concubinas dici, quia aliquid habebant de ratione uxoris, et aliquid de ratione concubinae. Secundum enim quod matrimonium ordinatur ad suum principalem finem, qui est bonum prolis, uxor viro conjungitur indissolubili conjunctione, vel saltem diuturna, ut ex dictis patet (art. 1 hujus qu.), et circa hoc non est aliqua dispensatio. Sed quantum ad se-

cundum finem, qui est dispensatio familiae et communicatio operum, uxor conjungitur viro ut socia. Et hoc deerat in his quae concubinae nominabantur. In hoc enim poterat esse dispensatio, cum sit secundarius matrimonii finis. (In corp. art.).

QUAESTIO LXVI

De bigamia et irregularitate ex ea contracta

Deinde considerandum est de bigamia et irregularitate ex ea contracta. Circa quod quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum bigamiae irregularitas sit annexa.*

RESP. AFF. – R. EST: quia bigamia tollit perfectam significationem sacramenti, scil. conjunctionis Christi ad Ecclesiam, quae est unius ad unam. Minister autem sacramentorum, qui aliis sacramenta ministrare debet, nullum defectum in sacramentis pati debet. Unde bigamia irregularitatem inducit.

NOTANDA: 1. Secundum S. Doctorem sunt quatuor modi bigamiae qui inducunt irregularitatem: primus est cum quis plures habet uxores de jure successive; secundus, cum simul habet plures, unam de jure, aliam de facto; tertius, cum habet plures successive, unam de jure, aliam de facto; quartus, cum viduam ducit in uxorem. (In corp. art.).

2. Multitudo uxorum successive non tollit significationem sacramenti totaliter, nec sacramentum evacuat quantum ad sui essentiam, sed quantum ad sui perfectionem, quae requiritur in illis qui sunt sacramentorum dispensatores. (Ad 1m).

Art. II. - *Utrum irregularitas sit annexa bigamiae, quae contingit ex hoc quod homo habet duas uxores, unam de jure et alteram de facto.*

RESP. AFF. - Scil.: sive simul sive successive alteram habeat de facto cum illa quam habet de jure.

R. EST: quia quamvis cum altera quam habet de facto non sit sacramentum, est tamen quaedam sacramenti similitudo.

Art. III. - *Utrum contrahatur irregularitas ex hoc quod aliquis ducit uxorem non virginem.*

RESP. AFF. - R. EST: quia divisio carnis, quae fit per corruptionem, est defectus sacramenti matrimonii; in conjunctione enim Christi et Ecclesiae unitas invenitur, et quidem ex utraque parte. Unde si mulier esset ordinis susceptiva, sicut efficitur vir irregularis ex hoc quod ducit uxorem corruptam, ita fieret mulier irregularis si contraheret cum corrupto.

NOTANDUM: Irregularitas non est poena inflictā, sed defectus quidam sacramenti. Et ideo ille qui uxorem ducit corruptam, quam virginem credit, irregularis est, eam cognoscens (Ad 3m); non est enim peccatum quod facit irregularitatem, sed imperfectio significationis. (Ad 3m art. praec.).

Art. IV. - *Utrum bigamia solvatur per baptismum.*

RESP. NEG. - R. EST: quia baptismus solvit culpas, et non solvit conjugia. Unde cum ex ipso conjugio sequatur irregularitas, per baptismum non tolli potest.

Art. V. - *Utrum cum bigamo liceat dispensare.*

RESP. AFF. - R. EST: quia bigamiae non est adjuncta irregularitas de jure naturali, sed de jure positivo. In his enim quae sunt de institutione Apostolorum, cum Ecclesia habeat nunc eandem potestatem statuendi et destituendi, quam tunc habuit, potest per eum qui primatum tenet in Ecclesia, dispensari. (Ad 2m).

QUAESTIO LXVII

De libello repudii

Deinde considerandum est de libello repudii. Circa quod quaeruntur septem:

Art. I. – *Utrum inseparabilitas uxoris sit de lege naturae.*

RESP. AFF. – R. EST: quia matrimonium ex intentione naturae ordinatur ad educationem prolis, non solum ad aliquod tempus sed per totam vitam prolis. Unde de lege naturae est quod parentes filiis thesaurizent, et filii parentum haeredes sint.

NOTANDUM: Quantum ad alias leges quae separabilitatem permittunt, dicendum est quod sola lex Christi humanum genus ad perfectum adduxit, reducens illud in statum novitatis naturae. Unde et in lege Moysi et in legibus humanis non potuit totum auferri quod contra legem naturae erat; hoc enim soli legi spiritus vitae reservatum est. (Ad 1m). Inseparabilitas enim competit praecipue matrimonio, secundum quod est signum perpetuae conjunctionis Christi et Ecclesiae. (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum potuerit esse licitum per dispensationem uxorem dimittere.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) si inseparabilitas contineatur in primis praeceptis naturae, solum sub dispensatione divina cadere potuit; – b) si vero contineatur inter secunda praecepta legis naturae, dispensatio separabilitatis cadere potuit etiam sub causa naturali.

R. PRIMI EST: quia prima praecepta legis naturalis sunt de his quae non solum ordinantur ut sint frequenter, sed de his quae ordinantur ut sint semper; et hujusmodi non cadunt nisi sub dispensatione divina, id est, supernaturali, ut

patet in statione solis tempore Josue, vel ratione mysterii divini significandi, vel ostendendi, sicut patet de dispensatione in praecepto Abrahae facto de occisione filii innocentis.

R. SECUNDI EST: quia secunda praecepta legis naturalis sunt de his tantum quae, non semper, sed frequenter fiunt; et talia sunt quorum cursus per aliam causam naturalem impediri possunt. – Unde dimittere uxorem per dispensationem potest esse licitum.

NOTANDUM: In bono proles, secundum quod est de prima intentione naturae intelligitur procreatio, et nutritio, et instructio, quousque proles ad perfectam aetatem ducatur. Sed quod ei provideatur in posterum per haereditatis et aliorum bonorum dimissionem, videtur pertinere ad secundam legis naturae intentionem. (Ad 1m). Inseparabilitas tamen, quamvis sit de secunda intentione matrimonii, prout est in officium naturae, est tamen de prima intentione ipsius, prout est sacramentum Ecclesiae. Et ideo ex quo institutum est ut sit Ecclesiae sacramentum, manente tali institutione, non potest sub dispensatione cadere, nisi forte dispensatione divina. (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum sub lege Moysis licitum fuerit uxorem dimittere.*

RESP. NEG. – *Scil.* : non licebat, Dei mandato, sub lege Moysis, uxorem repudiare, sed propter duritiam cordis Judaeorum illis permittebatur ut majus malum evitaretur.

R. EST: quia bonum aliquod intermitteri potest non solum ad majus bonum accipiendum, in quo est honestas; sed etiam ad majus malum vitandum: et tunc si auctoritate ejus qui dispensare potest, hoc fiat, reatum talis boni intermissio non habet, sed honestatem etiam non acquirit. Et sic indivisibilitas matrimonii in lege Moysi intermittebatur propter malum majus vitandum,

scilicet uxoricidium. Quamvis enim inordinatio maneret in repudio, ex qua peccatum dicitur, tamen reatum poenae non habebat neque temporalis, neque perpetuae, inquantum divina dispensatione fiebat. (Ad 5m).

Art. IV. – *Utrum liceat uxori repudiatae alium virum habere.*

RESP. NEG. – *Scil.:* nisi dimissio fiat ex dispensatione divina.

R. EST: quia per repudium matrimonium non solvebatur. Mulier autem non poterat simul plures viros habere. Si autem dispensationis causa esset divina, inseparabilitas matrimonii tolleretur; tunc enim mulier non potest dici alligata lege viri (Rom. vii, 2).

NOTANDUM: Quia viro licebat plures uxores simul habere secundum dispensationem divinam, ideo, una dimissa, etiam matrimonio non soluto, poterat aliam ducere. (Ad 1m).

Art. V. – *Utrum liceat viro repudiatam a se accipere.*

RESP. NEG. – R. EST: ne temere vir uxorem repudiaret.

Art. VI. – *Utrum causa repudii fuerit odium uxoris.*

RESP. NEG. – *Scil.:* causa proxima repudii est odium, sed oportet ponere alias causas remotas quae erant causa odii.

R. EST: quia sicut et amor, odium ex aliqua causa causatur. Unde dicit Aug. in Glossa (Ordin. sup. illud: *Si acceperit homo*, lib. 1 de Serm. Dom. in monte, c. 14) Deuteron. xxiv: « Multae erant in lege causae dimittendi uxorem: solam Chri-

stus fornicationem exceptit; caeteras vero molestias jubet pro fide et castitate conjugii sustineri ». Hae autem causae intelliguntur foeditas vel in corpore, puta infirmitas, vel aliqua notabilis macula, quibus bonum prolis impeditur; vel in anima, sicut fornicatio, vel aliqua hujusmodi, quae in moribus inhonestatem facit.

Art. VII. – *Utrum causae repudii deberent in libello scribi.*

RESP. NEG. – *Scil.* : causae repudii in speciali non scribebantur in libello, sed in generali.

R. EST: quia sufficiebat scriptio in generali ut repudium ostenderetur justum. Non autem scribebantur causae in speciali ut mulieri non praecluderetur via ad secundas nuptias, quae ei secundum legem concedebantur.*

QUAESTIO LXVIII

De filiis illegitime natis

Deinde considerandum est de filiis illegitime natis. Et circa hoc quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum filii qui nascuntur extra verum matrimonium, sint illegitimi.*

RESP. AFF. – R. EST: quia qui nascuntur extra matrimonium, nascuntur contra legem. Nam, quamvis illi qui nascuntur ex illicito coitu, na-

(*) Quaedam quae in lege Veteri illicita erant, a multis licita putabantur per non rectam praeceptorum expositionem, sicut patet de odio inimici, et ita est etiam de repudio, quod scil. mulier repudiata poterat alium virum habere. (Art. iv, hujus qu. ad 3m).

scuntur secundum naturam quae communis est homini et omnibus animalibus, tamen nascuntur contra legem naturae quae est propria hominibus; quia fornicatio, et adulterium, et hujusmodi sunt contra legem naturae. Et ideo tales secundum nullam legem sunt legitimi. (Ad 1m).

NOTANDUM: Quadruplex est status filiorum: quidam enim sunt naturales et legitimi, sicut illi qui nascuntur ex vero et legitimo matrimonio; quidam naturales et non legitimi, ut filii qui nascuntur de simplici fornicatione; quidam legitimi et non naturales, sicut filii adoptivi; quidam nec legitimi nec naturales, sicut spurii nati de adulterio, vel de stupro; tales enim nascuntur et contra legem positivam, et contra legem naturae expresse. (In corp. art.).

Art. II. - *Utrum filii illegitimi debeant ex hoc aliquod damnus reportare.*

RESP. AFF. - *Scil.* : per hoc quod eis aliquid non est debitum, quod alias poterat esse eis debitum.

R. EST: quia filii illegitimi non admittuntur ad actus quosdam legitimos, scil. ad officia vel dignitates, quae requirunt aliquam honestatem (publicam) in illis qui haec exercent; item, aliud damnus incurrunt, quia non succedunt in haereditate paterna. Filii tamen naturales succedere possunt in sexta parte tantum.

Art. III. - *Utrum filius illegitimus possit legitimari.*

RESP. AFF. - *Scil.* : in quantum damna quae illegitimus filius incurrit, subtrahuntur per legis auctoritatem.

R. EST: quia quod per legem positivam inducitur, per legem etiam positivam revocari potest. Illegitimitas autem filiorum est inducta per legem positivam.

QUAESTIO LXIX

**De his quae spectant ad resurrectionem,
et primo de loco animarum post mortem ***

Post haec agendum est de his quae spectant ad statum resurrectionis. Postquam enim dictum est de sacramentis, quibus homo liberatur a morte culpae, consequenter dicendum est de resurrectione, per quam homo liberatur a morte poenae. Circa tractatum autem resurrectionis tria consideranda sunt, scilicet praecedentia resurrectionem, concomitantia et sequentia. Et ideo primo dicendum est de his quae pro parte, quamvis non ex toto, resurrectionem praecedunt; secundo de ipsa resurrectione et circumstantibus eam; tertio, de his quae eam sequuntur. Praecedentium autem resurrectionem prima consideratio est de receptaculis animarum post mortem eis assignatis; secunda, de qualitate et poena animarum separatarum, eis ab igne inflicta; tertia, de suffragiis, quibus animae defunctorum a vivis adjuvantur; quarta, de orationibus sactorum in patria existentium; quinta, de signis iudicium generale praecedentium; sexta, de igne ultimae conflagrationis mundi, qui faciem Iudicis praecedet. - Circa primum quaeruntur septem:

Art. I. - Utrum assignentur receptacula animabus post mortem.

RESP. AFF. - *Scil.* : secundum quamdam proportionalitatem, secundum quam in Scripturis metaphorice corporalia ad spiritualia transferuntur.

R. EST: quia quamvis animabus post mortem non assignentur aliqua corpora, quorum sint

(*) Incipit hic tractatus sic dictus «De Novissimis» - Vide nostram «Divisionem Schematicam Totius Summae», Tab. XXXIV.

formae vel determinati motores, determinantur tamen eis quaedam corporalia loca per congruentiam quamdam secundum gradus dignitatis earum, in quibus sint quasi in loco, secundum quod magis vel minus accedunt ad primam substantiam cui locus superior per congruentiam deputatur, scilicet Deum, cujus sedem caelum Scriptura esse denuntiat. Et ideo animas quae sunt in participatione perfecta Deitatis, in caelo esse ponimus; animas vero quae a participatione hujusmodi impediuntur, loco contrario dicimus deputari.

Art. II. – *Utrum statim post mortem animae deducantur ad caelum vel ad infernum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : ut Scriptura docet.

R. EST: quia sic se habent in animabus meritum et demeritum, quibus perveniunt animae ad praemium, vel ad poenam, quae sunt fines actionum ipsarum, sicut in corporalibus se habet gravitas et levitas. Unde sicut corpus per gravitatem, vel levitatem statim fertur in locum suum, nisi prohibeatur; ita animae, soluto vinculo carnis, per quod in statu viae detinebantur, statim praemium consequuntur, vel poenam, nisi aliquid impediat; sicut interdum impedit consecutionem praemii veniale peccatum, quod prius purgari oportet; ex quo sequitur quod praemium differatur.

Art. III. – *Utrum animae existentes in paradiso vel in inferno egredi valeant.*

RESP. AFF. – *Scil.* : a) ad tempus; b) non secundum cursum naturalem; c) sed secundum dispositionem divinae providentiae.

R. PRIMI EST: quia, ut infra dicitur (qu. lxxi, art. 5), nullus inferno vel paradiso finaliter deputatus inde exire potest.

R. SECUNDI EST: quia secundum cursum naturae homines in mortali carne viventes substantiis separatis immediate conjungi non possunt: omnis enim eorum cognitio non nisi a sensu oriatur; et ideo secundum naturalem cursum animae separatae propriis receptaculis deputatae, a conversatione viventium penitus segregantur.

R. TERTII patet ex factis quae apud auctores fidei dignos, uti Augustinum (in lib. De cura pro mortuis agenda, cap. xvi) et Gregorium (in iv lib. Dial.), narrantur.

NOTANDA: 1. Inter sanctos et damnatos hoc interest, quod sancti, cum voluerint, apparere possunt viventibus, non autem damnati. Sicut enim sancti viventes in carne per dona gratiae gratis datae accipiunt ut sanitates et signa perficiant, quae non nisi divina virtute mirabiliter fiunt, quae quidem signa ab aliis hoc dono carentibus perfici non possunt; ita etiam non est inconveniens ut ex virtute gloriae aliqua potentia animabus sanctorum detur, per quam possint mirabiliter apparere viventibus cum volunt; quod alii non possunt, nisi interdum permisi. (In fine art.).

2. Quamvis aliquando animae sanctorum, vel damnatorum praesentialiter adsint ubi apparent, non tamen credendum est hoc semper accidere. Etiam enim vivi homines aliquando aliis apparent, et eis multa dicunt in somnis, cum tamen constet eos non esse praesentes, sicut Augustinus per multa exempla probat. (Ad 3m. « Sed contra »).

Art. IV. – *Utrum limbus inferni sit idem quod sinus Abrahae.*

RESP. AFF. – *Scil.*: ante Christi adventum sinus Abrahae et limbus inferni idem erant, tamen per accidens, non autem per se.

R. EST: quia cum post mortem animae hominum ad quietem pervenire non possunt nisi merito fidei, et cum in Abraham primum exemplum credendi hominibus datur, ideo requies illa quae

hominibus sanctis post mortem datur, sinus Abrahae dicitur. Sed ante Christi adventum haec quies non importabat quietem desiderii per consecutionem finis (nondum enim finis erat consecutus); sed habebat immunitatem poenae. Et ideo status sanctorum ante Christi adventum potest considerari et secundum id quod habebat de requie, et sic dicitur sinus Abrahae; potest etiam considerari quantum ad id quod eis deerat de requie, et sic dicitur limbus inferni. Post adventum Christi autem nihil prohibet sinum Abrahae esse omnino diversum a limbo, sicut status fruitionis perfectae est diversus a statu immunitatis a poena.

Art. V. – *Utrum limbus idem sit quod infernus damnatorum.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) limbus patrum distinguitur ab inferno; b) quantum ad situm tamen probabile quod est idem locus, vel quasi continuus.

R. PRIMI EST: quia in inferno est poena sensibilis, quae non erat in limbo patrum; etiam quia in inferno est poena aeterna, sed in limbo patrum detinebantur sancti temporaliter tantum.

R. SECUNDI EST: quia existentes in inferno secundum diversitatem culpae diversam sortiuntur et poenam. Et ideo secundum quod gravioribus peccatis irretiuntur damnati, secundum hoc obscuriorem locum et profundiorum obtinent in inferno. Unde et sancti patres, in quibus minimum erat de ratione culpae, supremum et minus tenebrosum locum habuerunt omnibus puniendis; et secundum hoc dicitur Christus infernum momordisse, et ad infernum descendisse

quando patres a limbo eripuit suo descensu. (Ad, 1m).

Art. VI. – *Utrum limbus puerorum sit idem quod limbus patrum.*

RESP. NEG. – *Scil.* : limbus patrum et limbus puerorum absque dubio differunt secundum qualitatem praemii vel poenae.

R. EST: quia pueris non adest spes beatae vitae, quae patribus in limbo aderat; in quibus etiam lumen fidei et gratiae refulgebat. – Sed quantum ad situm, probabiliter creditur utrorumque locus idem fuisse; nisi quod limbus patrum erat in superiori loco quam limbus puerorum, sicut de limbo et inferno dictum est (art. praec.).

Art. VII. – *Utrum debeant tot receptacula distingui.*

RESP. AFF. – *Scil.* : quinque: paradisos, limbus patrum, purgatorium, infernus et limbus puerorum.

R. EST: quia anima post mortem vel est in statu recipiendi finalem retributionem, et secundum hoc vel est in paradiso, vel ratione actualis culpae in inferno, vel ratione originalis culpae in limbo puerorum; vel est in statu quo anima impeditur a finali retributione consequenda: et hoc est vel propter defectum personae, et sic est purgatorium, vel propter defectum naturae, et sic est limbus patrum, in quo detinebantur patres a consecutione gloriae propter reatum humanae naturae, qui nondum poterat expiari. – Quantum ad aerem caliginosum non assignatur daemonibus quasi locus in quo recipiant retributionem pro meritis; sed quasi competens officio eorum, in quantum deputantur nobis ad exercitium. (Ad 4m).

QUAESTIO LXX

De qualitate animae exeuntis a corpore, et poena ei inflicta ab igne corporeo

Deinde considerandum est de generali qualitate animae exeuntis a corpore, et poena ei ab igne corporeo inflicta. Circa quod quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum in anima separata remaneant potentiae sensitivae.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) potentiae sensitivae non remanent simpliciter in anima separata; b) sed remanent secundum quid, id est, ut in radice.

R. PRIMI EST: quia manente proprio subjecto, manere oportet et proprias passiones, et corrupto eo, corrumpi; ideo necesse est illas potentias quae in suis actionibus non utuntur organo corporali, remanere in anima separata; illas autem quae utuntur organo corporali, corrumpi, corpore corrupto: et hujusmodi sunt potentiae omnes quae pertinent ad animam sensibilem et vegetabilem.

R. SECUNDI EST: quia in anima separata manet efficacia influendi iterum hujusmodi potentiae, si iterum corpori uniatur; nec oportet hanc efficaciam esse aliquid superadditum ipsi essentiae animae, quia secus esset abire in infinitum.

Art. II. – *Utrum in anima separata remaneant actus sensitivarum potentiarum.*

RESP. NEG. – R. EST: quia isti actus non sunt operationes animae in quantum anima movet seipsam, sicut Plato dicebat admittendo transcorporationem animarum seu metempsychosim, ut refert Aristoteles (De anima, lib. i, tract. 45), quia revera anima non movet seipsam, nec ullo

modo movetur per istos actus; sed sunt motus conjuncti tantum. Unde actus sensitivarum potentialiarum nullo modo manent in anima separata, nisi forte sicut in radice remota. – Quantum autem ad imaginationes remanent in anima separata intellectualiter, non autem imaginabiliter. (Ad 3m). – Similiter, memoria, inquantum est potentia partis sensitivae, secundum scilicet quod concernit praeteritum tempus, non remanet. Prout autem est pars imaginationis ad intellectivam partem pertinens, secundum scilicet quod ab omni differentia temporis abstrahit, sic remanet. (Ad 4m).

Art. III. – *Utrum anima separata pati possit ab igne corporeo.*

RESP. AFF. – *Scil.*: supposito quod ignis inferni non sit metaphorice dictus, nec ignis imaginarius, sed verus ignis corporeus, oportet dicere quod anima ab igne corporeo poenas patietur.

R. EST: quia Dominus asserit (Matt. xxv) ignem illum diabolo et angelis ejus esse paratum. Diabolus autem et angelus ejus sunt incorporei, sicut et ipsa anima. – Ignis autem ipse corporeus non potest agere in animam secundum quod est res quaedam corporea, sed secundum quod est instrumentum divinae justitiae vindicantis, agens in virtute principalis agentis, id est, Dei, secundum quod superadditur igni corporeo ut detineat et alligat spiritum, retardans eum ab executione propriae voluntatis, ne scilicet possit operari ubi vult, et secundum quod vult; hoc enim divinae justitiae ordo exigit ut anima, quae peccando se rebus corporalibus subdidit, eis etiam in poena subdatur. Unde Augustinus dicit (De Civ. Dei, lib. xxi) quod sicut anima in hominis conditione jungitur corpori, ut dans ei vitam (quamvis illud

sit spirituale et hoc corporale), et ex illa conjunctione vehementer concipit amorem ad corpus, sic ligatur igni, ut accipiens ab eo poenam; et ex illa conjunctione concipit horrorem. – Ignis enim in animam non per modum influentis, sed per modum detinentis, agit (Ad 4m); et anima ignem videndo ut sibi nocivum, affligitur (Ad 5m).

QUAESTIO LXXI

De suffragiis mortuorum

Deinde considerandum est de suffragiis mortuorum. Et circa hoc quaeruntur quatuordecim:

Art. I. – *Utrum suffragia per unum facta aliis prodesse possint.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) opus unius nullo modo potest alteri valere ad statum consequendum per viam meriti; ut scilicet ex his quae ego facio, aliquis mereatur vitam aeternam; b) sed per viam orationis, etiam quantum ad statum consequendum, opus unius alteri, dum est in via, valere potest.

R. PRIMI EST: quia sors gloriae redditur secundum mensuram accipientis; unusquisque autem ex actu suo disponitur, et non ex alieno; et dico dispositionem dignitatis ad praemium.

R. SECUNDI EST: quia cum impetratio orationis sit secundum liberalitatem Dei qui oratur, ad omnia illa impetratio orationis se potest extendere quae potestati divinae subsunt ordinate.

NOTANDUM: Quantum ad aliquid quod est consequens, vel accessorium ad statum, opus unius potest valere alteri, non solum per viam orationis, sed etiam per viam meriti, tum propter communicantiam in radice operis, quae est charitas in operibus meritoriis; tum ex intentione facientis, qui

aliqua opera specialiter ad hoc facit ut talibus prosint. Unde ista opera quodammodo efficiuntur eorum pro quibus fiunt, quasi eis a faciente collata; unde possunt eis valere vel ad impletionem satisfactionis, vel ad aliquid hujusmodi quod statum non mutat. (In corp. art.).

Art. II. - *Utrum mortui possint juvari ex operibus vivorum.*

RESP. AFF. - *Scil.* : charitas, quae est vinculum Ecclesiae membra uniens, non solum ad vivos se extendit, sed etiam ad mortuos, qui in charitate decedunt.

R. EST: quia charitas, quae est vita animae, sicut anima est vita corporis, non finitur. *Charitas nunquam excidit* (I. Cor. xiii, 8). Unde suffragia vivorum mortuis dupliciter prosunt, sicut et vivis, et propter charitatis unionem, et propter intentionem in eis directam: valent scilicet ad diminutionem poenae, vel aliquid hujusmodi, quod statum mortui non transmutat. - Quamvis enim animae post mortem, non sint simpliciter in statu viae; tamen quantum ad aliquid adhuc sunt in via, inquantum scil. earum progressus adhuc retardatur ab ultima retributione. Et ideo simpliciter earum via est circumsepta, ut non possint ulterius per aliqua opera transmutari, secundum statum felicitatis et miseriae; sed quantum ad hoc non est circumsepta, quin quantum ad hoc quod detinentur ab ultima retributione, possint ab aliis juvari, quia secundum hoc adhuc sunt in via. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum suffragia facta per peccatores mortuis prosint.*

RESP. AFF. - *Scil.* : quantum ad opus bonum operatum, sicut, ex. gr., sacrificium altaris; non autem quantum ad opus operantis, nisi fit ratione, alterius existentis in gratia.

R. EST: quia nostra sacramenta ex seipsis efficaciam habent absque opere operantis, quam aequaliter explent per quoscumque fiant. Ex parte operantis autem, in peccato existentis, nullo modo sunt opera meritoria nec sibi, nec aliis; nisi fiant in nomine totius Ecclesiae, vel ut instrumentum alterius, sicut si quis in charitate decedens praecipiat sibi suffragia fieri, vel alius praecipiat charitatem habens; quia opus instrumenti magis est principalis agentis. Unde illa suffragia valent defuncto, quamvis illi per quos fiunt, in peccato existant. Magis tamen valerent, si essent in charitate, quia tunc ex duabus partibus opera illa meritoria essent.

Art. IV. - *Utrum suffragia quae a vivis pro mortuis fiunt, facientibus prosint.*

RESP. AFF. - *Scil. :* a) non in quantum opus suffragii fit per modum satisfactionis alterius; sed b) in quantum est meritorium vitae aeternae.

R. PRIMI EST: quia hoc modo opus suffragii, quod computatur quasi ejus pro quo fit, ita absolvit eum a debito poenae quod non absolvit facientem a debito poenae propriae, quia in tali recompensatione consideratur aequalitas justitiae: opus autem istud satisfactorium ita potest adaequari uni reatui quod alteri non adaequetur.

R. SECUNDI EST: quia opus suffragii est meritorium vitae aeternae in quantum procedit a radice charitatis; et secundum hoc non solum prodest ei pro quo fit, sed facienti magis.

Art. V. - *Utrum suffragia prosint existentibus in inferno.*

RESP. NEG. - *Scil. :* tutius est simpliciter dicere quod suffragia non prosunt damnatis.

R. EST: quia damnati, recepta meritis retributione, ad ultimum vitae terminum perveniunt, et charitate destituuntur, per quam opera vivorum continuantur defunctis.

NOTANDUM: De quibusdam damnatis, qui precibus sanctorum miraculose restituti sunt ad vitam, sicut legitur de Trajano, quem beatus Gregorius resuscitavit, dicendum est quod non erant in inferno finaliter deputati, sed secundum praesentem propriorum meritorum justitiam: secundum autem superiores causas, quibus praevidebantur ad vitam revocandi, erat aliter de eis disponendum. - Vel dicendum, secundum quosdam, quod anima Trajani non fuit simpliciter a reatu poenae aeternae absoluta; sed ejus poena fuit suspensa ad tempus, scilicet usque ad diem judicii. (Ad 5m).

Art. VI. - *Utrum suffragia prosint existentibus in purgatorio.*

RESP. AFF. - R. EST: quia, sicut dictum est (art. 1 et hujus qu.), opera unius possunt valere alteri ad satisfactionem, sive vivus, sive mortuus (tamen in charitate) fuerit. - Unde non est inconveniens si multiplicatis suffragiis, poena existentium in purgatorio annihiletur. (Ad 2m).

NOTANDUM: Suffragia ex opere operato facta sunt non solum Ecclesiae sacramenta, sed etiam illi effectus accidentes ex operatione; sicut ex collatione eleemosynarum consequitur pauperum relevatio, et eorum oratio pro defuncto ad Deum. Item, suffragia ex parte principalis agentis immediate valent ad efficaciam suffragii; unde quam cito moriens disponit aliqua suffragia sibi fieri, praemium suffragiorum plene consequitur ante etiam quam fiunt; sed quantum ad efficaciam suffragiorum, non consequitur fructum, antequam suffragia fiant. (Ad 4m).

Art. VII. - *Utrum suffragia valeant pueris in limbo existentibus.*

RESP. NEG. - R. EST: quia pueri non baptizati non detinentur in limbo, nisi quia deficiunt a

statu gratiae. Unde cum per opera vivorum, mortuorum status mutari non possit, maxime quantum ad meritum essentialis praemii vel poenae, suffragia vivorum pueris existentibus in limbo prodesse non possunt.

Art. VIII. – *Utrum suffragia prosint sanctis existentibus in patria.*

RESP. NEG. – R. EST: quia sancti qui sunt in patria, sunt ab omni indigentia immunes, inebriati enim sunt ab ubertate domus Dei.

NOTANDUM: Quamvis sancti qui sunt in patria, de bonis nostris omnibus gaudeant, non tamen sequitur quod multiplicatis nostris gaudiis, eorum gaudium augmentetur formaliter, sed materialiter tantum. Ratio autem gaudendi in sanctis, de quibuscumque gaudent, est ipse Deus, de quo non possunt magis et minus gaudere. (Ad 3m).

Art. IX. – *Utrum orationes Ecclesiae, sacrificium altaris et eleemosynae prosint defunctis.*

RESP. AFF. – *Scil.:* orationes Ecclesiae, sacrificium altaris et eleemosynae praecipue prosunt defunctis: sacrificium altaris et eleemosynae quidem ex parte conjunctionis charitatis, orationes autem ex parte intentionis.

R. EST: quia ad communicationem charitatis sacramentum Eucharistiae praecipue pertinet, cum sit sacramentum Ecclesiasticae unionis, continens illud in quo tota Ecclesia unitur et consolidatur, scil. Christum. Unde Eucharistia est quasi quaedam charitatis origo, vel vinculum. Sed inter charitatis effectus est praecipuum eleemosynarum opus. Et ideo ista duo ex parte charitatis praecipue mortuis suffragantur, scil. sacrificium Ecclesiae et eleemosynae. – Sed ex parte intentionis directae in mortuos praecipue valet oratio, quia oratio secundum suam rationem non

solum dicit respectum ad orantem, sicut et caetera opera, sed directius ad illud pro quo oratur.

NOTANDA: 1. Eucharistia est signum Ecclesiasticae unionis, et ideo ex ipso opere operato ejus efficacia in alterum transire potest; quod non contingit de aliis sacramentis. (Ad 3m).

2. Missae suffragium continet duo: orationem et sacrificium. Ex parte ergo sacrificii oblatis missa aequaliter prodest defuncto, de quacumque missa dicatur; * et hoc est praecipuum quod fit in missa. Sed ex parte orationum magis prodest illa (missa) in qua sunt orationes ad hoc determinatae. Sed tamen iste defectus recompensari potest per majorem devotionem vel ejus qui dicit missam, vel ejus qui jubet dici, vel iterum per intercessionem sancti, cujus suffragium in missa imploratur. (Ad 5m).

Art. X. - *Utrum indulgentiae Ecclesiae prosint mortuis.*

RESP. NEG. - *Scil.:* non principaliter, sed secundo indolgentiae mortuis prosunt.

R. EST: quia indulgentia principaliter prodest ei qui indulgentiam accipit, scil. qui facit hoc pro quo indulgentia datur, ut qui visitat limina alicujus sancti. Cum autem mortui non possint facere aliquid horum pro quibus indulgentiae dantur, eis directe indulgentiae valere non possunt. Secundo autem et indirecte prosunt ei pro quo aliquis facit illud quod est indulgentiae causa, quod quandoque contingere potest, quandoque autem non potest, secundum diversam indulgentiae formam, juxta mentem Ecclesiae.

Art. XI. - *Utrum cultus exequiarum defunctis prosint.*

RESP. NEG. - *Scil.:* cultus exequiarum, quae ad ornamentum sepulturae adhibentur, non prosunt defunctis per se, sed per accidens.

(*) Sive de sanctis, sive de defunctis.

R. EST: quia talia ornamenta prosunt quidem vivis, inquantum sunt vivorum solatia, et quaedam fidei professio resurrectionis mortuorum; prosunt autem defunctis, inquantum per huiusmodi homines excitantur ad compatiendum, et per consequens ad orandum; vel etiam inquantum ex sumptibus sepulturae vel pauperes fructum capiunt, vel ecclesia decoratur; sic enim sepultura inter caeteras eleemosynas computatur.

NOTANDUM: Quia caro est pars naturae hominis, naturaliter homo ad carnem suam afficitur, secundum illud Ephes. v, 29: *Nemo unquam suam carnem odio habuit*. Unde secundum istum naturalem affectum inest viventi quaedam sollicitudo, quid etiam post ejus mortem de corpore sit futurum, doleretque, si aliquid indignum suo corpori evenire praesentiret. Et ideo illi qui hominem diligunt, ex hoc quod affectui ejus quem diligunt conformantur, circa ejus carnem curam humanitatis impendunt; et in hoc eleemosynam ei facere dicitur. (Ad 3m).

Art. XII. – *Utrum suffragia quae fiunt pro uno defuncto, magis illi proficiant pro quo fiunt, quam aliis.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) ex parte charitatis suffragia magis valent ei qui magis charitate est plenus, quam ei pro quo fiunt; b) ex parte intentionis autem et remissionis poenae magis valent pro quo fiunt, imo et sic ei soli valent.

R. PRIMI EST: quia charitas facit omnia bona communia; et secundum hoc illi magis participant qui sunt charitate capaciores; sicut candela quae accenditur pro aliquo, non minus prodest eis, qui cum ipso sunt, sed forte magis, si habent oculus capaciores. Sic autem valor suffragiorum attenditur secundum quamdam interiorem consolationem, secundum quod unus in charitate exi-

stens de bonis alterius delectatur post mortem quantum ad diminutionem poenae.

R. SECUNDI EST: quia ratione intentionis satisfactio unius alteri computatur. Satisfactio autem proprie ad remissionem poenae ordinatur. Unde quantum ad remissionem poenae praecipue valet suffragium ei pro quo fit.

NOTANDUM: Nihil prohibet divites, quantum ad aliquid, esse melioris conditionis quam pauperes, sicut quantum ad expiationem poenae; sed hoc quasi nihil est comparatum possessioni regni caelorum, in qua pauperes melioris conditionis esse ostenduntur, ut ipse Dominus inducit (Luc. vi, 20): *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.* (Ad 3m).

Art. XIII. - *Utrum suffragia facta pro multis tantumdem valeant singulis, ac si specialiter pro unoquoque fierent.*

RESP. NEG. - *Scil.:* a) suffragia, secundum quod valent ex virtute charitatis unientis membra Ecclesiae, etiamsi pro multis sint facta, tantum singulis prosunt ac si pro uno tantum fierent; b) suffragia autem in quantum sunt satisfactiones quaedam per intentionem facientis translatae in mortuos, tunc magis valet suffragium alicui quod pro eo singulariter fit, quam quod fit pro eo communiter, et pro multis aliis.

R. PRIMI EST: quia charitas non minuitur, si dividatur effectus ejus in multos, imo magis augetur; et similiter etiam gaudium quanto pluribus est commune, fit majus, ut dicit Augustinus (Confess. lib. viii, c. 4). Et sic de uno bono facto non minus laetantur multi in purgatorio quam unus.

R. SECUNDI EST: quia effectus suffragiorum dividitur ex divina justitia inter eos pro quibus suffragia fiunt.

Art. XIV. – *Utrum tantum valeant suffragia communia illis pro quibus specialia non fiunt, quantum illis pro quibus fiunt, valent specialia et communia simul.*

RESP. NEG. – R. EST: quia, ut dictum est (art. xii, hujus qu.) suffragia pro aliquo facta non indifferenter omnibus prosunt, sed ei magis pro quo fiunt, et ideo non est dubium quod communia suffragia et specialia simul plus valent alicui quam communia tantum. Ille tamen pro quo fiunt specialia, consequitur velociorem absolutionem, sed non pleniorum quam ille pro quo tantum communia suffragia fiunt; quia uterque ab omni poena liberabitur finaliter.

NOTANDUM: Quamvis virtus Christi, qui continetur sub sacramento Eucharistiae, sit infinita, tamen determinatus est effectus ad quem illud sacramentum ordinatur. Unde non oportet quod per unum altaris sacrificium tota poena eorum qui sunt in purgatorio expietur; sicut etiam nec per unum sacrificium quod aliquis offert, liberatur a tota satisfactione debita pro peccatis; unde et quandoque plures missae in satisfactionem unius peccati injunguntur. Credibile tamen est quod per divinam misericordiam, si aliquid de specialibus suffragiis supersit his pro quibus fiunt (ut si eis non indigeant), aliis dispensetur pro quibus non fiunt, si eis indigeant; ut patet per Damascenum (in sermone de dormientibus) sic dicentem: – « Vere Deus tanquam justus commetietur impotenti possibilitatem; tanquam sapiens defectuum commutationem negotiabitur »; quae quidem negotiatio attenditur, si id quod deest uni, alteri suppleat. (Ad 2m).

QUAESTIO LXXII

**De oratione respectu sanctorum
qui sunt in patria**

Deinde considerandum est de oratione respectu sanctorum qui sunt in patria. Et circa hoc quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum sancti orationes nostras cognoscant.*

RESP. AFF. – *Scil.* : sancti in patria cognoscunt in Verbo vota, et devotiones, et orationes hominum qui ad eorum auxilium confugiunt.

R. EST: quia ad perfectionis beatitudinis hoc requiritur, ut homo habeat quicquid velit. Hoc autem recta voluntate quilibet vult, ut ea quae ad ipsum pertinent, cognoscat. Unde cum nulla rectitudo sanctis desit, volunt cognoscere ea quae ad ipsos pertinent; et ideo oportet quod illa in Verbo cognoscant. Hoc autem ad eorum gloriam pertinet quod auxilium indigentibus praestent ad salutem; sic enim Dei cooperatores efficiuntur, « quo nihil est divinius », ut ait Dionysius (Caelest. hier. cap. 3). Unde patet quod sancti habent cognitionem eorum quae ad hoc requiruntur.

NOTANDUM: Animae sanctorum habent voluntatem plenarie conformem divinae voluntati, etiam in volito. Et ideo quamvis affectum charitatis ad proximum retineant, non tamen eis aliter auxilium ferunt, quam secundum divinam justitiam vident esse dispositum. Et tamen credendum est quod multum proximos juvent, pro eis apud Deum intercedendo. (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum debeamus sanctos interpellare ad orandum pro nobis.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia cum sancti qui sunt in patria, sint Deo propinquissimi, hoc divinae

legis ordo requirit ut nos, qui manentes in corpore peregrinamur a Domino, in eum per sanctos medios reducamur: quod quidem contingit dum per eos divina bonitas in nos suum effectum infundit. Et inde est quod eos intercessores pro nobis ad Deum constituimus, et quasi mediatores, dum ab eis petimus quod pro nobis orent.

NOTANDUM: Sicut non est propter defectum divinae potentiae quod mediantibus secundis causis agentibus operatur; sed est ad complementum ordinis universi, ut ejus bonitas multiplicius diffundatur in res, dum res ab eo non solum suscipiunt bonitates proprias, sed insuper quod aliis causa bonitatis existant; ita etiam non est propter defectum misericordiae ipsius quod oportet ejus clementiam per orationes sanctorum pulsare; sed est ad hoc ut ordo praedictus servetur in rebus. (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum orationes sanctorum ad Deum pro nobis fusae semper exaudiantur.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) oratio sanctorum *expressa*, dum scil. votis suis aures divinae clementiae pro nobis pulsant, semper exaudiuntur; b) oratio autem sanctorum *interpretativa*, i. e., illa quae fit per eorum merita, sicut sanguis Christi pro nobis effusus dicitur veniam petere, non semper exauditur.

R. PRIMI EST: quia sancti non volunt nisi quod Deus vult, nec petunt nisi quod volunt fieri; quod autem Deus vult, semper impletur. Nisi loquamur de voluntate antecedente, secundum quam *vult omnes homines salvos fieri*, quae non semper impletur. Unde nec est mirum, si etiam quos sancti volunt per hunc modum voluntatis, interdum non impleatur.

R. SECUNDI EST: quia ex parte nostra potest esse defectus, quod non consequamur fructum

orationum ipsorum, secundum quod pro nobis orare dicuntur ex hoc quod merita eorum nobis proficiunt.

NOTANDUM: Ex hoc quod sancti nihil aliud petunt quam quod in divina voluntate conspiciunt non sequitur quod oratio eorum sit infructuosa. Orationes enim sanctorum predestinatis prosunt, quia forte praeordinatum est ut intercedentium orationibus salventur; et ita etiam Deus vult ut orationibus sanctorum impleatur illud quod sancti vident eum velle. (Ad 5m).

QUAESTIO LXXIII

De signis quae iudicium praecedent

Deinde considerandum est de signis quae iudicium praecedent. Circa quod quaeruntur tria:

Art. I. - *Utrum aliqua signa praecedant adventum Domini ad iudicium.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia ad dignitatem iudiciariae potestatis pertinet habere aliqua indicia quae ad reverentiam et subjectionem inducant. Et ideo adventum Christi ad iudicium venientis multa signa praecedent, ut corda hominum in subjectione venturi iudicis adducantur, et ad iudicium praeparentur, huiusmodi signis praemoniti.

Art. II. - *Utrum circa iudicium, secundum rei veritatem, sol et luna obscurabuntur.*

RESP. NEG. - *Scil. :* in ipso momento adventus Christi non est credibile quod sol et luna obscurabuntur sui luminis privatione; poterit esse tamen ut hoc fiat tempore ad iudicium propinquo ad hominum terrorem.

R. EST: quia totus mundus innovabitur, Christo veniente, et sanctis resurgentibus.

Art. III. – *Utrum virtutes caelorum, Domino veniente, commovebuntur.*

RESP. AFF. – *Scil.* : sive nomen virtutum sumatur pro aliquo ordine angelorum, sive pro omnibus caelestibus spiritibus.

R. EST: quia in primo casu ordo ille, cui proprium est corpora caelestia movere, ab effectu suo cessabunt; sicut nec angeli qui sunt ad custodiam hominum deputati, ulterius custodiae officio vacabunt. In altero casu autem dicuntur virtutes caelorum commoveri propter admirationem novitatis, quae in mundo tunc erit.*

QUAESTIO LXXIV

De igne ultimae conflagrationis

Deinde considerandum est de igne conflagrationis mundi. Circa quod quaeruntur novem:

Art. I. – *Utrum aliqua mundi purgatio sit futura.*

RESP. AFF. – R. EST: quia cum mundus propter hominem aliquo modo factus sit, oportet quod quando homo secundum corpus glorificabitur, etiam alia mundi corpora ad meliorem statum mutantur, ut sit et locus convenientior, et aspectus delectabilior per remotionem corruptionis et infectionis culpae.

Art. II. – *Utrum mundi purgatio sit futura per ignem.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ignis inter alia elementa maximam habet efficaciam ad purgandum

(*) Possunt per virtutes caelorum, ait Sylvius, caeli ipsi caelorumque firmitas et stabilitas intelligi; qui commovebuntur motibus et tremoribus insolitis, similique sensu recte accipitur illud (Job. xxvi): *Columnae caeli contremiscunt et pavent ad nutum ejus.*

et ad dividendum subtilizando. Per hanc autem finalem purgationem reducentur res ad puritatem in qua conditae fuerunt. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum ignis ille quo mundus purgabitur, sit ejusdem speciei cum igne elementari.*

RESP. AFF. - R. EST: quia, ut Augustinus dicit (De Civ. Dei, l. xx, c. 16), « sicut mundanarum aquarum inundatione factum est diluvium, ita mundanorum ignum conflagratione figura hujus mundi peribit ». Ista autem conflagratio nihil aliud est quam congregatio omnium causarum inferiorum et superiorum, quae ex natura sua habent virtutem igniendi: quae quidem congregatio non naturali cursu rerum, sed virtute divina fiet; et ex omnibus istis causis sic congregatis generabitur ignis, qui faciem hujus mundi exuret.

Art. IV. - *Utrum ignis ille purgabit etiam caelos superiores.*

RESP. NEG. - R. EST: quia dispositio contraria perfectioni gloriae quae invenitur in mundo, non invenitur in corporibus caelestibus. Est tamen in corporibus caelestibus motus localis, qui voluntate divina accedente cessabit, et quietatio quae sequetur loco purgationis erit eis.

Art. V. - *Utrum ignis ille alia elementa consumet.*

RESP. NEG. - *Scil.* : elementa manebunt quantum ad substantiam et qualitates eorum proprias; sed purgabuntur ab infectione, quam ex peccatis hominum contraxerunt et ab impuritate quae per actionem et passionem mutuam in eis accidit.

R. EST: quia jam cessante motu primi mobilis, in inferioribus elementis mutua actio et passio esse non poterit. Unde ille ignis qui ut instrumentum providentiae, et virtutis divinae aget, non aget in alia elementa usque ad eorum consump-

tionem, non enim est probabile quod illa finali consummatione aliquid perfectionis naturalis ab elementis tollatur; sed solum aget usque ad purificationem. (Ad 3m).

Art. VI. - *Utrum omnia elementa per illum ignem purgantur.*

RESP. AFF. - R. EST: quia per ignem poterunt consumi impuritates elementorum, quae ex eorum permixtione proveniunt. Hujusmodi autem impuritates praecipue sunt circa terram usque ad medium aeris interstitium. Unde usque ad illud spatium ignis ultimae conflagrationis elementa purgabit.

Art. VII. - *Utrum ignis ultimae conflagrationis iudicium debeat sequi.*

RESP. NEG. - *Scil.:* ista conflagratio quoad purificationem mundi iudicium praecedet; sed quoad aliquem actum, qui scil. est involvere malos, iudicium sequetur.

R. EST: quia conflagratio illa erit dispositio ad renovationem mundi, quae Christi adventum praecedit; unde et sancti, resurgendo ad Christi iudicium, gloriosa corpora resument; (i. e., corpora igne purgata).

Art. VIII. - *Utrum ille ignis habiturus sit talem effectum in hominibus, qualis designatur.*

RESP. AFF. - *Scil.:* qualis designatur a Magistro Sententiarum in textu lib. IV, dist. 47, ut sit quod ignis naturaliter aget ante iudicium et in bonos et in malos, qui vivi reperientur, eos in cinerem resolvendo; sed mali illius ignis actione cruciabuntur, boni vero omnis doloris erunt expertes.

R. EST: quia ignis ille, qui aget ut instrumentum divinae justitiae, suam naturam retinebit et sic etiam per suam virtutem naturalem ope-

retur. Quantum ergo pertinet ad virtutem naturalem ipsius, similiter aget in malos et in bonos qui vivi reperiuntur, utrorumque corpora in cinerem resolvendo; in quantum vero aget ut instrumentum divinae justitiae diversimode aget in diversos quantum ad sensum poenae. Mali enim per actionem ignis cruciabuntur; boni vero, in quibus nihil purgandum invenietur, omnino nullum dolorem ex igne sentient, sicut nec pueri senserunt in camino ignis. Boni vero in quibus aliquid purgandum reperietur, sentient cruciatum doloris ex illo igne, plus vel minus, pro meritum diversitate. Sed quantum ad actum quem post judicium ille ignis habebit, in damnatos tantum aget; quia boni omnes habebunt corpora impassibilia.

Art. IX. - *Utrum ille ignis involvet reprobos.*

RESP. AFF. - *Scil. : ignis conflagrationis.*

R. EST: quia quoad calidum ustivum, et quantum ad id quod in igne grossum reperietur, post judicium, descendet ad inferos et addetur igni inferni in poenam damnatorum; quod vero est ibi subtile et lucidum, remanebit superius et addetur ad gloriam electorum, secundum glossam super illud Dan. vii, 10: *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus*, ubi additur: *Ut malos puniat, et bonos purget.*

QUAESTIO LXXV

De resurrectione

Post haec considerandum est de circumstantibus et concomitantibus resurrectionem. Quorum prima consideratio est de ipsa resurrectione; secunda de ejus causa; tertia de ejus tempore et modo; quarta de ipius termino *a quo*; quinta de conditionibus resurgentium. Circa primum quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum corporum resurrectio sit futura.*

RESP. AFF. – R. EST: quia homo in hac vita non potest, propter varietates fortunae, infirmitates corporis, imperfectiones scientiae et virtutis, et instabilitates, pertingere ad finem suum ultimum, id est ad beatitudinem, quam naturaliter desiderat. Unde oportet ad hanc beatitudinem pertingere post hanc vitam, et quidem non per animam solam, sed etiam per corpus, cujus anima est forma substantialis. Et ideo necesse est ponere post hanc vitam resurrectionem corporum, ut saepe Scriptura dicit. Et sic, homo qui per corpus operatur, in corpore etiam mercedem accipiat.

Art. II. – *Utrum resurrectio erit omnium generaliter.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ea quorum ratio sumitur ex natura speciei, oportet similiter inveniri in omnibus quae sunt ejusdem speciei. Talis autem est resurrectio. Nam anima in perfectione ultima speciei humanae esse non potest a corpore separata: unde nulla anima in perpetuum remanebit a corpore separata. Et ideo necesse est, sicut unum, ita et omnes resurgere, ut Scriptura dicit (Jn. v, 28): *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent.*

Art. III. – *Utrum resurrectio sit naturalis.*

RESP. NEG. – *Scil.:* resurrectio simpliciter loquendo est miraculosa, secundum quid tantum est naturalis.

R. EST: quia natura non potest principium esse resurrectionis, quamvis ad vitam naturae resurrectio terminetur. Nam nullum principium actuum resurrectionis est in natura, neque respectu

conjunctionis animae ad corpus, nec respectu dispositionis, quae est necessitas ad talem conjunctionem; quia talis dispositio non potest a natura induci, nisi determinato modo per viam generationis ex semine. Unde etsi ponatur esse aliqua scientia passiva ex parte corporis, seu etiam inclinatio quaecumque ad animae conjunctionem, non est talis quod sufficiat ad rationem motus naturalis. Unde resurrectio, simpliciter loquendo, est miraculosa, non naturalis, nisi secundum quid scil. ratione termini.

NOTANDUM: Tota operatio naturae est sub operatione divina, sicut operatio inferioris artis sub operatione superioris: unde sicut omnis operatio inferioris artis expectat aliquem finem, ad quem non pervenitur nisi operatione artis superioris inducentis formam, vel utentis artificio facto; ita ad ultimum finem, ad quem tota expectatio naturae intendit, non potest perveniri operatione naturae; et propter hoc consecutio ejus non est naturalis. (Ad 4m).

QUAESTIO LXXVI

De causa resurrectionis

Deinde considerandum est de causa nostrae resurrectionis. Circa quod quaeruntur tria:

Art. I. - *Utrum Christi resurrectio sit causa nostrae resurrectionis.*

RESP. AFF. - *Scil.:* resurrectio Christi est tum causa efficiens et univoca, tum causa instrumentalis nostrae resurrectionis.

R. PRIMI EST: quia illud idem quod fecit resurrectionem Christi, scil. virtus divinitatis ipsius Christi, quae sibi et Patri communis est, est causa efficiens nostrae resurrectionis. Unde dicitur Rom. viii, 11: *Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra.*

R. SECUNDI EST: quia operationes divinae agebantur mediante carne Christi, quasi quodam organo. – Unde resurrectio Christi causatur a divinitate immediate; sed resurrectio aliorum mediante Christo homine resurgente. (Ad 3m).

Art. II. – *Utrum vox tubae sit causa nostrae resurrectionis.*

RESP. AFF. – *Scil.* : nutus divinus quo fiet resurrectio, nihil aliud est quam signum ab ipso Christo datum, cui tota natura obediet ad resurrectionem mortuorum: et hoc signum idem est quod *vox tubae*, quae ita vocatur propter sonoritatem.

R. EST: quia oportet quod in resurrectione corporum communi aliquo signo corporali dato, Christus resurrectionem operetur: quod quidem signum, ut quidam dicunt, erit ad litteram vox Christi resurrectionem imperantis, sicut imperavit mari et cessavit tempestas. Quidam vero dicunt quod hoc signum nihil aliud erit quam ipsa repraesentatio evidens Filii Dei in mundo.

NOTANDUM: Illa vox, quidquid sit, habebit efficaciam instrumentalem ad resuscitandum, non ex hoc quod sentitur, sed ex hoc quod profertur. (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum ad resurrectionem angeli operantur.*

RESP. AFF. – R. EST: quia in omnibus quae corporaliter a Deo fiunt, utitur Deus ministerio angelorum. In resurrectione autem est aliquid ad transmutationem corporum pertinens, scilicet collectio cinerum, et eorum praeparatio ad reparationem humani corporis. Unde quantum ad hoc in resurrectione utetur Deus ministerio angelorum. Sed anima sicut immediate a Deo creata est, ita immediate a Deo corpori iterato unietur sine aliqua operatione angelorum.

QUAESTIO LXXVII

De tempore et modo resurrectionis

Deinde considerandum est de tempore et modo resurrectionis. Circa quod quaeruntur quatuor:

Art. I. - *Utrum tempus nostrae resurrectionis differri debeat usque ad finem mundi.*

RESP. AFF. - R. EST: quia cum tota materia corporum inferiorum subiaceat variationi secundum motum caelestium corporum, esset contra ordinem quem divina providentia statuit in rebus, si materia inferiorum corporum ad statum incorruptionis perduceretur, manente motu superiorum corporum. Et quia secundum positionem fidei resurrectio erit in vitam immortalem conformiter Christo, qui *resurgens ex mortuis, jam non moritur*, ut dicitur Rom. vi, 9; ideo humanorum corporum resurrectio usque ad finem mundi differetur, in quo motus caeli quiescet. - Quod autem aliquibus sit concessum quod eorum resurrectio non sit usque ad communem resurrectionem dilata, hoc est ex speciali gratiae privilegio (Ad 2m).

NOTANDUM: Occasione verborum Apoc. xx, 4, quidam haeretici posuerunt primam resurrectionem futuram esse mortuorum, ut cum Christo mille annis in terra regnaret: unde vocati sunt *Chiliastae*, quasi millenarii. Et ideo Augustinus (De civ. Dei, lib. xx, cap. 7) dicit verba illa * aliter intelligenda esse, scil, de resurrectione spirituali, per quam homines a peccatis dono gratiae resurgunt. Secunda autem resurrectio corporum est. Millenarius autem annorum numerus non significat aliquem certum numerum, sed designat totum tempus quod nunc agitur, in quo nunc sancti cum

(*) Apoc. xx, 4: *Vidi animas decollatorum propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei; et infra: Et vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis; et caeteri mortuorum non vixerunt, donec consummarentur mille anni.*

Christo regnant, quia numerus millenarius designat universitatem, sicut Psal. civ, 8 dicitur: *Verbi, quod mandavit in mille generationes*, id est, in omnes. (Ad 4m).

Art. II. – *Utrum tempus resurrectionis nostrae sit occultum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : secundum illud (Act. i, 7): *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quae posuit Pater in sua potestate.*

R. EST: quia determinatus numerus futuri temporis sciri non potest nisi per revelationem, vel per naturalem rationem. Tempus autem quod erit usque ad resurrectionem, enumerari non potest naturali ratione, quia simul erit resurrectio, et finis motus caeli, ut dictum est (art. praec.). Ex motu autem caeli non potest cognosci finis ejus, quia cum sit circularis, ex hoc ipso habet quod secundum naturam suam possit in perpetuum durare. Unde naturali ratione tempus quod erit usque ad resurrectionem, numerari non potest. Similiter etiam per revelationem haberi non potest, ut ex verbis ipsis Domini patet (Act. i, 7).

NOTANDUM: Per mille ducentos sexaginta dies, de quibus fit mentio Apoc. xii, significatur omne tempus in quo Ecclesia durat, et non determinatur aliquis numerus annorum: et hoc ideo quia praedicatio Christi, super quam fundatur Ecclesia, duravit tribus annis cum dimidio; quod tempus fere continet aequalem numerum dierum numero praedicto. Et similiter etiam numerus eorum qui in Daniele ponitur, non est referendus ad numerum aliquem annorum qui sint usque ad finem mundi vel usque ad praedicationem Antichristi; sed debet referri ad tempus quo praedicabit Antichristus, et quo persecutio ejus durabit. (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum resurrectio futura sit in noctis tempore.*

RESP. AFF. – *Scil.*: determinata hora temporis qua fiet resurrectio, sciri pro certo non potest,

ut in littera dicitur (Sent, iv, dist. 43). Tamen satis probabiliter a quibusdam dicitur quod resurrectio erit quasi in crepusculo, sole existente in oriente, et luna in occidente.

R. EST: quia in tali dispositione sol et luna creduntur esse creata, ut sic eorum circulatio compleatur penitus per reditum ad idem punctum. Unde de Christo dicitur quod tali hora resurrexit.

Art. IV. - *Utrum resurrectio futura sit subito vel successive.*

RESP.: fiet subito, secundum illud I. Cor. xv, 51: *Omnes quidem resurgemus in momento, in ictu oculi.*

R. EST: quia illud fiet virtute divina immediate, et ideo subito fiet, scil. in termino temporis quo angelorum opus complebitur.

NOTANDUM: Idem videtur esse dicendum de sono illo (tubae), et de formis sacramentorum, scil. quod in ultimo instanti sonus effectum suum habebit (ad 3m); congregatio autem cinerum, quae sine motu locali esse non potest, fiet ministerio angelorum. Et ideo erit in tempore, sed imperceptibili, propter facilitatem operandi, quae competit angelis. (Ad 4m).

QUAESTIO LXXVIII

De termino a quo resurrectionis

Deinde considerandum est de termino a quo resurrectionis. Circa quod quaeruntur tria:

Art. I. - *Utrum mors erit terminus a quo resurrectionis in omnibus.*

RESP. AFF. - *Scil.:* omnes, sine exceptione, morituri sunt ante resurrectionem finalem, ut Scriptura testatur et ordini naturae convenit.

R. EST: quia per infectionem originalis peccati omnes homines debitores sunt mortis. Unde Scriptura resurrectionem omnium futuram praedicit. Hoc est etiam secundum ordinem naturae, quia id quod corruptum et vitiatum est, in suam novitatem non reducit nisi corruptione mediante; sicut acetum non fit vinum, nisi aceto corrupto. Unde cum natura humana in defectum necessitatis moriendi devenerit, non erit reditus ad immortalitatem nisi mediante morte. Convenit etiam ordini naturae propter aliam rationem, quia, sicut cessante motu cordis omnia membra mortificantur; ita cessante motu caeli, non potest aliquid vivum remanere illa vita quae ex influentia illius motus conservabatur.

NOTANDUM: Quod in Symbolo legitur, *Dominus venturus est judicare vivos et mortuos*, distinctio illa mortuorum et vivorum non est referenda ad ipsum iudicii tempus, neque ad totum tempus praeteritum, quia omnes iudicandi aliquo tempore fuerunt vivi, et aliquo tempore mortui; sed ad illud tempus determinatum quod immediate iudicium praecedet, quando scilicet iudicii signa incipient apparere. (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum resurrectio omnium erit a cineribus.*

RESP. AFF. – *Scil.*: nisi aliquibus ex speciali privilegio gratiae sit indultum contrarium, sicut et resurrectionis acceleratio.

R. EST: quia Scriptura sacra sicut resurrectionem praenuntiat, ita et corporum reformationem, secundum illud Philipp. iii: *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum. Qui reformabit corpus humilitatis nostrae.* Et ideo sicut omnes moriuntur, ad hoc quod omnes vere resurgere possint, ita omnium corpora dissolvantur, ad hoc quod omnium corpora reformari possint, secundum illud Gen. iii, 19: *Terra es, et in*

*terram ibis.** – Hoc etiam ordo naturae exigit, quia, motu caeli cessante, omnia mixta in pura elementa solventur.

Art. III. – *Utrum pulveres illi ex quibus humanum corpus reparabitur, aliquam habeant inclinationem naturalem ad animam quae eis conjungetur.*

RESP. NEG. – *Scil. :* in cineribus illis nulla est inclinatio naturalis ad resurrectionem, sed solum ex ordine divinae providentiae, quae statuit illos cineres iterum animae conjungi.

R. EST: quia corpus, post separationem animae, non manet in eadem natura quam habebat; et ideo resoluta corpore in cineres, non remanet in eis aliqua naturalis inclinatio ad praedictam conjunctionem.

QUAESTIO LXXIX

De conditione resurgentium, et primo de eorum identitate

Consequenter agendum est de conditionibus resurgentium. Ubi prima consideratio erit de his quae communiter ad bonos et ad malos pertinent; secunda de his quae tantum ad bonos pertinent; tertia de his quae spectant tantum ad malos. Ad bonos autem et malos communiter tria pertinent, scil. ipsorum *identitas*, *integritas* et *qualitas*. Et primo videndum est de resurgentium identitate. Secundo de corporum integritate. Tertio de ipsorum qualitate. – Circa primum quaeruntur tria:

(*) Vulgata habet: *Pulvis es, et in pulverem reverteris.*

Art. I. – *Utrum in resurrectione anima idem corpus numero resumet.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia resurrectio dici non potest, nisi anima ad idem corpus redeat; resurrectio enim est iterata resurrectio. Ejusdem autem est surgere et cadere. Unde resurrectio magis respicit corpus, quod post mortem cadit, quam animam, quae post mortem vivit. Et ideo si non est idem corpus quod anima resumit, nec diceretur resurrectio, sed magis novi corporis assumptio.* Et hoc conforme est Scripturae sacrae, e. g. Job xix, 26, ubi dicitur: *In carne mea videbo Deum salvatorem meum.*

Art. II. – *Utrum sit idem numero homo qui resurget.*

R. AFF. – **R. EST:** quia oportet quod illud idem numero ad finem perveniat, quod propter finem est factum; ne autem in vanum esse factum videatur, oportet quod idem homo numero resurgat: et hoc quidem fit, dum eadem anima numero eidem corpori numero conjungitur; alias enim non esset resurrectio proprie, nisi idem homo repararetur. Unde ponere quod idem numero non sit qui resurget, est haeticum, derogans veritati Scripturae,** quae resurrectionem praedicit.

NOTANDUM: Aliorum generabilium et corruptibilium forma non est per se subsistens, ut post compositi corruptionem remanere valeat, sicut est

(*) Declaratio Innocenti III in concil. Lateran. can. I, sic se habet: *Omnes mortales cum suis propriis corporibus resurgent quae nunc gestant.*

(**) Ut patet ex Job xix: *Rursum circumdabor pelle mea, et carne mea...*; et I. Cor. xv: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.*

de anima rationali, quae esse quod sibi in corpore acquiritur, etiam post separationem a corpore retinet, et in participationem illius esse corpus per resurrectionem adducitur, cum non sit aliud esse corporis, et aliud animae in corpore: alias esset conjunctio animae et corporis accidentalis; et sic interruptio nulla facta est in esse substantiali hominis, ut non possit idem numero redire homo propter interruptionem essendi; sicut accidit in aliis rebus corruptis, quarum esse omnino interrumpitur, forma non remanente, materia autem sub alio esse remanente. (In corp. art.).

Art. III. - *Utrum pulveres humani corporis ad eam partem corporis quae in eos dissoluta est, per resurrectionem redire oporteat.*

RESP. NEG. - *Scil. :* pulveres ejusdem partis homogeneae ad eandem partem quantum ad situm non est necesse redire; sed pulveres alicujus partis non possunt ad aliam partem redire specie diversa.

R. PRIMI EST: quia mutatio in situ tantum non facit mutationem in specie. Et sic si materia unius partis redeat ad aliam, nullum praejudicium generabitur identitati totius. Sed loquendo secundum congruentiam, magis probabile est quod etiam situs partium idem servabitur in resurrectione, praecipue quantum ad partes essentielles et organicas, quamvis forte non quantum ad accidentales, sicut sunt ungues et capilli.

R. SECUNDI EST: quia si materia unius partis redit ad aliam partem alterius speciei, sic de necessitate variatur non solum situs partium, sed etiam identitas earum; ita tamen quod tota materia, aut aliquid quod erat de veritate humanae naturae in una, in aliam transferatur. Ablata autem identitate partium, aufertur identitas totius, si loquamur de partibus essentialibus.

QUAESTIO LXXX

De integritate corporum resurgentium

Deinde considerandum est de integritate corporum resurgentium. Circa quod quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum omnia membra humani corporis resurgent.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia cum anima, in habitudine causae efficientis, ita se habet ad corpus sicut ars ad artificiatum, ut Philosophus dicit (De anima, lib. ii, text. 36 et 37), quidquid in partibus corporis apparet, totum originaliter et quodammodo implicite, in anima continetur; sicut quidquid explicite in artificiato ostenditur, hoc totum implicite et originaliter in arte continetur. Et ideo, ad perfectionem animae, corpus ei respondere debet proportionaliter ad plenum. In resurrectione autem corpus non resurget, nisi secundum ordinem quem habet ad animam rationalem. Et ideo oportet etiam hominem perfectum resurgere, scil. cum omnibus membris quae sunt in corpore, utpote totus homo usque ad ultimam perfectionem consequendam reparetur, secundum illud Apostoli (Phill. iii): *reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.*

NOTANDUM: Quamvis post resurrectionem deerit operatio corporis membrorum, non sequitur ex hoc quod membra corporis frustra erunt; nam instrumentum non solum servit ad exequendam operationem agentis, sed etiam ad ostendendam virtutem ipsius. Unde oportebit ut virtus potentiarum animae in instrumentis corporeis demonstretur, etsi nunquam in actu prodeant, ut ex hoc commendetur Dei sapientia. (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum capilli et ungues resurgent in humano corpore.*

RESP. AFF. – R. EST: quia homo resurget in omni perfectione suae naturae; et ideo oportet ut capilli et ungues resurgant in ipso. Nam, capilli et ungues et alia hujusmodi sunt in homine ad custodiam aliarum partium vitalium. Unde capilli et ungues, quamvis non sint de prima, tamen sunt de secunda perfectione, sicut folia ad cooperaturam fructuum.

Art. III. – *Utrum humores in corpore resurgent.*

RESP. AFF. – Scil.: non omnes humores qui nunc sunt in corpore resurgent cum corpore, sed illi tantum qui determinatam formam habent ut partes corporis integrales, sicut sanguis, atra et flava bilis et phlegma, et gluten.

R. EST: quia quicquid pertinet ad integritatem humanae naturae in resurgente, hoc totum resurget, ratione praedicta (art. 1 et 2 praec.). Unde oportet quod illa humiditas corporis resurgat in homine, quae ad integritatem humanae naturae pertinet.

Art. IV. – *Utrum totum quod fuit in corpore de veritate humanae naturae, resurget in ipso.*

RESP. AFF. – R. EST: quia aliquid dicitur esse de veritate humanae naturae inquantum proprie pertinet ad esse humanae naturae; et hoc est quod participat formam humanae naturae; sicut verum aurum dicitur quod habet veram formam auri, ex qua est proprium esse auri. Unde, sicut humana natura resurget prout est in individuo, necesse est quod quicquid est in corpore individui de veritate humanae naturae resurgere cum ipso, praesertim illud in quo corpus magis accessit ad perfectam participationem virtutis speciei.

Art. V. – *Utrum quicquid fuit materialiter in membris hominis, totum resurget.*

RESP. NEG. – R. EST: quia totalitas materiae quae est in membris hominis non pertinet ad veritatem humanae naturae, quantum ad id quod habet de specie (in individuo). Nam tota materia quae fuit in homine a principio vitae usque ad finem, excederet quantitatem debitam speciei. Et ideo totum quod est in homine, resurget, considerata totalitate speciei, quae attenditur secundum quantitatem, figuram, situm et ordinem partium; non autem resurget totum, considerata totalitate materiae.

NOTANDUM: Natura speciei habet aliquam quantitatem, quam nec excedit, nec ab ea deficit absque errore; quae tamen quantitas habet aliquos gradus latitudinis, et non est accipienda secundum unam mensuram determinatam, sicut accipitur quantitas in individuo. Nam unumquodque individuum in specie humana assequitur infra terminos alius latitudinis aliquem gradum quantitatis, quae competit naturae individui. Et ideo non omnes resurgent in eadem quantitate; sed quilibet resurget in illa quantitate in qua fuisset in termino augmenti, si natura non errasset vel defecisset: quod autem superest, vel deficit in homine, reseabit vel supplebit divina potentia (qu. seq. art. ii).

QUAESTIO LXXXI

De qualitate resurgentium

Deinde considerandum est de qualitate resurgentium. Circa quod quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum omnes resurgent in eadem aetate.*

RESP. AFF. – *Scil. :* in aetate juvenili, sicut Christus resurrexit, quae circa triginta annos incipit, ut Augustinus dicit (De civ. Dei, lib. xxii, c. 15).

R. EST: quia Deus, qui humanam naturam absque defectu instituit, sine defectu reparabit. Status autem ultimae perfectionis humanae naturae in homine est in juvenili aetate, ad quam terminatur motus augmenti, et a qua incipit motus decrementi.

Art. II. – *Utrum omnes resurgent ejusdem staturae.*

RESP. NEG. – R. EST: quia in resurrectione non reparabitur humana natura solum quantum ad idem specie, sed etiam quantum ad idem numero.

Art. III. – *Utrum omnes resurgent in sexu virili.*

RESP. NEG. – R. EST: quia sicut considerata natura individui, debetur diversa quantitas diversis hominibus; ita considerata natura individui, debetur diversus sexus diversis hominibus: et haec etiam diversitas competit perfectioni speciei, cujus diversi gradus implentur per dictam diversitatem sexus vel quantitatis.

NOTANDUM: Mulier subditur viro propter imbecillitatem naturae et quantum ad vigorem animi, et quantum ad robur corporis. Sed post resurrectionem non erit differentia in his secundum diversitatem sexuum, sed magis secundum diversitatem meritorum. (Ad 2m); unde mulier, ut sic, non erit subdita viro.

Art. IV. – *Utrum omnes resurgent in vita animali.*

RESP. NEG. – R. EST: quia resurrectio non erit homini necessaria propter vitam animalem, quae consequitur in hac vita, sed ad consequendam ultimam perfectionem, quae consistit in perventione ad ultimum finem. Unde dicitur (Matt. xxii, 30): *In resurrectione neque nubent, neque nubentur.*

NOTANDUM: Illa comestio qua Christus comedit non fuit necessitatis, quasi cibus indigeret humana natura post resurrectionem; sed fuit potestatis, ut ostenderet se veram naturam humanam resumpsisse, quam prius habuerat in statu illo, quando cum discipulis comederat et biberat. Haec autem ostensio non erit necessaria in resurrectione communi quia omnibus notum erit. (Ad 1m).

QUAESTIO LXXXII

De impassibilitate corporum beatorum resurgentium

Deinde considerandum est de conditionibus beatorum resurgentium; et primo de eorum corporum impassibilitate; secundo de subtilitate; tertio de agilitate; quarto de claritate. – Circa primum quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum corpora sanctorum post resurrectionem erunt impassibilia.*

RESP. AFF. – *Scil.:* proprie accipiendo passionem prout est « motus cordis praeter naturam », non erit in corporibus resurgentium sanctorum potentialitas ad passionem.

R. EST: quia omnis passio fit per victoriam agentis super patiens: nam immoderatus motus cordis, qui causatur ab agente trahente cor ad terminos suos, dicitur passio: impossibile est autem quod aliquid dominetur supra patiens, nisi in quantum debilitatur dominium formae propriae supra materiam patientis. Corpus autem humanum, et quicquid in eo est, erit perfecte subjectum animae rationali, sicut anima perfecte erit subjecta Deo. Et ideo in corpore glorioso non poterit esse aliqua mutatio contra dispositionem illam qua perficitur ab anima; et ita corpora illa erunt impassibilia.

NOTANDUM: In rebus corruptibilibus non perfecte dominatur forma supra materiam, et ideo non perfecte potest ligare ipsam, quin recipiat interdum per aliquam passionem dispositionem contrariam formae. Sed in sanctis post resurrectionem omnino anima dominabitur supra corpus. (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum impassibilitas in omnibus erit aequalis.*

RESP. NEG. - *Scil.:* impassibilitas illa erit in uno major quam in alio secundum dominium animae super corpus.

R. EST: quia dominium causatur ex hoc quod ipsa anima fruitur Deo immobiliter: unde in illo qui perfectius fruitur Deo, est major impassibilitatis causa. Secundum se considerata autem impassibilitas erit aequalis in omnibus beatis, et secundum hoc in nullo aliquid passibilitatis remanebit. (Ad 3m).

Art. III. - *Utrum impassibilitas sensum in actu a corporibus gloriosis excludat.*

RESP. NEG. - **R. EST:** quia alias corporalis vita sanctorum post resurrectionem assimilaretur magis somno quam vigiliae; quod non competit illi perfectioni, eo quod in somno corpus sensibile non est in ultimo actu vitae: propter quod somnus dicitur « vitae dimidium »; unde aliquem sensum esse in corporibus beatorum omnes ponunt. Quantum autem ad modum sentiendi dicendum est quod sensus corporum gloriosorum erit per susceptionem a rebus quae sunt extra animam, in quantum scilicet recipitur qualitas sensibilis secundum esse spirituale, id est, species, sive intentio qualitatis, et non ipsa qualitas; sicut pupilla recipit speciem albedinis, et tamen ipsa non

efficitur alba. Unde ipsa receptio per se facit sensum in actu, et non immutat naturam recipientis.

NOTANDUM: Quia Deus apprehenditur a sanctis ut ratio omnium quae ab eis agentur vel cognoscuntur; ideo occupatio eorum circa sensibilia sentienda, vel quaecumque alia contemplanda, aut agenda, in nullo impedit divinam contemplationem, nec e contrario. Item, in sanctis omnes potentiae erunt perfectissimae, et ideo una poterit intense operari, ita quod ex hoc nullum impedimentum praestabitur actioni alterius potentiae sicut et in Christo fuit. (Ad 4m).

Art. IV. – Utrum in beatis post resurrectionem sint omnes sensus in actu.

RESP. AFF. – R. EST: quia post resurrectionem erit medium et objectum omnium sensuum. Nam aer est medium visus, auditus et odoratus. Gustus autem habet medium conjunctum, sicut et tactus; cum gustus sit tactus quidam. Quantum ad objectum, erit ibi, praeter objectum visus et auditus, etiam et odoratus, cum Ecclesia cantet quod odor suavissimus erunt corpora sanctorum. Laus etiam vocalis erit in patria; unde dicitur in Glossa ordinaria, super illud Psalmi cxlix: *Exaltationes Dei in gutture eorum*, quod « corda et linguae non desinent laudare Deum ». Sed gustus non erit in actu, ita quod immutetur ab aliquo cibo, vel potu sumpto, ut patet ex dictis (qu. lxxxii, art. 4). Nisi forte dicatur quod erit ibi gustus in actu per immutationem linguae ab aliqua humiditate adjuncta. – Quantum ad tactum, in corporibus gloriosis, a quibus impassibilitas excludit naturalem immutationem, erit immutatio a qualitatibus tangibilibus spiritualis tantum: sicut etiam in corpore Adae fuit, quod nec ignis urere, nec gladius scindere potuisset; et tamen horum sensum habuisset. (Ad 1m).

QUAESTIO LXXXIII

De subtilitate corporum beatorum

Deinde considerandum est de subtilitate corporum beatorum. Circa quod quaeruntur sex:

Art. I. - *Utrum subtilitas sit proprietas corporis gloriosi.**

RESP. AFF. - *Scil.* : assignandus est corporibus gloriosis modus subtilitatis, ut dicantur subtilia propter completissimam corporis perfectionem.

R. EST: quia corpus perfectissime dominabitur ab anima glorificata, quae est forma corporis; ratione cujus corpus gloriosum *spirituale* dicitur, quasi omnino spiritui subjectum.

Art. II. - *Utrum ratione hujus subtilitatis competat corpori glorioso esse in eodem loco cum alio corpore non glorioso.*

RESP. NEG. - R. EST: quia illud quod impedit corpus nostrum nunc ne simul cum alio corpore sit in eodem loco, nullo modo poterit ab eo removeri per dotem subtilitatis. Nihil enim potest prohibere corpus aliquod ne sit simul situatum cum alio corpore in eodem loco, nisi hoc quod in eo requirit diversum situm; nihil enim est impedimentum identitatis, nisi quod est causa diversitatis. Hanc autem distinctionem situs non requirit aliqua corporis qualitas, quia corpori non debetur aliquis situs ratione suae qualitatis: unde remoto a corpore sensibili quod sit calidum,

(*) Subtilitas ea est dos qua anima tanquam forma corporis habebit perfectum dominium super illud, ita ut plene et perfecte suas operationes per illud exerceat, sine ullo impedimento somni, cibi, potus, aut alicujus hujusmodi.

aut frigidum, aut grave, aut leve, nihilominus in eo remanet necessitas praedictae distinctionis, ut patet per Philosophum (Physic. lib. iv), et etiam per se planum est. Et ideo corpus gloriosum non habebit ratione suae subtilitatis quod possit esse simul cum alio corpore (in eodem loco). - Ex operatione tamen divina, id est, miraculose, potest corpus simul esse cum alio corpore in eodem loco, sicut factum est de Christi corpore in natiuitate, cum ex utero Virginis exiit, et post resurrectionem cum ad discipulos clausis januis intravit. (Ad 1m).

Art. III. - *Utrum per miraculum fieri possit quod duo corpora sint in eodem loco.*

RESP. AFF. - **R. EST:** quia, ut ex dictis patet (art. praec.), unum corpus non potest esse simul cum alio in eodem loco, quia destrueretur *esse* distinctum utriusque, et acquireretur utrique simul *esse* unum indistinctum, ut patet in mixtionibus. *Esse* autem distinctum cuiusque rei dependet a principiis essentialibus rei sicut a causis proximis, sed a Deo sicut a causa prima. Et quia causa prima potest conservare rem in *esse*, cessantibus causis secundis, ideo divina virtute, et ea sola, fieri potest quod corpori remaneat *esse* distinctum ab alio corpore, quamvis ejus materia non sit distincta in situ ab alterius corporis materia; et sic miraculose fieri potest quod duo corpora sint simul in eodem loco, sicut accidens fieri potest sine subjecto.

NOTANDUM: Posito quod duo corpora sint simul in eodem loco per miraculum, non sequitur aliquid neque contra communes animi conceptiones, neque contra definitionem lineae, neque contra conclusiones aliquas geometriae; quia quantitas dimensiona habet specialem rationem individuationis et distinctionis, scilicet ex situ partium, praeter rationem individuationis, et distinctionis,

quae est ipsi et omnibus aliis accidentibus communis, scilicet ex materia subjecta. (Ad 2m). Et ideo non repugnat dimensiones duorum corporum esse dimensiones unius loci, quod non est aliud quam duo corpora esse in eodem loco. (Ad 1m). Repugnaret autem quod unum corpus sit simul localiter in duobus locis, neque hoc fieri potest per miraculum (corpus enim Christi non est in altari localiter), quia esse in pluribus locis simul repugnat individuo, ratione ejus quod est esse indivisum in se; sequeretur enim quod esset distinctum in situ. Sed esse cum alio corpore in eodem loco, repugnat ei quantum ad hoc quod est esse divisum ab alio (Ad 4m), quod non repugnaret virtuti divinae, propter rationem dictam.

Art. IV. - *Utrum unum corpus gloriosum possit esse cum alio glorioso in eodem loco.*

RESP. NEG. - *Scil.* : virtute divina hoc potest fieri, ut patet ex dictis (art. praec.); sed non est conveniens.

R. EST: quia in corporibus gloriosis servabitur debitus ordo, qui distinctionem requirit; et quia unum corpus gloriosum non se opponet alteri (ut ejus viam vel transitum obstruat). Et sic nunquam duo corpora gloriosa erunt simul.

Art. V. - *Utrum ex ea subtilitate removeatur a corpore glorioso necessitas existendi in aequali loco.*

RESP. NEG. - R. EST: quia corpus non comparatur ad locum nisi mediantibus dimensionibus propriis. Unde quod corpus aliquod sit in minori loco quam sit sua quantitas, hoc non potest esse nisi per hoc quod quantitas corporis propria efficitur aliquo modo minor seipsa. Hoc autem in corpore glorioso fieri non potest, neque ex parte materiae ipsius, quia corpus gloriosum est impassibile et incorruptibile; neque ex variatione situs, ita scilicet quod partes corporis gloriosi

subintrent se invicem, et sic redeat ad quantamcumque parvam quantitatem, quia repugnaret rectae dispositioni corporis humani, quae requirit determinatum situm, et distantiam partium. Unde nec per miraculum hoc unquam fiet. – Et ideo dicendum quod corpus gloriosum semper erit in loco sibi aequali.

Art. VI. – *Utrum corpus gloriosum ratione suae subtilitatis sit impalpabile.*

RESP. NEG. – R. EST: quia palpabile est quod resistet tangenti; tangibile autem est quod sensum tactus immutat. Sic aer est tangibilis, sed non palpabilis. Et secundum hoc corpus gloriosum, ut patet ex corpore Christi glorioso, est tangibile et palpabile; sed ex virtute supernaturali ei competit ut, cum vult, neque palpetur neque tangatur a corpore non glorioso.

QUAESTIO LXXXIV

De agilitate corporum beatorum *

Deinde considerandum est de agilitate beatorum corporum resurgentium. Circa quod quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum corpora gloriosa sint futura agilia.*

RESP. AFF. – R. EST: quia anima conjungitur corpori non solum ut forma, sed etiam ut motor: et utroque modo oportet quod corpus gloriosum animae glorificatae sit summe subjectum. Unde sicut per dotem subtilitatis subjicitur ei totaliter,

(*) Agilitas ea est corporis dispositio ab anima proveniens, per quam ita perfecte subjicietur animae tanquam motori, ut sine labore et lassitudine, vel alia quavis difficultate possit ab illa moveri secundum qualibet loci differentiam, idque brevissimo et velut imperceptibili tempore.

inquantum est forma corporis, dans esse specificum; ita per dotem agilitatis subjicitur ei, inquantum est motor, ut scilicet sit expeditum et habile ad obediendum spiritui in omnibus motibus et actionibus animae.

NOTANDUM: Corpora gloriosa dicuntur ferri ab angelis et etiam in nubibus, non quasi eis indigeant, sed ad reverentiam designandam, quae corporibus gloriosis et ab angelis et ab omnibus creaturis defertur. (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum sancti agilitate sua nunquam utentur, ita quod moveantur.*

RESP. NEG. – *Scil.* : corpora gloriosa aliquando moveri necessarium est ponere.

R. EST: quia et ipsum corpus Christi motum est in ascensione; et similiter corpora sanctorum quae de terra resurgent, ad caelum empyreum * ascendent; sed etiam post quam caelos conscenderint, verisimile est quod aliquando movebuntur pro suae libito voluntatis; ut illud quod habent in virtute, actu exercentes, divinam sapientiam commendabilem ostendant, et ut etiam visus eorum reficiatur pulchritudine creaturarum diversarum, in quibus Dei sapientia eminenter relucebit.

Art. III. – *Utrum sancti moveantur in instanti.*

RESP. NEG. – *Scil.* : corpus gloriosum movetur in tempore, sed imperceptibili propter brevitatem.

R. EST: quia si corpus gloriosum moveatur in instanti sequeretur quod corpus gloriosum in eodem instanti esset in duobus locis simul, vel pluribus, scilicet in termino ultimo, et in omnibus mediis locis, quod non potest esse. Unde sicut

(*) Quid porro empyreum sit et unde dictum, jam ostensum est (P. I, qu. lxvi, art. 3).

corpus gloriosum nunquam suam corporeitatem amittet; ita nunquam in instanti moveri poterit. (Ad 3m).

NOTANDUM: Quamvis post resurrectionem non erit tempus quod est numerus motus caeli, tamen erit tempus consurgens ex numero prioris et posterioris in quocumque motu. (Ad 5m).

QUAESTIO LXXXV

De claritate corporum beatorum

Deinde considerandum est de claritate corporum beatorum resurgentium. Circa quod quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum corporibus gloriosis claritas conveniet.*

RESP. AFF. – R. EST: quia, ut ex Scripturae auctoritate patet (Matt. xiii, 43), gloria animae in corpus redundabit per claritatem. – Claritas autem quae est in anima spiritualis recipitur in corpore ut corporalis. Et ideo secundum quod anima erit majoris claritatis secundum majus meritum, ita etiam erit differentia claritatis in corpore, ut patet per Apostolum (I. Cor. xv).

Art. II. – *Utrum claritas corporis gloriosi possit videri a non glorioso oculo.*

RESP. AFF. – *Scil.:* claritas corporis gloriosi naturaliter ab oculo non glorioso videri potest.

R. EST: quia claritas illa non aequivoce dicitur; quod enim aequivoce dicitur nihil nobis notificat, sicut qui dicit *canem* esse in caelo, nihil notificat ei qui non novit nisi canem qui est animal. Unde claritas illa, sicut lux, nata est movere visum; et

visus, secundum id quod est, natus est percipere illam.

NOTANDUM: Claritas corporis gloriosi provenit ex merito voluntatis, et ideo voluntati subdetur, ut secundum ejus imperium videatur vel non videatur, et ideo in potestate corporis gloriosi erit ostendere claritatem suam, vel occultare. (Ad 3m).

Art. III. – *Utrum corpus gloriosum necessario videbitur a corpore non glorioso.*

RESP. NEG. – R. EST: quia in potestate glorificatae animae erit quod corpus suum videatur vel non videatur sicut et quaelibet actio alia corporis in animae potestate erit: alias corpus gloriosum non esset instrumentum summe obediens principali agenti. Haec autem animae actio non immutat ipsum corpus intrinsece; unde non respicnat impassibilitati corporis.

QUAESTIO LXXXVI

De conditionibus corporum damnatorum resurgentium

Consequenter considerandum est de conditionibus corporum damnatorum resurgentium. Circa quod quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum corpora damnatorum cum suis deformitatibus resurgent.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) corpora damnatorum non resurgent cum deformitatibus membrorum, e. g., cum mutilationibus; et quicquid defectus vel turpitudinis ex corruptione, vel debilitate naturae, sive principiorum naturalium in corpore fuit, totum in resurrectione removebitur;

b) defectus autem qui ex naturalibus principiis in humano corpore naturaliter consequuntur, sicut ponderositas, passibilitas, et similia, in corporibus damnatorum erunt.

R. PRIMI EST: quia Auctor qui naturam condidit, in resurrectione naturam corporis integre reparabit. Et hoc contingit etiam ex ratione iustitiae, quia si ille qui in hac vita deformitates habuit, cum eis resurgat, sine quibus constat quod resurget alius gravius puniendus, qui eas in hac vita non habuit, modus poenae non responderet quantitati culpae, sed magis videretur aliquis puniri pro poenis quas in hoc mundo passus fuit, quod est absurdum.

R. SECUNDI EST: quia tales defectus naturales ab electorum corporibus gloria resurrectionis excludet.

NOTANDUM: Cum poena in quolibet foro infligatur secundum conditionem illius fori, poenae quae in hac vita temporali infliguntur pro aliquo peccato, temporales sunt, et ultra vitae terminum non se extendunt. Et ideo quamvis peccatum non sit remissum damnatis, non tamen oportet quod easdem poenas ibi sustineant quas in hoc mundo sunt passi; sed divina iustitia requirit ut ibi poenis gravioribus in aeternum crucientur. (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum corpora damnatorum erunt incorruptibilia.*

RESP. AFF. – R. EST: quia totaliter tollitur ab eis principium movens ad corruptionem, scil. motus alterans ad corruptionem. Nam cum caelum sit primum alterans per motum suum localem, et alia omnia agentia secunda in virtute ipsius agent, et quasi ab ipso mota, oportet quod motu caeli cessante, nihil sit agens quod possit corpus per alterationem aliquam transmutare

a naturali sua proprietate. Unde corpora damnatorum corrumpi non poterunt; et hoc deservit divinae justitiae, ut perpetuo viventes perpetuo puniantur, quod divina justitia requirit, ut infra dicetur (art. seq.). – Corpora autem beatorum erunt incorruptibilia non solum propter dictam cessationem motus, sed etiam quia redundantia gratiae et gloriae impedit corruptionem.

Art. III. – *Utrum corpora damnatorum sint futura impassibilia.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) quantum ad *passionem naturalem*, qua scil. aliqua forma recipitur in aliquo subjecto secundum *esse naturale* materialiter, nullum corpus pati poterit post resurrectionem; b) sed quantum ad *passionem animae*, qua aliquid recipitur in alio spiritualiter per modum intentionis cujusdam, sicut similitudo recipitur in aere, et in pupilla, corpora damnatorum passibilia sunt.

R. PRIMI EST: quia post resurrectionem, motu caeli cessante, non poterit aliquod corpus alterari a sua naturali qualitate, ut dictum est (art. praec.).

R. SECUNDI EST: quia cessante motu caeli, adhuc remanebit passio quae est per modum animae; quia et aer a sole illuminabitur, et colorum differentias deferet ad visum. Et sic species, quae materialiter est in igne, recipitur spiritualiter in corporibus damnatorum et sic ignis sibi assimilabit damnatorum corpora, nec tamen ea consumet. (Ad 2m). – Corpora vero gloriosa, etsi recipient aliquid, et quodammodo patientur in sentiendo, non tamen passibilia erunt, quia nihil recipient per modum afflictivi, vel laesivi, sicut recipient corpora damnatorum.

QUAESTIO LXXXVII

De cognitione quam habebunt resuscitati in iudicio respectu meritorum et demeritorum

Post haec agendum est de his quae sequuntur resurrectionem: quorum prima consideratio erit de cognitione quam habebunt resuscitati in iudicio respectu meritorum et demeritorum; secunda de ipso iudicio generali, ac tempore et loco in quo erit; tertia de iudicantibus et iudicatis; quarta de forma in qua iudex veniet ad iudicandum; quinta de statu mundi et resurgentium post iudicium. Circa primum quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum post resurrectionem quilibet cognoscat peccata quae fecit.*

RESP. AFF. – **R. EST:** quia in quolibet iudicio testis, accusator et defensor habent notitiam eorum quae in iudicio versantur; et ideo in illo communi iudicio, in quo omnia opera hominum venient, oportet quod quisque tunc notitiam habeat omnium operum suorum. Unde dicitur (II. Cor. v, 10): *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum;* et iterum Rom. ii, 15: *In die illa cum iudicabit Dominus, testimonium unicuique sua conscientia reddet; et cognitiones erunt accusantes et defendentes.*

NOTANDUM: Quamvis multa merita et demerita a memoria exciderint, tamen nullum eorum erit quod non aliquo modo maneat in suo effectu, quia merita quae non sunt mortificata, manebunt in

praemio quod eis redditur; quae tamen mortificata sunt, manent in reatu ingratitude, quae augetur ex hoc quod homo post gratiam susceptam peccavit. Similiter etiam demerita quae non sunt per poenitentiam deleta, manent in reatu poenae, quae eis debetur; quae autem poenitentia deleta, manent in ipsa poenitentiae memoria, quam simul cum aliis meritis in notitia habebunt. Unde in quolibet homine erit aliquid ex quo possit ad memoriam sua opera revocare. – Et tamen, ut Augustinus dicit (De civ. Dei, lib. xx, cap. 14), principaliter ad hoc divina vis operabitur. (Ad 1m).

Art. II. – *Utrum quilibet poterit legere omnia quae sunt in conscientia alterius.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sicut oportet quod iudex et assessor iudicis merita causae cognoscant ad hoc quod justam sententiam proferant, ita oportet, ad hoc quod justa sententia appareat, quod omnibus sententiam cognoscentibus merita innotescant. Unde etiam peccata quae sunt per poenitentiam deleta, in iudicio aliis patefient, secus sequeretur quod nec etiam poenitentia de peccatis illis perfecte cognoscatur, in quo multum detraheretur sanctorum gloriae, et laudi divinae, quae tam misericorditer sanctos liberavit.

Art. III. – *Utrum omnia merita vel demerita, propria et aliena, uno intuitu ab aliquo videbuntur.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) de beatis facile credi potest quod omnia merita et demerita simul in instanti vident; b) sed damnati non omnia in instanti, sed in tempore brevissimo vident.

R. PRIMI EST: quia beati omnia in Verbo videbunt.

R. SECUNDI EST: quia in quolibet parvo tempore sunt infinita instantia in potentia.

QUAESTIO LXXXVIII

**De iudicio generali, tempore
et loco in quo fiet**

Deinde considerandum est de iudicio generali, tempore et loco in quo fiet. Circa quod quaeruntur quatuor:

Art. I. – *Utrum generale iudicium sit futurum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : duplex erit iudicium futurum, secundum duplicem Dei operationem, unum quidem correspondet operationi qua Deus operatur in gubernatione creaturarum, et hoc iudicium erit immediate post mortem singulorum, tamen non erit totale; aliud correspondet operationi Dei qua res primitus in esse produxit, et hoc erit ultimum iudicium, scil. universale.

R. PRIMI EST: quia gubernatio non potest esse sine iudicio, per quod quidem unusquisque singulariter pro suis operibus iudicatur, et hoc non solum secundum quod sibi competit, sed etiam secundum quod competit gubernationi universi.

R. SECUNDI EST: quia sicut omnia processerunt immediate a Deo, ita tunc ultima completio mundo dabitur, unoquoque accipiente finaliter quod ei debetur secundum seipsum. Unde et in illo iudicio apparebit manifeste divina iustitia quantum ad omnia, quae nunc ex hoc occultantur quod interdum de uno disponitur ad utilitatem aliorum, aliter quam manifesta opera exigere videantur. Unde etiam ex tunc erit universalis separatio bonorum a malis, quia ulterius non erit locus ut mali per bonos, vel boni per malos proficiant; propter quem profectum interim commixti inveniuntur boni malis, quoadusque status hujus vitae per divinam providentiam gubernatur. – Unde propria sententia illius generalis

iudicii est universalis separatio bonorum a malis, quae illud iudicium non praecedet. (Ad 2m).

Art. II. - *Utrum iudicium fiet per locutionem vocalem.*

RESP. NEG. - R. EST: quia si vocaliter singulorum facta narrarentur, inaestimabilis magnitudo temporis ad hoc exigeretur. Unde probabile est quod illa quae dicuntur Matth. xxv, non vocaliter, sed mentaliter, intelligenda sint esse perficienda.

Art. III. - *Utrum tempus futuri iudicii sit ignotum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia finis mundi, in quo erit dies iudicii, soli divinae subjacet potestati, et in hoc nulla creatura ei cooperatur. Non enim per aliquam causam creatam mundus finietur, sicut etiam esse incepit immediate a Deo. Unde decenter cognitio finis mundi soli Deo reservatur. Et hanc rationem videtur ipse Dominus assignare: *Non est, inquit, vestrum nosse tempora, vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate; quasi diceret, « quae soli potestati ejus reservata sunt ».* Unde Marci xii, 32: *De die illo, vel hora, nemo scit, neque angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater.* Dicitur autem Filius nescire, inquantum nos scire non facit.

Art. IV. - *Utrum iudicium fiet in valle Josaphat.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sicut Christus ex monte Oliveti in caelum ascendit, sic et circa illum locum eum descensurum probabile est, ut idem esse ostendatur qui descendit et qui ascendit.

NOTANDUM: Sufficit ponere quantumcumque spatium circa locum illum ad capiendum multitudinem iudicandorum; dummodo ab illo spatio Christum videre possint, qui in aere praeminens, et maxima claritate refulgens, a longinquo inspicere poterit. (Ad 1m).

QUAESTIO LXXXIX

De judicantibus et judicatis
in iudicio generali

Deinde considerandum est de judicantibus et judicatis in iudicio generali. Circa quod quaeruntur octo:

Art. I. – *Utrum aliqui homines iudicabunt cum Christo.*

RESP. AFF. – *Scil.:* a) iudicare proprie loquendo et ex auctoritate propria soli Deo competit; b) iudicare proprie loquendo non ex auctoritate propria sed sententiam latam in aliorum notitiam ducere, competit viris perfectis.

R. PRIMI EST: quia iudicare proprie loquendo dicitur qui sententiam in alterum fert. Iudicare autem *ex auctoritate propria* est illius qui habet dominium in alios et potestatem, cujus regimini subduntur qui iudicantur. Et sic iudicare in iudicio generali est solius Dei.

R. SECUNDI EST: quia perfecti alios ducent in cognitionem divinae iustitiae, ut sciant quid juste pro meritis eis debeatur: et ipsa revelatio iustitiae dicitur iudicium.

NOTANDUM: Modo non proprio dicto multipliciter iudicare dicitur: scil. *causaliter*: et secundum hoc aliqui dicuntur iudicare comparatione, in quantum ex comparatione aliorum aliqui iudicandi ostenduntur, sicut patet Matt. xii, 41: *Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam.* Sed sic iudicari in iudicio communiter et bonorum et malorum est. – *Interpretative*: interpretamur enim aliquem facere qui facienti, i. e. Christo iudicanti, consentit; unde dicitur Sap. iii, 8: *Judicabunt iusti nationes.* – *Assessorie*, et *per similitudinem*, et secundum hunc modum dicunt quidam iudicabunt, scil. per honorabilem asses-

sionem; quia superiores caeteris apparebunt in judicio, obviantes *Christo in aera*. Quartus modus judicandi est qui perfectis viris conveniet, inquantum in eis continentur decreta divinae justitiae, ex quibus homines judicabuntur; sicut si liber in quo continetur lex, judicare dicatur. (In corp. art.).

Art. II. - *Utrum judiciaria potestas correspondeat voluntariae paupertati.*

RESP. AFF. - *Scil.* : propter tria.

PRIMA R. EST congruitatis: quia voluntaria paupertas est eorum qui omnibus quae mundi sunt contemptis, soli Christo inhaerent; et ideo non est in eis aliquid quod eorum iudicium a justitia deflectat: unde idonei ad iudicandum redduntur, quasi veritatem justitiae prae omnibus diligentes.

SECUNDA R. EST meriti: quia humilitati respondet exaltatio pro merito. Inter omnia autem quae hominem in hoc mundo despectum faciunt, praecipuum est paupertas. Unde et pauperibus excellentia judiciaria potestatis promittitur, ut sic qui propter Christum se humiliat, exaltetur.

TERTIA R. EST dispositionis: quia paupertas voluntaria est prima dispositio ad perfectionem acquirendam; unde ponitur prima inter beatitudines. - Hinc est quod non quibuscumque pauperibus etiam voluntarie repromittitur potestas praedicta, sed illis qui relinquentes omnia sequuntur Christum secundum perfectionem vitae.

Art. III. - *Utrum angeli debeant iudicare.*

RESP. NEG. - *Scil.* : angeli non iudicabunt, nisi per sententiae approbationem.

R. EST: quia assessores iudicis debent iudici esse conformes. Iudicium autem Filio hominis attribuitur, quia secundum humanam naturam omnibus apparebit tam bonis quam malis, quam-

vis tota Trinitas judicet per auctoritatem. Et ideo etiam oportet ut assessores iudicis humanam naturam habeant, in qua possunt ab omnibus bonis et malis videri. Et sic angelis non competit iudicare.

Art. IV. – *Utrum daemones exequentur sententiam iudicis in damnatos.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sic servabitur ordo etiam in poenis, ut homines per daemones puniantur, ne totaliter divinus ordo, quo angelos medios inter natura humanam et divinam constituit, annulletur. Nec ob hoc minuitur aliquid de daemonum poena, quia in hoc etiam quod alios torquent, ipsi torquebuntur: ibi enim miserorum societas miseriam non minuet, sed augebit.

Art. V. – *Utrum omnes homines in iudicio comparebunt.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Christus pro omnibus mortuus est, et a Deo est constitutus iudex omnium. Et ideo congruum est ut omnes homines in iudicio congregentur ad videndum ejus exaltationem in humana natura.

NOTANDUM: Per duodecim tribus Israel omnes aliae gentes significatae sunt, quia in sortem duodecim tribuum per Christum sunt vocatae. (Ad 1m).

Art. VI. – *Utrum boni in iudicio iudicabuntur.*

RESP. AFF. – *Scil. :* a) omnes boni iudicabuntur quantum ad retributionem praemiorum; b) quantum autem ad discussionem meritorum non omnes boni iudicabuntur, sed illi tantum qui merita habent cum notabili quadam commixtione cum malis.

R. PRIMI EST: quia unusquisque ex sententia divina praemium merito respondens recipiet. Et

ideo oportet unumquemque secundum hoc judicari.

R. SECUNDI EST: quia illi qui aedificant supra fundamentum fidei *aurum et argentum et lapides pretiosos*, divinis servitiis totaliter insistentes, qui nullam admixtionem notabilem alicujus mali meriti habent, in eis discussio meritorum locum non habet; sicut illi qui rebus mundi penitus abjectis sollicite cogitant solum quae Dei sunt; et ideo salvabuntur, sed non judicabuntur. Illi vero qui aedificant super fidei fundamentum *ligna, foenum, stipulam*, qui adhuc scil. amant saecularia, et terrenis negotiis implicantur, ita tamen quod nihil Christo praeponant, sed student peccata eleemosynis redimere, habent quamdam commixtionem bonorum meritorum cum malis; et ideo discussio meritorum in eis locum habet; unde tales quantum ad hoc judicabuntur, et tamen salvabuntur.

Art. VII. - *Utrum mali judicabuntur.*

RESP. AFF. - *Scil. : a) iudicium quod est poenarum retributio pro peccatis, omnibus malis competit; b) iudicium autem quod est discussio meritorum solum fidelibus competit, non autem infidelibus.*

R. PRIMI patet ex dictis de bonis (art. praec.).

R. SECUNDI EST: quia in infidelibus non est fidei fundamentum, quo sublato, omnia opera sequentia perfecta rectitudinem intentionis carent; unde non est in eis aliqua permixtio bonorum operum vel meritorum ad mala, quae discussionem requirat. Sed fideles, in quibus manet fidei fundamentum, ad minus fidei actum laudabilem habent, qui, quamvis non sit meritorius sine charitate, tamen quantum est de se, est ordi-

natus ad meritum; et ideo in eis iudicium discussionis locum habet.

Art. VIII. – *Utrum angeli in futuro iudicio iudicabuntur.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) quantum ad iudicium discussionis nullo modo habet locum neque in bonis angelis neque in malis; b) quantum autem ad iudicium retributionis, directe loquendo, hoc iudicium non erit ex parte angelorum, sive bonorum sive malorum, sed ex parte hominum.

R. PRIMI EST: quia neque in bonis angelis potest aliquid mali inveniri, neque in malis aliquid boni ad iudicium pertinent.

R. SECUNDI EST: quia boni angeli amplius gaudium habebunt de salute eorum quos ad meritum induxerunt, et mali amplius torquebuntur, multiplicata malorum ruina, qui per eos ad mala sunt incitati. Unde indirecte hoc iudicium respiciet angelos, in quantum actibus hominum fuerunt commixti.

QUAESTIO XC

De forma iudicis venientis ad iudicium

Deinde considerandum est de forma iudicis venientis ad iudicium. Circa quod quaeruntur tria:

Art. I. – *Utrum Christus in forma humanitatis sit iudicaturus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia Christo competit iudicare secundum quod dominium super homines habet. Ipse autem est noster Dominus, non solum ratione creationis; sed etiam ratione re-

demptionis, quod ei competit secundum humanam naturam. Imo, non solum super homines, sed super universam creaturam Christus per suam passionem dominium promeruit, et potestatem iudiciariam; Matth. ult., 18: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.**

Art. II. – *Utrum Christus in iudicio apparebit in forma humanitatis gloriosa.*

RESP. AFF. – R. EST: quia in secundo adventu Christus ad hoc veniet ut iustitiam Patris in homines exequatur; et ideo demonstrare gloriam debet, quae inest ei ex communicatione ad Patrem.

NOTANDUM: Cicatrices quae in ejus corpore apparebunt, non pertinebunt ad aliquam infirmitatem, sed erunt indicia maximae virtutis, qua Christus per passionem et infirmitatem de hostibus triumphavit. (Ad 2m).

Art. III. – *Utrum divinitas a malis sine gaudio videri possit.*

RESP. NEG. – *Scil. :* divinitas ut a malis apprehensa non potest ab ipsis sine gaudio videri.

R. EST: quia res creatae sunt delectabiles per participationem bonitatis, quae est ratio appetibilitatis et delectabilitatis, et ideo possunt apprehensae non delectare; sed id quod per essentiam suam est bonum, impossibile est quod ejus essentia apprehensa non delectet.

NOTANDUM: Impii (in iudicio) manifeste cognoscent Christum esse Deum, non tamen per hoc quod divinitatem ejus videant, sed propter manifestissima Divinitatis indicia. (Ad 1m).

(*) De potestate Christi iudiciaria confer quod dictum est part. III, qu. lix.

QUAESTIO XCI

De qualitate mundi post iudicium

Consequenter considerandum est de qualitate mundi et resurgentium post iudicium; ubi triplex consideratio occurrit: prima de statu et qualitate mundi; secunda de statu beatorum; tertia de statu malorum. Circa primum quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum mundus innovabitur.*

RESP. AFF. – *Scil.* : oportebit ut omnes hujus mundi creaturae majorem influentiam a divina bonitate suscipiant quam nunc; non tamen speciem variantem, sed addentem cujusdam gloriae perfectionem; et haec erit mundi innovatio.

R. EST: quia etiam oculo corporis glorificato solatium congruens de visione divinitatis praebebitur, ut inspiciat divinitatem in suis effectibus corporalibus, in quibus manifesta indicia divinae majestatis apparebunt, et praecipue in carne Christi, et post hoc in corporibus beatorum, et deinceps in omnibus aliis corporibus.

Art. II. – *Utrum motus corporum caelestium cessabit.*

RESP. AFF. – *Scil.* : motus caeli cessabit in illa mundi innovatione, non quidem ex aliqua naturali causa, sed divina voluntate faciente.

R. EST: quia, ut fides docet, oportet quod generatio hominum non in perpetuum duret, et ideo eadem ratione nec alia quae ad generationem hominum ordinantur, sicut est motus caeli, et variationes elementorum: non enim est motus de perfectione substantiae caeli, quae remanebit. (Ad 4m).

Art. III. - *Utrum in corporibus caelestibus claritas augebitur in illa innovatione.*

RESP. AFF. - R. EST: quia innovatio mundi ordinatur ad hoc ut etiam mundo innovato, manifestis indiciis quasi sensibiliter Deus ab homine videatur. Pulchritudo autem caelestium corporum praecipue consistit in luce. Et ideo quantum ad claritatem corpora caelestia meliorabuntur.

Art. IV. - *Utrum elementa innovabuntur per receptionem alicujus claritatis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sicut in illa ultima rerum consummatione spiritus inferiores accipient proprietates superiorum spirituum, homines enim *erunt sicut angeli in caelo* (Matth. xxii, 30); ita corpora inferiora accipient proprietates corporum caelestium. Corpora autem inferiora cum caelestibus non communicent nisi in natura lucis et diaphani, ut dicitur (De anima, lib. ii, text. 68); et ideo oportet corpora inferiora maxime perfici secundum claritatem. - Unde omnia elementa claritate quadam vestientur; non tamen aequaliter, sed secundum suum modum: dicitur enim quod terra erit in superficie exteriori pervia (id est, transparent) sicut vitrum, aqua sicut crystallus, aer ut caelum, ignis ut luminaria caeli.

NOTANDUM: Etiamsi sit tota terra glorificata, nihilominus reprobi in tenebris exterioribus erunt, quia etiam ignis inferni, qui quantum ad aliquid eis lucebit, quantum ad aliud eis lucere non poterit. (Ad 3m).

Art. V. - *Utrum plantae et animalia remanebunt in illa innovatione.*

RESP. NEG. - R. EST: quia sicut homo in illa ultima innovatione ad incorruptibilitatem et quietem transfertur, ita et mundus, qui propter

hominem renovabitur, ad incorruptionem ordinabitur. Animalia autem et plantae, sicut et corpora mixta nullum ordinem habent ad incorruptionem, quia ex parte materiae amittunt formam, et forma eorum actu non manet. Unde in illa innovatione non manebunt. Mundus enim, abjecta omni corruptione, perpetuo manebit in quiete. — Et ideo non remanebunt nisi corpora caelestia, elementa et homines.

QUAESTIO XCII

De visione divinae essentiae per comparisonem ad beatos

Consequenter considerandum est de his quae spectant ad beatos post iudicium generale. Et primo de visione eorum respectu divinae essentiae; secundo de eorum beatitudine et eorum mansionibus; tertio de modo quo se erga damnatos habebunt; quarto de dotibus ipsorum, quae in beatitudine eorum continentur; quinto de aureolis, quibus eorum beatitudo perficitur et decoratur. — Circa primum quaeruntur tria:

Art. I. — *Utrum intellectus humanus possit pervenire ad videndum Deum per essentiam.*

RESP. AFF. — R. EST: quia cum intelligere sit maxime propria operatio hominis, oportet quod secundum hanc operationem assignetur homini sua beatitudo. Perfectio autem intelligentis, in quantum hujusmodi, est ipsum intelligibile. Unde si in perfectissima operatione intellectus homo non perveniat ad videndam essentiam divinam, sed ad aliquid aliud, oportebit dicere quod aliquid aliud sit beatificans ipsum hominem quam Deus; et cum ultima perfectio cujusbet sit in conjunctione ad suum principium, sequitur quod aliquid aliud sit principium effecti-

vum hominis quam Deus; quod est absurdum secundum nos.* - Hoc autem accidit non per abstractionem quidditatis rerum materialium, per quod perveniretur ad cognitionem substantiarum separatarum, quia per hoc quod intellectus noster abstrahit quidditates rerum materialium et cognoscit eas, non sequitur quod cognoscat quidditatem separatae substantiae, et praecipue divinam essentiam, quae maxime est alterius rationis ab omni quidditate creata; neque accidit hoc per impressiones substantiarum separatarum, vel divinae essentiae in animabus nostris, quia per nullum similitudinem receptam in intellectu creato potest Deus intelligi, ita quod essentia ejus videatur immediate; sed hoc accidit per hoc quod ipsa substantia separata, jungatur intellectui nostro ut forma, ut ipsa sit quod intelligitur et quo intelligitur. Quicquid autem sit de aliis substantiis separatis, tamen istum modum oportet nos accipere in visione Dei per essentiam, quia quacumque alia forma informaretur intellectus noster, non posset per eam duci in essentiam divinam. Quod quidem non debet intelligi, quasi divina essentia sit forma intellectus nostri, vel quod ex ea et intellectu nostro efficiatur unum simpliciter; sed quia proportio essentiae divinae ad intellectum nostrum est sicut proportio formae ad materiam. Quandocumque enim aliqua duo unum est altero perfectius, recipiuntur in eodem receptibili, proportio unius duorum ad alterum, scilicet magis perfecti ad minus perfectum, est sicut proportio formae ad materiam: et ita cum in anima recipiatur lux intellectiva, et ipsa divina essentia inhabitans, licet non per eundem mo-

(*) Quidam autem philosophi antiqui posuerunt beatitudinem hominis consistere in visione substantiarum separatarum, a quibus anima emanat.

dum, essentia divina se habebit ad intellectum sicut forma ad materiam. Et per hunc modum essentia divina erit quod et quo intelligitur; est enim essentia divina maxime intelligibilis, ab omnibus materiae proprietatibus maxime abstracta; est enim actus purus. Et ideo quamvis essentia divina in intellectu nostro recepta erit medium quo Deus videbitur sicuti est, tamen haec cognitio non dicitur mediata; quia essentia divina non cadit inter cognoscentem et rem cognitam, sed est illud quod cognoscitur dans cognoscenti vim cognoscendi. (Ad 15m).

Art. II. – *Utrum sancti post resurrectionem Deum oculis corporalibus videbunt.*

RESP. NEG. – *Scil.:* a) oculus corporeus glorificatus non videt essentiam divinam sicut visibile per se; b) sed eam videt sicut visibile per accidens.

R. PRIMI EST: quia sensus, inquantum est sensus, percipiat magnitudinem, et visus, inquantum est talis sensus, percipiat colorem; impossibile est quod visus percipiat aliquid quod non est color, nec magnitudo, nisi sensus diceretur aequivoce. Cum ergo visus et sensus sit futurus idem specie in corpore glorioso, qui erat in corpore non glorioso, non poterit esse quod divinam essentiam videat, sicut visibile per se.

R. SECUNDI EST: quia visus corporalis tantam gloriam Dei inspiciet in corporibus, et praecipue gloriosis, et maxime in corpore Christi, et intellectus tam clare Deum videbit, quod in rebus corporaliter visis Deus percipietur, sicut in locutione percipitur vita. Quamvis enim tunc intellectus noster non videat Deum ex creaturis, tamen videbit Deum in creaturis corporaliter visis, et hoc est essentiam divinam videre per accidens.

Art. III. - *Utrum sancti Deum videntes omnia videant quae Deus videt.*

RESP. NEG. - *Scil. :* a) nullus intellectus creatus potest illa omnia cognoscere quae Deus ipse cognoscit *scientia* seu *notitia simplicis intelligentiae*, i. e. illa quae Deus facere potest, quamvis nunquam fecerit, nec facturus sit; - b) anima Christi cognoscit omnia quae Deus cognoscit *notitia* seu *scientia visionis*, i. e., omnia quae sunt, et erunt, et fuerunt; - c) alii autem sancti non omnia hujus scientiae cognoscunt nunc, sed d) possibile est quod post diem iudicii omnes omnia cognoscant quae Deus scientia visionis novit. Ita tamen quod non omnes omnia videant in essentia divina. Sed anima Christi ibi plene videbit omnia, sicut et nunc videt; alii autem videbunt ibi plura vel pauciora, secundum gradum claritatis quo Deum cognoscent; et sic anima Christi de his quae prae aliis videt in Verbo omnes alias animas illuminabit.

R. PRIMI EST: quia cum quantitas potentiae divinae attendatur secundum ea quae potest, si aliquis intellectus videret in divina essentia omnia quae Deus potest facere, eadem esset quantitas perfectionis in intelligendo, quae est quantitas divinae potentiae in producendo effectus; et ita comprehenderet divinam potentiam; quod est impossibile omni creato intellectui.

R. SECUNDI sumitur ex supra dictis in P. III. qu. xvi, art. 2.

R. TERTII EST: quia non est necessarium quod sciens causam sciat omnes ejus effectus, nisi causam comprehendat; quod non competit intellectui creato. Et ideo unusquisque videntium Deum per essentiam tanto plura in ejus essentia conspicit quanto clarius divinam essentiam intuetur:

et inde est quod de his potest unus alium instruere.

R. QUARTI EST: quia sic scientia angelorum et animarum sanctarum potest augeri usque ad diem iudicii, sicut et alia quae ad praemium accidentale pertinent. Sed ulterius non proficiet, quia tunc erit ultimus status rerum, et in illo statu possibile est quod omnes omnia cognoscant quae Deus scientia visionis novit.

NOTANDA: 1. Quamvis autem intellectui videntis Deum conjungatur ipsa divina essentia, quae est omnium ratio, non tamen conjungitur ei prout est omnium ratio, sed secundum quod est ratio aliquorum, et tanto plurium quanto quisque plenius divinam essentiam intuetur. (Ad 4m).

2. Sanctorum desiderium, quo omnia scire desiderant, implebitur solum ex hoc quod Deum vident: sicut desiderium eorum, quo omnia bona habere cupiunt, complebitur in hoc quod Deum habebunt. Sicut enim Deus in hoc quod habet perfectam bonitatem, sufficit affectui, et eo habito omnia bona habentur quodammodo, ita ejus visio sufficit intellectui; Joan. xiv, 8: *Domine ostende nobis Patrem et sufficit nobis* (Ad 7m).

QUAESTIO XCIII

De sanctorum beatitudine, et eorum mansionibus

Deinde considerandum est de sanctorum beatitudine, et eorum mansionibus. Circa quod quaeruntur tria:

Art. I. – Utrum beatitudo sanctorum sit major futura post iudicium quam ante.

RESP. AFF. – Scil. : tum extensive, tum intensive.

R. PRIMI EST: quia beatitudo tunc erit non solum in anima, sed etiam in corpore; et etiam

ipsius animae beatitudo augebitur extensive, inquantum anima non solum gaudebit de bono proprio, sed etiam de bono corporis.

R. SECUNDI EST: quia corpus est naturaliter ab anima perfectibile; et ideo anima perfectior est in esse suo naturali, cum est in toto, scil. in homine conjuncto ex anima et corpore, quam cum est pars separata. Item, quia corpus gloriosum omnino subdetur animae, ita ut operatio animae erit perfectior, et facta conjunctione cum corpore, magis intense in Deum fertur; nam, ut Augustinus dicit (Sup. Gen. ad litt., lib. xii, c. 35), «ex appetitu corporis retardatur ne tota intentione pergat in illud summum bonum».

Art. II. - *Utrum beatitudinis gradus mansiones dici debeant.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sicut finis motus localis est locus, ad quem cum aliquid pervenerit, ibi manet quiescens, et in eo conservatur; ita cum nomen motus derivetur usque ad actus appetitus et voluntatis, ipsa finis assecutio appetitivi motus dicitur mansio aut collocatio in fine. Et ideo diversi modi consequendi finem ultimum diversae mansiones dicuntur; ut sic unitas domus respondeat differentiae, quae in beatitudine invenitur ex parte beatorum.

Art. III. - *Utrum diversae mansiones distinguantur penes diversos gradus charitatis.*

RESP. AFF. - *Scil.* : charitas patriae erit principium distinctivum propinquum; principium autem distinctivum remotum est meritum, seu charitas viae.

R. PRIMI EST: quia quanto charitas patriae erit in aliquo perfectior, tanto eum reddet capa-

ciorem divinae claritatis, ut sic secundum cujus augmentum augebitur perfectio visionis divinae.

R. SECUNDI EST: diversitas in merendo tota revertitur ad diversitatem charitatis, et sic charitas viae distinguet mansiones per modum meriti.

QUAESTIO XCIV

De modo quo sancti se habebunt erga damnatos

Deinde considerandum est de modo quo se sancti habebunt erga damnatos. - Circa quod quaeruntur tria:

Art. I. - *Utrum beati qui erunt in patria videbunt poenas damnatorum.*

RESP. AFF. - R. EST: quia sic sanctis magis beatitudo complaceat et ad ea uberiores gratias Deo agant; nam unumquodque ex comparatione contrarii magis cognoscitur, quia contraria juxta se posita magis elucescunt.

Art. II. - *Utrum beati compatiantur miseriis damnatorum.*

RESP. NEG. - R. EST: quia in beatis non erit aliqua passio in parte inferiori, nisi consequens electionem rationis. Unde non erit in eis compassio, vel misericordia, nisi secundum electionem rationis. Hoc autem modo ex electione rationis misericordia et compassio nascitur, scilicet prout aliquis vult malum alterius repelli. Post mortem autem peccatores non poterunt transferri a sua miseria; unde ad eorum miserias non poterit esse compassio secundum electionem rectam. Et ideo beati, qui erunt in gloria, nullam compassionem ad damnatos habebunt.

Art. III. - *Utrum beati laetentur de poenis damnatorum.*

RESP. AFF. - *Scil.* : non per se, sed per accidens.

R. EST: quia per se de aliquo gaudetur in quantum hujusmodi; et sic sancti non laetabuntur de poenis impiorum. Per accidens autem, id est, ratione alicujus adjuncti, sancti de poenis impiorum gaudebunt, considerando in eis divinae justitiae ordinem, et suam liberationem, de qua gaudebunt.

QUAESTIO XCV

De dotibus beatorum

Deinde considerandum est de dotibus beatorum.
- Circa quod quaeruntur quinque:

Art. I. - *Utrum ponendae sint aliquae dotes in hominibus beatis.*

RESP. AFF. - R. EST: quia beatis, quando in gloriam transferuntur, aliqua dona divinitus dantur ad eorum ornatum, secundum illud Isa. lxi, 10: *Induit me vestimentis salutis...., quasi sponsam ornatum monilibus suis*; et hi ornatus a Magistris dotes sunt nominati.

Art. II. - *Utrum dos sit idem quod beatitudo.*

RESP. NEG. - *Scil.* : realiter differunt.

R. EST: quia beatitudo dicitur ipsa operatio perfecta, qua anima beata conjungitur Deo; sed dotes dicuntur habitus, vel dispositiones, vel quaecumque aliae qualitates, quae ordinantur ad hujusmodi perfectam operationem; ut sic dotes ordinantur ad beatitudinem, magis quam sint in beatitudine ut partes ejus.

Art. III. – *Utrum competat Christo habere dotes.*

RESP. NEG. – R. EST: quia in illa conjunctione qua Christus unitur Patri per consensum amoris, etiam inquantum est Deus, non dicitur aliquod matrimonium esse, quia non est ibi aliqua subjectio, quam oportet esse sponsae ad sponsum. Similiter etiam nec in conjunctione humanae naturae ad divinam; quia exigitur ibi distinctio personarum: humana autem natura non est personaliter distincta a Verbo. Quantum vero ad unionem Christi cum Ecclesia, Christus conjungitur ut Sponsus, dos autem datur sponsae, quantum ad proprietatem et dominium, quamvis detur sponso ad usum. Unde ratio dotis nullo modo convenit Christo, nisi improprie; ea tamen quae dotes dicuntur, excellentissime ei conveniunt.

Art. IV. – *Utrum angeli habeant dotes.*

RESP. NEG. – *Scil.*: ratio dotis non ita proprie convenit angelis, sicut hominibus.

R. EST: quia ad rationem dotis exigitur quod sit conformitas naturae inter sponsum et sponsam ut *scil.* sint ejusdem speciei. Hoc autem modo homines cum Christo conveniunt, inquantum naturam humanam assumpsit. Angelis autem non est conformis secundum unitatem speciei, neque secundum naturam divinam, neque secundum humanam. – Large tamen accipiendo dotes, etiam in angelis dotes ponuntur, secundum unionem quam habent cum Christo. (Ad 2m).

Art. V. – *Utrum convenienter ponantur tres animae dotes.*

RESP. AFF. – *Scil.*: visio, comprehensio et fruitio, inquantum sunt habitus quidam quibus anima immediate disponitur ad ipsam operationem beatitudinis, et quae respondent ad fidem, spem et charitatem.

R. EST: quia, ut dictum est (art. 2 hujus qu.) dos est aliquid animae inhaerens, per quod ordinatur ad operationem beatitudinis. Ad hanc autem operationem, quae est ipsa beatitudo, requiruntur substantia ipsa operationis, quae est visio, et perfectio ejus, quae est delectatio. Visio autem aliqua est delectabilis dupliciter: uno modo ex parte objecti, inquantum id quod videtur, est delectabile; alio modo ex parte visionis, inquantum ipsum videre delectabile est. Et quia operatio illa in qua ultima beatitudo consistit, debet esse perfectissima, ideo requiritur quod visio illa sit utroque modo delectabilis. Ad hoc autem quod visio illa sit delectabilis ex parte visionis, requiritur quod sit facta connaturalis videnti per aliquem habitum, qui visionem eliciat; et sic est una dos quae dicitur ab omnibus *visio*. Sed ex parte visibilis requiruntur duo; scilicet convenientia, quae est per affectum; et quantum ad hoc ponitur dilectio (*comprehensiva*); et requiritur conjunctio, secundum quam ponitur *fruitio*.

NOTANDUM: Fruitio (vel, secundum alios, dilectio) respondet spei, inquantum includit comprehensionem, quae spei succedet; quod enim speratur, nondum habetur; et ideo spes quodammodo affligit propter distantiam amati; et propter hoc in patria non remanebit, sed succedet ei comprehensio. (Ad 2m).

QUAESTIO XCVI

De aureolis

Consequenter considerandum est aureolis. — Circa quod quaeruntur tredecim:

Art. I. — *Utrum aureola sit aliud a praemio essentiali, quod aurea dicitur.*

RESP. AFF. — R. EST: quia *aureola* est praemium accidentale quod superadditur *aureae* seu *coro-*

nae; nam *aureola*, de qua loquimur, nihil aliud est quam quoddam gaudium beatorum de operibus a se factis, quae habent rationem victoriae excellentis; quod est aliud gaudium ab eo quo de conjunctione ad Deum quis gaudet, in qua praemium essenziale consistit, quod autem gaudium *aurea* dicitur. – *Aureolae* autem pertinent ad bene esse beatitudinis, et ad decentiam quamdam ipsius. (Ad 1m).

NOTANDUM: Praemium essenziale, quod est fruitio Dei perfecte visi et amati, metaphorice *corona* dicitur, vel *aurea*, tum ex parte meriti, quod cum quadam pugna agitur; *militia* enim est *vita hominis super terram* (Job. vii, 1), tum etiam ex parte praemii, per quod homo efficitur quodammodo particeps Divinitatis, et per consequens regiae potestatis, Apoc. v, 10: *Fecisti nos Deo nostro regnum*, etc. Corona autem est proprium signum regiae potestatis. (In corp. art.).

Art. II. – *Utrum aureola differat a fructu.*

RESP. AFF. – *Scil.*: sumendo *fructum* hic non solum pro eo quod reficit, sicut dicitur de fructu virtutum, vel pro eo quod ultimo expectatur ex labore, sed pro eo quod reficit, quasi ultimus finis, et quod ex semine exurgit quasi fructus verbi Dei. secundum illud Matth. xii, ubi Dominus fructum dividit in tricesimum, sexagesimum et centesimum.

R. EST: quia *aurea* consistit in gaudio quod habetur de Deo; *aureola* vero in gaudio quod habetur de operum perfectione; sed *fructus* in gaudio quod habetur de ipsa dispositione operantis secundum gradum spiritualitatis, in quem proficit ex semine verbi Dei, et haec tria realiter differunt ab invicem.

Art. III. - *Utrum fructus debeatur soli virtuti continentiae.*

RESP. AFF. - *Scil.* : fructus, prout hic sumitur, id est, praemium quod debetur homini ex dispositione qua a carnali vita in spiritualem transit.

R. EST: quia virtus continentiae est quae praecipue hominem a subiectione carnis liberat.

Art. IV. - *Utrum convenienter assignentur tres fructus tribus continentiae partibus.*

RESP. AFF. - R. EST: quia diversi fructus distinguuntur secundum diversum modum spiritualitatis, quem continentia, carnalitate abjecta, facit. Haec autem carnalitas abjicitur primo per continentiam conjugalem, quae est necessaria ne rectitudo spiritus ex delectatione carnis pervertatur, et huic respondet fructus tricesimus; secundo per continentiam vidualem, qua homo a delectationibus carnis spiritum suffocantibus omnino se abstahit, tempore viduitatis, et huic respondet fructus sexagesimus; tertio per continentiam virginalem, per quam homo quolibet tempore, praeterito, praesenti et futuro a delectationibus venereis se abstrahit, et huic fructus centesimus respondet.

NOTANDUM: Distinctio fructuum magis accipitur secundum species et figuras numerorum (de quibus in textu), quam secundum quantitas ipsorum. - Tamen etiam quantum ad quantitatis excessum, potest aliqua ratio assignari. Conjugatus enim abstinet tantum a non sua, vidua vero a suo et non suo; et sic invenitur ibi quaedam ratio dupli: centenarius vero supra sexagenarium addit quadragenarium, qui consurgit ex ductu quaternarii in denarium; quaternarius autem est primus numerus solidus, et cubicus: et sic convenit talis additio virginitati, quae supra perfectionem viduitatis perpetuam incorruptionem adjungit. (Ad 3m).

Art. V. – *Utrum aureola debeat ratione virginitatis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia ubi est praecellens ratio victoriae, ibi debetur aliqua specialis corona. Unde cum per virginitatem aliquis singularem quamdam victoriam obtineat de carne, contra quam continue bellum geritur, ut patet Galat. v, 17: *Spiritus concupiscit adversus carnem*, etc., virginitati specialis corona debetur, quae *aureola* nominatur.

NOTANDUM: Illis tantum virginibus aureola proprie debetur, quae propositum habuerunt virginitatem perpetuo conservandi, sive hoc propositum voto firmaverint, sive non: et hoc dico, secundum quod aureola proprie accipitur ut praemium quoddam merito redditum, quamvis hoc propositum aliquando fuerit interruptum, integritate carnis manente, dummodo in fine vitae inveniat, quia virginitas mentis reparari potest, quamvis non virginitas carnis (In corp. art.).

Art. VI. – *Utrum martyribus aureola debeat.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sicut perfectissimae victoriae, qua de concupiscentiis carnis triumphatur, scilicet virginitati, debetur specialis corona quae aureola dicitur, ita etiam perfectissimae victoriae, i. e., martyrio propter Christum suscepto, quae habetur de impugnatione exteriori, debetur aureola.

Art. VII. – *Utrum doctoribus aureola debeat.**

RESP. AFF. – R. EST: quia sicut per martyrium et virginitatem aliquis perfectissimam victoriam obtinet de carne et mundo, ita etiam perfectissima victoria contra diabolum obtinetur,

(*) Nomine doctorum hic intelliguntur illi qui verbo vel scripto doctrinam sanctam explicant, sive sint titulo doctores, sive pastores, sive praedicatores, sive scriptores.

quando aliquis non solo diabolo impugnanti non cedit, sed etiam expellit eum non solum a se, sed etiam ab aliis. Hoc autem fit per praedicationem et doctrinam. Et ideo praedicanti et doctrinae aureola debetur, sicut et virginitati et martyrio. Hinc (Dan. xii): *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates.*

Art. VIII. – *Utrum Christo aureola debeatur.*

RESP. NEG. – *Scil.* : quamvis Christo competat ratio aureae vel coronae, non tamen ei competit ratio aureolae.

R. EST: quia aureola ex hoc ipso quod diminutive dicitur, importat aliquid quod participative et nunquam secundum sui plenitudinem possidetur. In Christo autem invenitur principalis et plena victoriae ratio, per cujus victoriam omnes alii victores constituuntur, ut patet Joan. xvi, 33: *Confidite, ego vici mundum.*

Art. IX. – *Utrum angelis aureola debeatur.*

RESP. NEG. – *Scil.* : ratione qua hominibus aureola debetur, angeli non habent aureolam.

R. EST: quia ea quae in hominibus ad perfectionem meriti pertinent, angelis sunt connaturalia, vel etiam spectant ad communem statum eorum, aut etiam ad ipsum praemium essentiale.

Art. X. – *Utrum aureola etiam corpori debeatur.*

RESP. NEG. – *Scil.* : aureola principaliter est in mente, sed per quamdam etiam redundantiam refulget in corpore.

R. EST: quia gaudium de operibus illis quibus aureola debetur est in mente. Tamen sicut ex gaudio essentialis praemii, quod est aurea, redundat quidem decor in corpore, qui est gloria

corporis, ita ex gaudio aureolae resultat aliquis decor in corpore.

Art. XI. – *Utrum convenienter designentur tres aureolae, virginum, martyrum et praedicatorum.*

RESP. AFF. – R. EST: quia aureola est quoddam privilegiatum praemium privilegiatae victoriae respondens; et ideo secundum privilegiatas victorias in tribus pugnis, quae cuilibet homini imminet, tres aureolae sumuntur. Hae autem pugnae sunt contra carnem, et praecipue contra delectationes venereas, super quas potissimam victoriam obtinet virgo; contra mundum, ubi praecipua victoria est martyr; et contra diabolum, qui praecipue repellitur per doctrinam et praedicationem, quae sunt proprie doctoribus et praedicatoribus. – Alii tamen alias rationes exponunt, prout tres aureolae trium virium animae actibus respondent, scil. rationis, irascibilis et concupiscibilis; vel prout Christo nobilissime conformamur secundum quod fuit doctor, martyr et virgo.

Art. XII. – *Utrum aureola virginum sit potissima inter alias.*

RESP. NEG. – *Scil. : a)* ex parte pugnae et victoriae primum locum quodam modo et simpliciter tenet aureola martyrum, alio modo aureola virginum; *b)* ex parte illorum de quibus est pugna primum locum habet aureola doctorum.

R. PRIMI EST: quia ratio propria aureolae respicit pugnam et victoriam; difficultas autem pugnae quae attenditur ex parte ipsius pugnae maxime est in martyrio, quia fortior est et vehementius affligens: pugna autem carnis est periculosior, inquantum est diuturnior et magis nobis imminet a vicino,

R. SECUNDI EST: quia pugna doctorum versatur circa bona intelligibilia; aliae vero pugnae circa sensibiles passiones. - Sed eminentia quae ex parte pugnae attenditur est aureolae essentialior.

Art. XIII. - *Utrum unus alio aureolam excellentius habeat.*

RESP. AFF. - R. EST: quia cum meritum sit quodammodo praemii causa, oportet praemia diversificari, secundum quod merita diversificantur. Meritum autem aureolae potest esse majus et minus. Unde et aureola potest esse major et minor. Sciendum tamen quod intensiori meriti quae attenditur penes radicem seu charitatem, non respondet intensio aureolae, sed intensio aureae; intensiori vero meriti quae est ex genere actus, respondet intensio aureolae. Unde potest esse quod aliquis qui minus in martyrio meretur, quantum ad essentialia praemium, habeat pro martyrio majorem aureolam.

QUAESTIO XCVII

De poena damnatorum

Consequenter considerandum est de pertinentibus ad damnatos post iudicium; et primo de poena damnatorum, et igne quo eorum corpora cruciabantur; secundo de his quae pertinent, ad eorum affectum et intellectum; tertio de iustitia et misericordia Dei respectu damnatorum. Circa primum quaeruntur septem:

Art. I. - *Utrum damnati in inferno sola poena ignis affligantur.*

RESP. NEG. - R. EST: quia iustitiae divinae competit, ut peccatores sicut ab uno recedentes per peccatum, in rebus materialibus, quae sunt

multae et variae, finem suum constituerunt; ita etiam multipliciter et ex multis affligantur. Tamen, quia ignis est maxime afflictivus, propter hoc quod abundat in virtute activa, ideo nomine ignis omnis afflictio designatur, si sit vehemens. (Ad 1m). – In purgatorio autem afflictio fit per solum ignem, quia poena purgatorii non est principaliter ad affligendum, sed ad purgandum. (Ad 2m).

Art. II. – *Utrum vermis damnatorum sit corporalis.*

RESP. NEG. – R. EST: quia post diem iudicii in mundo innovato non remanebit aliquod animal, vel aliquod corpus mixtum (nisi corpus hominis tantum), eo quod non habeat aliquem ordinem ad incorruptionem. Unde vermis qui in damnatis ponitur, non debet intelligi esse corporalis, sed spiritualis, qui est conscientiae remorsus, qui dicitur vermis, inquantum oritur ex putredine peccati, et animam affligit, sicut corporalis vermis ex putredine ortus affligit pungendo.

Art. III. – *Utrum fletus qui erit in damnatis, sit corporalis.*

RESP. NEG. – *Scil. :* a) fletus corporalis secundum quod importat resolutionem lacrymarum in damnatis esse non poterit; b) poterit tamen esse secundum commotionem et turbationem capitis et oculorum.

R. PRIMI EST: quia post diem iudicii, quiescente motu primi mobilis, non erit aliqua generatio vel corruptio, vel corporalis atteratio.

R. SECUNDI EST: quia corpora damnatorum non solum ab exteriori affligentur, sed etiam ab interiori, secundum quod corpus immutatur ad passionem animae in bonum vel malum. Et quan-

tum ad hoc fletus respondet delectationi culpae, quae fuit in anima et in corpore.

Art. IV. – *Utrum damnati sint in tenebris corporalibus.*

RESP. AFF. – *Scil.* : simpliciter loquendo locus damnatorum est tenebrosus. Sed tamen ex divina dispensatione est ibi aliquid luminis, quantum sufficit ad videndum illa quae animam torquere possunt.

R. EST: quia in inferno hoc modo debet esse locus dispositus ad videndum secundum lucem et tenebras, ut nihil ibi perspicue videatur; sed solummodo sub quadam umbrositate videantur ea quae afflictionem cordi ingerere possunt; dispositio enim inferni erit talis, quod maxime miseriae damnatorum competat.

Art. V. – *Utrum ignis inferni erit corporalis.*

RESP. AFF. – R. EST: quia quicquid dicatur de igne qui animas separatas cruciat, de igne tamen quo cruciabuntur corpora damnatorum post resurrectionem oportet dicere quod sit corporeus, quia corpori non potest convenienter adaptari poena, nisi sit corporea.

NOTANDUM: Quia ignis ille erit instrumentum divinae justitiae punientis, ideo secundum modum peccati ejus actio modificatur ex ordine divinae justitiae; sicut etiam ignis fornacis modificatur ex industria fabri in sua actione, secundum quod competit ad effectum artis. (Ad 3m).

Art. VI. – *Utrum ignis inferni sit ejusdem speciei cum igne nostro.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sicut corpora damnatorum erunt ejusdem speciei cujus modo sunt, ita et ignis quo torquentur damnati in inferno

ejusdem speciei erit cum igne qui apud nos est, licet quasdam proprietates diversas habeat. Nam succensione non indigebit, nec lignis nutrietur; est enim a Deo succensus. Unde erit ejusdem naturae sicut ignis mundi hujus, sed poterit esse alterius materiae. – Et quamvis ignis inferni non luceat, non est sufficiens argumentum ad hoc quod non sit ejusdem speciei; lucere enim non convenit igni secundum quemlibet modum existendi, quia in propria materia existens non lucet. (Ad 4m).

Art. VII. – *Utrum ignis inferni sit sub terra.*

RESP. AFF. – *Scil.*: etsi nullus nisi a Spiritu sancto edoctus, ubi infernus constitutus sit, certo cognoscat: tamen ex ipso nomine inferni et rationibus congruentiae convenienter creditur infernum sub terra esse.

PRIMA R. EST: quia si infernum dicimus, quia inferius jacet, quod terra ad caelum est, hoc esse infernus debet ad terram. Unde Apoc. v, 3, dicitur: *Nemo poterat neque in caelo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum.*

SECUNDA R. EST: quia cum animae damnatae amore carnis peccavissent, conveniens est ut eis exhibeatur quod carni mortuae exhiberi solet, ut scil. sub terra recondantur.

TERTIA R. EST: quia sicut conveniens locus gaudio electorum est caelum empyreum, ita conveniens locus tristitiae damnatorum est infimum terrae: sicut enim laetitia importat levitas spiritus, ita tristitiam gravitatem. – Unde non est inconveniens contra viscera terrae tanta concavitas conservetur divina virtute, quae damnatorum omnium corpora possit capere. (Ad 3m).

QUAESTIO XCVIII

De voluntate et intellectu damnatorum

Consequenter considerandum est de pertinentibus ad affectum et intellectum damnatorum. – Circa quod quaeruntur novem:

Art. I. – *Utrum omnis voluntas damnatorum sit mala.*

RESP. AFF. – *Scil.* : a) voluntas naturalis etiam in damnatis est bona; b) sed omnis voluntas deliberativa damnatorum est mala.

R. PRIMI EST: quia voluntas naturalis non est ex eis ipsis, sed ex auctore naturae, et secundum hoc inclinatio naturalis, quae voluntas dicitur poterit etiam in damnatis esse bona.

R. SECUNDI EST: quia nulla voluntas potest esse bona nisi per ordinem ad finem ultimum rectae voluntatis: damnati autem perfecte aversi sunt ab hoc fine. Et ideo voluntas deliberativa in eis est solum mala. Unde etiam si aliquod bonum velint, non tamen bene volunt illud, ut ex hoc voluntas eorum bona dici possit.

Art. II. – *Utrum damnati poeniteant de malo quod fecerunt.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non per se quidem poenitent de peccatis, sed per accidens.

R. EST: quia non poenitent de peccato in quantum peccatum est, quia voluntas malitiae peccati in eis remanet; poenitent autem per accidens, id est, ratione alicujus adjuncti, in quantum affliguntur de poena quam pro peccato sustinent.

Art. III. – *Utrum damnati recta et deliberativa ratione vellent non esse.*

RESP. NEG. – *Scil.* : damnati nequeunt velle *non esse* secundum se, sed possunt velle *non esse* secundum quod esset miseriae terminativum.

R. EST: quia *non esse* secundum se nullo modo est appetibile, cum non habeat aliquam rationem boni; sed in quantum est ablativum poenalis vitae, seu miseriae, accipit rationem boni. Unde Matt. xxvi, 24 dicitur: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.*

Art. IV. – *Utrum damnati in inferno vellent alios esse damnatos qui non sunt damnati.*

RESP. AFF. – *Scil.* : vellent omnes bonos esse damnatos.

R. EST: quia sicut in beatis in patria erit perfectissima charitas, ita in damnatis erit perfectissimum odium. Unde sicut sancti gaudebunt de omnibus bonis, ita et impii de omnibus bonis dolebunt. Unde et felicitas sanctorum ab eis considerata maxime eos affligit.

NOTANDUM: Damnati minus invidebunt propinquis quam aliis, et major esset eorum poena, si omnes propinqui damnarentur, et alii salvarentur, quam si aliqui de suis propinquis salvarentur. Et exinde fuit (Luc. xvi) quod dives petiit fratres suos a damnatione eripi. Sciebat enim quod aliqui eriperentur; maluisset tamen fratres suos cum omnibus aliis damnari. (Ad 1m); tantum enim superexcreverunt odium et invidia, quod magis eligent torqueri magis cum multis quam minus soli (Ad 3m).

Art. V. – *Utrum damnati odium habeant Deum.*

RESP. AFF. – *Scil.* : non prout est in se, sed ratione effectuum ejus in damnatos.

R. EST: quia Deus prout est in se est summa bonitas, et secundum hoc non potest alicui volun-

tati displicere; sed damnati percipientes Deum in effectu justitiae, qui est poena, eum odio habent, sicut et poenas quas sustinent.

Art. VI. – *Utrum damnati demereantur.*

RESP. NEG. – *Scil.*: post diem iudicii nullum erit meritum vel demeritum.

R. EST: quia post diem iudicii erit ultima consummatio bonorum et malorum, ita quod nihil erit ulterius addendum de bono vel de malo. Sed ante diem iudicii tum meritum beatorum, tum poena damnatorum, quantum ad praemium accidentale vel ad poenam accidentalem, augeri potest.*

Art. VII. – *Utrum damnati possint uti notitia quam in hoc mundo habuerunt.*

RESP. AFF. – R. EST: quia nihil quod ad tristitiam possit pertinere, deerit damnatis, ut sit eorum miseria consummata. Unde tristitia eorum erit et ex parte cognoscibilium, et ex parte ipsius cognitionis, prout damnati considerabunt et mala quae gesserunt, ex quibus damnati sunt, et bona delectabilia quae amiserunt, et ex utroque torquebuntur; similiter etiam considerabunt notitiam quam de rebus speculabilibus habuerunt, imperfectam esse, et se amisisse summam ejus perfectionem, quam poterant adipisci.

Art. VIII. – *Utrum damnati aliquando cogitabunt de Deo.*

RESP. NEG. – *Scil.*: non cogitabunt de Deo secundum se, sed per accidens.

(*) Hanc sententiam, saltem tacite, retractavit B. Thomas; postea enim docuit neque beatos, neque damnatos quidquam mereri post mortem. Cfr. P. I., q. lxii, a. 9 ad 3, et II-II, q. xiii, art. 4 ad 2m. – Etiam in hoc art. rationem propriam, quoad secundam partem, non assignat.

R. EST: quia nullo modo cogitari potest de Deo secundum se, id est, secundum id quod est ei proprium, scilicet esse totius bonitatis principium, sine delectatione; unde sic nullo modo a damnatis cogitabitur: cogitabitur autem in effectibus ejus, utpote punire, vel aliquid hujusmodi; et secundum hoc consideratio de Deo tristitiam inducit.

Art. IX. – *Utrum damnati gloriam beatorum videant.*

RESP. AFF. – *Scil.:* in iudicio vel ante iudicium, et quidem non clare; non autem post iudicium.

R. EST: quia ex hoc turbabuntur tum propter invidiam dolentes de felicitate eorum, tum propter hoc quod ipsi talem gloriam amiserunt. Unde dicitur Sap. v, 2 de impiis: *Videntes turbabuntur timore horribili.* Sed post diem iudicii omnino beatorum visione privabuntur; nec tamen ex hoc eorum poena minuetur, sed augebitur, quia memoriam habebunt gloriae beatorum, quam in iudicio viderunt, vel ante iudicium; et hoc erit eis in tormentum; sed ulterius affligentur in hoc quod videbunt se indignos reputari etiam videre gloriam quam sancti merentur habere.

QUAESTIO XCIX

De misericordia et justitia Dei respectu damnatorum

Deinde considerandum est de misericordia et justitia Dei respectu damnatorum. – Circa quod quaeruntur quinque:

Art. I. – *Utrum ex divina justitia inferatur poena aeterna peccatoribus.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sicut secundum iustitiam humanam est quod quandoque ille qui

peccat in aliqua civitate, ex ipso peccato efficitur dignus ut totaliter a civium consortio repellatur vel per exilium perpetuum, vel etiam per mortem, ita etiam secundum divinam justitiam aliquis ex peccato redditur dignus penitus a civitatis Dei consortio separari; quod fit per omne peccatum quo contra charitatem (graviter) peccat, quae est vinculum civitatem praedictam uniens.

NOTANDA: 1. Inveniuntur etiam et aliae rationes a sanctis assignatae, quare juste pro peccato temporali aliqui poena perpetua puniantur. Una est, quia peccaverunt contra bonum aeternum, dum contempserunt aeternam vitam (S. Aug., De civ. Dei. lib. xxi, cap. 11). Alia ratio est, quia homo in suo aeterno peccavit. Qui enim in peccatum mortale labitur propria voluntate, se ponit in statu a quo erui non potest, nisi divinitus adjutus: undè ex hoc ipso quod vult peccare, consequenter in peccato vult manere perpetuo. Sicut si aliquis se in foveam projiceret, unde exire non posset nisi adjutus, posset dici quod in aeternum ibi manere voluerit, quantumcumque aliud cogitaret. Vel potest dici, et melius, quod ex hoc ipso quod mortaliter peccat, finem suum in creatura constituit, et vellet perpetuo in peccato manere, si hoc sibi esset impune (S. Greg. Moral. lib. xxxiv, c. 16). Potest et alia ratio assignari, quia contra Deum, qui est infinitus, peccatur. Unde cum non possit esse infinita poena per intensionem, quia creatura non est capax alicujus qualitatis infinitae, requiritur quod sit saltem duratione infinita. (In corp. art.).

2. Quamvis ex hoc quod aliquis peccat contra Deum, qui est auctor essendi, mereatur ipsum esse amittere; considerata tamen ipsius actus inordinatione, non debetur ei amissio esse, quia esse praesupponitur ad meritum et demeritum; nec per inordinationem peccati esse tollitur vel corrumpitur; et ideo non potest esse debita poena alicujus culpae privatio ipsius esse. (Ad 6m).

Art. II. – *Utrum per divinam misericordiam omnis poena damnatorum terminetur tam hominum quam daemonum.*

RESP. NEG. – PRIMA R. EST: quia sententia contraria, quae fuit Origenis, ut ex Augustino (De civ. Dei, lib. xxi, c. 17) patet, auctoritati Scripturae repugnat, quae habetur Apoc. xx, 9: *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestiae et pseudo prophetae cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum*, per quod in Scriptura significari aeternitas consuevit.

SECUNDA R. EST: quia sententia contraria ex una parte nimis Dei misericordia extendebat, et ex alia parte nimis eam coarctabat. Eiusdem enim rationis esse videtur bonos angelos in aeterna beatitudine permanere et malos angelos in aeternum puniri. Unde sicut ponebat daemones et animas damnatorum quandoque a poena liberandas; ita ponebat angelos et animas beatorum quandoque a beatitudine in hujus vitae miseria devolvendas.

NOTANDUM: Deus quantum in ipso est, miseretur omnibus. Sed quia ejus misericordia sapientiae ordine regulatur, inde est quod ad quosdam non se extendit, qui se misericordiae fecerunt indignos, sicut daemones et damnati qui sunt in malitia obstinati. (Ad 1m).

Art. III. – *Utrum divina misericordia patiatur saltem homines in aeternum puniri.*

RESP. AFF. – R. EST: quia sicut daemones sunt in malitia obstinati, et ita perpetuo puniendi, ita et hominum animae qui sine charitate decedunt. – Unde cum damnatorum merita mutari non possunt, comminatio poenae semper in eis impletur. (Ad 3m).

Art. IV. – *Utrum poena christianorum damnatorum per divinam misericordiam terminetur.*

RESP. NEG. – R. EST: quia non omnes finaliter in fide persistentes a poena aeterna erunt immunes, nisi et ab aliis criminibus inveniantur finaliter absoluti. Dicit enim Dominus (Matth. vii, 21): *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est; et in multis aliis locis sacra Scriptura peccantibus aeternas poenas comminatur.*

Art. V. – *Utrum omnes illi qui operantur misericordiae opera, punientur aeternaliter.*

RESP. NEG. – *Scil.:* illi punientur aeternaliter qui in peccato mortali, id est, sine charitate, decedunt.

R. EST: quia sine charitate non potest aliquid Deo esse acceptum, nec sine ea prodest aliquid ad vitam aeternam, ut patet I. Corinth. xiii. Et ideo soli poenitentes per opera misericordiae veniam penitus liberantem consequentur a Domino, *qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.*

APPENDIX

QUAESTIO I (Apud Nicolajum LXXI).

De qualitate animarum quae cum originali peccato solo ex hac vita decedunt

Deinde considerandum est in particulari de diversis qualitatibus animarum a corporibus exutarum juxta diversum statum eorundem: et primo quidem de animabus quae cum sola originali culpa ex hac vita decedunt. – Circa quod quaeruntur duo:

Art. I. – *Utrum animae cum sola originali culpa decedentes a corporeo igne patiantur, vel affligantur poena ignis.*

RESP. NEG. – R. EST: quia defectus qui per originem traducitur, rationem culpae habens, non est per subtractionem vel corruptionem alicujus boni quod naturam humanam consequitur ex principiis suis, sed per subtractionem vel corruptionem alicujus quod naturae superadditum erat. Et ideo nulla alia poena ei debetur, nisi privatio illius finis ad quem donum subtractum ordinabat. Hoc autem est divina visio: et ideo carentia hujus visionis est propria et sola poena originalis peccati post mortem; poena enim debet esse proportionata culpae.

NOTANDUM: Dolor sensibilis respondet delectationi sensibili, quae est in conversione actualis peccati; concupiscentia autem habitualis, quae est in originali peccato, delectationem non habet; et ideo dolor sensibilis non respondet ei pro poena. (Ad 4m).

Art. II. – *Utrum ejusmodi animae patiantur afflictionem spiritualem propter statum in quo sunt.*

RESP. NEG. – R. EST: quia ex hoc quod aliquis caret eo quod suam proportionem excedit,

non affligitur, si sit rectae rationis; sicut nullus sapiens homo affligitur de hoc quod non potest volare sicut avis, vel quod non est rex, vel imperator, cum ei non sit debitum. Pueri autem nunquam fuere proportionati ad hoc quod vitam aeternam haberent, quia nec eis debebatur ex principiis naturae, cum omnem facultatem naturae excedat, nec actus proprios habere potuerunt, quibus tantum bonum consequerentur. Et ideo nihil omnino dolebunt de carentia visionis divinae; imo magis gaudebunt de hoc quod participabunt multum de divina bonitate et perfectionibus naturalibus. – Unde quamvis pueri non baptizati sint separati a Deo quantum ad illam conjunctionem quae est per gloriam, non tamen ab eo penitus sunt separati, imo ei conjunguntur per participationem naturalium honorum: et ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione et dilectatione. (Ad 5m).

QUAESTIO II (Apud Nicolajum LXXII)

De qualitate animarum quae in purgatorio propter peccatum actuale, vel ejus poenam, expiantur

Deinde considerandum est de animabus quae post hanc vitam propter actualium peccatorum poenam igne purgatorio expiantur. – Circa quod quaeruntur sex:

Art. I. – *Utrum poena purgatorii excedat poenam temporalem hujus vitae.*

RESP. AFF. – *Scil.:* poena purgatorii minima tum damni, tum sensus, excedit maximam poenam hujus vitae.

R. EST: quia affectus quo desideratur summum bonum post hanc vitam, in animabus sanctis

est intensissimus, quia non retardatur affectus mole corporis, et etiam quia terminus fruendi summo bono jam advenisset, nisi aliquid impediret; ideo de retardatione maxime dolent. Similiter etiam cum dolor non sit laesio, sed laesionis sensus, tanto aliquid magis dolet de aliquo laesivo, quanto magis est sensitivum. Unde laesiones quae fiunt in locis maxime sensibilibus, sunt maximum dolores causantes. Et quia totus sensus corporis est ab anima, ideo si in ipsam animam aliquid laesivum agat, de necessitate oportet quod maxime affligatur.

NOTANDUM: Quod sit ignis poena purgatorii, hoc patet ex auctoritate Patrum, cum Graecorum tum Latinorum. Inter Latinos enim Augustinus (In Psal. xxxvii): « In hac vita me purges, et talem reddas cui emendatorio igne non sit opus ». - (Item, Homiliarum lib. 1, hom. xvi; et De Genesi contra Manich. lib. ii, c. 20). - Ambrosius (In Psal. cxviii, conc. 3): « Hic (seu in praesenti vita) purgatus necesse habet illic purificari (scil. post hanc vitam) ut unusquisque nostrum ustus romphaea illa flamma, non exustus, introgressus in illam paradisi amenitatem gratias agat Deo », etc. Hieronymus etiam peccatorum Christianorum opera « igne probanda et purganda », in Isaiam significat, purgatorium insinuans, quod in aeternum cruciandis opponit. Similiter et Gregorius (Dial. lib. ii, c. 20): « De levibus quibusdam culpis esse ante iudicium purgatorius ignis credendus est ». - Inter Graecos Basilus (In Isa. cap. 9) peccatum quod in confessione detectum est, arefacto comparat feno, et tale ait esse « quod facile devoret purgatorius ignis ». Gregorius Nyssenus (vel ejus frater, in Orat. pro mortuis): « Post egressum a corpore nemo particeps Divinitatis fieri potest, nisi maculas ejus purgatorius ignis abstulerit ». Similiter Gregorius Nazianzenus (Orat. de Baptis. seu in sancta lumina); Eusebius Emyssenus (ut vult Bellarminus, juxta Perronium Eucherius, hom. iii Epiphaniae). Hinc iidem fere omnes Patres locum illum Luc. iii: *Baptizabit vos in Spiritu sancto et igni*, et illum I. Cor. iii: *Salvus erit quasi per ignem*, sic explicant, ut,

praeter quasdam quas adjiciunt interpretationes, «ignem purgatorii» utrobque significari velint. (Nota post art. vi, hujus qu.).

Art. II. – *Utrum illa poena sit voluntaria.*

RESP. NEG. – *Scil.* : non est voluntaria absolute, sed conditionate.

R. EST: quia absolute nulla poena est voluntaria; nam ratio poenae ex hoc est quod voluntati contrariatur. Animae autem quae sunt in purgatorio sciunt quod sine poena ad beatitudinem pervenire non possunt. Et ideo non assumunt poenam, nec vellent ab ea liberari; sed eam supportant; et quantum ad hoc voluntaria dicitur.

Art. III. – *Utrum animae in purgatorio per daemones puniantur.*

RESP. NEG. – R. EST: quia injustum est ut qui de aliquo triumphavit, ei subjiciatur post triumphum. Illi autem qui sunt in purgatorio, de daemonibus triumphaverunt, sine peccato mortali decedentes. Ideo non subjicientur eis puniendi per eos; sed sola divina justitia purgantur. Tamen possibile est quod angeli boni eos ad loca poenarum deducant: et etiam ipsi daemones, qui de poenis hominum laetantur, eos comitantur, et assistunt purgandis, tum ut eorum poenis satientur, tum ut in eorum exitu a corpore aliquid suum ibi reperiant.

Art. IV. – *Utrum per poenam purgatorii expietur peccatum veniale quoad culpam.*

RESP. AFF. – *Scil.* : culpa venialis in eo qui cum gratia decedit, post hanc vitam dimittitur per ignem purgatorium.

R. EST: quia poena illa aequaliter voluntaria, virtute gratiae habebit vim expiandi culpam

omnem, quae simul cum gratia stare potest.*

NOTANDUM: Eo quod culpa venialis in purgatorio remitti potest, non sequitur quod anima in purgatorio possit peccare venialiter, quia peccatum veniale contingit ex corruptione fcmitis, qui in anima separata in purgatorio existente non erit, et ideo non poterit peccare venialiter. Sed remissio culpa venialis est ex voluntate gratia informata, quae in purgatorio erit in anima separata. Et ideo non est simile (Ad 2m).

Art. V. - Utrum ignis purgatorius liberet a reatu poenae.

RESP. AFF. - R. EST: quia reatus nihil est aliud quam debitum poenae; et ideo per hoc quod aliquis poenam sustinet quam debebat, a reatu absolvitur; et secundum hoc poena purgatorii a reatu purgat.

Art. VI. - Utrum ab illa poena unus liberetur alio citius.

RESP. AFF. - Scil. : quidam in purgatorio diutius quam alii torquentur, secundum quod affectus eorum ad venialia fuit magis immersus.

R. EST: quia ea quae sunt majoris adhaerentiae, tardius purgantur.

ARTICULI DUO

De purgatorio

(Ex editione Patav. an. 1712).

Art. I. - Utrum purgatorium sit post hanc vitam.

RESP. AFF. - Scil. : etiam ratione satis constare potest, purgatorium esse post hanc vitam.

(*) In opusculo *De malo*, qu. vii, art. 2 ad 9m et 17, S. Doctor sic retractat quod in Sent. iv scripserat: Culpa non remittitur per poenam, sed remittitur in purg. veniale, quantum ad culpam virtute gratiae, non solum secundum quod est in habitu, sed prout exit in actum charitatis, detestantis veniale peccatum.

R. EST: quia si per contritionem, deleta culpa, non tollitur ex toto reatus poenae, nec etiam tolluntur semper venialia, dimissis mortalibus, et justitia hoc exigit ut peccatum per poenam debitam ordinetur, oportet quod ille qui post contritionem de peccato et absolutionem decedit, ante satisfactionem debitam, post hanc vitam puniatur. Et ideo illi qui purgatorium negant, contra divinam justitiam loquuntur.

Art. II. – *Utrum sit idem locus quo animae purgantur, et quo damnati puniuntur.*

RESP. AFF. – *Scil. :* lege ordinaria locus in quo animae purgantur est conjunctus ei in quo damnati puniuntur.

R. EST: quia *secundum legem communem* seu ordinariam locus purgatorii est locus inferior, inferno conjunctus; ita quod idem sit ignis qui damnatos cruciat in inferno, et qui justos in purgatorio purgat, quamvis damnati, secundi quod sunt inferiores merito, et loco inferiores ordinandi sint. Alius autem est locus purgatorii *secundum dispensationem*; et sic quandoque in diversis locis aliqui puniti leguntur, vel ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum subventionem, ut viventibus eorum poena innotescens per suffragia Ecclesiae mitigaretur.

Et sic terminatur hodie, die 6 Julii 1947, hoc opus, die 1 octobris 1940 inceptum, cum Deo et B. M. V. et B. Thomae animo gratissimo, et cum spe ut per ipsum homines in lucem et ad vitam adjuvari possint. Amen.

INDEX

	Pag.
Prologus	1
Quaestio I. – De convenientia incarnationis	» 1
Quaestio II. – De modo unionis Verbi incarnati	» 7
Quaestio III. – De modo unionis ex parte personae assumptae	» 17
Quaestio IV. – De modo unionis ex parte naturae humanae assumptae	21
Quaestio V. – De modo unionis ex parte partium humanae naturae	24
Quaestio VI. – De modo assumptionis quantum ad ordinem	» 27
Quaestio VII. – De gratia Christi prout est quidam singularis homo	30
Quaestio VIII. – De gratia Christi, secundum quod est caput Ecclesiae	» 38
Quaestio IX. – De scientia Christi in communi	» 44
Quaestio X. – De scientia beata animae Christi	» 47
Quaestio XI. – De scientia indita vel infusa animae Christi	» 49
Quaestio XII. – De scientiae animae Christi acquisita	» 52
Quaestio XIII. – De potentia animae Christi	» 55
Quaestio XIV. – De defectibus corporis assumptis a Filio Dei	» 57
Quaestio XV. – De defectibus animae a Christo assumptis	» 61
Quaestio XVI. – De consequentibus unionem, quantum ad ea quae conveniunt Christo secundum esse et fieri – Seu de communicatione idiomatum, sive de modo loquendi de mysterio incarnationis	» 65
Quaestio XVII. – De pertinentibus ad unitatem in Christo quantum ad esse	» 72
Quaestio XVIII. – De pertinentibus ad unitatem in Christo quantum ad voluntatem	» 73
Quaestio XIX. – De pertinentibus ad unitatem Christi quantum ad operationem	» 77
Quaestio XX. – De convenientibus Christi secundum quod Patri fuit subjectus	» 80
Quaestio XXI. – De oratione Christi	» 82
Quaestio XXII. – De sacerdotio Christi	» 84

Quaestio XXIII. – De adoptione Christi	Pag. 88
Quaestio XXIV. – De praedestinatione Christi	» 90
Quaestio XXV. – De adoratione Christi	» 93
Quaestio XXVI. – De eo quod Christus mediator Dei et hominum dicitur	96
Quaestio XXVII. – De B. Virginis Mariae sanctifica- tione	» 98
Quaestio XXVIII. – De virginitate B. Mariae	» 106
Quaestio XXIX. – De Matris Dei desponsatione	» 110
Quaestio XXX. – De B. Mariae Virginis annuntiatione	» 112
Quaestio XXXI. – De conceptione Salvatoris	» 114
Quaestio XXXII. – De conceptione Christi quoad ac- tivum principium	120
Quaestio XXXIII. – De modo et ordine conceptionis Christi	» 123
Quaestio XXXIV. – De perfectione prolis conceptae	» 125
Quaestio XXXV. – De nativitate Christi	» 127
Quaestio XXXVI. – De manifestatione Christi nati	» 131
Quaestio XXXVII. – De legalibus circa puerum Je- sum observatis	» 135
Quaestio XXXVIII. – De baptismo Joannis	» 138
Quaestio XXXIX. – De baptizatione Christi	» 140
Quaestio XL. – De modo conversationis Christi	» 145
Quaestio XLI. – De tentatione Christi	» 148
Quaestio XLII. – De doctrina Christi	» 150
Quaestio XLIII. – De miraculis a Christo factis	» 153
Quaestio XLIV. – De singulis miraculorum speciebus	» 155
Quaestio XLV. – De transfiguratione Christi	» 157
Quaestio XLVI. – De passione Christi	» 159
Quaestio XLVII. – De causa efficiente passionis Chri- sti	» 168
Quaestio XLVIII. – De modo passionis Christi quan- tum ad effectum	» 173
Quaestio XLIX. – De effectibus passionis Christi	» 176
Quaestio L. – De morte Christi	» 180
Quaestio LI. – De sepultura Christi	» 184
Quaestio LII. – De descensu Christi ad inferos	» 185
Quaestio LIII. – De resurrectione Christi	» 189
Quaestio LIV. – De qualitate Christi resurgentis	» 192
Quaestio LV. – De manifestatione resurrectionis	» 194
Quaestio LVI. – De resurrectionis Christi causalitate	» 199
Quaestio LVII. – De ascensione Christi	» 200
Quaestio LVIII. – De sessione Christi ad dexteram Pa- tris	» 204
Quaestio LIX. – De judiciaria potestate Christi	» 206
Quaestio LX. – De sacramentis in communi	» 210
Quaestio LXI. – De necessitate sacramentorum	» 215

Quaestio LXII. – De principali effectu sacramentorum, qui est gratia	Pag. 218
Quaestio LXIII. – De effectu sacramentorum , qui est character	222
Quaestio LXIV. – De causa sacramentorum	226
Quaestio LXV. – De numero sacramentorum	233
Quaestio LXVI. – De pertinentibus ad sacramentum baptismi	» 237
Quaestio LXVII. – De ministris per quos traditur baptismi sacramentum	247
Quaestio LXVIII. – De suscipientibus baptismum	» 251
Quaestio LXIX. – De effectibus baptismi	» 258
Quaestio LXX. – De circumcissione quae praecessit baptismum	263
Quaestio LXXI. – De praeparatoriis quae simul concurrunt cum baptismo	266
Quaestio LXXII. – De sacramento confirmationis	269

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE

Quaestio LXXIII. – De Sacramento Eucharistiae secundum se	276
Quaestio LXXIV. De materia Eucharistiae quantum ad speciem	281
Quaestio LXXV. – De conversione panis et vini in corpus et sanguinem Christi	286
Quaestio LXXVI. – De modo quo Christus est in hoc sacramento	293
Quaestio LXXVII. – De accidentibus remanentibus in hoc sacramento	300
Quaestio LXXVIII. – De forma sacramenti Eucharistiae	306
Quaestio LXXIX. – De effectibus sacramenti Eucharistiae	311
Quaestio LXXX. – De usu, seu sumptione hujus sacramenti in commune	317
Quaestio LXXXI. – De modo quo Christi usus est hoc sacramento	» 326
Quaestio LXXXII. – De ministro hujus sacramenti	» 328
Quaestio LXXXIII. – De ritu hujus sacramenti	» 334
Quaestio LXXXIV. – De sacramento poenitentiae	» 338
Quaestio LXXXV. – De poenitentia secundum quod est virtus	» 344
Quaestio LXXXVI. – De effectu poenitentiae quoad mortalium peccatorum remissionem	» 348
Quaestio LXXXVII. – De remissione venialium peccatorum	» 352

Quaestio LXXXVIII. – De reditu peccatorum per poenitentiam dimissorum	Pag. 355
Quaestio LXXXIX. – De virtutum recuperatione per poenitentiam	» 358
Quaestio XC. – De partibus poenitentiae in generali	» 361

SUPPLEMENTUM

Quaestio I. – De partibus poenitentiae in speciali. Et primo de contritione	365
Quaestio II. – De objecto contritionis	367
Quaestio III. – De quantitate contritionis	369
Quaestio IV. – De tempore contritionis	371
Quaestio V. – De effectu contritionis	372
Quaestio VI. – De confessione quoad ejus necessitatem	» 374
Quaestio VII. – De confessionis quidditate	» 378
Quaestio VIII. – De ministro confessionis	» 379
Quaestio IX. – De qualitate confessionis	» 383
Quaestio X. – De effectu confessionis	» 386
Quaestio XI. – De sigillo confessionis	» 388
Quaestio XII. – De satisfactione quoad ejus quidditatem	391
Quaestio XIII. – De satisfactionis possibilitate	393
Quaestio XIV. – De qualitate satisfactionis	394
Quaestio XV. – De his per quae fit satisfactio	397
Quaestio XVI. – De suscipientibus sacramentum poenitentiae	398
Quaestio XVII. – De potestate clavium	400
Quaestio XVIII. – De effectu clavium	402
Quaestio XIX. – De ministris clavium	404
Quaestio XX. – De his in quos usus clavium exerceri potest	407
Quaestio XXI. – De excommunicationis definitione	408
Quaestio XXII. – De his qui possunt excommunicare et excommunicari	» 411
Quaestio XXIII. – De participatione eum excommunicatis	413
Quaestio XXIV. – De absolutione ab excommunicatione	415
Quaestio XXV. – De indulgentia	415
Quaestio XXVI. – De his qui possunt indulgentias facere	» 418
Quaestio XXVII. – De his quibus valent indulgentiae	» 419
Quaestio XXVIII. – De solemnibus ritibus poenitentiae	» 421
Quaestio XXIX. – De sacramento extremae unctionis quantum ad ipsius essentiam et institutionem	423

Quaestio XXX. – De effectu hujus sacramenti	Pag. 427
Quaestio XXXI. – De ministro hujus sacramenti	» 429
Quaestio XXXII. – Quibus hoc sacramentum conferri debeat et in qua parte corporis	» 430
Quaestio XXXIII. – De iteratione hujus sacramenti	» 433
Quaestio XXXIV. – De sacramento ordinis quoad ejus essentiam et ejus partes	» 434
Quaestio XXXV. – De effectu hujus sacramenti	» 437
Quaestio XXXVI. – De qualitate suscipientium hoc sacramentum	439
Quaestio XXXVII. – De distinctione ordinum, et eorum actibus, et characteris impressione	440
Quaestio XXXVIII. – De conferentibus hoc sacramentum	444
Quaestio XXXIX. – De impedimentis hujus sacramenti	446
Quaestio XL. – De his quae sunt annexa sacramento ordinis	448
Quaestio XLI. – De sacramento matrimonii in quantum est in officium naturae	451
Quaestio XLII. – De matrimonio, in quantum est sacramentum	454
Quaestio XLIII. – De matrimonio quantum ad sponsalia	» 456
Quaestio XLIV. – De matrimonii definitione	» 458
Quaestio XLV. – De consensu matrimonii secundum se	» 460
Quaestio XLVI. – De consensu cui advenit juramentum vel copula carnalis	» 462
Quaestio XLVII. – De consensu coacto et conditionato	» 463
Quaestio XLVIII. – De objecto consensus	» 466
Quaestio XLIX. – De bonis matrimonii	» 467
Quaestio L. – De impedimentis matrimonii in generali	» 471
Quaestio LI. – De impedimento erroris	» 472
Quaestio LII. – De impedimento conditionis servitutis	473
Quaestio LIII. – De impedimento voti et ordinis	475
Quaestio LIV. – De impedimento consanguinitatis	477
Quaestio LV. – De impedimento affinitatis	481
Quaestio LVI. – De impedimento cognationis spiritualis	485
Quaestio LVII. – De cognatione legali, quae est per adoptionem	487
Quaestio LVIII. – De impedimentis frigiditatis, maleficii, furiae vel amentiae, incestus et defectus aetatis	» 489
Quaestio LIX. – De disparitate cultus quae matrimonium impediatur	» 492

Quaestio LX. – De uxoricidio	Pag. 496
Quaestio LXI. – De impedimento matrimonii, quo est votum solenne	» 497
Quaestio LXII. – De impedimento quod supervenit matrimonio consummato, quod est fornicatio	498
Quaestio LXIII. – De secundis nuptiis	500
Quaestio LXIV. – De annexis matrimonio, et primo de debiti redditione	» 500
Quaestio LXXV. – De pluralitate uxorum	» 504
Quaestio LXXVI. – De bigamia et irregularitate ex ea contracta	508
Quaestio LXXVII. – De libello repudii	510
Quaestio LXXVIII. – De filiis illegitime natis	513
Quaestio LXXIX. – De his quae spectant ad resurrec- tionem, et primo et loco animarum post mortem	515
Quaestio LXX. – De qualitate animae exeuntis a cor- pore, et poena ei inflicta ab igne corporeo	520
Quaestio LXXI. – De suffragiis mortuorum	522
Quaestio LXXII. – De oratione respectu sanctorum qui sunt in patria	531
Quaestio LXXIII. – De signis quae iudicium praece- dent	533
Quaestio LXXIV. – De igne ultimae conflagrationis	534
Quaestio LXXV. – De resurrectione	537
Quaestio LXXVI. – De causa resurrectionis	539
Quaestio LXXVII. – De tempore et modo resurrec- tionis	541
Quaestio LXXVIII. – De termino a quo resurrectionis	543
Quaestio LXXIX. – De conditione resurgentium, et primo de eorum identitate	545
Quaestio LXXX. – De integritate corporum resurgen- tium	548
Quaestio LXXXI. – De qualitate resurgentium	550
Quaestio LXXXII. – De impassibilitate corporum beatorum resurgentium	552
Quaestio LXXXIII. – De subtilitate corporum beato- rum	555
Quaestio LXXXIV. – De agilitate corporum beato- rum	558
Quaestio LXXXV. – De claritate corporum beatorum	560
Quaestio LXXXVI. – De conditionibus corporum damnatorum resurgentium	561
Quaestio LXXXVII. – De cognitione quam habebunt resuscitati in iudicio respectu meritorum et deme- ritorum	564
Quaestio LXXXVIII. – De iudicio generali, tempore et loco in quo fiet	» 566